R. P. JOANNIS MICHAELIS
CAVALIERI
BERGOMATIS

ORD. EREMIT. SANCTI AUGUSTINI CONGR. OBSERV. LOMB.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI

OPERA OMNIA
L I T U R G I C A,
S E U
COMMENTARIA

In authentica Sacræ Rituum Congregationis Decreta ad Romanum præſertim Breviarium, Miſſale, & Rituale quomodolibet attinentia

QUINQUE TOMIS COMPREHENSA.

EDITIO NOVISSIMA

Ab Auctore curis poſthumis aucta, & emendata, atque integro Tomo ex manuſcriptis ejus ſchedis nunc primum collecto locupletata.

TOMUS QUARTUS.

BASSANI, MDCCLXXVIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

ELENCHUS CAPITUM,

Et Argumentorum hujus Tomi.

CAPUT PRIMUM.

De Feria V. in Cœna Domini. a pag. 1. ad pag. 9

CAPUT II.

De Confeſſione, & Communione annua, & paſchali. a pag. 9. ad pag. 25

CAPUT III.

De Communione frequenti, & quotidiana. a pag. 25. ad pag. 30

CAPUT IV.

De Communione Fidelium. a pag. 30. ad pag. 47

CAPUT V.

De Communione Infirmorum. a pag. 47. ad pag. 58

CAPUT VI.

De Aſſervatione SS. Sacramenti. a pag. 58. ad pag. 61

CAPUT VII.

De Expoſitione SS. Sacramenti. a pag. 61. ad pag. 72

CAPUT VIII.

De Inſtructione Clementina XL. Horarum. a pag. 72. ad pag. 86

CAPUT IX.

De Repoſitione SS. Sacramenti. a pag. 86. ad pag. 90

CAPUT X.

De genuflexione erga SS. Sacramentum. a pag. 90. ad pag. 93

CAPUT XI.

De Benedictione ſacræ ſupellectilis, atque templorum. a pag. 93. ad pag. 103

CAPUT XII.

De Benedictionibus Candelarum, Cinerum, atque Palmarum. a pag. 103. ad pag. 114

CAPUT XIII.

De Benedictione Puerperarum. a pag. 114. ad pag. 116

CAPUT XIV.

De Nuptiis. a pag. 116. ad pag. 122

CAPUT XV.

De Benedictione Nuptiarum. a pag. 122. ad pag. 126

CAPUT XVI.

De Feria VI. in Paraſceve. a pag. 126. ad pag. 135

CAPUT XVII.

De vera cruce, ejus imagine, & Sanctorum Reliquiis. a pag. 135. ad pag. 138

CAPUT XVIII.

De Cruce in altari, & ſacris imaginibus. a pag. 138. ad pag. 143

CAPUT XIX.

De Proceſſione Corporis Chriſti. a pag. 143. ad pag. 147

CAPUT XX.

De Proceſſionibus in Paſſionis tempore. a pag. 147. ad pag. 149

CAPUT XXI.

De Sabbato Sancto. a pag. 149. ad pag. 158

CAPUT XXII.

De Fonte Baptiſmali. a pag. 158. ad pag. 162

CAPUT XXIII.

De Aqua benedicta. a pag. 162. ad pag. 165

CAPUT XXIV.

De domorum, atque locorum benedictione. a pag. 165. ad pag. 168

CAPUT XXV.

De Benedictionibus eſculentorum. a pag. 168. ad pag. 171

CAPUT XXVI.

De Sacris Oleis. a pag. 171. ad pag. 173

CAPUT XXVII.

De Benedictione in vita, & mortis articulo. a pag. 173. ad pag. 177

Ad præcedentes Tomos Appendix. a pag. 177. ad pag. 182

INDEX

Digitized by Google

INDEX DECRETORUM

Servato ordine, quo a nobis per Capita diſtributa ſunt, & ſiunt expoſita, prout monuimus in Præfatione hujus Tomi.

Numerus Paginam notat.

1. AN celebratio Miſſæ ſolemnis feria V. in Cœna Domini ſit de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, prout jacet, ſed ſpectare ad Parochos. S. R. C. 10. Decem. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704. 1

2. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulcro. Sac. Rit. Congr. 14. Junii 1659. *in Neapolitana.* 2

3. Omnes de Cleto, etiam Canonici, Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 27. Sept. 1608. *in Civitaten.* *ibid.*

4. Feria V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſeipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis, & Clericis, nunquam vero debet illam miniſtrare Diaconus, vel unus ex Aſſiſtentibus. Sac. Rit. Congreg. 8. Aug. 1643. *in Majoricana.* 3

5. Sacerdotes in die Cœnæ Domini, SS. Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre ſtolam, vel ante pectus, vel a collo pendentem. S. R. C. 30. Septemb. 1679. *in una Cappuccinor.* 4

6. Proceſſio SS. Sacramenti, quæ in Feria V. majoris hebdomadæ fit ad ſepulcrum, & a ſepulcro ad altare Feria VI., non debet fieri extra Eccleſiam. Congr. Epiſc. & Reg. 6. Aug. 1591. *ibid.*

7. Non eſt toleranda conſuetudo quorumdam, qui contra id, quod præſcribitur in Mulali, exponunt patenter hoſtiam conſecratam, reſervandam a feria V. in Cœna Domini uſque ad ipſius conſumptionem in feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ.* 5

8. Clavis hoſtiæ repoſitæ in feria V. Cœnæ Domini, non debet dari laico, quantumvis nobili. S. R. C. 30. Janu. 1610. *in Pacen.* 6

9. In feria VI. in Paraſceve Parochus, dum e domo infirmorum redit cum Sacramento, non debet hoc recondere in publica Eccleſia. Sac. Rit. Congreg. 15. Maii 1745. *ibib.*

10. Quæſitum fuit, quo velo cooperienda ſit crux in altari ad functionem lotionis pedum in feria V. majoris hebdomadæ, & crux proceſſionis, cum Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo; & actus ipſe lotionis, ſive mandatum præcipiatur a Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate miſſæ celebratæ in mane cum cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. R. C. 16. Novemb. 1649. reſpondit *colorem non eſſe mutandum*, in Januen. 7

11. Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus Chriſtiana careat ſepultura. Concil. Lateran. IV. ſub Innocent. III. anno 1215. & habetur cap. *Omnis* titul. de Pœnit. & Remiſs. 9

12. Pœnæ ob prætermiſſionem confeſſionis annuæ, & communionis paſcalis non incurruntur, niſi poſt Judicis ſententiam, ſive poſt edictum Ordinarii, per quod declarantur incurſi. Congr. Epiſc. 14. Junii 1595. 10

13. Limita ſi intermiſſio ſit notoria; vel adſit ſtatutum ſynodale in contrarium. Eadem Congregat. 15. Decembris 1596. *ibid.*

14. An ſententia Curiæ Metropolitanæ Acheruntinæ ſuſtineatur, ſive potius ſit exequendum Decretum Curiæ Epiſcopalis Gravinenſis? Reſp. ad primam dubii partem negative, & ad ſecundam affirmative. Congr. Concil. 10. Junii 1724. *ibid.*

15. Epiſcopus adverſus eos, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas Cap. *Omnis utriuſque ſexus* de Pœnit., & Remiſs. contemnunt, poteſt etiam ad excommunicationem procedere, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ex rationabili cauſa communio ad tempus dilata fuerit. Congregat. Concil. 28. Januarii 1587. ad 1. dub. 11

16. An poſſit Epiſcopus pro ſatisfactione iis, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas cap. *Omnis utriuſque ſexus* de Pœnit. & Remiſs. contemnunt, pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere? Reſp. poſſe injungi eleemoſynas alicui pio loco applicandas pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione. Ead. Congr. in eod. Decret. ad 2. dub. *ibid.*

17. An expediat talium abſolutionem ſibi reſervare? Reſp. non expedire. Ead. Congr. in eod. Decr. ad 3. dub. *ibid.*

18. Præſenti Decreto noſtro ſancimus dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, & aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam quadrageſimali, & paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchæ Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem Parocho ſumant. Clemens VIII. anno 1592. adverſus quoſdam Galliæ Epiſcopos. *ibid.*

19. Epiſcopi declarare non poſſunt, quod Regulares ad confeſſiones ſæcularium excipiendas approbati, hos in Paſchate audire non valeant ſine Parochorum licentia, quia Regulares poſſunt audire Confeſſiones quorumcumque ad eos confluentium. Congr. Concil. 24. Martii 1597. 8. Junii 1599. & 26. Martii 1671. 12

20. Illi Religioſi qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittantur. Clemens X. in ſua Conſtit. *Superna* 21. Junii 1670. *ibid.*

21. Ii vero, qui ſemel fuerint ſimpliciter approbati, poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paſchali, confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. Idem Clemens X. *in cit. Conſtit.* *ibid.*

22. Ii vero qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni, quæ incipit omnis utriuſque ſexus, quoad Confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeatur. Idem Clemen. X. *in cit. Conſtitut.* *ibid.*

23. Quoad ceteros vero Religioſos qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipſos cum limitata facultate prout iiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Idem *in cit. Conſtit.* *ibid.*

24. Non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. Alexand. VII. 24. Sept. 1665. oppoſitam theſim proſcribens. *ibid.*

25. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Alexand. VII. 24. Sept. 1665. theſim proſcribens oppoſitam. *ibid.*

26. Præcepto Communionis annuæ non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Innoc. XI. 2. Martii 1679. oppoſitam profligans propoſitionem. *ibid.*

27. Confeſſores Regulares cogendi non ſunt habere libros, in quibus ſcribantur nomina pœnitentium, quod Parochorum proprium eſt, ſed ſufficit, quod pœnitentibus in ſcriptis conſignent atteſtationi ſchedulam, ubi eſt præceptum, vel conſuetudo, ut eam Parocho exhibeant tempore Paſchatis. Congreg. Concil. 18. Martii 1586. *ibid.*

18. Intelligimus optimo jure ſatisfactum eſſe canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel intra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem fideles præparatione debita Sanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere. Eugenius IV. Conſt. *Fide digna* 8. Julii 1440. 15

29. Communioni in Paſchate præceptum poteſt extendi in longius tempus ex Epiſcopi, aut Parochi diſpenſatione rationabili, veluti ſi timeatur de relapſu in peccatum, ſeu gravitas delicti perpetrati id requirat, aut ſi cauſa alicujus forenſis expeditionis impediat conſcientiæ ſerenitatem. Congreg. Concil. 19. Novemb. 1619. 16

30. Regulares poſſunt laicis qui degunt intra ſepta Monaſterii, eiſque actu inſerviunt, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ unctionis, necnon ſepulturam dare in propria Eccleſia juxta Decretum editum in Mediolanenſi, non tamen iis, qui quidem actu inſerviunt, ſed degunt extra ſepta Monaſterii, nec eorum familiis, Cong. Concil. 25. Jan. 1738. 17

31. Prælati Regulares, ſeu alii Religioſi confeſſores abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi poſſunt audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Congr. Concil. 14. Aug. 1568., & Clemens X. in Conſtit. *ſuperna* 21. Junii 1670. *ibid.*

32. An famuli, & famulæ Monialium ſæculares degentes in manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & manſiones ſitæ ſunt? Reſp. affirmative, & non amplius. Congr. Concil. 19. Sept. 1722. *ibid.*

33. In Oratoriis Collegiorum Convictoribus diſcipulis, & Domeſticis, hoc eſt, illis, qui actu degunt in Collegio, & illi inſerviunt, communio paſchalis adminiſtrari non poteſt. Congr. Concil. 11. Junii 1718. 18

34. Tertiarii Ragularium Ordinum, ſi qualitatibus in Bulla fel. rec. Leonis Papæ X. præſcriptis ſint prædıti, videlicet ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter vivant, mulieres vero virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, poſſunt, & debent, etiam invito, ac minime requiſito Parocho, in Fratrum Eccleſiis ſepeliri; ſecus vero ſi ſupradictis qualitatibus careant. Congr. Epiſc. 11. Decemb. 1615. *ibid.*

35. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum ad tollendas omnes contentiones inter Epiſcopos, & Superiores Regularium ſuper immunitate, & exemotione Tertiariarum, quæ in privatis domibus degunt, vulgo *Bizoche*, ſeu alio quovis nomine nuncupatarum, in primis, & ante omnia in memoriam revocat ea, quæ Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum in eamdem ſententiam reſpondit, videlicet 19

1. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpius reſpondit, minime poſſe Sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de Pœnitentia, vel Bizochas vocant, Confeſſiones Sacramentales audire, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas.

2. Quemadmodum nec poſſe illis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis Sanctiſſimi D. N. J. C.

3. Verum quoad ſepulturam, atque alia privilegia Fratres Tertiarios, mantellatos, corrigiatos, alioſque ſimiles, ita demum Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, privilegiis potiri, ab ordinarii juriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerit, quemadmodum cavetur conſtitutione Concilii Lateranenſis ſub Leone X. ſeſs. 11. in fine. Hoc autem voto mulierum alia duo, ſcilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi, quinimmo hujuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſſeque voverint, etiam in conſanguineorum, aut affinium ſuorum, aut propriis domibus vel ſeorſum habitantes, ſupradictis privilegiis Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii juriſdictione frui debere, ut idem Leo poſtea declaravit conſtitutione edita die 1. Martii 1518.

4. An autem prædictæ qualitates in hujuſmodi Tertiariis concurrant, Ordinarii loci eſſe judicium.

5. Præterea ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura repetiatur, ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendas eſſe decernit.

6. Superioribus autem Regularibus ſufficienti facultate ad id a Sede Apoſtolica ſuffultis (Cappucinis exceptis) licere mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, atque in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quam conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis prævio examine diligenti ſibi conſtiterit.

7. Verum in hujuſmodi habitu concedendo, & reſpective deferendo, omnino a velo ſupra caput, quod *ſuperjectum* vocant, & a Pectorali, quod vulgo dicitur *ſottogola*, & a Patientia abſtinendum eſſe; quinimmo eas, quæ ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum deferre deprehenſæ fuerint, illa dimittere etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ab Ordinariis locorum compellendas eſſe decernit.

8. Supradictis vero Decretis mulieres tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimmo eas diſpoſitioni Conſtitutionis Pii Papæ V. editæ Romæ anno 1566. IV. Kal. Julii, quæ incipit *Circa Paſtoralis*, penitus ſubjacere expreſſe declarat, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Datum Romæ 20. Decembris 1616.

36. Conſervatorium Tertiariarum S. Franciſci Maſſæ ſubjectum eſt omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum conſervatorium. *Congreg. Concil. 30. Januarii* 1723. 21

37. Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Rectores Eccleſiarum Parochialium iſtius Civitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Jeſu, quod aſſerere audent perſonas laicas ſumente in eorum Oratoriis, ſeu Congregationibus Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: cumque id minime ſit permiſſum, ſed fideles Sacram Communionem tempore paſchali a proprio Sacerdote, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licentia ſuſcipere teneantur, Sanctitas ſua juſſit Eminentiæ Veſtræ ſignificandum, ut ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, & aliis ſibi bene viſis, id prohibeat præfatis Religioſis, moneatque ipſos laicos Sacramentum Euchariſtiæ ut ſupra de manu proprii Parochi teneri ſuſcipere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant. Cardinalis Veroſpius de mandato Urbani VIII. 20. Martii 1638. ad Card. Boncompagnum Archiep. Neapol. 22

38. Non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipit ante vel poſt diem Paſchatis, non de manu Parochi, ſed Regularium habentium a Sede Apoſtolica privilegium miniſtrandi hoc Sacramantum, *præterquam in die Paſchatis*; quod tamen viſum eſt etiam in die Reſurrectionis poſſe ipſus miniſtrare. Congr. 21. Maii 1601. 23

39. Parochiani non ſatisfaciunt obligationi communionis paſchalis per Euchariſtiam ſumptam extra propriam Parochiam; quare monendi erunt Regulares, ne in eorum Eccleſiis adminiſtrent Euchariſtiam die Paſchæ, niſi illis de quibus ſibi conſtiterit, jam illam in Parochiali ſumpſiſſe in aliqua ex diebus hebdomadæ majoris: & in omni caſu a Parochis habendi non erunt liberi ab onere communionis paſchalis parochiani illi, qui in propria Parochia non communicaverint. *Congreg. Epiſcop. 16. Maii* 1600. *ibid.*

40. Qui ſatisfecit in paſchate in parochiali, non tamen poteſt in ipſo die paſchatis Euchariſtiam ſumere in Eccleſia Regularium non habentium curam animarum. Congregatio Concil. 23. Jan. 1586. & 14. Martii 1615. *ibid.*

41. Fuit dubitatum, an die paſchatis Fratres poſſint adminiſtrare populo Sanctiſſimam Euchariſtiam, Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe, ſtante quod in privilegio Eugenii IV. hoc eis interdicitur expreſſe pro illa die. Die 2. Martii 1619. *ibid.*

42. Non poſſunt ſæculares in ipſo die Paſchatis de manu Regularium Sanctam communionem accipere, etſi in alia die ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto hac de re edito. Congr. Concil. 8. Junii 1619. *ibid.*

43. Prohibeatur Regularibus adminiſtrare ſæcularibus Sacramentum communionis, etiam devotionis gratia, ipſo die Paſchatis; in aliis vero diebus temporis Paſchalis declaretur eos, qui S. Communionem receperint extra Parochiam, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere. Congreg. Epiſc. 10. Sept. 1627. 24

44. Epiſcopi non poſſunt prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare non valeant perſonis ſæcularibus Sacramentum Confeſſionis; poſſunt tamen eiſdem prohibere, ut perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ ſæculares in alia die ſatisfecerint præcepto hac de re edito. Congr. Concil. 9. Julii 1644. *ibid.*

45. Non licet Regularibus in die Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus. Congr. Concil. 14. Janu. 1736. *ibid.*

46. Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit in Eccleſia probatus, numquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut ſingulis miſſis fideles aſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*, idque non immerito; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa; quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certe de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Sac. Congr. Concilii 12. Febr. 1679. approbante Innoc. XI. 25

47. Et propterea quoad Negotiatores attinet frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatum proceſſu Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod perſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. S. Cong. Concil. in eodem Decreto. 26

48. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus,

Digitized by Google

pus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cæleſtium epularum communionem eſſe conveniendum. Ead. Congr. in eodem Decreto. *ibid.*

49. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuavitatem deguſtet. Eadem Congr. in laudato Decreto. 27

50. Iidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; ſi quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a ſuperioribus permittatur. Ead. Congr. in eodem Decreto. 28

51. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine diſcant cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Ead. Congreg. in eodem Decreto. 29

52. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt; & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, & dona in ſumentibus augeantur; Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius reſici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverit. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cæleſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur S. Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Ead. Congr. in eod. Decreto. *ibid.*

53. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino. Ead. Congr. in eod. Decreto. *ibid.*

54. Doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam SS. Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. Congr. Concil. 12. Febr. *1679.* approbante Innoc. XI. 30

55. Admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas, Ead. Congreg. in eod. Decr. *ibid.*

56. Curent etiam, ut circa communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Ead. Congr. Concil. 12. Febr. *1679.* approbante Innoc. XI. 33

57. In feria ſexta Paraſceves non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi infirmis. S. R. Congr. 19. Februar. 1622. *ibid.*

58. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt miſſam decantatam non poſſint ſucceſſive aliæ duæ miſſæ celebrari, nec communio exhiberi Euchariſtica fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus. S. R. C. 23. Martii 1686. *in Senen.* 35

59. In Miſſis Defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non miniſtretur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum ſacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur communio cum particulis intra eamdem miſſam conſecratis. S. R. C. 2. Sept. 1741. *ibid.*

60. Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur ſacra Euchariſtia clericis, vel laicis, reliqui de clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maji 1711. *in Catanien.* 36

61. Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem cotta indutum in Communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt. S. R. C. 3. Sept. 1661. *in Andrien.* 37

62. In communione Monialium habentium feneſtrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet deſcendere per gradus anteriores, & non laterales altaris. S. C. R. 15. Sept. 1737. *in Toletana.* 38

63. Avanti di cominciare la Meſſa non ſi faccia la Comunione ſenza gran neceſſita, ed in queſto caſo s'accenda il Cereo dell' Elevazione. Sacra Congregat. Viſit. Apoſtol. ſub Urbano VIII. apud Meratum *part. 2. tit. 10. num. 29.* 39

64. La comunione dentro la Meſſa è deſcritta nel Meſſale minutamente: nel fine non ſi dia la benedizione, ſe non in fine della Meſſa. Eadem Congregat. in eod. Decret. 40

65. Comunicando fra la Meſſa de Requiem, ſi faccia l'iſteſſo; nè ſi dia alcuna benedizione, nè ſi ſcordi di coprire fra tanto il calice con la ſolita palla. Ead. Congr. in eod. Decr. 42

66. Chi comunica finita la Meſſa, ſi tenga la pianeta, ed il manipolo, come preſcrive il Rituale Romano; nè il Chierico eſtingua il cereo dell'elevazione, ſino che ſia finita la comunione. Ead. Congr. in eod. Decreto. 43

67. Il pannicello, che ſi dà per la comunione, ſia deſtinato a queſt'uſo; nè mai ſi dia il velo del calice, e molto meno il fazzoletto dell' ampollette d'aſciugare le mani al Sacerdote. Ead. Congr. in eod. Decr. 47

68. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non eſt denegandum peccatori occulto publice petenti, maxime quando notitia, quæ de illius peccato habetur, non eſt certa. Congr. Epiſc. 18. Sept. 1618. *ibid.*

69. Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat hoc Sacramentum non poſſe recipi a non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a Jure, vel ab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Concil. Conſtan. ſeſſ. 13. 48

70. Ne ſacratiſſima Euchariſtia denegetur condemnatis per Judicem ad ultimum ſubeundum ſupplicium, conſtituit Concilium Moguntinum anno 847. *Cap. 27.* 49

71. Reis capitali ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda eſt, poteſt dari Euchariſtia. Congr. Epiſc. 16. Junii 1590. *ibid.*

72. Non licet ſanctam Euchariſtiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti, ſumere eam non poſſunt, ſed venerationis gratia ſolent eam deoſculari. Et ſi forte aliquo in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda, quod Pio V. prohibuit. Congreg. Concil. apud Benedictum XIV. *Annot. tom. 2. part. 4. ſect. 2. num. 367.* 50

73. Ægrotis morti proximis, cujuſcumque ſint conditionis, quamvis in ſordido, ac vili degant loco, aut tugurio, ſacrum Euchariſtiæ viaticum deferatur, cum apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec crucis ignominiam exhorruerit. Alex. VII. Conſt. *Sacri Apoſtolatus* 18. Januar. 1658. & Clemen. IX. Conſt. *In Eccleſia* 13. Sept. *1669.* 51

74. Pyxis, in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R. C. 21. Martii *1699.* *in Bergomen.* *ibid.*

75. Cæremonialis liber nec laicis, nec clericis prohibet, quo minus in Proceſſione SS. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas. S. R. C. 12. Aprilis 1603. *in Andrien.* 52

76. Parocho reumate laboranti, & SS. Sacramentum infirmis deferenti, ſolet indulgeri uſus pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel Oppidum. S. R. C. 5. Martii 1633. *in Aſculana.* *ibid.*

77. Et ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum pileoli ad tenorem dicti Decreti. Ead. Congreg. 10. Januar. 1693. *in Trevi-ren.* 53

78. Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum infirmis, non eſt licitum, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejuſdem per civitatem ſub prætextu alicujus infirmitatis abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia. S. R. C. 13. Aug. 1695. *in una urbis.* *ibid.*

79. In ſolemnibus SS. Sacramenti Proceſſionibus, præter conſueta lumina, quatuor ſaltem ſemper laternæ cum intus accenſis candelis circa celebrantem deferantur. Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. anno 1725. celebratum *t. 15. cap. 7.* *ibid.*

80. In feria VI. Paraſceve Parochus, dum defert SS. Sacramentum ad domum infirmi pro miniſtrando ei viatico per vias publicas, recitat conſuetos pſalmos, & in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, & ingreſſus Eccleſiam, ſtatim deponit Sacram pyxidem, & dimittit populum abſque benedictione; quæritur, an ſit laudandus? Reſp. Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmis feria VI. in Paraſceve, dummodo private, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod defertur cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus; ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandus, ſi populus abſque benedictione dimittat, quia in publica Eccleſia non debet recondi. S. R. C. 15. Maii 1745. *in Lucana.* 55

18. Non

81. Non poteſt Epiſcopus prohibere Curato, ne adminiſtret Viaticum infirmis ſine ſua licentia. Congreg. Epiſc. 30. Octobr. 1640. 56

82. Laicis, qui intra clauſtra Regularium habitant, & illis actu ſerviunt, poſſunt Regulares Sacramentum Euchariſtiæ, & tempore Paſchæ, ac extremæ unctionis miniſtrare, necnon in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare. Congr. Concil. ſub menſem Junii 1587., & 25. Janu. 1738. *ibid.*

83. An ad Parochos ſpectet in caſu ultimæ infirmitatis Sacramenta miniſtrare famulis, & famulabus monialium ſæcularibus, habitantibus in manſionibus ſitis in atriis monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur. Reſp. affirmative. Congreg. Concil. 19. Sept. 1722. *ibid.*

84. Non potuere licite Regulares, irrequiſito Parocho, Sacramenta adminiſtrare, & corpus tumulare in caſu. Congreg. Concil. 29. Janu. 1718. *ibid.*

85. Ut Patres Theatini Sacramenta Euchariſtiæ, etiam pro viatico, ac extremæ unctionis adminiſtrare valeant ceteris clericis, ac Fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam mercenariis, famulis, operariis, & ſervis eorumdem, ac quibuſvis hoſpitibus, etiam ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum civitatibus, Diœceſibus, Eccleſiarum Parochiis, reſpective Eccleſiæ, & loca ipſorum Congregationis, nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minime petita, nec obtenta, & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam, propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcumque aliis perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa, aliis quibuſcumque infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis, ubique in caſu neceſſitatis ſupradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec ei conceſſa licentia cujuſvis Curati, concedit Pius V. in Conſtitut. *Ad Immarceſſibilem* 13. Februar. 1567. *ibid. & ſeq.*

86. Jus adminiſtrandi Sacramenta Canonicis, & Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis infirmis, & habitantibus in alienis Parochiis, ſpectat ad Parochum domicilii, ſeu habitationis, non vero ad Parochum Cathedralis. Congreg. Concil. 16. Martii 1680., 12. Maii 1685., 11. Septemb. 1694., 17. Septemb. 1695., & 26. Septembr. 1699. 57

87. Ubi Parochiæ diſtinctæ ſunt per determinatas familias, adminiſtratio baptiſmi, aliorumque Sacramentorum ſpectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, & non ad Archipresbyterum Collegiatæ, ſeu matricis. Congr. Concil. 24. Maii 1732. *ibid.*

88. Parocho Cathedralis non licet miniſtrare Sacramenta quibuſcumque clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus, ſed id competit privative Parochis Domiciliarii. Congr. Concil. 2. April. 1729. *ibid.*

89. Non eſt probata conſuetudo, & idcirco terminanda eſt cauſa ſecundum jus commune, videlicet, quod quando quis in una Parochia oritur, & in alia ſepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui ſtolam deferens a domo defuncti uſque ad Eccleſiam, in qua corpus ſepeliendum erit, aliis omnibus præcedere debet, in Eccleſia vero, In qua Corpus ſepelitur, officium faciat circa corpus, & aliis præcedat Parochus ipſius Eccleſiæ, & ita ut ſupra in Civitate Eugubina inter Curatum Eccleſiæ Cathedralis, & Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum ſervandum eſſe cenſuit, & declaravit, atque ſervari mandavit quibuſcumque non obſtantibus. Ead. Congr. 5. Julii 1614. *ibid.*

90. Servari debet dicta cœremonia thurificandi SS. Sacramentum incluſum in pyxide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipſo benedicitur populus. S. R. C. 21. Junii 1738. *in Ulixb. Orient.* 58

91. Sanctiſſimum Sacramentum conſervandum eſt in qualibet Parochiali. Congr. Epiſ. 28. Janu. 1603. *ibid.*

92. Quantumvis paupere; quod ſi redditus, & ſocietas non ſufficiat, inſtituatur quæſtor, vel eleemoſynarum collector. Ead. Congr. 14. Martii 1614., & Congreg. Concil. 22. Martii 1594. *ibid.*

93. Et in Regularium Eccleſiis, quæ de hoc habent privilegium. Ead. Congr. Epiſc. 25. Maii 1635. *ibid.*

94. Extra Parochiales Eccleſias non conceditur retineri aſſidue Euchariſtia. Congr. Epiſc. 15. Janu. 1610. *ibid.*

95. Epiſcopus concedere non poteſt Eccleſiæ non Parochiali, ut in ea retineatur Ss. Sacramentum Euchariſtiæ, ſed requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ. Cong. Concil. 3. Martii 1668., & 3. Jann. 1683. *ibid.*

96. Confraternitates retinere non poſſunt in earum Oratoriis ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Ead. Cangr. 19. Aug. 1690., & 17. Novebr. 1691. *ibid.*

97. In Eccleſiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri non poteſt SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Janu. 1704. *ibid.*

98. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum conſervari poteſt in Eccleſiis etiam non Parochialibus, ſi ab immemorabili fuerit in iiſdem aſſervatum. Cong. Conc. 27. April. 1709. 59

99. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum eſt uno tantum in loco cujuſcumque Eccleſiæ, in qua cuſtodiri debet, poteſt, aut ſolet. Congr. Epiſc. 13. Oct. 1620. *ibid.*

100. Tabernaculum regulariter debet eſſe ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno ſerico decenter contectum. Cong. Epiſc. 26. Octob. 1575. *ibid.*

101. Sanctiſſimum Sacramentum teneri non debet in vaſculis eburneis, ſed in pyxide argentea, intus inaurata. Ead. Congreg. 26. Jul. 1588. *ibid.*

102. Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet eſſe in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt verſis renibus ad altare; in Parochialibus vero, & Regularibus debet regulariter eſſe in altari majori tanquam digniori. Congr. Epiſc. 10. Februarii 1579., & 29. Nov. 1594. 60

103. In tabernaculo SS. Sacramenti eſſe non debent vaſa Sacrorum oleorum, vel Reliquiæ, vel aliud. Congreg. Epiſc. 3. Maii 1693. *ibid.*

104. Ante Oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti, in quo depicta, vel inſculpta eſt imago Domini Noſtri, non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile, ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Janu. 1701. *ibid.*

105. Lampas ardens omnino retinenda eſt ante altare SS. Sacramenti, non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum altare. S. R. C. 22. Aug. 1699. *in una Ord. Cappucinor.* *ibid.*

106. Legato de Lampade ardente ante SS. Sacramentum ſatisfaciunt hæredes per ſubminiſtrationem olei, apud Eccleſiæ Rectorem remanente cura, ut continuo ardeat. Congreg. Epiſc. 28. Apr. 1599. *ibid.*

107. Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. Ead. Congreg. 5. Apr. 1573. 61

108. Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper altari, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. *in Placentina Provinciæ Caſtellanæ.* *ibid.*

109. Non licet Regularibus, etiam in propriis earum Eccleſiis, SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem privata poſſunt, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum, ita ut ipſa ſacra Hoſtia videri non poſſit. Congr. Epiſc. 10. Dec. 1602. & 17. Aug. 1630. 62

110. Non exponatur a Regularibus ſolemniter Ss. Euchariſtiæ Sacramentum ſine licentia Ordinarii. Ead. Cong. 14. Jan. 1648. *ibid.*

111. A Regularibus publice exponi non poteſt SS. Sacramentum ſine licentia Ordinarii. S. R. C. 26. Febr. 1628. *ibid.*

112. Licet Regularibus exponere in eorum Eccleſia Ven. Euchariſtiæ Sacramentum, & populo benedicere, accedente conſenſu Ordinarii. Congr. Concil. 16. Martii 1726. *ibid.*

113. Non poſſunt Regulares pro Confraternitatibus in eorum Eccleſia erectis, exponere SS. Euchariſtiæ Sacramentum occaſione Novenæ SS. Natalis, & quadraginta horarum in diebus ſibi bene viſis ſine licentia Ordinarii. Ead. Congr. 15. Martii 1708. *ibid.*

113. Imo nec eaſdem expoſitiones facere pro eorumdem Regularium devotione. Ead. Cong. in eod. Decreto. *ibid.*

115. Expoſitio SS. Sacramenti facienda non eſt, niſi ob cauſam publicam, & gravem; & pro perſonis particularibus infirmis, aut afflictis &c. quæ in ſui auxilium publicas preces ante SS. Sacramentum exoptant, non exponatur detectum, ſed oſtiolo tabernaculi aperto, aut ad ſummum in pyxide velata cum numero convenienti luminum, & aſſiſtentia Sacerdotum. Et ita Ordinarii fieri curabunt nedum in Eccleſiis ſæcularibus, ſed etiam Regularibus. Cong. Epiſc. 1. Sept. 1598. *ibid.*

116. Si quandocumque privata ex cauſa Sacroſancta Euchariſtia exponendo videbitur, a tabernaculo numquam extrahatur, ſed in pyxide velata in aperto ejuſdem tabernaculi oſtiolo cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis ſtola, & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis collocetur. Congr. Epiſc. 9. Dec. 1602. 63

117. Quantitas luminum pietati facientis expoſitionem remittitur. S. R. C. 15. Martii 1698. *ibid.*

118. Monialibus, etiam quæ ſubſunt regimini Regularium, abſque licentia Epiſcopi non licet in earum Eccleſiis exponere SS. Sacramentum. Congr. Concil. 16. Martii 1743. *ibid.*

119. Parochis, & Vicariis Abbatialibus non licet abſque licentia Epiſcopi publicæ venerationi exponere SS. Euchariſtiam. Congr. Concil. 30. Maii 1699., & 4. Febr. 1702. *ibid.*

120. An Decretum Sacræ Congregationis emanatum die 30. Maii 1669., & confirmatum die 4. Febr. 1702., ſit etiam ſervandum ſingulis tertiis Dominicis, & per totam octavam Feſtivitatis Ss. Corporis Chriſti? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 4. Febr. 1719. *ibid.*

121. Juxta Decreta generalia in Eccleſiis Confraternitatum exponi non poteſt Ss. Sacramentum ſine expreſſa licentia, & conſenſu Ordinarii. Congr. Epiſc. 20. Aug. 1601., & 2. Aug. 1652. *ibid.*

122. An præſuppoſita facultate retinendi Ss. Sacramentum, poſſint Eccleſiæ Confraternitatum infra annum illud publice exponere ſine licentia Ordinarii? Reſp. negative. S. R. C. 10. Decembris 1703. approbante Clem. XI. 12. Januarii 1704. *ibid.*

123. Con-

123. Confraternitates ſine licentia Epiſcopi in ſuis Oratoriis Euchariſtiam exponere nequeunt infra annum, aliiſque diebus juxta ſuum inſtitutum. Congr. Concil. 13. Apr. 1726. 64.

124. An ad ſuperius recenſitas expoſitiones faciendas ſufficat ſemel dictam licentiam petere, ſeu potius illa requiratur toties quoties? Reſp. ſervetur ſolitum. Ead. Congreg. in eod. Decreto. *ibid.*

125. An petita, & non obtenta dicta licentia, habeatur pro conceſſa? Reſp. negative. Ead. Congr. eodem. die, menſe, & anno. *ibid.*

126. Epiſcopus Confraternitatibus permittere debet expoſitionem Ss. Sacramenti juxta ſolitum, niſi quid relevans adſit in contrarium. Cong. Epiſc. 16. Martii 1649. *ibid.*

127. Non poſſunt Confraternitates exponere SS. Sacramentum in ſua Cappella de licentia, & conſenſu Parochi, in cujus Eccleſia erectæ ſunt, ſed potius requiritur licentia Ordinarii. Congreg. Concil. 5. Aug. 1719. *ibid.*

128. Confraternitates erectæ in Eccleſiis parochialibus, vel in cappellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus Eccleſiis, & ab eis dependentibus, habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis non parochialibus. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clement. XI. 12. Janu. 1740. *ibid.*

129. Confraternitates erectæ in Eccleſiis publicis, vel in Oratoriis tum publicis, tum privatis, ſejunctis ab Eccleſiis parochialibus, nullam dependentiam quoad explendas ſacras functiones non parochiales habent a Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſitæ ſunt Eccleſiæ. Ead. Congr. in eod. Decr. 65.

130. Expoſitio XL. horarum, & benedictio, quæ fit ſuper populum, non eſt de juribus mere parochialibus, Ead. Congr. in eod. Decr. *ibid.*

131. A Confratribus Ss. Euchariſtia exponi poteſt cum licentia Epiſcopi, licet ſine conſenſu Parochi. Congr. Concil. 24. Sept. 1718., & 13. Janu. 1720. *ibid.*

132. In proceſſionibus peragendis extra ambitum Eccleſiarum, expoſitione Euchariſtiæ, benedictioue ſolemni ſuper populum, aliiſque ſimilibus, quoties interveniar licentia Ordinariorum, Parochus non poteſt ſe opponere, ne a Cappellanis, & officialibus confraternitatum fiant; quia animarum cura, & populi directio principaliter incumbit Epiſcopo, qui eſt Parochus Parochorum. Congr. Concil. 12. Feb. 1689. *ibid.*

133. An Confraternitas poſſit ſine licentia, & interventu Parochi exponere in ſuo oratorio Ss. Euchariſtiam? Reſp. affirmative accedente licentia Epiſcopi. Congr. Concil. 21. Frbr. 1728.

134. Expoſitio SS. Sacramenti fieri debet qualibet prima Dominica menſis in altari Confrarernitatis, & non potius in altari majori Eccleſiæ S. Pauli, in caſu, & Epiſcopus provideat, ne ſequantur inconvenientia. Congr. Concil. 4. Febr. 1719. *ibid.*

135. Sanctorum Reliquiæ non ſunt collocandæ ſuper altare, in quo reipſa Ss. Saramentum publicæ venerationi eſt expoſitum. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.* *ibid.*

136. Ante Ss. Sacramentum publice expoſitum non fiat concio capite tecto, non obſtante quacumque conſuetudine, & abuſus omnino eſt tollendus. S. R. C. 16. Febr. 1630. *in Belgica*, & antea 28. Nov. 1607. *in Illerden.*, & 9. Dec. 1622. *in Giennen.* 66

137. Miſſam in altari majori, ubi eſt expoſitum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſunr alia altaria, in quibus celebrari poſſit. S. R. C. 9. Aug. 1630. *in Bononien.* 67

138. Non debet cantari, neque celebrari Miſſa in altari, ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, niſi ſit pro eo exponendo: at ſi ex neceſſitate opus eſſet, populus benedicendus eſt more conſueto, & non cum SS. Sacramento. S. R. C. 13. Jun. 1671. *in Angelopolitana.* *ibid.*

139. Dum incenſatur alrare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum Crux quoque incenſari. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Cathagen. Hiſpan.* *ibid.*

140. Quando exponitur Sacramentum in altari pro initio XL. horarum, vel ſpiritualium exercitationum, ſi accidat in feſto 1., aur 2. claſſis, ſive in Dominica privilegiata 1., vel 2. claſſis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Miſſæ, una de feſto, ſeu de Dominica poſt Tertiam, altera votiva de Sacramento poſt Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione Ss. Sacramenti. S. R. C. 13. Febr. 1666. *in Romana.* *ibid.*

141. Ubi eſt confraternitas SS. Sacramenti, quando in una Dominica cujuslibet menſis fit proceſſio intra, vel extra Eccleſiam cum Ss. Sacramento, debet dici Miſſa de Dominica, S. R. C. 20. Jan. 1693. *in una Galliarum.* 68

142. In Miſſa privata de feſto duplici vel ſemiduplici, de quo tali die ſit officium, poteſt quidem fieri commemoratio occaſione XL. horarum, ſed omittenda in feſtis 1. & 2. claſſis. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran. ibid.*

143. Commemorationem de SS. Sacramento tempore ſolemnis expoſitionis poſſe fieri in Miſſa de feſto duplici, non tamen primæ, vel ſecundæ claſſis, declaravit S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.* *ibid.*

144. Dum Sacramentum eſt patenter expoſitum, in omnibus Miſſis facienda eſt commemorario de eodem poſt omnes alias commemorationes de præcepto; in Miſſis tamen ſolemnibus Feſtorum 1. & 2. claſſis fit ſub unica concluſione. S. R. C. 16. Febr. 1737. *ibid.*

145. Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in altari expoſito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento poſt omnes alias commemorariones de præcepto, & in Miſſis ſolemnibus tantum feſtorum 1. & 2. claſſis eſt facienda ſub unica concluſione. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Brugen.* *ibid.*

146. Quando frequenter fiunt expoſitiones Sanctiſſimi publice in majori altari, & præter Miſſam ſolemnem dicuntur etiam Miſſæ privatæ ad idem altare majus, tam in iſtis Miſſis, quam in aliis, quæ celebrantur ad alia altaria minora, fieri poteſt commemoratio de SS. Sacramento durante expoſitione. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.* 69

247. Commemorario de Ss. Sacramento in Miſſis privatis poterit fieri, quando ejus expoſitio fiat pro publica cauſa, etiamſi Sacramentum expoſitum ſit in pyxide. Ead. Congr. in eod. Dec. *ibid.*

148. In miſſis privatis de Ss. Sacramento, & de officio duplici, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi adſit Ss. Sacramentum expoſitum occaſione XL. horarum, non dicitur *Credo*, niſi aliter competat Miſſæ officii duplicis de die. S. R. C. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* *ibid.*

149. In Miſſa votiva Ss. Sacramenti tertia oratio dicenda eſt ea, quæ ſecundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ eſt aſſignata ſecundo loco infra octavam ejuſdem Ss. Sacramenti S. R. C. 4. Julii 1705. *in Lycien.* *ibid.*

150. Durante expoſitione Ss. Sacramenti occaſione XL. horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa privata de Requiem, licet occurrat officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive anniverſario ſatisfaciendo. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* *ibid.*

151. In Eccleſiis, in quibus occaſione XL. horarum expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum Defunctorum, etiamſi ex præſcripto Teſtatorum eſſent celebrandæ. S. R. C. 27. Apr. 1697. *in Eugubina.* *ibid.*

152. Miſſæ de Requiem extra altare, ubi eſt expoſitum Ss. Sacramentum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non ſit pro publica cauſa. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* 70

153. Expoſito Ss. Sacramento in altari majori, dum ſub *Magnificat* in veſperis idem altare majus incenſatur, an debeant etiam incenſari alia altaria ex eo quod incongruum eſſe videtur relinquere in altari expoſitum Sacramentum; & utrum thurificato altari majori, ubi eſt expoſitum Sanctiſſimum, debeat etiam fieri thurificatio illius altaris, in quo eſt reconditum Sanctiſſimum in ciborio? Reſponſum fuit, non eſſe thure adolenda alia altaria, licet alibi S. Sacramentum aſſervetur. Sacr. Rituum Congreg. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* *ibid.*

154. Confraternitas non tenetur eleemoſynam præſtare Parocho, vel alteri per eum deputando, celebranri Miſſam, tam pro conſecratione, quam pro conſummatione Ss. Sacramenti exponendi occaſione, qua exercitia ſpiritualia peraguntur, ſed Miſſæ celebrandæ ſunt abſque eleemoſyna. Congr. Concil. 15. Maji 1728. 71

155. Parochus dando benedictionem cum venerabili Euchariſtiæ Sacramento, nihil prætendere poteſt, ut tradatur Eccleſiæ Parochiali, ſed id gratis agere debet. Ead. Congreg. in eod. Decret. 72

156. Parochus, vel interveniens ad canendam Miſſam, vel ad dandam benedictionem non habet jus ſibi eligendi Diaconum, Subdiaconum, ceteroſque Miniſtros. Ead. Congreg. in eod. Decr. *ibid.*

157. Si expoſitio Ss. Sacramenti continua non ſit die noctuque, admoneri debet populus, non lucrifieri indulgentias pro oratione XL. horarum conceſſas. Congr. Epiſc. 5. Apr. 1647. *ibid.*

158. Inſtructio pro oratione XL. horarum Romæ juſſu fel. rec. Clementis XI. primum edita, extra Urbem non obligat: laudandi tamen, qui ſe illi conformare ſtudent, niſi aliud ab Ordinariis locorum ſtatutum ſit. S. R. C. 12. Julii 1749. in una Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii Civit. Patavinæ. *ibid.*

159. Abſque pluviali non licet non habentibus uſum illius in die, & infra octavam Ss. Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum Ss. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habenribus uſum, ſtatuit S. R. C. 22. Jan. 1701. in una Camald. Montis Coronæ. *ibid.*

Iſtruzione, ed Ordini

Da oſſervarſi nell' orazione continua di quarant' ore coll' Eſpoſizione del Ss. Sacramento per li biſogni di S. Chieſa, ſecondo la pia mente de' Sommi Ponteſici, confermata, e publicata di nuovo per ordine di Noſtro Signore Papa Clemente XII.

Proſpero del Titolo di S. Silveſtro in Capite della S. R. E. Cardin. Mareſoſchi, della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale,

§. I. Eſſendo ſtate fatte dal tempo dell' introduzione dell' Eſpoſizione del Ss. Sacramento per l'orazione continua di quarant'ore diverſe proviſioni ſpettanti al decoro di detta funzione, acciò le medeſime venghino eſattamente oſſervate, e ſi rimova ogni abuſo introdotto in alcune Chieſe, di ordine eſpreſſo della Santità di Noſtro Signore, datoci coll' oracolo della ſua viva voce, ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chieſe di queſta Città tanto Patriarcali, quanto Collegiate, e Parochiali, ed in ogni altra Chieſa, sì de' Secolari, come de' Regolari, in qualſivoglia modo privilegiata, e degna di ſpezial menzione, in cui ſi farà la ſuddetta orazione di quarant' ore, ſi oſſervi inviolabilmente, quanto ſi preſcrive nella preſente noviſſima iſtruzione, ſotto le pene infraſcritte. 72

§. II. Si metterà ſopra la porta della Chieſa, dove ſarà l'eſpoſizione un ſegno del Ss. Sacramento ornato di feſtoni, come pure a capo della ſtrada vicina, perchè ſia noto a chi paſſa, eſſervi l' eſpoſizione del Ss. Sacramento. 73

§. III. Il Ss. Sacramento dovrà eſporſi nell' altare maggiore (eccettuatene le Baſiliche Patriarcali, nelle quali ſi ſuole eſporre ſopra altro altare) e ſi coprirà l' immagine, o ſtatua, che vi ſia; come anche le pareti della tribuna, e le vicine dell'altare, ſe non vi ſono ornamenti fiſſi, ſi copriranno con drappi, avvertendoſi, che gli apparati non contenghino iſtorie, nè coſe profane. *ibid.*

§. IV. Sopra l'altare non vi ſi ponghino Reliquie de' Santi o ſtatue de' medeſimi (non eſcludendoſi però quelle degli Angeli, che faccino figura de' Candellieri) e molto meno vi ſi ponghino figure dell' anime del Purgatorio di qualſiſia materia; il che ſi proibiſce anche in tutte l'eſpoſizioni particolari, ed in quelle, che talvolta ſi fanno per ſuffragio di quell' anime. *ibid.*

§. V. Sopra detto altare in ſito eminente vi ſia un tabernacolo, o trono con baldacchino proporzionato di color bianco, e ſopra la baſe d'eſſo vi ſia un corporale per collocarvi l' oſtenſorio, o cuſtodia, il di cui giro ſarà attorniato di raggi, e non vi ſarà davanti alcun ornamento, che impediſca la viſta del Santiſſimo. *ibid.*

§. VI. Ardino ſopra l' altare almeno venti lumi continuamente, cioè ſei candele di una libra, tre per parte dalli lati della croce, ed otto candele nella parte ſuperiore, con altre quattro dalli lati dell' oſtenſorio; nella di cui parte oppoſta non vi ſi ponga onninamente lume alcuno: e ſiano finalmente due torcieri con le fiaccole almeno di tre libre l'una. L' iſteſſo numero de' lumi vi ſia anche di notte dopo ſerrata la Chieſa, tra' quali ve ne ſiano almeno dieci di cera; e per la Chieſa nella ſera ſi mettano lumi ſufficienti per evitare la confuſione, quali ſtiano acceſi, ſinchè ſi chiudino le porte di eſſa. Potranno anche di giorno oſcurarſi le fineſtre vicino all' altare dell' eſpoſizione, ad effetto di raccogliere la mente de' fedeli all' orazione. *ibid.*

§. VII. Niun ſecolare, benchè veſtito con ſacco di qualſivoglia compagnia, ardiſca di andare intorno all' altare per aggiuſtare lumi, o far altro, che occorra, ma dovrà eſſere un Sacerdote, o almeno un Chierico con Cotta; con la quale ſopra il proprio abito dovranno comparirvi anche li Regolari di qualſivoglia Religione; avvertendoſi di più, che ogni perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine, per Decreto della Sacra Congregazione de Riti Urbis 16. Auguſti 1651. avanti il Ss. Sacramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla perſona del Sacerdote, quale celebra la meſſa privata, s' inſinua eſſervi Decreto della medeſima Sacra Congregazione Urbis 7. Sept. 1638., che mentre paſſa avanti l'altare, in cui ſta eſpoſto il Ss. Sacramento, dopo fatta l' adorazione con le ginocchia piegate, ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra. 74

§. VIII. Si tenga durante l' eſpoſizione alla porta della Chieſa per la parte di dentro, o di fuori, come tornerà più comodo, un tapeto, che faccia forma di buſſola, con ſpazio adequato a' lati per comodità del popolo, e ſia talmente poſto, che non poſſa mai dalla ſtrada vederſi il Ss. Sacramento. *ibid.*

§. IX. Siano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altr' ordine ſacro coſtituiti, ſe ſi potrà, veſtiti di cotta (benchè ſiano Regolari) genufleſſi avanti di un banco ricoperto con tappeto, o panno roſſo, o d' altro colore, e qualità decente, vicino all' infimo grado dell' altare, e mai ſopra genufleſſorj, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove ſarà qualche confraternità, vi aſſiſtino due confratelli almeno avanti un banco coperto di panno verde, o d' altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del presbiterio, e diſtanti dagli Eccleſiaſtici ſuddetti, ed oreranno con tutta divozione per edificazione degli aſtanti, e con voce ſommeſſa per non cauſare diſtrazione negli altri. *ibid.*

§. X. Nella ſagreſtia vi ſia l' orologio almeno a polvere per ſapere il tempo della vicenda, di cui ſe ne darà il ſegno ad ogn' ora con la campana maggiore, tanto di giorno, che di notte. 75

§. XI. La ſera avanti il giorno dell' Eſpoſizione dopo il ſegno dell' Ave Maria ſi ſuonino le campane ſolennemente per avviſo del popolo, come anche la mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri ſegni dell' Ave Maria durante l' Eſpoſizione, come parimente le ſolite tre volte avanti le Meſſe ſolenni. *ibid.*

§. XII. Nell' altare, dove ſta eſpoſto il Ss. Sacramento, non ſi celebri altra Meſſa, che le ſolenni per l' Eſpoſizione, e repoſizione; nei quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chieſe, dov' è obbligazione di cantarla) ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del Ss. Sacramento votiva *pro re gravi*, eccettuate però tutte quelle Domeniche, che ſono di prima, o ſeconda claſſe, e tutti li giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto univerſale, quanto particolare di quella Chieſa, in cui ſi fa l'Eſpoſizione, ſi fa offizio parimenti di prima, o ſeconda claſſe, come anche eccettuata la feria quarta delle Ceneri, e le ferie ſeconda, terza, e quarta della ſettimana Santa: tutti li giorni dell' ottave di Paſqua, e di Pentecoſte, le vigilie del ſanto Natale, e della Pentecoſte, e l'ottava dell' Epifania; nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e ferie eccettuate, ſi canterà la Meſſa Conventuale con l'orazione aggiunta del Sacramento *ſub unica concluſione*; e tutto ciò ſi oſſerverà inviolabilmente in tutte le Chieſe tanto de' Secolari, che de' Regolari. *ibid.*

§. XIII. Nel giorno medio oltre la Meſſa conventuale ſi doverà cantare dopo Nona la Meſſa votiva *pro Pace*, o altra, che verrà comandata da Noſtro Signore, ſecondo che ſtarà eſpreſſo nella liſta delle quarant' ore, con la medeſima eccezione delli giorni ſuddetti, e con la medeſima regola circa l' orazione. 76

§. XIV. Nelle Chieſe non collegiate, e dove non è obbligazione di cantarſi la Meſſa conventuale, dovrà in detto giorno medio cantarſi ſolamente la votiva ſuddetta con l' eccezione, e regola preſcritta di ſopra nella Meſſa del Sacramento; queſta però dovrà cantarſi ad un altare, che non ſia quello dell' eſpoſizione, nè quello, dove ſia il tabernacolo col Sacramento incluſo; ed in quelle Chieſe, che hanno l' obbligo di cantar la Meſſa conventuale, queſta pure ſi canterà ad altro altare, come ſi è detto. *ibid.*

§. XV. Si ordina eſpreſſamente, che nelli giorni dell' Eſpoſizione, medio, e della repoſizione, le Meſſe ſi debbano cantare con li Miniſtri parati, e non altrimenti, anche nelle Chieſe de Regolari, non oſtante qualſivoglia loro uſo, o preteſa conſuetudine in contrario. *ibid.*

§. XVI. Nelle Meſſe private, che ſi celebreranno durante l' eſpoſizione, non ſi ſuoni il Campanello all' elevazione; ma ſolo uſcendo i celebranti dalla ſagriſtia, ſi dia un piccolo ſegno con la ſolita Campanella. 77

§. XVII. Non ſi celebrino Meſſe di Requie nel tempo, che durerà l' orazione di quarant' ore; e le Meſſe del Santiſſimo, che ſi celebreranno nei giorni permeſſi dalla Rubrica, ſaranno meramente votive ſenza *Gloria*, e *Credo*. Nell' altre Meſſe private correnti, ſi aggiungerà dopo le preſcritte dalla Rubrica, l' orazione del Sacramento, così comandando la Santità di Noſtro Signore. *ibid.*

§. XVIII. Il celebrante, dovendo portare il Santiſſimo in Proceſſione, ſarà veſtito con piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d' altro colore; che in tal caſo continuerà il colore della Meſſa: il velo umerale però ſarà di colore bianco in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sacramento anco nel Venerdì Santo; e li paramenti de' miniſtri ſacri ſaranno del colore del celebrante, come ſopra. Parimente il pallio dell' altare, dove ſta l' eſpoſizione ſarà ſempre di colore bianco, benchè la Meſſa ſolenne ivi ſi celebri in altro colore; come pure il baldachino per la proceſſione deve eſſere del medeſimo color bianco. *ibid.*

§. XIX. Terminata la meſſa ſolenne per l' eſpoſizione, il celebrante, e li miniſtri, fatte le dovute riverenze al Sacramento, ſi ritireranno fuori del corno dell' Epiſtola, dove il celebrante (come pure li miniſtri) deporrà il manipolo, e levata la pianeta prenderà il piviale, ponerà ivi l' incenſo in due turiboli ſenza benedirlo; e dopo con li miniſtri genufleſſo nel mezzo, incenſerà tre volte il Santiſſimo: Sul fine della Proceſſione (quale ſi principierà anticipatamente fatta l' elevazione del Santiſſimo, o prima, ſecondochè ſarà più, o meno numeroſa) il Diacono in tempo congruo, fatta la genufleſſione ſopra la pradella, prenderà il Sacramento, e ſtando in piedi lo conſegnerà al celebrante genufleſſo; genufletendo immediatamente eſſo Diacono, lo prenderà il celebrante, ricoperte le mani dall' eſtremità del velo umerale, e ſi alzerà. Principiandoſi poi da cantori l' inno *Pange lingua &c.* s' incamminerà ſotto il baldachino, recitando con voce ſommeſſa ſalmi, ed inni inſieme con li miniſtri, quali eleveranno le fimbrie del piviale. 78

§. XX. La proceſſione ſarà compoſta di tutto il Clero della Chieſa, ed il Crocifero in queſta funzione non ſarà parato con abito ſuddiaconale, ma veſtitto con cotta. V' interveranno onninamente otto Sacerdoti veſtiti con cotte, e con le torcie acceſe in mano, li quali procederanno dalli lati avanti il baldacchino: e dopo di eſſi ſeguiranno due Acoliti con turiboli, quali per la ſtrada incenſeranno continuamente il Santiſſimo, e durante la proceſſione ſi ſuoneranno le campane ſolennemente. 79

§. XXI. La proceſſione ſi farà dentro la Chieſa, e al più per la Piazza, quando l' anguſtia della Chieſa ne porti la neceſſità; e quando eſca di Chieſa ſi farà ben pulire la ſtrada della Piazza, dove, ſe vi ſarà qualche bottega, dovrà tenerſi chiuſa durante la proceſſione. 80

§. XXII. Se vi ſaranno inſtituite Confraternità de' ſecolari, o ſiano veſtiti di ſacco, o no, tanto li Guardiani, ed Officiali di eſſe, quanto li Confrati tutti anderanno unitamente in corpo avanti il Clero ſecolare, o regolare, che vi ſarà, al quale doveranno ſempre cedere il luogo più degno. Di più eſpreſ-

eſpreſſamente ſi comanda, che li Guardiani, o altri Officiali di eſſe non ardiſchino ſotto qualſivoglia preteſto di conſuetudine, o altro, di andar dopo il baldacchino ſotto la pena di venticinque ſcudi a ciaſchedun Fratello, Guardiano, o Officiale della Confraternità, il quale contraveniſſe alla preſente diſpoſizione in conformità dell'editto pubblicato l' anno 1680., qual pena di ſcudi venticinque ſi dovrà applicare alla medeſima Confraternità, ſe ſarà povera, o al monte del Ss. Viatico a noſtro arbitrio. Monſignor Primicerio però dovrà andare dopo il baldacchino, veſtito ſenza ſacco coll' abito ſuo prelatizio, e col rocchetto, ſe ne averà l' uſo. Poſſono bensì li detti Officiali portar l' aſte del baldacchino, officio molto decoroſo, per il quale dice il Ceremoniale Epiſc. lib. 2. cap. 33. *Deputentur nobiles viri Barones, &c.* *ibid.*

§. XXIII. Di più ordiniamo alli ſuddetti Cleri Secolare, e Regolare, che nelle proprie Chieſe non permettino, che ſi pratichi in contrario, ſotto le pene contenute nel ſuddetto editto, cioè di ſcudi venticinque agli Superiori, e Rettori delle Chieſe Secolari, e di privazione di voce attiva, e paſſiva agli Superiori Regolari, con altre a noſtro arbitrio. Quando poi vi foſſe alcuno, che tanto ardiſſe, ſi notifica, che oltre le ſuddette pene impoſte di ſopra, reſterà ipſo jure privo dell'officio, e caſſato dalla Confraternita reſpettivamente il Guardiano, o Guardiani, ed Officiali, i quali contraverranno a queſto noſtro Ordine; reſterà la Confraternita, e Chieſa privata di far più tale ſanta Eſpoſizione, finchè da noi non ſarà reintegrata. Si dichiara anche che all'accuſatore di tal contravvenzione ſi darà la terza parte della ſuddetta pena, coll'eſſer tenuto ſegreto: e la ſuddetta diſpoſizione vogliamo, che ſi oſſervi anche in tutte, e ſingole proceſſioni, ed eſpoſizioni particolari. *ibid.*

§. XXIV. Ritornata la proceſſione in Chieſa, giunto il Celebrante al grado infimo dell'altare maggiore, il Diacono genufleſſo riceverà il Santiſſimo da eſſo Celebrante, (quale immediatamente genufletterà deponendo il velo umerale) e lo collocherà nella baſe del trono, andando poi, fatte le dovute riverenze, al ſuo luogo. Li cantori divotamente, e con pauſa canteranno il ℣. *Tantum ergo &c.*, ed al verſetto *Genitori Genitoque*, il Celebrante alzatoſi con li Miniſtri, porrà ivi nel mezzo l' incenſo nel turribulo ſenza benedizione, e genufleſſo incenſerà tre volte il Sacramento: terminato l' inno ſenza dirſi il ℣. *Panem de Cœlo &c.* ſi canteranno dalli ſuddetti cantori le Litanie contenute nel Libro ſtampato per l' orazione delle quarant' ore (qual Libro puramente ſenz' alcuna immutazione dovrà uſarſi in qualunque altra eſpoſizione del Santiſſimo, che ſi faccia particolare). Dopo che averà dette le preci, il Celebrante alzatoſi (a cui li Miniſtri ſoſterranno il Libro) ſenza fare nuova genufleſſione, canterà a mani giunte il ℣. *Dominus vobiſcum &c.* con le orazioni; quali terminate, genufleſſi faranno breve orazione, ed indi partiranno a capo ſcoperto ſino ad una ragionevol diſtanza dal Sacramento, dandoſi così il principio all' orazione delle quarant' ore. *ibid.*

§. XXV. Il Celebrante non dovrà uſare la Sede Camerale, ſecondo il Decreto della Sacra Congregazione de' Riti; ma un banco (che neppure abbia braccia) con il poſtergale ornato di panno roſſo, o d'altro colore decente, in cui ſederà inſieme co' miniſtri Sacri: molto meno dovranno mai uſare le ſedie camerali nelle Chieſe li Guardiani, Deputati, ed officiali delle Confraternite, Compagnie, e Congregazioni laicali; ma ſederanno ſopra un banco con poſtergale ſenza braccia a' lati, e ſenza alcun uſo de' cuſcini, come pure ſenza gradini, e ſenza genufleſſori davanti; qual banco potrà coprirſi di panno, e non di ſeta, e ſarà omninamente ſituato fuori del presbiterio, in quei caſi, che aſſiſteranno alle meſſe, e Veſperi ſolenni, o che nel presbiterio ſi celebri dal clero alcuna funzione Sacra, o che ſi predichi in Chieſa, ſecondo li replicati Decreti della Sacra Congregazione de' Riti, particolarmente per Decreto generale emanato ſotto li 23. Marzo 1688. ſotto le pene medeſime eſpreſſe di ſopra, e comminate al num. XV. nelli §. §. *Se vi ſaranno &c.*, e *Di più ordiniamo &c.* Monſignor Primicerio però ſederà dentro il presbiterio al lato dell' Evangelio, in un banco coperto di panno, nell'abito ſuo prelatizio, come ſi è detto al num. XV. 82

§. XXVI. Se però la ſtruttura della Chieſa non permetterà luogo congruo fuori del presbiterio, in tal caſo di neceſſità ſi ricorrerà a noi, che col conſiglio de' Signori Maeſtri di Ceremonie Pontificie, ſe li concederà, che poſſa collocarſi il banco come ſopra de' Guardiani, dirimpetto in uno de' lati, fuori del termine del presbiterio. *ibid.*

§. XXVII. Si proibiſce eſpreſſamente agli uomini, ed alle donne di qualſivoglia ſtato e condizione (eccettuate le perſone regie, quando vi ſi trovino) l' entrare ſotto qualſivoglia preteſto ad orare nel presbiterio, o ſia recinto dell' altare, dove ſta eſpoſto il venerabile, dovendo quel luogo eſſere occupato ſolamente dagli Eccleſiaſtici deſtinati al Miniſterio divino, o all'aſſiſtenza dell' orazione: il che ſi oſſerverà non ſolo nelle Chieſe, dove ricorre l' eſpoſizione ordinaria, ma anche in tutte le altre, dove per indulto Apoſtolico, o per altra legittima facoltà occorre farſi l' eſpoſizione, benchè per breve tempo; al che provvederanno li ſuperiori, o ſagreſtani col riparo delli banchi ancora biſognando. In oltre ordiniamo, e comandiamo a' Rettori, e ſuperiori, tanto ſecolari, quanto Regolari di qualſivoglia Chieſa, che durante la detta eſpoſizione non ardiſchino di far portare reſpettivamente qualſivoglia ſorta di ſedie nelle Chieſe a qualunque perſona d' ogni ſeſſo, grado, e condizione, ſotto la pena di dieci ſcudi alli Rettori ſecolari, da applicarſi ad uſi pii, riſervata la terza parte per l' accuſatore, ed a' Regolari della privazione della voce attiva e paſſiva, ed altre a noſtro arbitrio. *ibid.*

§. XXVIII. Non ſi terranno nelle Chieſe dell'eſpoſizioni, anche particolari, bacili per l'elemoſine, nè vi aſſiſteranno Religioſi, o altri Eccleſiaſtici, nè meno perſone laicali per riceverle; come nè meno anderanno Chierici, Confrati, Mandatari, o altre perſone queſtuando per la Chieſa. Molto meno dovranno far ciò li poveri, quali ſtaranno per lo ſpazio di canne dieci lontani della parte della Chieſa, ſotto le pene contenute nell'editto ſtampato a parte: che perciò ſarà parimente cura de' ſuperiori, e ſagreſtani, e degli eſſecutori, che vi aſſiſtono, il procurare, che non entrino in Chieſa, ad effetto di evitare la diſtrazione de' Fedeli, che orano; potendo li Benefattori caritativi far le limoſine fuori delle Chieſe, ſiccome ordinò la San. mem. di Clemente XI. con ſpeciale editto, in cui ſi proibiſce ad ogni Fedele dar nelle Chieſe limoſina a' poveri. 83

§. XXIX. Si avverte, che non termini l' orazione in una Chieſa, ſe non che dopo che ſarà principiata nell' altra; e ciò ſi oſſerverà da qualunque Chieſa benchè Baſilica, e Collegiata, o in qualſivoglia modo privilegiata. *ibid.*

§. XXX. Terminata la Meſſa della repoſizione, il Celebrante prenderà il piviale (oſſervando il rito reſpettivamente ſopra deſcritto dopo la Meſſa dell' eſpoſizione) e genufletterà con li Miniſtri avanti il SS. Sacramento nel mezzo ſull' infimo grado dell' altare. Immediatamente li cantori principieranno le Litanie, e ſi continuerà ſino al ℣. *Domine, exaudi orationem meam* incluſive. Dopo alzatoſi il Celebrante con li Miniſtri, ponerà ivi nel mezzo l' incenſo ſenza benedizione, e genufleſſo incenſerà tre volte il SS. Sacramento, e prenderà il velo umerale. Fatta l' incenſazione, il Diacono con le dovute riverenze leverà il Sacramento dal trono, ed immediatamente ſtando in piedi lo conſegnerà al Celebrante genufleſſo, genuflettendo anch' eſſo Diacono ſubito, che averà conſegnato il Sacramento; praticandoſi poi reſpettivamente ciò, che ſopra nell' eſpoſizione ſi è detto circa le cerimonie, e rito della proceſſione &c. *ibid.*

§. XXXI. Ritornato dopo la proceſſione il Celebrante all' infimo grado dell' altare, il Diacono genufleſſo riceverà da eſſo, che ſtarà in piedi, il Santiſſimo, verſo cui Celebrante genufletterà immediatamente, e deporrà il velo umerale. Il Diacono lo collocherà ſopra il corporale in mezzo dell' Altare, e ritornerà al ſuo luogo. Il Celebrante al ℣. *Genitori Genitoque &c.* alzatoſi con li miniſtri porrà come ſopra l' incenſo ſenza benedirlo, ed incenſato il Sacramento, i cantori diranno il ℣. *Panem de Cœlo &c.* (a cui ſi aggiungerà l' *Alleluja* nel tempo paſquale ſolamente, ed in tutta l' ottava della feſtività del Corpus Domini in qualſivoglia eſpoſizione, che ſi faccia). Il Celebrante alzatoſi ſenza far nuova genufleſſione, ſoſtenendo li miniſtri il libro (ſenza dire il ℣. *Dominus vobiſcum*, come per Decreto della Sacra Congreg. de' Riti) canterà le orazioni a mani giunte; quali terminate, genufleſſo prenderà il velo umerale, ed aſcendendo ſolo all' altare, fatte le dovute riverenze, prenderà nelle mani ricoperte, come ſi diſſe, con l' eſtremità del velo umerale l' oſtenſorio, e darà con eſſo la benedizione al popolo, e ripoſto il Sacramento ſopra il corporale, diſcenderà, e ſtarà genufleſſo al ſuo luogo. Il diacono immediatamente, o un Sacerdote con ſtola, fatte le dovute riverenze chiuderà il Sacramento nel tabernacolo, quale per tale effetto dovrà ritenerſi nell' altare dell' eſpoſizione, e l' oſtia conſagrata ſi dovrà conſumare nella Meſſa, o in quella mattina, o nella ſeguente, dopo di che partiranno, e terminerà l' orazione di quarant' ore. 85

§. XXXII. Nel tempo, che durerà l' orazione medeſima, ſi proibiſce eſpreſſamente il predicare, ma volendo fare dopo li veſperi qualche breve ſermone per eccitare li fedeli alla divozione verſo il Ss. Sacramento, ſi dovrà prendere la licenza, e benedizione da noi, o da Monſignore noſtro Vicegerente, anche nelle Chieſe de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate, e non ſolo nell' eſpoſizione di quarant' ore, ma in qualſivoglia altra eſpoſizione, qual licenza ſi darà *in ſcriptis*. Quello poi dovrà ſermoneggiare, ſarà almeno coſtituito nell' Ordine Diaconale, e ſermoneggierà con la Cotta, benchè ſia Regolare, ma ſenza la ſtola, ed a capo ſcoperto, vicino all' altare, dove ſta eſpoſto il Santiſſimo, ed in un ſito, che non obblighi gli circoſtanti a fare atti d' irriverenza con voltare le ſpalle al Ss. Sacramento. *ibid.*

§. XXXIII. Le Chieſe dove ſarà l' orazione di quarant' ore, dovranno la ſera ſtare aperte fintanto, che vi ſarà il popolo per orare; ma perchè non può darſi in ciò un' ora determinata, sì per la ſituazione di eſſe, come per la mutazione delle ſtagioni, perciò potranno chiuderſi l' eſtate circa le tre ore, e l' inverno ad ore cinque. Si avverte però, che anche a porte chiuſe deve continuare l' orazione, come ſi è detto al num. VII. non dovendo mai eſſere interpolata l' orazione di quarant' ore, come per Decreto della S. Congregazione de' Riti. *ibid.*

§. XXXIV. In ogni Chieſa di Roma ſi terrà affiſſa in luogo patente la liſta delle quarant' ore per informazione de' Fedeli divoti. *ibid.*

§. XXXV. Parimenti in ogni Chieſa, dov' è determinata l' eſpoſizione, ſi doverà tenere affiſſa continuamente nella Sagreſtia la preſente Iſtruzione, acciocchè niuno poſſa allegare l' ignoranza delle regole, e precetti, che vi ſi contengono. 86

§. XXXVI. Non ardirà alcun Rettore, Curato, o Sagreſtano, fuori dell' ordine aſſegnato nella liſta delle Quarant' ore, d' eſporre il SS. Sacramento ſotto qualſivoglia preteſto, o conſuetudine, per veruna cauſa grave, nè per infermi, ſenza Breve ſpeciale di ſua Santità, o almeno licenza ſegnata da Noi, o da Monſignor Noſtro Viceregente, e ſottoſcritta dal Deputato delle Quarant' ore; quale ottenuta ſi eſporrà il Venerabile in un altare, o Cappella con un velo avanti, e col ſuddetto numero di venti lumi, e ſi oſſerverà pontualmente il tempo, che doverà durare l' eſpoſizione, aſſegnato nella ſuddetta licenza, ſotto le pene infraſcritte, e privazione d' offizio. *ibid.*

§. XXXVII. Finalmente ſi comanda eſpreſſamente, che tutti e ſingoli i ſopraddetti ordini ſi debbano inviolabilmente oſſervare: e che ſi ubbidiſca eſattamente, per quello poteſſe occorrere di più, al noſtro Deputato ſopra le Quarant' ore, ſotto pena alli Maeſtri di Cerimonie, che aſſiſteranno alle funzioni, ſe non ſaranno adempite eſattamente tutte le cerimonie, ed i riti preſcritti; quali Maeſtri di cerimonie devono eſſere almeno in ſacris tanto in quella, che in ogni altra funzione ſolenne, ſecondo il ceremoniale Epiſc. lib. 1. cap. 5. ed alli traſgreſſori reſpettivamente de' ſuddetti ordini, di ſcudi dieci d' oro da applicarſi a' lughi Pii; ed alli Regolari della privazione di voce attiva, e paſſiva, di carcere, ed altre pene maggiori riſervate a noſtro arbitrio; dichiarandoſi, che in difetto dell' oſſervanza ſi procederà più rigoroſamente contro li Superiori, e Sagreſtani delle Chieſe, alli quali appartiene più, che ad ogni altro la buona regola, e cura di eſſe. Dato dalla noſtra ſolita Reſidenza queſto dì 1. Settembre 1736. P. Card. Vicario.... Carlo Guazzuglia Deputato... Niccolò Antonio Can. Cuggio Segr. *ibid.*

164. Canonici, & Beneficiati, dum occaſione benedictionis Auguſtiſſimi Sacramenti ſingulis Dominicis poſt Completorium cantatur hymnus *Pange lingua*, non tenentur diſcedere a choro, & flexis genibus canere ante Venerabile, ſed remanere poſſunt in eorum ſtallis Choralibus. S. R. C. 26. Aug. 1730. *in Avenionen.* 87

165. In expoſitione, & depoſitione Ss. Sacramenti, etiam cauſa devotionis, non eſt addendum Alleluja ad ℣. *Panem de Cœlo*. S. R. C. 5. Julii 1690. *in Collen.* *ibid.*

166. In feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cæremonialis Epiſcoporum lib. 3. cap. 22. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiſcum*, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. Junii 1663. *in Granaten.*, & 28. Sept. 1675. *in Salernitana.* *ibid.*

167. In expoſitione SS. Sacramenti cantatis, ſeu recitatis verſiculis: *Panem de Cœlo &c.*, Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem antequam recitet orationes. S. R. C. 2. Aug. 1698. *in una Urbis*, & 6. Sept. 168. *in Ravennaten.* 88

168. Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine hymni *Pange lingua*, non vero ad ℣. *Sit & benedictio*. S. R. C. 5. Feb. 1630. *in Salinen.* *ibid.*

169. In benedicendo populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum cum Sacerdos ſtat ante populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non ſupra caput, ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens, collocat Oſtenſorium ſuper altare. Servari etiam poteſt alius modus deſcriptus in Cæremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33., ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis. Sacr. Cit. Cong. 21. Martii 1676. *in Collin.* *ibid.*

170. An liceat Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, & ibidem benedictionem impertiri eiſdem Monialibus, & deinde populo, necnon in propria Eccleſia ſub triplici ſigno ad formam ejuſdem Ritualis in caſu &c. Reſp. licere Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, cedente conſenſu Epiſcopi, ibique impertiendam eſſe unicam Benedictionem Monialibus, & in propria Eccleſia cum triplici ſigno. S. R. C. 16. Maii 1744. 89

171. Orationes, præter eas, quæ in Eccleſia receptæ ſunt, in ſacris ritibus non admittuntur. Bened. XIV. 2. Feb. 1744. Conſt. *Inter omnigenas.* *ibid.*

172. Omnibus & ſingulis utriuſque cleri ſuperioribus Almæ urbis prohibetur, ne in eorum Eccleſiis, dum officia divina celebrantur, vel SS. Euchariſtiæ Sacramentum manet expoſitum, quidquid cantari permittant præter ea verba, quæ a Breviario, vel Miſſali Romano in officio de proprio, vel de communi currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti ſolemnitate præſcribuntur, vel quæ ſaltem a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint, quæ tamen prius a Sacra Rituum Congregatione ſpecialiter approbentur, excluſis modulis illis, qui choreas, & profanam potius, quam Eccleſiaſticam melodiam imitantur. Alex. VII. in Conſt. Piæ ſolicitudinis 23. Apr. 1657. *ibid.*

173. Novæ, aut inuſitatæ orationes, præſertim in Miſſa, non recitentur. Bened. XIV. Conſtit. Quemadmodum 23. Martii 1743. *ibid.*

174. In feſto Ss. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S. R. C. 21. Martii 1609. 90

174. Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante Ss. Sacramentum, etiam dum fiunt proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S. R. C. 14. Dec. 160a. 91

175. Quando Ss. Euchariſtiæ Sacramentum publice diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes, cujuſcomqu conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu genuflectere debent. S. R. C. 19. Aug. 1651. *in una Urbis.* *ibid.*

176. Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ant altare, in quo eſt expoſitum Ss. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus, aperto capite, dum ſe erigit, caput cooperiat. S. R. C. 7. Sept. 1638. *in una Urbis.* *ibid.*

177. Genuflexio utroque genu eſt facienda a tranſeuntibus ante Ss. Sacramentum, etiamſi fuerit in pyxide patenter expoſitum. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.* 92

178. Sacerdos Miſſam celebraturus, tranſiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, donec & quouſque terminetur communio. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* *ibid.*

179. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maii 1620. *in Oſcen.* *ibid.*

180. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine Ss. Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad elevationem hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito Sacramento progrediendum eſt. Similiter ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Reg. Lateran.* 93

181. In proceſſionibus Ss. Sacramenti, quæ occaſione XL. horarum fiunt per Eccleſias, debent proceſſionaliter incedentes ante Sacramentum in occurſu, & tranſitu a latere ejuſdem facere genuflexionem, dummodo in tranſitu videatur. Ead. Congr. in eodem Decreto. *ibid.*

182. Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt Ss. Sacramento, debet benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali propria. S. R. C. 16. Nov. 1649. *in Janu.* 94

183. Abbates, & alii Prælati Regulares non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum, non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Aug. 1609. *in Cremon.* 95

184. Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicere valent. S.R.C. cor. Alex. VII. 27. Sept. 1659. 96

185. 'Ad paragraphum decimum octavum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, aſſerentibus Monachis, etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri. S. R. C. coram Alex. VII. 20. Julii 1670. *ibid.*

186. Protonotarii ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Sacra Congregationis licentia, nulla poſſunt benedicere vaſa, paramenta, ſeu ornamenta Eccleſiaſtica. S. R. C. 16. Julii 1627. *ibid.*

187. Prælati Epiſcopis inferiores aliqua Pontificalia extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos etiam de licentia Ordinariorum, exercere non poſſunt, puta campanarum benedictiones, calicum, & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio necnon Minorum Ordinum collationes. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Sept. 1659. *ibid.*

188. Cruces altarium, ſeu Proceſſionum non ſunt benedicendæ de præcepto, poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non ſolemniter. S. R. C. 12. Jul. 1794. in una Urbis. 98

189. Regularium Eccleſiæ, & Oratoria per eos recepta, ſeu recipienda, necnon altaria, & Cœmeteria ab alieno Epiſcopo ad eorumdem Regularium requiſitionem conſecrari, & benedici, ac in Eccleſiis ædificandis primus lapis poni poteſt, ubi & quando Epiſcopus loci Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, & inſtancia requiſitus ſine legitima cauſa prædicta facere recuſaverit, vel ultra quatuor menſes diſtulerit. Honorius IV. Conſt. Ex parte 7. Kal. Decemb. Pontif. anno primo, & Boniſacius IX. Conſtit. Sacræ Religionis 5. Kal. Maii Pontif. anno 13. *ibid.*

190. Prælati Regulares omnia, & ſingula ſuorum Ordinum, Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria, ubicumque exiſtentia, tam recepta, quam recipienda ſolemni benedictione benedicere valent, & idipſum poſſunt alii Fratres eorumdem Ordinum, qui ad hoc in Capitulis generalibus fuerint

depu-

Digitized by Google

deputati. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Febr. 1514. 99
191. Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate conſtituto. S. R. C. 9. Febr. 1608. 100
192. Prælati Regulares, vel alii Sacerdotes in capitulis generalibus deputati, ſuas Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, qualibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per eos (præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt) benedicta reconciliare libere, & licite valent. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Feb. 1514. 102
193. Benedictio, & diſtributio Candelarum, & Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. 28. Apr. *in Oſtien.* 104
194. An benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum ſint de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. 22. Janu. 1704. *ibid.*
195. An liceat Cappellano Confraternitatis facere benedictionem, & diſtributionum Candelarum in ſuo Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in feſto Ss. Purificationis? Reſp. affirmative. Cong. Concil. 24. Sept. 1718. *ibid.*
196. Benedicto Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito ad primam dignitatem, non vero ad canonicum hebdomadarium pertinent. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Piſauren.* 105
197. Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in proceſſione in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cœremonialis Epiſcoporum, abſente vel impedito Epiſcopo, ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive, pertinent. S. R. C. 25. Jun. 1611. *in Civitaten.* *ibid.*
198. Abſente Epiſcopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1617. *in Brunduſina.* *ibid.*
199. Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti Celebranti in die Purificationis, in feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus. S. R. C. 30. Aug. 1664. *in Sutrina.* *ibid.*
200. Dignior e clero, a quo celebrans in Purificationis, Cinerum, & Palmarum diebus recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad altare ſine ſtola, & genuflexus ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, Palmam a celebrante, & oſculari manum celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam. S. R. C. 14. Feb. 1705. in una Cappuccinor. Galliæ. *ibid.*
201. Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Julii 1626. *in Pientina.* *ibid.*
202. Sacerdos, etiamſi ſit dignitas, vel Canonicus abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens palmas juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto. S. R. C. 31. Martii 1629. *in Pientina.* 106
203. Prima dignitas det Candelam Epiſcopo in feſto Purificationis B. M. V. & Epiſcopus det ſtatim primæ dignitati ante Vicarium Generalem. S. R. C. 14. Junii 1608. & 28. Maii 1616. *ibid.*
204. Cineres Epiſcopo miniſtrare feria quarta cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum eo die celebrantem pertinet. Ead. Cong. 28. Maii 1616. *in Brixien.* *ibid.*
205. Cum Epiſcopus benedicit cineres, debet celebrans imponere cineres Epiſcopo. Quæritur, an id ſervari debeat in die Candelarum, & Palmarum? Reſponſum fuit: ſervetur Cœremoniale in cap. 16. de feſto Purific., & in cap. 21. de Dominic. Palmar. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina.* *ibid.*
206. Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, & Palmas, Celebrans, & Miniſtri debent ſedere capitibus coopertis. S. R. C. 28. April. 1708. *in Bracharen.* *ibid.*
207. Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Nolana.* *ibid.*
208. In proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur Candela majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta, & honoratior Palma, quam ceteris de capitulo. S. R. C. 11. Aprilis 1736. *in Anagnina.* *ibid.*
209. In feſto Purificationis B. M. non diſtribuantur, niſi præſentibus in Eccleſia, candelæ benedictæ, & ad ægrotos tantum mittantur. Congr. Epiſcop. anno 1581. apud Gavantum in Manuali Epiſc. verb. Benedictio n. 13., & apud Meratum part. 4. tit. 14. n. 9. 107
210. Candelæ in die Purificationis diſtribui tantum debent præſentibus, nullatenus abſentibus, & ne quidem Epiſcopo. Congr. Concil. 22. Sept. 1736., & 9. Febr. 1737. *ibid.*
211. Quando in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ occurrit feſtum Purificationis B. M. V., in Eccleſiis eidem ſub alio titulo dicatis, ſcilicet Annunciationis &c., Miſſa ſolemnis poſt benedictionem Candelarum, & proceſſionem debet cantari de Dominica. S. R. C. 23. Aug. & 13. Sept. 1704. *in Catanien.* 108
212. Si feſtum Purificationis B. M. V. venerit in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, in Eccleſiis dicatis ſub titulo Annunciationis, vel Aſſumptionis, debet cantari Miſſa Dominicæ tantum, nec facienda eſt commemoratio Purificationis B. M. V. S. R. C. 15. Septembris 1736. *in Toletana.* 109
213. De ceris, quas quis tenetur tradere in feſto Purificationis pro publica diſtributione, ea pars, quæ aliquando ſupereſt, non cedit in beneficium Eccleſiæ, ſed illius, qui illam adminiſtravit. Congr. Concil. 9. Maii 1719. 110
214. Cineres diſtribuendi in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi, non vero in modum luti. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.* *ibid.*
215. Benedictio publica ſacrorum Cinerum facienda in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Janu. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.* *ibid.*
216. Reſponſum fuit obſervandum eſſe Decretum 22. Januar. 1701., in quo prohibitum fuit fieri Cinerum benedictionem poſt Tertiam, ſed poſt Nonam. S. R. C. 19. Jan. 1743. *in una Camald. Montis Coronæ.* *ibid.*
216. Ille idem, qui benedixit Candelas in feſto Purificationis B. M. V., vel Cineres in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, aut ramos in Dominicam Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 20. Feb. 1618. & 12. Apr. 1640. 111
217. Evangelium pro ſolemni benedictione Palmarum a Sacerdote Celebrante abſque Diacono, & Subdiacono, canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 27. April. 1697. *in Eugubina.* 112
218. Epiſcopus Palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium cum appropinquaſſet, vel Altera autem die poſt Paſſionem, tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam ex præſcripto cœremonialis Epiſc. S. R. C. 28. April. 1708. *in Bracharen.* 113
219. Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominicam Palmarum paratus, vel cum cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus, dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. April. 1708. *in Bracharen.* 114
220. Regulares non prohibentur in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere. Congr. Concil. 2. Junii 1620. *ibid.*
221. An prædictis Regularibus Civitatis Antuerpienſis liceat in propriis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere? Reſp. negative. Congr. Concil. 18. Novemb. 1662. 115
222. An Patres poſſint in propria Eccleſia mulieres poſt partum benedicere, & ad purificationem admittere? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 9. Junii 1708. *ibid.*
223. An Benedictiones mulierum poſt partum, & Fontis baptiſmalis ſint de juribus mere parochialibus? Reſp. negative, ſed fieri debere a Parochis. S. R. C. 10. Decem. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704. *ibid.*
224. An jus benedicendi puerperas ſpectet privative ad Parochos? Reſp. negative. Congr. Concil. 3. Dec. 1718. *ibid.*
225. Eſt in libertate puerperarum accedere ad quamcumque Eccleſiam ſibi beneviſam. Ead. Cong. 7. Dec. 1720. *ibid.*
226. An valeat Parochus in Eccleſiis Monialium Ordinario ſubiectarum, benedictiones mulierum poſt partum, vel ſimiles impartiri? Reſp. negative. Congr. Concil. 23. Auguſti 1727. 116
227. Ad validitatem matrimonii ſufficit præſentia ſolius Parochi proprii ſponſæ, quando matrimonium in Parochia ſponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficit præſentia ſolius Parochi ſponſi, ſi modo matrimonium contrahatur in Parochia ipſius ſponſi. Congr. Concil. 1573. apud Benedictum XIV. tom. 2. notif. 13. n. 5. *ibid.*
228. Parochus, qui matrimonio debet aſſiſtere, eſt Parochus habitationis, ſeu domicilii, non originis. Cong. Concil. 18. Nov. 1702. *ibid.*
229. Non valet matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Ead. Congr. 1. Decemb. 1640. *ibid.*
230. Vir, & mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes, & ad locum alterius Parochiæ ſolo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferentes, cum Parocho illius loci matrimonium inter ſe invalide contrahunt. Ead. Congr. 22. Febr. 1631. 117
231. An matrimonium ſuſtineatur in caſu? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 20. Feb. 1723. *ibid.*
232. Nullum eſt matrimonium contractum ab iis, qui alio perrexerunt ad illud contrahendum, ut majorem facilitatem experirentur. Ead. Congr. 13. Nov. 1683. *ibid.*
233. Non ſuſtinetur matrimonium, ad quod contrahendum vir, & mulier alio profecti ſunt cum animo repetendi illico parochiam proprii domicilii. Ead. Cong. 7. Sept. 1697. *ibid.*
234. Matrimoniis in perpetuum, vel ad tempus damnatorum ad carceres, aſſiſtere debet Parochus, intra cujus Parochiam ſiti ſunt carceres; eorum vero, qui damnati non ſunt, ſed in iiſdem detinentur loco cuſtodiæ, Parochus, in cujus

Parochia illi proprium habent domicilium, Cong. Concil. 26. Maii 1707. *ibid.*

235. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates Monaſterii coram teſtibus, & Parocho Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites ſitum eſt Monaſterium, validum eſt, etiamſi Parochus fuerit alio prætextu vocatus, niſi aliud obſtet. Congr. Concil. 19. Dec. 1648. *ibid.*

236. Matrimonia expoſitarum puellarum, quæ immorantur in hoſpitalibus, celebranda ſunt coram Parocho, intra cujus parochiam hoſpitalia ſita ſunt, & non coram confeſſario, ſeu Capellano prædictorum hoſpitalium. Cong. Concil. 22. Apr. 1651. *ibid.*

237. Parochus ruralis non eſt proprius, & verus Parochus, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poteſt. Cong. Concil. 1. Dec. 1640. *ibid.*

238. Ad validitatem Matrimonii non ſufficit præſentia Parochi pure phyſica, ſeu materialis, ſed requiritur moralis humano modo; quænam autem, providendum eſt in caſibus particularibus. Cong. Concil. 7. Martii 1700. 118

239. Suſtinetur matrimonium etiamſi Parochus non intellexerit verba ſponſæ, dum tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtet. Ead. Cong. 15. Feb. 1646. *ibid.*

240. Reſponſum fuit pro validitate matrimonii clandeſtine contracti coram Parocho, qui conſenſum ſponſæ non audivit; teſtes tamen adhibiti deponebant de verbis ſponſæ exprimentibus ſuum conſenſum. Ead. Cong. 11. Maii 1669. *ibid.*

241. Validum eſt matrimonium, non obſtante quod Parochus non audiverit verba ſponſæ, non affectate, ſed ex animi turbatione, idem tamen Parochus ex antecedentibus, & ſubſequentibus credebat, ſponſos habuiſſe animum contrahendi, & teſtes quoque deponebant de conſenſu ſponſæ. Eadem Cong. 28. Nov. 1671. *ibid.*

242. Pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui tantum audivit verba fœminæ, ſed viri anuli traditionem aſpexit, teſtibus deponentibus de utriuſque expreſſo conſenſu, reſpondit ead. Cong. 11. Martii 1673. *ibid.*

243. Reſpoſum fuit pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui non audivit verba ſponſi; ſponſus pariter teſtatus eſt ipſum nullum verbum dixiſſe coram Parocho; at mater Puellæ cum juramento depoſuit fuiſſe explicitum utriuſque conjugis conſenſum, & de hoc etiam deponebant plures connubii teſtes, aſſerentes etiam potuiſſe voces conjugum percipi a Parocho. Ead. Cong. 6. Aug. 1712. *ibid.*

244. Validum eſt matrimonium celebratum coram Parocho, qui cum Miſſam celebraret, audivit ſponſum dicentem: *Queſta è la mia Spoſa*, ſponſæ vero verba nulla audivit, nec externum aliquem vidit actum, ex quo conſenſus ejuſdem erui poſſet, etſi idipſum deponant duo teſtes, dumtaxat addentes, quod ſponſus ſponſæ manum tenebat, dum præſens una mulier, & alius teſtis deponunt, utrumque conjugem protuliſſe verba, mutuum conſenſum expreſſe deſignantia. Ead. Cong. 12. Jan. 1715. 119

245. Matrimonium, in quo Parochus ſubdole accerſitus, audivit conſenſum ſponſæ, non autem ſponſi, quem ceteroquin conſenſiſſe in eodem actu, depoſuerunt plures ibidem præſentes teſtes, validum declaravit eadem Sac. C. Concil. 6. Maii 1741. *ibid.*

246. Matrimonium initum in hiſce circumſtantiis, quod Parochus, & teſtes perceperint conſenſum partium, non ex verbis, ſed ex ſignis, & actibus antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus ad matrimonialem contractum, ſubſiſtere cenſuit ead. Cong. 7. Maii 1741. *ibid.*

247. Matrimonium initum a ſponſo faciem habente palliatam naſo tenus, invalidum in caſu declaravit Ead. Cong. 19. Sept. 1733. *ibid.*

248. Nonnulli Parochi pro ſua, & matrimonia contrahentium quiete ſupplicant declarari: An conceſſa per Epiſcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a ſacro Concilio vetitis, in iis locis, in quibus diſpoſitio ejuſdem Concilii ad ipſum quoque matrimonii contractum reperitur a conſuetudine extenſa, intelligatur permiſſa traductio ſponſæ, ſeu uxoris ad domum viri? Reſp. affirmative, dummodo traductio fiat abſque ſolemnitate. Cong. Concil. 10. Junii 1684. *ibid.*

249. Denunciationes matrimonii fieri poſſunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. Cong. Epiſc. 18. Dec. 1589. 120.

250. Matrimonium ſi contrahatur per Procuratorem, omiſſis denunciationibus, eſt validum, licet mandati procuræ traditione præceptum fuerit, ut matrimonium deberet contrahi juxta R. S. R. Eccleſiæ Cong. Concil. 12. Jul. 1721. *ibid.*

261. In Eccleſia, quæ ſimul parochialis eſt & collegiata, denunciationes matrimoniorum, & ordinandorum, aliæque ſimiles functiones parochiales, arbitrio Parochi fieri poſſunt vel in Miſſa parochiali, vel conventuali, quando pro utraque habeatur concurſus populi. Cong. Conc. 8. Julii 1724. *ibid.*

252. Denunciationes Matrimoniales ex juſta cauſa poſſunt etiam fieri diebus feſtivis, dum cantantur veſperæ. Cong. Concil. 25. Oct. 1586. 121

253. Non poteſt Parochus in Eccleſiis Monialium Ordinario ſubjectarum aſſiſtere matrimoniis, vel eorum denunciationes facere. Congr. Concil. 23. Aug. 1727. *ibid.*

254. Benedicendi ſunt Sponſus, & Sponſa, licet contractis ſponſalibus per verba de futuro, antequam coram Parocho, & teſtibus matrimonium contraxerint, invicem ſe cognoverint. Congr. Concil. 2. Octobr. 1593. 122

255 Jus benedicendi ſponſos ſpectat privative ad Parochos. Congr. Concil. 3. Decemb. 1718. 123.

256. Regulares poſſunt benedicere ſponſos cum licentia Parochi. Cong. Concil. 19. Martii 1708. 124

257. Benedictio contrahentium matrimonia non eſt facienda a Parocho extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia. Congr. Concil. 17. Apr. 1649. *ibid.*

258. Nuptiarum benedictio non poteſt fieri, niſi inter Miſſarum ſolemnia. Congr. Concil. 13. Julii 1630. 125.

259. Sacerdotes tam ſæculares, etiam privilegiati, non poſſunt in feria VI. Paraſceves, occaſione Ss. Annunciationis in dicta feria occurrenti celebrare in quavis Eccleſia, ſeu oratorio aliquam Miſſam ſolemnem, vel privatam, nec facere feſtum, vel parare, aut ornare Eccleſias, aut altaria, licet dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annunciatæ, cum ob doloroſam mortis Noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint coopertæ ſacræ imagines & altaria ſpoliata, ſed tantum fieri ſolita Sacra functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus feria V. in cœna Domini collocari ſolet Venerabile in aliquo altari, vel alio decenti loco, vulgo vocato *il ſepolcro*, & per hanc prohibitionem pro feria VI. in Paraſceve non poſſunt in feria V. in cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolum conventualis juxta ritum Sanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta, Clemens XI. 15. Martii 1712. 126

260. Il velo umerale ſarà di colore bianco in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sagramento, anco nel Venerdì Santo. Inſtructio Clementina n. 11. 127

261. Conſuetudo immemorabilis, quod Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in feria VI. Paraſceves decantetur a Canonicis, debet ſervari, non obſtante Cæremoniali, in quo diſponitur, eam a cantoribus decantandam eſſe. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Viterbien.* *ibid.*

262. Ubi non viget immemorabilis conſuetudo, ut Evangelium Dominicæ Paſſionis decantetur a canonicis Collegiatarum in Dominica Palmarum, & feria VI. Paraſceves, ab Epiſcopo cogi non poſſunt ad illud decantandum, non obſtante, quod ex immemoriali conſuetudine decantetur a canonicis Eccleſiæ Cathedralis, Congr. Concil. 2. Julii 1718. 128

263. Paſſio in Miſſis privatis legi debet a celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiarum.* 129

264. In adoratione crucis feria VI. in Paraſceve debent celebrans, & Miniſtri deponere etiam manipulos. S. R. C. 15. Septemb. 1736. *in Toletana.* 130.

265. Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur cruci feria VI. in Paraſceve, dentur magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt. S. R. C. 29. Nov. 1603. *in Beneventana.* 131

266. In proceſſione feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo totum officium, & ſacram functionem in pontificalibus non peragente, non ſunt a geſtantibus haſtas baldachini adhibenda pluvialia, ſed ſolum cottæ. S. R. C. 15. Septembris 1736. *in Toletana.* 132

267. Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur feria VI. in Paraſceve, incenſandi iterum Ss. Sacramentum poſt incenſationem oblatorum, omittendo conſuetam crucis incenſationem, cum ſit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Auguſt. 1697. *in Panormitana.* 133

268. In feria IV. Paraſceves thurificanda ſunt oblata, ſed poſt thurificationem oblatorum non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio crucis, ſed crux, & altare thurificanda ſunt eodem prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante Ss. Sacramentum. S. R. C. 5. Jul. 1696. *in Panormitana.* *ibid.*

269. Celebrans in Paraſceve mittat particulam in calicem ſine aliquo crucis ſigno, neque ſe ſignet cum calice. Sac. R. C. 28. Aug. 1627. *in una urbis.* 134

270. An in feria VI. hebdomadæ ſanctæ poſſit diſcooperiri crux ante Eccleſiam collegiatam? Reſp. negative. Cong. Concil. 3. Dec. 1718. & 7. Dec. 1720. 135

271. In proceſſionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum, vel lignum Ss. Crucis, tam clerus, quam Sacerdotes detecto capite incedere debent; in aliis vero proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel ſtatuæ Sanctorum, tunc ſæculares, & Eccleſiaſtici, qui eas deferunt, detecto capite, alii vero clerici poſſunt incedere tecto capite, quando vero non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar cleri poteſt incedere capite cooperto. S. R. C. 2. Septembris 1690. *in Cajetana.* 136

272. Licitum eſt Epiſcopo incedere cum mitra, quando defert reliquiam ligni ſanctiſſimæ crucis in proceſſionibus. S. R. C. 14. Junii 1692. *in Materanen.* *ibid.*

273. Epiſcopus in publicis proceſſionibus cum cappa, & birreto, non inter dignitates, ſed ſolus incedere debet. Quod ſi deferatur aliqua imago, ſeu reliquia, ipſe cum cappa, & birreto debet incedere poſt imaginem, ſeu reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 28. Oct. 1628. *in una Ord. Minor. de obſerv.* *ibid.*

274. Non eſt genuflectendum a Capitulo, & Clero proceſſionaliter tranſeuntibus ante altare, in quo recondita eſt reliquia Ss. Crucis. S. R. C. 15. Sept. 1736. *in Brixien.* *ibid.*

275. Tran-

275. Tranſeuntes ante expoſitam reliquiam S. Crucis, utrum debeant genua uſque ad terram genufleĉtere, vel etiam an ſufficiat ſemigenuflexio, uti ſolet fieri coram Epiſcopo, & utrum eadem genuflexio facienda ſit ante prædiĉtam reliquiam S. Crucis, quæ licet non ſit expoſita, aſſervatur tamen occluſa in aliquo altari, aut etiam quando expoſita eſt, ſed non apparet, ex eo quod pars hæc, quæ reſpicit populum, habeat figuram Chriſti crucifixi? Et reſponſum fuit: ſi loco principe reliquia Ss. Crucis ſuper altare fuerit expoſita, tunc tranſeuntes ante illam, unico genu uſque ad terram flexo venerari debent; diverſimode vero ſola capitis inclinatione, ſi præfata reliquia recondita erit intra cuſtodiam. S. R. C. 7. Maji *1746. in Varſavien.* *ibid.*

276. Reliquia Ss. Crucis non eſt incenſanda a celebrante genuflexo. S. R. C. 15. Sept. 1736. *in Brixien.* 137

277. Poſt expoſitionem Reliquiæ Ss. Crucis, vel poſt ejus delationem in proceſſione, benedicendus eſt populus cum ipſa. Ead. Congreg. in eod. Decr. *ibid.*

278. Poteſt permitti, quod hebdomadarius, aut alius canonicus poſt proceſſionem in feſto alicujus Sanĉti, ſtans ad altare majus benedicat populum, habens tantum ſuperpelliceum, & ſtollam, ſicuti in aliis proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ reliquiæ, cum alba, ſtola, & pluviali. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* *ibid.*

279. Reliquiæ Sanĉtorum, quæ deferuntur in proceſſionibus per civitates, & oppida, non debent deferri ſub baldachino. S. R. C. 23. Martii 1686. in Calaguritana. *ibid.*

280. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt ſpinam D. N. J. C. præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub baldachino proceſſionaliter deferre. S. R. C. 12. Julii 1740. *in una Urbis, & Orbis.* *ibid.*

281. Imaginem B. V. cum baldachino, & intortitiis in proceſſione deferri prohibendum non eſt, modo petatur ab Ordinario licentia, ut occurri poſſit abuſibus. Congreg. Epiſc. 11. Martii 1579. 20. Dec. 1609. 12. Martii 1613. & 10. Jul. 1621. *ibid.*

282. Idem eſt de imaginibus, ſive ſtatuis Sanĉtorum. Eadem Congr. 19. Jul. 1647. *ibid.*

283. Conſuetudo deferendi Reliquiam SS. Crucis manibus opertis cum velo a ſpatulis pendente poteſt retineri. S. R. C. 16. Sept. *1741. in Bracharen.* *ib.*

284. Jus deferendi Ss. Sacramentum, & Reliquias in proceſſionibus ſpeĉtat ad hebdomadarium Miſſarum ſolemnium peragendarum poſt proceſſionem, vel ad illum, qui immediate ante proceſſionem eadem peregerit, privative quoad reliquos, etiam Dignitates, & ſeniores Canonicos, tam abſente, quam nolente Epiſcopo prædiĉta munia obire S. R. C. 26. Januar. 1658. *in Cajetan.* 138

285. In altari, in quo adeſt magna ſtatua Ss. Crucifixi non eſt neceſſe, ut ponatur alia crux, dum celebratur Miſſa. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Roſanen.* *ibid.*

286. Crux parva cum imagine crucifixi poſita ſuper tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanĉtiſſimum Sacramentum in altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia crux in medio candelabrorum. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Roſſanen.* 139

287. Super altare, in quo Ss. Sacramentum expoſitum eſt, crux de more collocari debet, cum imagine crucifixi appoſita. S. R. C. 14. Maji 1707. *in una Senarum.* 140

288. Decretum S. R. C. de anno 1707. præcipiens quod in altari, ubi eſt publice expoſitum Ss. Sacramentum, tempore Miſſæ crux de more collocetur, apud aliquas Eccleſias non eſt in viridi obſervantia, & hac de cauſa Inſtruĉtio pro oratione XL. horarum Clem. IX. Bened. XIII., & Clem. XII. Summorum Pontificum juſſu edita, ſub ſilentio præterit, an locanda, an vero removenda ſit hujuſmodi crux, linquens quemlibet in ſua praxi. S. R. C. 2. Septemb. 1741. *ibid.*

289. Dum incenſatur altare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum crux quoque incenſari. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthaginen. Hiſpan.* *ibid.*

290. Res divina fieri non poteſt in altari, in quo exigua ſolum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibetur, ſed crucifixus inter candelabra ita prominere debet, ut Sacerdos celebrans, ac populus ſacrificio aſſiſtens, eumdem crucifixum facile, & commode intueri poſſint. Bened. XIV. 16. Jul. 1746. Conſt. *Accepimus.* *ibid.*

291. Sabbato Paſſionis debent velari imagines, & cruces, etiamſi occurrat eo die feſtum Sanĉti Tutelaris, vel Patroni Eccleſiæ. S. R. C. 16. Nov. 1649. *in Jan.* 141

292. In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis non ſolum cruces, & imagines Salvatoris, ſed etiam icones altarium, & omnes imagines ſanĉtorum tegi debent. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiar.* *ibid.*

294. Imagines, & Cruces detegi non debent, etiamſi hebdomada Paſſionis occurrat feſtum Sanĉti Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 16. Novemb. 1649. *in Jannen.* 142

295. Permitti poteſt, ut ſtatua B. M. V. velo nigro circumdata, in noĉte feriæ V. in cœna Domini cum Jeſu Domino Filio mortuo in gremium depoſito in Eccleſia exponatur, & ſequenti feria ſexta in mane proceſſionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomen. ibid.*

296. Imagines Chriſti, Deiparæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, aliorumve ſanĉtorum quorumcumque ſculpere, aut pingere, aut antehac ſculptas, aut piĉtas, & alias quomodolibet effiĉtas tenere, ſeu publico aſpeĉtui exponere, aut veſtire cum alio habitu, & forma, quam in catholica, & apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſuevit, diſtriĉte prohibet, ac ut imagines aliter piĉtæ, vel ſculptæ ab Eccleſiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia catholica, & apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam, præcipit Urbanus VIII. in Conſt. *Sacroſanĉta Synodus* 19. Junii 1642. 143

297. Proceſſiones in feſto Corporis Chriſti facere non licet aliis Eccleſiis, ſed ſoli Epiſcopo, ſeu Eccleſiæ Cathedrali. S. R. C. 22. Maji 1615. *in Piſana.* 144

298. Non poſſunt Regulares proceſſiones facere extra Eccleſiam in feria V. in Cœna Domini, nec in feſto Corporis Chriſti extra eorum juriſdiĉtionem, & per parochiam alienam. S. R. C. 11. Dec. 1613. *in Aretina.* *ibid.*

299. Non eſt revocandum Decretum Epiſcopi, in quo demandatur proceſſionem fieri in feſto Corporis Chriſti in Eccleſia Archipresbyterali, non obſtante conſuetudine in favorem Eccleſiæ Regularis. Ead. Congr. 3. Junii 1651. *in Hiporegien.* *ibid.*

300. An proceſſio Ss. Corporis Chriſti incipere, & terminare debeat in Eccleſia Collegiata, ſeu potius in Eccleſia Parochiali? & S. R. C. reſpondit affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam. Die 1. Septemb. 1718. *in Nolana.* *ib.*

301. Proceſſio in ſolemnitate Ss. Corporis Chriſti incipere debet a Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eamdem terminare, non vero a Parochiali. S. R. C. 19. Aug. 1629. *ibid.*

302. Proceſſio Ss. Corporis Chriſti inchoari non debet ab Eccleſia inferiori, non attenta immemorabili conſuetudine. Congr. Concil. 7. Aug. 1683. *ibid.*

303. An proceſſio in feſto Corporis Chriſti facienda cum Venerabili competat diĉto Archipresbytero, illam inchoando a diĉta Eccleſia Collegiata, vel ab alia Eccleſia inter oppidum Pontremuli privative ad Præpoſitum, & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, ſive potius jus faciendi eamdem proceſſionem pertineat ad eumdem Præpoſitum, & Capitulum reſpeĉtu diĉti Archipresbyteri, & aliorum Parochorum diĉti oppidi? Reſp. negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam. Ead. Cong. Concil. 9. Jun. 1725. *ibid.*

304. Inter præminentias Eccleſiæ matricis connumeratur proceſſio Ss. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti. S. R. Cong. 6. Sept. 1636. *in Syracuſana.* *ibid.*

305. Delatio Ss. Sacramenti in ejus die feſto, abſente Epiſcopo ad Dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis ſpeĉtat, atque ab eadem Cathedrali proceſſio debet inchoare, & ibi finire. S. R. C. 19. Maji 1616. *in Tuſcan.* *ibid.*

306. Funĉtiones ſolemnes, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo ſpeĉtant ad primam Dignitatem, ſunt feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M. V., Omnium Sanĉtorum, Dedicationis Eccleſiæ, Patroni Civitatis, necnon commemoratio omnium Fidelium Defunĉtorum, diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio officii feria V. in Cœna Domini, feria VI. in Paraſceve, Feſtum Paſchatis Reſurreĉtionis D. N., & dies ſolemnis Corporis Chriſti cum proceſſione. S. R. C. 3. Decemb. *1672. in Andrien.* *ibid.*

307. Prima Dignitate impedita, vel abſente ſuccedat ſecunda Dignitas in funĉtionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus dignitatibus impeditis, vel abſentibus primus Canonicus id exequatur. Ead. Congreg. 26. Nov. 1670. *in Senen.* *ibid.*

308. Celebratio Miſſæ Solemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurreĉtionis, Pentecoſtes, & in die feſto Corporis Chriſti ſpeĉtat privative ad primam Dignitatem, ſeu primum de Capitulo. Eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in ſui locum ad libitum ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab alio, qui immediate ſuccedit, non vero ab hebdomadario. Ead. Congreg. 23. Mart. 1709. *in Compſana.* *ibid.*

309. In feſto Ss. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a celebrante; in veſperis autem diei oĉtavæ (ſi fiat proceſſio) deferatur ab eo, qui cantavit veſperas, modo ſit Dignitas, vel Canonicus. S. R. C. 12. Jun. 1627. *in Brundusina*, & 23. Martii 1709. *ibid.*

310. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Miſſam ante proceſſionem Ss. Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor deferat illud in proceſſione. Ead. Congr. 31. Julii 1632. *In Jan.* confirmante Innoc. XI. 4. Jun. 1689. Conſt. 21. *ibid.*

311. Geſtare Sacramentum in proceſſione Corporis Chriſti ſpeĉtat ad eum, qui Miſſam celebravit. S. R. C. 5. Jun. 1634. *in Aquilana.* *ibid.*

312. Sanĉtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſione, quæ fit in feſto Ss. Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in proceſſione, quæ fit in die Dominica infra ejus oĉtavam, non vero deferendum eſt a primo de Capitulo, qui non celebravit. Ead. Congr. 23. Mart. 1709. *in Compſana.* *ibid.*

313. Delatio Ss. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti ſpeĉtat ad Præpoſitum Eccleſiæ Matricis ordine ſucceſſivo, dummodo illo die ſolemniter celebraverit. Ead. Congr. 6. Sept. 1636. *in Syracuſana.* *ibid.*

314. De-

314. Delatio Ss. Sacramenti, quæ fit per digniorem de capitulo, abſente vel impedito Epiſcopo, in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, ſpectat ad eumdem digniorem per totam viam, etiamſi contingat proceſſionem tranſire limites alterius Parochiæ. S. R. C. 21. Apr. 1630. *in Lucana*. *ibid.*

315. In feſto Corporis Chriſti Eucharistia non eſt deferenda Sacerdotum humeris, ſed celebrantis manibus, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C. 2. Junii 1618. *in Syracuſana*. *ibid.*

316. In proceſſione ſolemni Ss. Corporis Chriſti, quando proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, ſubdiaconus, & diaconus non debet ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus etiamſi deferantur ad ornatum tantum. S. R. C. 21. Januarii 1690. *in Hiſpalen.* 145

317. Miſſa in die ſolemnitatis Corporis Chriſti non debet cantari poſt abſolutam proceſſionem; & hujuſmodi conſuetudo, uti a Cœremonialis diſpoſitione aliena omnino abroganda eſt. S. R. C. 3. Jun. 1662. *in Albinganen.* *ibid.*

318. Miſſa de Dominica, ſeu de feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum commemoratione Ss. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis proceſſio cum Ss. Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet menſis. S. R. C. 6. Dec. 1653. *in Fanen.* *ib.*

319. Abſque pluviali non licet non habentibus uſum illius in die, & infra octavam Ss. Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum Ss. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habentibus uſum, ſtatuit S. R. C. 22. Jan. 1701. *in una Camald. Montis Coronæ*. *ibid.*

320. D. Mattia Eremita Camaldoleſe di Monte Corona, al preſente Priore dell'eremo di Santa Maria degli Angeli di Nola in Regno, reverentemente eſpone; come in tutta la ſua Congregazione vi è l'abuſo, che nella proceſſione del Corpus Domini ſi porta il Venerabile dal celebrante col ſolo umerale, e ſenza altra aſſiſtenza de' Miniſtri con indumenti ſacri, che di un ſolo Chierico, che porta il turribolo, ed un altro, che ſoſtiene l'ombrella appreſſo, lo che pare ſia contro le Rubriche, e l'uſo univerſale di S. Chieſa, ed anche di poca venerazione, decoro, e riſpetto verſo Gesù Sacramentato, che però ſupplica l'EE. VV. volerſi compiacere d'iſtruire tanto l'oratore, che tutta la detta ſua Congregazione della maniera propria, colla quale ſi deve fare non ſolo detta Proceſſione del Corpus Domini, ma anche quelle del Giovedì, e Venerdì Santo, per potere in avvenire correggere gli abuſi, ed errori ſin al preſente commeſſi. Che &c. *Reſponſum fuit*; Præcedet crux haſtata a Religioſo cotta induto delata, inter ceroferarios cotta pariter indutos. Sequentur viri Religioſi bini incedentes, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti, Monaſterii cappis depoſitis, poſt communionem celebrantis ſument, non in choro, ſed in alio convenienti loco, ſuperpelliceum, cereoſque accenſos geſtabunt: In proceſſionibus vero, quæ fiunt feria V. in Cœna Domini, & feria VI. in Paraſceve, quia hæ intra Eccleſiam peraguntur, cum cappis monaſticis procedent. Poſt digniores Religioſos viros ſuccedent duo thuriferarii itidem cum cottis, qui thuribula cum incenſo fumigantia lente ducent ante celebrantem, facie, non dorſo, ad Sacramentum ſemiverſa in itinere. Tandem adveniet celebrans pluviali, ac velo humerali amictus, deferens Sacramentum inter Miniſtros ſacris veſtibus, ſed ſine manipulo, indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem Celebrante pſalmos ſubmiſſa voce recitabunt. Supra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino baldachinum, quaternis ſaltem haſtis inſtructum, quæ a totidem Religioſis ſuperpelliceo indutis in feſto Corporis Chriſti eleventur. Feria autem ſexta in Paraſceve deferri poterit baldachinum a Religioſis ſine cotta; qua die Celebrans non ſumet pluviale; Miniſtri autem celebrantis, cum non utantur planetis plicatis tum ſolemni illius diei officio, tum proceſſioni cum ſuperpelliceo aſſiſtent. Cerei extinguuntur poſtquam reconditum fuerit Sacramentum, & feria VI. in Paraſceve, poſtquam fuerit a Celebrante conſumptum, nec ceſſabit campanarum ſonitus, ubi ab Eccleſia non prohibetur, niſi poſt Sacram actionem abſolutam. Quod ſi ad hujuſmodi ſupplicationes convocentur confratres alicujus ſodalitii, hi ſacco induti deſignari poterunt ad deferendum baldachinum, ſupplendo vices Religioſorum alia munia obeuntium. In his autem Cœnobiis, ſeu Religioſis familiis, in quibus parva Monachorum manus ſit, aſſiſtentes Celebranti poterunt incedere cum ſuperpelliceo, ſed nunquam fas ſit, ut omittatur baldachinum, ſemper deferendum ut ſupra, ſive a Monachis, ſive a confratribus. Sacr. R. C. 15. Sept. 1742. *in una Ord. Erem. Montis Coronæ*. *ibid.*

321. Primicerius, licet dubitetur, an ſit dignitas, debet in proceſſionibus capere pluviale ſicut dignitas, & non planetam, ſicut Canonici. S. R. C. 28. Apr. 1607. *in Capuana*. *ibid. & ſeq.*

322. Si Epiſcopus in proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam, vel non interveniat, canonici tamen cathedralium induant ſacras veſtes. S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana*. 146

323. Canonici Eccleſiæ collegiatæ non debent in proceſſionibus incedere potati ſicut canonici cathedralis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*. *ibid.*

324. An Patres Carmelitæ induere poſſint ſacras veſtes ad formam eorum Ritualis in proceſſione facienda extra clauſtra, & ambitum Eccleſiæ infra octavam SS. Corporis Chriſti. Reſp. Affirmative, exceptis Fratribus Laicis. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Imolen.* *ibid.*

325. Licet Patribus Reformatis Oppidi Montis Murri facere proceſſionem die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti, dummodo fiat diſtincta hora ab ea, in qua fit a Patribus Dominicanis. S. R. C. 18. Apr. 1714. *in Tricaren.* *ib.*

326. S. R. C. Stetit in deciſis, juxta modum præſcribendum ab Eminentiſſimo Ponente. Eadem Congr. 4. Martii 1717. *Qui reſpondit*: Proceſſionem faciendam eſſe per Clerum Sæcularem in die SS. Corporis Chriſti: Per Patres Dominicanos in die Dominico infra octavam de mane, & per Patres Reformatos in eodem die Dominico infra octavam de ſero. Card. Ponens 12. Martii 1718. *ibid.*

327. Licet Patribus Franciſcanis facere proceſſionem extra clauſtra per loca ſolita, etiam de mane in die Dominica infra octavam SS. Corporis Chriſti, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horæ Patribus Dominicanis, a qua ſemel electa non liceat amplius recedere. Innoc. XII. Conſt. *Sua nobis* 25. Febr. 1696. *ibid.*

328. Licet Patribus Dominicanis prohibere aliis Regularibus, ne in die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti peragant proceſſionem. S. R. C. 30. Apr. 1671. *in Placentina*. *ibid.*

329. Patres Dominicani non valent prohibere Patribus Conventualibus proceſſionem S. Antonii Patavini quatenus dicto die Dominico occurreret, dummodo fiat diverſa hora, & data prælatione temporis Patribus Dominicanis de mane, vel de veſpere. S. R. C. 18. Martii 1702. *in Aliphana*. *ib.*

330. Licet Patribus Carmelitis abſque licentia Parochi facere proceſſionem, & amplius cauſa non proponatur. Congr. Epiſc., & Regul. 15. Januar. 1722. *ibid.*

331. Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam. S. R. C. 14. Novemb. 1615. *in Piſauren.* *ibid.*

332. Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, & licentia Parochi. Sacr. Rit. Cong. 10. Dec. 1703. *ibid.*

333. Proceſſiones juxta inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum Territorium tranſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi. Ead. Congr. in eod. Decr. *ibid.*

334. An delatio Venerabilis, quæ ſingulis annis fieri ſolet die ultima Aprilis per Civitatem poſt expoſitionem XL. horarum, ſit facienda a Capellano Confraternitatis, vel potius a Parocho? *Reſpondit*: delationem eſſe faciendam a Capellano Confraternitatis de licentia Epiſcopi. Congr. Concil. 18. Maji 1726. *ibid.*

335. Quamvis Epiſcopus adhibito capitali conſilio, præfigat, & dirigat, ac transferat proceſſiones, tamen non poteſt pervertere, & immutare ritum proceſſionum a Cœremoniali, & Rituali Romano præſcriptum, neque de conſenſu capituli. S. R. C. 26. Januar. 1658. *in Cajetana*. 147

336. Ubi proceſſio SS. Sacramenti in ejus feſto die, vel per octavam ea, qua decet, ſolemni pompa nequiverit haberi, deſignabit Epiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia unicuique Eccleſiæ aliquam ex ſequentibus Dominicis, in qua celebrata Miſſa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta Rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius proceſſio peragi poſſit. S. R. C. 8. Martii 1749. *in Liſbonen.* *ibid.*

337. Proceſſio ſolemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in feriam VI. Paraſceves, eo anno transferenda eſt in aliam diem. Congr. Epiſc. 25. Febr. 1598. 148

338. In feria VI. Paraſceve non poteſt fieri nocte proceſſio cum SS. Sacramento, & hunc abuſum abrogat Congregatio Epiſc., & Regul. 22. Martii 1596. *ibid.*

339. Proceſſiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ non convenit, & repugnat myſteriis Eccleſiæ, & eſt abuſus omnino tollendus. S. R. C. 18. Aug. 1606. *in Mantuana*. *ibid.*

340. Si conſuetudo deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum feria VI. Paraſceves in feretro nigris veſtibus contecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, eſt toleranda. Cong. Epiſc. 3. Jan. 1582., & 29. Martii 1596. *ibid.*

341. Miſſa ſolemnis de S. Joſepho, quando ejus feſtum incidit in feria II. III. IV. majoris hebdomadæ non poteſt cantari, etiam ob concurſum populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri proceſſio in ejus honorem. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Urbis*. *ibid.*

342. In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat feſtum Annunciationis B. M. V., celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & oratoriis tam publicis, quam privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed unica tantum Miſſa Conventualis una cum officio ejuſdem Sabbati celebretur. S. R. C. 11. Febr. approbante Alexand. VIII. 11. Martii 1690. 149

343. La Santità di Noſtro Signore, inerendo ai replicati Decreti della Sacra Congregazione, ſtrettamente incarica tutti i Reverendi Sacerdoti di non celebrare Meſſe private non ſolo nel Venerdì, ma nel Giovedì, e Sabbato della ſettimana Santa, tanto negli Oratorj privati, che nelle Chieſe pubbliche

bliche ſecolari, e Regolari in qualſivoglia modo privilegiare, non oſtante qualſivoglia privilegio, o conſuetudine in contrario. Il Cardinale Parraciani Vicario d'ordine di Clemente XI. li 3. Aprile 1719. *ibid.*

344. In Eccleſiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deeſt numerus cantorum, non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata loco ſolemnis, ut in iiſdem Eccleſiis fiat benedictio, tam luminis, & cerei, quam aquæ, attentis maxime Decretis 11. Februar., & 11. Martii 1690. prohibentibus celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantum Miſſam conventualem una cum officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibus. S. R. C. 13. Julii 1697. *in Janu.* *ibid.*

345. Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die cantato Evangelio extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quod durante tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* 151

346. Benedictio aquæ in Sabbato Sancto etiam ſine infuſione olei ſancti fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem, quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii 1697. *in Januen.* 153

347. In Litaniis ſanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo: Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis: Sancte Joſeph ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ &c. *Benedictus XIII. 19. Decemb. 1726. in Decreto Urbis, & Orbis.* 154

348. Qui fontem benedixit, debet cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina.* 155

349. Et ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi fratres, quam alii clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campanam Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverint, campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint; Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. Leo. X. 19. Dec. 1516. ſua Conſtit. *Dum intra.* 156

350. In Sabbato Sancto neque a ſæcularibus, neque a regularibus pulſandæ ſunt campanæ ante pulſationem illarum Cathedralis, vel Matricis, niſi antiqua obſervantia habeatur in contrarium, aut Eccleſiæ plurimum diſtent. Congr. Epiſc., & Regul. 16. Julii 1601., & 15. Febr. 1622. *ibid.*

351. An prima pulſatio campanarum in Sabbato Sancto ſit de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, prout jacet, ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704. *in una Urbis, & Orbis.* 157

352. Cum Eccleſia S. Mariæ in collegiatam ab Innocentio XIII. erecta fuerit, prærogativa primæ pulſationis campanarum in Sabbato Sancto in poſterum eidem competit, excluſa qualibet pacta viciſſitudine. Cong. Concil. 15. Martii 1727. *ibid.*

353. Eccleſia Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine matricis, ante quam idcirco, neque Confratriæ poſſunt Campanas pulſare in Sabbato Sancto. S. R. C. 9. Febr. 1608. *ibid.*

354. Etiamſi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra matricem, non tamen poteſt pulſare campanas prius in Sabbato Sancto. Ead. Cong. 23. Febr. 1619. *ibid.*

355. An dicti Parochi poſſint in die Sabbati Sancti pulſare campanas ante ſignum Collegiatæ? Reſp. negative. Congreg. Concil. 3. Dec. 1718., & 7. Dec. 1720. *ibid.*

356. Conſtat de majori antiquitate S. Mariæ Magdalenæ montis Barutii, licet non de matricitate, & ideo Benedictio fontis baptiſmalis, prima pulſatio Campanarum &c. in Sabbato Sancto privative ſpectat Archipreſbytero prædictæ Eccleſiæ. Congr. Conc. 8. Martii 1732. *ibid.*

357. Ad effectum pulſationis campanarum in Sabbato Sancto, ſufficit probare Eccleſiam eſſe Parochialem, antiquiorem, digniorem, & majorem, ex quibus concluditur eſſe matricem. S. R. C. 8. Junii 1641. *ibid.*

358. Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ campanæ majores, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu matrice Eccleſia. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Matiſcen.* 14. Nov. 1615. *in Venuſina*, & 3. Junii 1617. *in Syracuſana.* 158

359. Non eſt Parochorum tantum, quod juxta Sacra Canonum ſtatuta Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante Sacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſtem, baptiſmalis fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cœremoniale Epiſc., & nos ipſi, præcipuas velut inter Pontificalis Ordinis actiones, non minori ſolicitudine commendamus. Concil. Rom. tit. 26. cap. 1. ſub Bened. XIII. 1725. *ibid.*

360. Gratia petita erectionis Fontis baptiſmalis concedi poteſt, de conſenſu tamen Ordinarii, & intereſſe habentium. Cong. Concil. 7. Janu. 1640. 159

361. Suſtinetur erectio Fontis baptiſmalis in caſu. Ead. Cong. 22. Junii 1720. *ibid.*

362. Conceſſo baptiſmali fonte alicui Parochiali Eccleſiæ, in qua non aderat, ad eam privative ſpectat baptizare ſuos Parochianos, nec hos amplius licet Cathedrali Eccleſiæ, aut alteri, in qua baptizari ſolebant, intingere ſalutis aqua. Congr. Concil. 14. Nov. 1733., & 20. Martii 1734. *ibid.*

363. Benedictio fontis baptiſmalis non eſt de juribus mere Parochialibus, ſed fieri debet a Parochis. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704. 160

364. Parochi Eccleſiarum filialium tenentur accedere ad benedictionem fontis in die Sabbati Sancti ad matricem, Congr. Concil. 17. Nov. 1691. *in Savonen.* *ibid.*

365. Vicarii Parochialium inferiorum tenentur in die Sabbati Sancti accedere ad Eccleſiam Archipreſbyteralem, & aſſiſtere benedictioni fontis. Congr. Concil. 15. Maji 1717., & 23. Julii 1718. *ibid.*

366. Parochi Eccleſiarum inferiorum tenentur in Sabbato Sancto accedere ad Eccleſiam matricem, vel gaudentem ſpecie ſuperioritatis, & præſtare per ſe, vel mediantibus eorum deputatis aſſiſtentiam perſonalem benedictioni fontis. Ead. Congr. 22. Junii 1720. *ibid.*

367. Parochi Eccleſiarum filialium, vel inferiorum cogi poſſunt ad intereſſendum in matrice, vel quaſi matrice benedictioni fontis die Sabbati Sancti, & Pentecoſtes. Congr. Conc. 28. Julii 1731. 161

368. Curatus Regularis debet juxta ſolitum ad aſſiſtendum in matrice benedictioni fontis accedere, indeque aquam accipere projecta in ſacrarium ea, quam ipſe contra ſolitum benedixerat. Congr. Epiſc., & Regul. 6. Septemb. 1625. *ibid.*

369. Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum Celebrantem, etiamſi ſit prima, vel alia dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius corruptela dici debet. S. R. C. 27. Nov. 1633. *in Peruſina.* 162

370. Aſperſio die Dominica ſemper facienda eſt a Celebrante, etiam quando ſuperior celebrat. S. R. C. 16. Nov. 1640. *in Jan.* 163

371. In aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit a Sacerdote alba, & ſtola induto, vel etiam cum pluviali immediate celebraturo Miſſam Conventualem, ſtola aptanda eſt ante pectus ad modum crucis, non vero pendens a collo ad utrumque latus. S. R. C. 30. Sept. 1679. *in una Cappuccinorum.* *ibid.*

372. Aſperſorium aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, ſeu Ordinario loci, aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, ſeu juriſdictionis, quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo cujuſcumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit. S. R. C. 14. Feb. 1632. *in Bononien.* 165

373. Epiſcopo ingrediente aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, aſſociato a dignitatibus, & Canonicis ſuæ Cathedralis, debet porrigi aſperſorium a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, non autem a dignitatibus, & Canonicis Epiſcopum aſſociantibus. Ead. Congr. 14. Febr. 1632. *in Turritana.* *ibid.*

374. Cardinali Legato aliquam Eccleſiam occaſione publicæ proceſſionis, ſeu quacumque alia de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ aſperſorium porrigi debet, ſed a digniori illius Eccleſiæ, ad quam accedit. Ead. Congr. 14. Feb. 1642. *ibid.*

375. Epiſcopo extra ſuam Cathedralem in aliam Eccleſiam, ſive ſæcularium, ſive regularium ingredienti, aſperſorium porrigi debet per digniorem illius, ad quam Epiſcopus accedit, & nullo modo per dignitates, aut Canonicos Cathedralis. S. R. Congr. 8. Febr. 1648. *in Regien.* *ibid.*

376. Aſperſorium cum aqua benedicta Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam ſemper debet miniſtrari a prima dignitate, vel digniore Canonico. S. R. C. 20. Dec. 1628. *in Arben.* *ibid.*

377. Aſperſorium aquæ benedictæ porrigendum eſt Epiſcopo a Priore Eccleſiæ Collegiatæ, dum eo accedit Epiſcopus; non autem a prima dignitate, vel primo Canonico Eccleſiæ Cathedralis. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* *ibid.*

378. Aſperſorium aquæ benedictæ Epiſcopo in Eccleſiam Religioſorum ingredienti, eſt porrigendum per digniorem illius Monaſterii, non autem per aliquem ex Canonicis Epiſcopum aſſociantibus. Ead. Congr. 14. Junii 1646. *in una Civitatis Caſtelli.* *ibid.*

379. An Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum ſit aſperſorium a Parocho, in cujus Territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ? Reſp. negative. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Januar. 1704. *ibid.*

380. Aſperſorium aquæ benedictæ Epiſcopo debet porrigi per digniorem de Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Eccleſias quaſcumque Diœceſis. S. R. C. 18. Jan. 1653. *in Lauden.* *ib.*

381. Non poſſunt Regulares in Sabbato Sancto benedicere domos laicorum. Congr. Concil. 23. Nov. 1619. *ibid.*

382. Nequeunt Regulares benedicere domos Diœceſis in hebdomada ſancta. Ead. Congr. 2. Jul. 1620. *ibid.*

383. Non licet Parochis benedicere in hebdomada majori, ſeu in octava Paſchatis Reſurrectionis cum ſtola, vel ſine domos alteri Parochiæ ſubjectas, invito hujus Parocho. Congreg. Concil. 17. Junii 1719. 166

384. Parochis nullatenus licet in Sabbato Sancto benedicere collecutoriis, aut januæ Monaſterii Monialium ordinario ſubjectarum, vel hoſpitio Tertiariorum connexo. Cong. Concil. 23. Aug. 1727. 167

385. Ad

385. Ad benedicenda Monialium Monaſteria, & cellas, die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore eſt omnibus prohibitus in clauſuram ingreſſus. Congr. Concil. 13. Sept. 1583., & Congr. Epiſc. 4. Sept. 1596. 168

386. An benedictiones mulierum poſt partum, fontis baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium ſint de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, ſed benedictiones mulierum, & fontis baptiſmalis fieri debere a Parochis. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704. *ibid.*

367. Non oportet aliquando clericos, niſi hymno dicto, comedere panem, & poſt cibos gratias auctori Deo referre. Cap. Non liceat 12. diſt. 44. 169

368. Olea Sacra quorannis ab Epiſcopo confici, & ſuæ Diœceſis Presbyteris diſtribui debent, crematis veteribus; & vetera non poſſunt adhiberi, poſtquam nova ſunt conſecrata. S. R. C. 7. Sepr. 1601. in Septemb. 171

369. In caſu neceſſitatis uti poterit Parochus oleo vetere. Sac. Congr. Epiſc. 20. Martii 1590. 172

370. Olei ſacri conſecratio debet fieri omnino juxta formam Pontificalis, & Canonici debent ſupplere, ſi numerus ſufficiens Presbyterorum non adſit præter Canonicos. S. R. C. 9. Maji 1606. in Lauretana. *ibid.*

371. Regulares cogi non poſſunt ad aſſiſtendum conſecrationi ſacrorum oleorum. Congr. Epiſc. 5. Febr. 1602. Niſi qui habent curam animarum ſæcularium, licet eſſent ex Ordine S. Joannis Hieroſolymitani. Ead. Congr. 28. Apr. 1599. *ibid.*

372. Olea ſacra ex cauſa neceſſitatis poſſunt confici ab Epiſcopo cum minori numero Sacerdotum, quam præſcribatur in Pontificali. S. R. C. 21. Aug. 1604. in Curien., & 12. Martii 1616. in Praxien. *ibid.*

373. Epiſcopus debet dare ſacra olea terris, & locis immunibus ſuæ diœceſis, cum conveniens non ſit, quod alio petant ad ea accipienda. Congr. Epiſc. 1. Jan. 1610. *ibid.*

374. Regularibus ſanctum oleum ab Epiſcopis denegari non poteſt. Ead. Congr. 2. Febr. 1599. *ibid.*

375. Immo Epiſcopi tenentur iiſdem illud dare. Ead. Congr. 20. Nov. 1601. 4. Junii 1602., & 10. Nov. 1651. *ibid.*

376. In ſua quiſque Epiſcopus diœceſi Regularibus ſacrum oleum prompte, & liberaliter tradi curet, & faciat. Clemens VIII. Conſt. exponi nobis 24. Martii 1599. *ibid.*

377. In diſtributione ſacrorum oleorum non permittat Epiſcopus, ut aliquid recipiatur non obſtante conſuetudine, quæ dici debet abuſus contrarius diſpoſitioni ſacrorum canonum. Congr. Epiſc. 6. Sept. 1604. *ibid. & ſeq.*

378. Oleum Sanctum debet aſſervari in Cathedrali, & ab ejus Dignitatibus diſpenſari aliis Eccleſiis. S. R. C. 19. Auguſt. 1619. in Tuſcanen. 173

379. Parochi Eccleſiarum filialium tenentur accedere ad recipiendum oleum ſacrum in die Sabbati Sancti ad matricem. Congr. Concil. 17. Nov. 1691. *ibid.*

380. Quoad recipienda olea ſancta ab Eccleſia Archipresbyterali, vel ab Eccleſia Cathedrali ſervetur ſolitum, ſalvis tamen juribus Eccleſiæ S. Mariæ quoad prætenſas filiales tantum, prout de jure. Ead. Congr. Concil. 22. Jan. & 28. Maji 1746. *ibid.*

380. Competit Eccleſiæ Collegiatæ jus recipiendi ab Ordinario oleum ſanctum, illudque privative diſtribuendi, & conſignandi Parochis, arbitrio tamen Epiſcopi. Congr. Concil. 3. Decemb. 1718. *ibid.*

381. Quoad partem, quæ reſpicit receptionem ſacrorum oleorum, ſerventur conſtitutiones ſynodales. Ead. Congr. 28. Jul. 1731. *ibid.*

382. An poſt erectam Eccleſiam S. Mariæ de Populo Pontremoli in Collegiatam, Præpoſitus Collegiatæ teneatur recipere olea ſacra e manibus Archipresbyteri SS. Hippolythi, & Caſſiani de Saliceto, ſeu potius iſte teneatur illa recipere per manus dicti Præpoſiti. Reſp. negative quoad utramque partem. Congr. Concil. 9. Junii 1725. *ibid.*

383. Epiſcopis, quibus a Sede Apoſtolica indulta eſt ad definitum tempus facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in articulo mortis conſtitutis, confirmatur, & prorogatur ad totum illud tempus, quo iidem Epiſcopi obtinebunt regimen earum Eccleſiarum, atque Diœceſium, quarum favore fuit conceſſa; & quidem etiam adjecta facultate ſubdelegandi in Civitatibus, & Diœceſibus, etiam de die. Benedictus XIV. Conſtitut. Pia Mater 5. Aprilis 1747. *ibid. & ſeq.*

384. Iis vero Epiſcopis, qui ad aliarum Eccleſiarum regimen transferuntur, aut prædictam facultatem ab Apoſtolica Sede aſſecuti non ſunt, necnon qui in poſterum Eccleſiis præficientur, quatenus facultatem prædictam petierint, non ad triennium, ſed ad omne tempus, quo adeptum ſemel Eccleſiæ regimen obtinebunt concedatur, adjecta etiam facultate ſubdelegandi ut ſupra tam in Civitate, quam Diœceſi, Benedict. XIV. in Ead. Conſt. Pia mater. 5. Apr. 1747. 174

385. Licet Epiſcopo, quoties voluerit, ad impertiendam benedictionem Moniali in mortis articulo conſtitutæ Monaſterium intrare. Congregat. Concil. Trident. 10. Maji 1727. *ibid.*

386. Epiſcopo ad hunc effectum intra Monaſterii ſepta ſe conferenti comites eſſe debent confeſſarius ordinarius ipſius Monaſterii, aliuſque Sacerdos ipſius Epiſcopi arbitrio eligendus. Ead. Congr. in eodem Decr. *ibid.*

387. Eadem facultas Prælatis inferioribus territorium ſeparatum habentibus cum vera qualitate Nullius, & activa in Clerum, & populum juriſdictione, concedenda decernitur, ne excepta quidem facultate ſubdelegandi ut ſupra, dummodo ipſi Prælati hanc gratiam poſtulantes, Apoſtolicis litteris, quod ſancta obtemperaverint. Bened. XIV. Conſt. Pia mater 5. Apr. 1747. *ibid.*

388. Sequentem ritum impertiendi Pontificiam Benedictionem ſuper populum a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujuſmodi ſtatis diebus a Sancta Sede indulta fuit, ſervari præcipit Benedictus XIV. Conſt. Exemplis 19. Mart. 1748. 175

389. Accedenti ad infirmos pro danda benedictione in articulo mortis, licet deferre ſuperpelliceum, & ſtolam ſine licentia Parochi in actu benedictionis. Congr. Concil. 3. Decembr. 1718., & 7. Dec. 1720. 176

390. In Eccleſia Parochiali Monialium Ordinis S. Benedicti ſecundæ veſperæ S. Georgii Titularis ipſarum Eccleſiæ concurrentes cum primis veſperis Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ex integro celebrandæ ſunt de Sancto Georgio cum commemoratione Dedicationis. S. R. C. 9. Aug. 1721. *in Patavina*. 177

391. Quando adeſt conſuetudo in aliqua Diœceſi celebrandi poſt feſtum Patroni principalis Eccleſiæ immediate annuam Dedicationem propriæ Eccleſiæ in proxima Dominica, ſi tali Dominica inciderit feſtum primæ claſſis; tunc dicta annua Dedicatio debebit transferri ulterius in aliam diem non impeditam, etiamſi non ſit in eodem menſe. S. R. C. 6. Septemb. 1727. *in Fulden.* *ibid.*

392. Primaria feſta S. Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli attentis rationibus per Patrem Merati ſect. 3. cap. 10. num. 2. innixis Decreto Sac. hujus Congregationis in Aquilien. 21. Aug. 1688. excludunt omnia alia feſta in ipſis occurrentia, excepta ſolemnitate Corporis Chriſti. S. R. C. 11. Maji 1743. *in Senen.* *ibid.*

393. Occurrente feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cum primis veſperis Dedicationis Eccleſiæ, totum erit de digniori cum commemoratione minus digni, ſcilicet totum de Dedicatione cum commemoratione SS. Apoſtolorum; quodque ſervandum eſſe in prælatione octavarum juxta Rubricas generales, declaravit Sacr. R. C. 16. Maji 1744. *in Cortunen.* *ibid.*

394. Dominica quatuor temporum eſt illa, quæ Sabbatum quatuor temporum immediate ſequitur. S. R. C. 31. Aug. 1743. *in Aquilien.* *ibid.*

395. Cum præſcriptum ſit dicendum eſſe officium de Dedicatione in ipſa die conſecrationis a clero illius Eccleſiæ, quæ conſecratur, dubium eſt, utrum Epiſcopus conſecrans, etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem officium de Dedicatione; & reſponſum fuit negative quoad præceptum; poterit tamen, ſi velit, ex congruentia. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* *ibid.*

396. An Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ad quam Regulares intra eamdem civitatem conſtituti, ſub ritu duplici 2. claſſis celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri poſſit ab iiſdem Regularibus, ſi prima dies alio feſto, ſimulque tota reliqua octava aliis novem lectionum feſtis impedita ſit? Reſponſum fuit affirmative. Sacr. Rit. Congr. 11. Januar. 1749. *in una Ord. Excalc. S. Aug. Provinciæ Auſtriæ.* *ibid.*

397. In Eccleſiis dedicatis ſub titulo S. Mariæ Angelorum, officium de hocce Titulari celebrandum eſt die Aſſumptionis B. M. V. cum octava ejuſdem. S. R. C. 14. Maji 1707. *in Pariſien.* *ibid.*

398. An in Eccleſiis ſub titulo S. Mariæ Angelorum fieri debeat die 2. Auguſti officium cum Miſſa de B. M. V. prout hactenus ſervatum fuit, vel potius Feſtum S. Mariæ Angelorum ſit celebrandum die Aſſumptionis ejuſdem, S. R. C. re mature diſcuſſa, reſcribendum cenſuit, ſervari ſolitum, nempe in caſu propoſito die 2. Auguſti faciendum eſſe officium cum Miſſa de B. M. V. titulari Eccleſiæ, prout in feſto ad Nives, præter lectiones ſecundi nocturni, quæ ſumendæ ſunt ex ſecundo nocturno Nativitatis ejuſdem B. M., mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*, juxta Decretum editum die 10. Junii 1690. in una Ordin. Minor. de obſerv. S. R. C. 7. Sept. 1748. *in una Ord. Cappuccin. Provin. Italiæ.* *ibid. & ſeq.*

399. Debet fieri in tota Diœceſi officium cum octava Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ut Patroni. S. R. C. 2. Septemb. 1741. *in Aquen.* & quidem ab utroque clero tam ſæculari, quam Regulari, ab hoc tamen ſine octava, ut late diximus Tom. 1. cap. 3. Decr. 8. num. 9. Ratio autem ex patrocinio petita, quam ibidem produximus, nunc aperte per S. Congr. approbata remanet. 178

400. Univerſa Diœceſis tenetur ad celebrandum ſub ritu primæ claſſis cum octava feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis, quando ſimul eſt Civitatis. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.* *ibid.*

401. De Titulari Eccleſiæ Cathedralis in genere commemoratio inter ſuffragia ſolummodo habenda eſt per illos, qui ſunt de gremio Eccleſiæ: ſecus ſi eſſet inſimul Patronus principalis Civitatis. S. R. C. 4. Septembris 1745. *in Pernambucen.* *ibid.*

402. Si feſtum ſit de Patrono loci, officium eſt recitandum ſub ritu primæ claſſis cum octava ab omnibus ſacerdotibus ſæcularibus eiuſdem. Si vero feſtum erit Titularis illius tantum Eccleſiæ parochialis, officium celebrandum erit ſub ritu primæ claſſis ab iiſdem ſacerdotibus tantum cum octava,

qui

qui addicti ſunt ſervitio Eccleſiæ illius Parochialis, & non ab aliis. S. R. C. 15. Septembris 1742. *in Tridentina.* *ibid.*

403. Clerus alicujus Terræ non tenetur recitare officium, & octavam Dedicationis Eccleſiæ matricis, niſi fuerit ipſius Eccleſiæ ſervitio, vel commoditati adſtrictus, aut in ea aliquod beneficium vel tenue poſſideat, vel beneficium ſimplex. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Auximana.* *ibid.*

404. Si feſtum ſit Sancti tamquam Patroni loci, electi a clero, populo &c. illius loci cum approbatione Epiſcopi vigore Conſtitutionis Urbani VIII. juxta Decreta S. R. C., tunc feſtum prædicti ſancti erit de præcepto obſervandum, & celebrandum ab incolis totius loci, etiam a ſuburbanis, alias negative. S. R. C. 15. Sept. 1742. *in Tridentina.* *ibid.*

432. An ubi habentur inſignes Reliquiæ plurium Sanctarum Virginum, & Martyrum e Societate S. Urſulæ, debeat de illis fieri officium duplex 21. Octobris cum commemoratione S. Hilarionis, & SS. Urſulæ, & Sociarum, vel poſſit aliis diſtinctis extra illum diebus de ſingulis illarum in particulari, prout hactenus alicubi die 17. & die 19. Decembris obſervatum fuit, recitari officium duplex? Quod ſi primum fieri oporteat, quæritur adhuc, an idem faciendum, ubi feſtum S. Urſulæ, & Sociarum eſt duplex, vel ſemiduplex, aut hoc potius in aliam diem non impeditam transferendum ſit? Reſponſum fuit, fieri debere officium duplex de Ss. Urſula, & Sociis cum ſola commemoratione S. Hilarionis, ſicuti fit Romæ in Patriarchali Eccleſia S. Mariæ Majoris, ubi aſſervatur caput unius ex ſociis S. Urſulæ. Et ita pariter fieri debet abſque ulla tranſlatione in illis Eccleſiis, in quibus feſtum Ss. Urſulæ, & Sociarum aliunde eſſet duplex, vel ſemiduplex. S. R. C. 11. Jan. 1749. *in una Ord. S. Aug. Excalc. Provinciæ Auſtriæ.* *ibid.*

436. Occurrente die octava S. Michaelis cum feſto B. M. V. de Roſario, faciendum eſt officium de octava S. Michaelis, transferendo Officium, & Miſſam Roſarii ad primam diem non impeditam. S. R. C. 20. Jun. 1744. *ibid.*

437. An feſtum S. Joachim, ſi occurrat Dominica in die octavæ Aſſumptionis, celebrandum ſit eadem die, vel potius ad aliam transferri? Reſp. ſervari Rubricam X. Breviarii Romani de Tranſl. feſtor. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Romana.* *ibid.*

438. Pro gratia faciendi officium feſtivum S. Annæ die 26. Julii cum commemoratione diei octavæ B. Jo. de Dukla ſimul occurrentis; quoad incidentiam vero diei octavæ S. Stanislai Koſtka cum feſto S. Catharinæ, quæ colitur celebriter a populo, ſervetur Rubrica de Tranſl. Feſt. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovien.* 179

439. In occurſu diei octavæ B. Joannis de Dukla Compatroni Regni Poloniæ cum feſto S. Annæ, officium habendum eſt de die octava. S. Annæ vero, licet ejuſdem dies magna cum devotione populi frequentetur, die prima non impedita. S. R. C. 15. Maji 1745. *Polonia in una Ord. Excalceator. Ss. Trinit.* *ibid.*

440. Officia Sanctorum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum, non poſſunt figi, ſeu locari perpetuo in alia die ab Ordinariis locorum deſignanda, Sacra Congregatione inconſulta: nec circa hoc verificatur Decretum de anno 1703. revocans in hoc aliud Decretum generale de anno 1682. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.* *ibid.*

441. Cum Ss. D. N. Benedict. XIV. univerſo clero utriuſque Siciliæ indulſerit officium B. Camilli de Lellis ſub ritu duplici ad libitum pro die 15. Julii, in qua occurrit officium S. Henrici ſemiduplex de præcepto, quæritur quodnam ex duobus enuntiatis officiis ſit transferendum? S. R. C. cenſuit reſcribendum ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo, cui facta per Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas Sua decrevit, ut fiat officium de S. Henrico die 15. Julii, officium vero B. Camilli non transferatur, ſed omittatur. Die 18. Aprilis 1744. *in Barenſi.* *ibid.*

442. Semel, & pro ſemper aſſignare poteſt Ordinarius diem non impeditum extra Dominicam, & octavas Sanctorum, feſtis ſanctorum ad libitum, non immutata tamen lege Sanctorum ad libitum. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* *ibid.*

426. Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſupererunt, intelligenda ſunt non ſolum de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. S. R. C. 16. Septemb. 1741. *in una Ord. Min. Obſerv. Reform.* *ibid.*

427. Poſterioribus hujus Sacræ Congregationis Decretis, quibus cautum eſt, ut Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſint ad ſequentem annum transferendi, abrogatum fuit Decretum 7. Dec. 1680., ideoque comprehenduntur ſub illis etiam Sancti, qui in menſe Decembri occurrentes tranſlati ſuperſunt. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.* *ibid.*

428. Occurrente feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ in die S. Silveſtri, officium S. Silveſtri non eſt transferendum ad annum ſequentem, ſed celebrandum in ipſomet die Dedicationis cum commemoratione ejuſdem S. Silveſtri S. R. C. 23. Jan. 1745. *in Lunen. Sarzanen. Ord. S. Franc. de Obſerv.* *ibid.*

405. Aſſignatio alterius diei officio perpetuo impedito fieri poteſt Sacra Congregatione inconſulta, abrogando alia Decreta contra hoc emanata 28. Nov. 1682., & 22. Aug. 1722., ſed confirmentur illa 18. Octob. 1699., Julii 1712., & 20. Nov. 1717. huic Decreto concordantia. S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.* 180

406. Dies non impedita cenſenda eſt tamquam propria ſanctorum perpetuo tranſlatorum ad excluſionem alterius Sancti tranſlati, qui poteſt aliquando contingere, & quatenus talia officia ſint duplicia, & occurrant in die Dominico, poſſunt tali die celebrari, ac ſi eſſet dies illorum propria. S. R. C. 28. Julii 1742. *in Tergeſtina.* *ibid.*

407. Cum officium alicui diei jam aſſignatum non debeat conſiderari uti tranſlatum, ſed immutatum in eandem diem tamquam ſibi propriam perpetuo a S. R. C. aſſignatam, ſi ſit majoris ritus, quam ſit officium aliud pro eodem die poſtmodum conceſſum, huic, & non illi ex vi Rubricarum de occurrentia competit tranſlatio. S. R. C. 11. Jul. 1739. *in Tropien.* & 11. Oct. 1740. *in Nolana.* *ibid.*

408. De officio Ss. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi fieri debet die quinta Maji ipſis jampridem aſſignata, etiam in occurſu Dominicæ, & de altero poſtmodum conceſſo de S. Pio V. die XI. tamquam propria. S. R. C. 9. Jun. 1742. *in Vernlana.* *ibid.*

409. Fieri debet officium Dedicationis Baſilicæ Ss. Salvatoris die 10. Nov. ipſi jam pridem aſſignata, & ad aliam diem non impeditam transferri officium S. Andreæ de Avellino poſtea conceſſo. S. R. C. 11. Maji 1743. *in Sebaſten.* *ibid.*

410. In fixatione feſtorum attendi debet, quod præcipitur a Rubrica X. Breviarii Romani ſub num. 7. de Tranſl. feſtor. ut ſcilicet prius agatur de duplici, poſtea de ſemiduplici, & inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius celebretur, ſive ex ritu, ſive ex dignitate majoritas iſta ſolemnitatis proveniat; alioquin ſi ſint omnino æqualia, unum ante aliud reponatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus, eadem enim militat ratio in fixatione, quæ probaret in tranſlatione. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.* *ibid.*

411. Prima dies proxime non impedita aſſignanda eſt cuilibet feſto a ſua die ob perpetuum impedimentum tranſlato, ita ut dies illa in poſterum ſit tamquam dies propria, & fixa feſti tranſlati, juſtificatis tamen apud Epiſcopum loci ordinarium tranſlatorum numero, & cauſis, dierumque aſſignandorum ordine, ac qualitate. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Friſinghen.* *ibid.*

412. An feſta perpetuo tranſlata, etiamſi ſint ſemiduplicia, transferri poſſint in dies infra octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de octava, tamquam in dies proprias. Reſp. affirmative. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.* *ibid.*

413. Non dedecet aſſignari feſtis, etiam ſemiduplicibus, a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo tranſlatis, dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrenti feſto non impeditos, qui dies habeantur, & ſint in poſterum ſedes fixa talium tranſlatorum. S. R. C. 22. Auguſt. 1744. *in Cracovien.* *ibid.*

414. Feſtum Ss. Martyrum Cornelii, & Cypriani a propria die perpetuo amotum, die 7. infra octavam Dedicationis non impedita ab alio feſto celebrari deinceps in Civitate Peruſina pro Conventu Cappuccinorum poſſe non improbatur. S. R. C. 28. Novemb. 1744. *in Peruſina.* *ibid.*

415. Feſtum ſemiduplex a ſuo die perpetuo amotum, celebrari deinceps poteſt infra octavam non privilegiatam in die ipſi aſſignanda, tamquam ſedes illius fixa juxta Decretum die 28. Novemb. 1744. *in Peruſina.* Ead. Congr. 19. Aprilis 1749. *in una Venetiarum.* *ibid.*

416. Feſta plura de præcepto eadem die occurrentia, poſſunt ſtabiliri infra illas octavas, quæ ejuſmodi feſta occurrentia non excludunt, licet excludant tranſlata, ut eſt octava Corporis Chriſti, quæ admittit duplicia occurrentia, non autem tranſlata. Stabiliri autem non poſſunt infra eas octavas, quæ ejuſmodi feſta occurrentia excludunt juxta regulas præſcriptas in Rubrica de octavis num. 3. S. R. C. 15. Maji 1745. *in una Ord. Diſcalceator. SS. Trinit.* 181

417. Poteſt ulterius transferri officium Sancti Raymundi de Penafort ob occurrentiam fixam Deſponſationis, relinquendo diem 28. Januarii vacuum, ut feſtum Nominis Jeſu ponatur illa die, & non celebretur in Quadrageſima, quando contingit illud transferri ex eo quod Dominica ſecunda poſt Epiphaniam aſſignata huic officio, aliquando incidit in Dominica ſeptuageſimæ. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* *ibid.*

418. Quando plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut tranſlatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria feſti reſpective tranſlati. S. R. C. 15. Maji 1745. *in una Diſcalceator. SS. Trinit.* *ibid.*

419. Feſtum Ss. Coſmæ, & Damiani jam alias a propria die perpetuo amotum, & pro die 1. Octobris appoſitum, celebrari deinceps poterit tam in cathedrali, quam in diœceſi Cracovienſi die tertia Octobris, ut die prima agatur in diœceſi de S. Remigio ad libitum poſtmodum conceſſo, de quo in Cathedrali haberi poterit commemoratio tamquam de ſimplici in officio de infra octavam S. Wenceslai ibi tantum occurrente. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovien.* *ibid.*

420. Feſta ſanctorum, quibus conceſſa eſt octava, perpetuo tranſlata, & ab aſſignato cuilibet illorum die perpetuo amota, celebranda ſunt ſine octava, ſi de ea nihil remaneat, vel cum reſiduo illius, ſi de ipſa aliqui tantummodo dies ſupererunt. S. R. C. 16. Sept. 1741. *in una Ordin. Minor. Obſerv.* *ibid.*

421. Cum

Digitized by Google

421. Cum aliquod feſtum jam translatum, iterum moveri ex neceſſitate contigerit a die ſibi ſemel aſſignata, non eſt opus, ut cetera alia feſta poſt ipſum translata, a diebus ſibi reſpective aſſignatis denuo removeantur, niſi forte nova Kalendarii conſtructio ex integro aſſumeretur. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi*. *ibid.*

422. An Regulares debeant celebrare feſta perpetuo translata in illis diebus in Kalandario diœceſis auctoritate Ordinarii aſſignatis, tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat feſtum ſui Ordinis, Reſp. affirmative. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.* *ibid.*

423. In Eccleſia Sancti Jacobi de Luprio Venetiarum die 2. Auguſti agendum eſt de feſto Sancti Petri ad Vincula ab antiquo eidem diei affixo ob perpetuam translationem ratione occurrentiæ cum die octava Sancti Jacobi, non autem de Sancto Hermolao, quod paucis ab hinc annis ſub ritu ſemiduplici conſignatum extitit eidem diei ſecundæ Aug. S. R. C. 19. Apr. 1749. *in una Venetiarum*. *ibid.*

424. Utrum Eccleſia particularis, quæ non poteſt facere de feſto in die aſſignata tamquam propria pro tota diœceſi, poſſit, & debeat huic feſto aliam diem eligere tamquam propriam? Reſponſum fuit affirmative cum approbatione tamen Epiſcopi loci ordinarii circa electionem diei. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi*. *ibid.*

425. Quando feſta ſimplicia ſunt perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri poſſit, non poteſt Ordinarius loci aſſignare certam diem aliam illis feſtis impeditis. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.* *ibid.*

426. In Sabbatis quatuor Temporum, vel aliis ad Ordines conferendos a jure præſtitutis, Epiſcopus ordinationem faciens, Miſſam de feria, non autem de ſancto, qui forte diebus illis occurret duplex, vel ſemiduplex, verb. gr. Sancti Mathiæ tempore verno, S. Thomæ tempore hyemali &c., celebrare debet. Sac. Rit. Cong. 11. Julii 1739. *in Neritonen.* 182

427. In Ordinum collatione diebus a jure ſtatutis dicenda eſt ſemper Miſſa de feria occurrente, non de ſancto in ea contingente. Sac. Rit. Congr. 21. Martii 1744. *in Bergomenſi*. *ibid.*

428. Utrum in Sabbato Sancto pro collatione ſacrorum ordinum, Epiſcopus in ſuo domeſtico oratorio teneatur Miſſam cum prophetiis ut in Miſſali celebrare? Reſponſum fuit Miſſam collationis ſacrorum ordinum incipiendam eſſe a Prophetils. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomen.* *ibid.*

429. Cum Sabbato Sancto unica tantum in quavis Eccleſia Miſſa cantata admittatur, an Epiſcopus in privata cappella, vel oratorio poſſit ordinationem ſub Miſſa lecta celebrare, & quatenus affirmative, an debeat poſt communionem idem Epiſcopus pro veſperis *Alleluja*, *veſpere autem &c. Laudate Dominum*, *Magnificat &c.* dicere? Reſponſum fuit ad mentem S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria*. *ibid.*

430. An Presbyteri ordinandi ſtatim ab initio, vel ſolum a *ſuſcipe*, *ſancte Pater &c.* debeant inchoare Miſſam cum celebrante, & ordinante Epiſcopo? Reſponſum fuit, teneri ſolum ad *ſuſcipe*, *ſancte Pater*. S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria*. *ibid.*

431. An Presbyteri ordinandi debeant legere Miſſam ſtantes, vel in terram genuflexi? Reſponſum fuit negative ad primam, affirmative ad ſecundum partem. Ead. Congr. in Eod. Decreto. *ibid.*

432. An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Epiſcopus ordinans in Miſſa facit, actiones debeant facere, adeoque an ii Presbyteri debeant cruces manu ſuper oblata peragere, an genuflectere &c. an denique omnia illa, quæ Epiſcopus ſub ſanctificio agit, agere? ſimiliter idem quæritur de Epiſcopo conſecrando? Reſponſum fuit ad primum negative, ad ſecundum, ſervandum eſſe Pontificale Romanum, S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jurinen.* *ibid.*

433. An Presbyteri ordinandi poſtquam ſunt de Corpore D. N. J. C. communicati, debeant de illo calice, quem in ordinatione ſua tetigerunt, ablutionem ſumere? Reſponſum fuit, non eſſe neceſſe. S. R. C. 20. Septemb. 1749. *in Jurinen. in Hungaria*. *ibid.*

CAPUT PRIMUM.

De Feria V. in Cœna Domini.

QUoniam in triduo, quod Dominicam præit Reſurrectionem, Eccleſia recolit Chriſti mortem, & Sepulturam, ejuſque memoriam lugubribus quotannis collachrymatur officiis, abs re non fore putavimus, ſi nos, qui agenda Defunctorum hactenus perſcrutati ſumus, Rituale, quod nunc ponderare ſumimus, ab anniverſariis ejuſmodi auſpicaremur officiis, brevi perſequentes calamo totum triduum ipſum, quod communi vocabulo inſcriptum noſcimus *Triduum mortis Chriſti*. Particulares ritus plurimos in hoc triduo ſervavit olim, & etiamnum ſervat Eccleſia, qui fortaſſe ad Chriſti mortem minus referuntur, ſed non propterea volumus nobis præcludi viam recurrendi ritus quoſcumque, ac cœremonias, quibus in præfato triduo, ſeu in feria V., & VI., & ſubſequenti ſabbato majores hebdomadæ olim incubuit, aut nunc eadem incumbit Eccleſia. Verum ne dicendorum copia confuſionem ingerat, prædictum triduum ſecernendum duximus in tria diſtincta capita, quæ identidem condiemus aliorum interjectione capitum, prout materiei, quam præcedens caput ſubminiſtravit, complementum exigit, ne ad jam dictorum cogamur repetitionem plurimam.

DECRETUM PRIMUM.

An celebratio miſſæ ſolemnis feria V. in Cœna Domini ſit de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, prout jacet, ſed ſpectare ad Parochos. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Jan. 1704.

I. CHriſtus Dominus de hoc mundo diſceſſurus ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, nobis conferens beneficiorum maximum, divini ſui amoris memoriale æternum, dum in ultima cœna inſtituit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in quo nedum apud nos in vero corpore permanet uſque ad conſummationem ſæculi, ſed etiam ſuum ipſum corpus in eſcam, & ſanguinem nobis dedit in potum. Auguſtiſſimum hocce myſterium in cœna feriæ V. majoris hebdomadæ inſtitutum (& inde obvenit nomen *Feriæ V. in Cœna Domini*) Eccleſia haud arbitrata ſuis præterire officiis, hæc veluti diviſit, Chriſti paſſioni, in qua recolenda tunc potiſſimum eſt occupata, divinum concedens officium, SS. Sacramenti inſtitutioni miſſam, quam propterea ſolutis interim doloribus, atque mœſtitiis cum lætitiæ ſignis ſic in uſum ſemper habuit celebrare, ut gaudia ipſa identidem condiat triſtitiæ argumentis, ne Dominicæ paſſionis penitus obliviſci videretur. Hæc eſt cauſa, ob quam in miſſa inſerit, & nonnulla retinet temporis paſſionis propria, cujuſmodi eſt omiſſio pſalmi *Judica* ad confeſſionem, verſiculi *Gloria Patri* ad introitum, & Lavabo, verſiculi *Alleluja* poſt epiſtolam, & Præfatio de Cruce, quam nihilominus in tali miſſa concinit.

II. Miſſæ textum arripimus, & incipit *Nos autem gloriari oportet in cruce*; id autem Eccleſia cantat in perſona publicorum pœnitentium, qui cum hodie reconcilientur, ob pœnitentiam perfecte actam tales profecto ſunt, qui gloriari poſſunt in Chriſti Cruce, quæ eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra. A ſolis Epiſcopis facientibus Chriſma, *Gloria in excelſis* olim dictum fuiſſe, non leve argumentum eſt Cap. *Porro* de conſecr. diſt. 1. cui cohærent ea Lanfranchi verba: *Miſſa feſtive celebretur, Gloria in excelſis minime dicatur, niſi Epiſcopus miſſam celebret, Chriſma faciat*. At inter gaudia tum Angelorum, qui ſuper converſione peccatorum lætantur, ac hominum, qui hodie dignati fuere Sacramentorum maximo, Bonifacius Papa non obſtante Dominicæ paſſionis memoria lætitiam cohibere non valens, ſcite decreviſſe dicitur, quod prædictus hymnus ſolemniter intra miſſam ab unoquoque celebrante concineretur cum campanarum majorum, atque minorum, ac organorum ſtrepitu. Unde Rubrica: *Et tunc pulſantur Campanæ, & deinceps non amplius uſque ad Sabbatum Sanctum*, quæ ita communiter accipitur, ut quidem illico pulſentur campanæ turris, non tamen minores, neque organa intra Eccleſiam, niſi poſtquam celebrans pronunciaverit *Deo*, ne ſonus in eumdem irruat intonantem prælatum hymnum, quem habito longiori ſono Campanæ minoris, & organorum intra Eccleſiam, Chorus proſequetur more ſolito, organorum pulſatione intercalante cantum uſque in finem, ad quem item uſque, & inceſſanter obſtrepunt Campanæ turris.

III. Abſoluto hymno Campanæ non pulſantur amplius, ſed tum ex turris, tum minores intra Eccleſiam una cum organis omnino ſilent uſque ad Sabbatum Sanctum. Quærit Nicolius *in floſc. verb. Campana*, cur in triduo mortis Chriſti non pulſentur Campanæ, quæ pulſari ſolent in Chriſtianorum morte, & inſimul duplicem aſſignat cauſam; tum quia nempe Chriſtus non indiget, ut quis pro ſe oret, quam potiſſimam ob cauſam in fidelium morte pulſari ſolent lugubri ſono; tum ut ſignificetur, Apoſtolos, qui per Campanas deſignatos noſcimus juxta illud, *In omnem terram exivit ſonus eorum*, illo triduo tacuiſſe, & fuiſſe deſerto Chriſto. Quoniam vero Campanæ id etiam habent officii, ut populum ad Eccleſiam convocent, ad hunc effectum ſubſtitutum eſt crotalum, cujus myſteria Rupertus Abbas *lib. 5. div. off. cap. 29.* per hæc nobis deſcribit verba: *Ea hora, qua Chriſtus traditus eſt, recte ſignis Eccleſiæ ſilentium indicimus, chriſtumque ſolum torcular calcantem, ſolum in Ligno Crucis extenſo corpore tympanizantem, teſtimonium veritati humili, ac ſolitaria voce perhibentem ligneo malleolo in tabula ſuſpenſo, & perſonante, populumque ad Eccleſiam invitante ſignificamus*. Crotalum eſt itaque inſtrumentum quoddam ligneum, cujus cum meminerit Cæſarius *lib. 1. cap. 4.*, ſua non caret antiquitatis laude: *Percuſſaque tabula, cum tam Abbas, quam ceteri Fratres ad ejus exequias convolaſſent*. Græci itidem, aliæque Chriſtianæ nationes ſub tyrannide turcica degentes, ſimile inſtrumentum loco Campanæ adhibere coguntur, & diſcimus ex ſeptima ſynodo, quod quando Cæſaream translatæ fuerunt Reliquiæ S. Anaſtaſii Martyris, cum ejuſmodi tabularum pulſatione fideles obviam illis facti ſunt. In hoc tamen triduo ſubſtitutio ejuſmodi, uti dicebamus, ſuis non caret myſteriis; ſit namque, ut intelligamus vocari in humilitate Chriſti, & per Lignum nos ſalvos factos eſſe, & Benedictus XIV. *Annot. tom. 1. par. 1. nu. 171.* in hoc agnoſcit itidem veſtigium quoddam antiqui moris, juxta quem fideles lignorum ſtrepitu ad divina ciebantur officia.

IV. Num inſtrumentum ejuſmodi pulſari dumtaxat debeat ad convocandum ut ſupra populum, an etiam ad Sanctus, elevationem, & proceſſionem SS. Sacramenti, ut alias moris eſt, nunc exurgit dubium, quod negative dirimunt Tonellius *lib. 3. cap. 2. §. 1. 6.*, Hippolytus a Portu, atque Bauldryus, quibus noviſſime acceſſere Memoriale Rituum majoris hebdomadæ §. 3. *nu. 6.*, & Meratus *par. 4. tit. 8. n. 4.*, qui id probare nititur ex Inſtructione Clementina, quæ in miſſis, quæ celebrantur occaſione XL. horarum, tintinabulum pulſari inhibet, nec ſubſtituit inſtrumentum aliud ad advertendum populum. Verum etſi per ſtrepitum prædicti inſtrumenti nos non putemus turbanda eſſe divina officia, ad elevationem tamen SS. Sacramenti cum Clericato *de Sacrif. miſſæ deciſ. 43. nu. 6.* unum, vel alterum leve ſignum dari laudamus ad excitandam circumſtantium attentionem, quorum mentes facile vagantur. Par autem ratio non eſt de caſu Clementinæ, in quo cum jam Sacramentum publice expoſitum, ſupponatur populus actualiter venerari, incongruenter admodum per talem ſonum excitaretur ad venerationem ejuſdem Sacramenti, quod intra miſſam elevatur.

V. De proditione Judæ agit Collecta, Epiſtola de Euchariſtiæ Sacramento, Graduale de Chriſti obedientia uſque ad mor-

tam Crucis, & Evangelium de lotione pedum, quæ cum omnia evenerint hac ipſa die, opus haud eſt, inſiſtamus in oſtendenda eorumdem congruitate. Poſt Evangelium olim dictum non fuiſſe ſymbolum, nos Durandus inſtruit *lib. 6. cap. 75.*, ubi & rationem reddit, quia nempe tunc Apoſtoli titubabant in fide; unde & Davantria in ſuo cæremoniali manuſcripto notavit: *Non dicitur ſymbolum, ita habetur in libro Papæ Gelaſii, ſed nos dicimus ſymbolum propter conſecrationem Chriſmatis*; probabile utique argumentum, quod cœptum fuerit dici a ſolis Epiſcopis facientibus Chriſma. Nunc a quolibet celebrante dicitur ea generali illa regula, de qua Innocentius III. *de myſt. Miſſæ lib. 2. cap. 25.*, dicendi ſymbolum in iis ſolemnitatibus, de quibus fit mentio aliqua in ipſo ſymbolo; ſicuti autem notat Quarti *par. 1. tit. 11.*, non requiritur, quod in eo fiat mentio de myſterio in particulari, ſed ſufficit, quod ſit feſtum Chriſti, de quo principaliter fit mentio in ſymbolo. At cum in Sabbato Sancto, quod item eſt feſtum Chriſti, nihilominus omittatur ſymbolum, nos credere malumus, quod licet memorata regula teneat pro feſtis reliquis, ſecus pro hoc triduo, in quo ob Apoſtolorum titubationem fidei conſuetum fuit omitti, & quod hodie præ Sabbato in miſſam invectum fuerit ob ſolemnitatem maximam, ob quam & *Gloria in excelſis* demandatum fuiſſe diximus.

VI. Succedit offertorium *Dextera Domini*, & hæc antiphona relationem habet ad reconciliationem pœnitentium pro iis locis, in quibus fiebat ante oblationem. Durandus vero *loc. cit.* illud ita applicat, quod ſcilicet debemus a mortalibus, & venialibus abſtergi, mortalium abſterſione expreſſa per illa verba *Dextera Domini fecit virtutem*, & venialium per ſequentia *Dextera Domini exaltavit me*, ut digne poſſimus accipere Corpus Chriſti. Huc certe ſpectat ſenſus myſticus ſuper lotionem pedum, per quam datur intelligi, abſtergendos eſſe pedes humanorum affectuum, per quos terram calcamus, dum in hac vita vivimus, ab omnibus inquinamentis inde contractis, priuſquam ſumatur puriſſimus, & nitidiſſimus Dei Filius.

VII. *Communicantes*, *Hanc igitur*, & *Qui pridie* propria ſunt, ſeu myſteriis hujus diei accommodata, quare ad *Communicantes* additur *Quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro nobis eſt traditus*, cum hac ipſa die reapſe pro nobis traditus fuerit, ut crucifigeretur. Ad *Hanc igitur* interſeritur *Quam tibi offerimus ob diem, in qua D. N. J. C. tradidit diſcipulis ſuis Corporis, & Sanguinis ſui myſteria celebranda*, & hoc reſpicit ad inſtitutionem SS. Sacramenti. Denique ad *Qui pridie* adjungitur *Hoc eſt, hodie*, quia inſtitutio ejuſdem Sacramenti peracta quidem fuit pridie paſſionem ſuam, ſed hæc ipſa dies fuit, quæ ſuam præceſſit paſſionem.

VIII. *Agnus Dei dicitur de more, ſed pax non datur*, ſunt Rubricæ verba, ex quibus inſurgit dubium, num in tertio *Agnus Dei* dici debeat *Dona nobis pacem*, aut *miſerere nobis*? Nonnulla officia parva majoris hebdomadæ dicendum notant *miſerere nobis*, utique tamen perperam Gavanto interprete *par. 4. tit. 8. n. 4.*; ea enim verba *De more* quid unquam ſignificare valent, niſi *Agnus Dei* dicendum eſſe, ut moris eſt in diebus reliquis, etſi pax non detur, adeoque cum *Dona nobis pacem*, & non *miſerere nobis*? Equidem *Agnus Dei* adjectio nova eſt, a Sergio I. facta, qui ſedit anno 688., & hæc eſt cauſa, ob quam in Sabbato Sancto omittitur, ut dicemus infra. Ita autem facta fuit, ut ad quemlibet *Agnus Dei* diceretur *miſerere nobis*, licet poſtmodum, ut notat Benedictus XIV. *Annot. tom. 1. num. 407.*, in tertio *Agnus Dei* ſubſtitutum fuerit *Dona nobis pacem*, vel ad tollendum ſchiſma, vel ad implorandum divinum auxilium contra ſeditiones, & bella, ſicuti teſtantur Innocentius III. *de myſt. miſſæ lib. 6. cap. 6.*, & Cardinalis Bona *Rer. liturg. lib. 2. cap. 16. nu. 5.* At cum Rubrica Miſſalis in hac die *Agnus Dei* dici mandet, & abſoluta mandet, nec prima conſuetudo ſervari poteſt, nec ſubſequens inſtitutio Sergiana, ſed tertius *Agnus Dei* dici debet, qualiter in ipſo miſſali invenitur deſcriptus, videlicet cum *Dona nobis pacem*.

IX. In deteſtationem oſculi Judæ pacem hodie non dari, concordes aſſerunt Auctores, *ſed non propterea*, habet Rubrica, *omittuntur tres conſueta orationes ante communionem*, & ſic ne quidem prima, in qua adprecatur pax Eccleſiæ. Subſequitur communio Cleri, de qua infra reſervamus agere, quare nobis non ſupereſt, niſi celebrantem monere, quod miſſæ reliquum proſequi debet cum genuflexionibus, ritibus, & cæremoniis, quales nos deſcribimus, ubi de miſſa coram SS. Sacramento.

X. Hora eſt, perſcrutemur Decretum, quod dum definit, *celebrationem miſſæ ſolemnis feria V. in Cœna Domini non eſſe de juribus mere parochialibus, ſed ſpectare ad Parochos*, diſcrimen conſtituit jura parochialia inter & functiones parochiales, atque alias functiones pure Eccleſiaſticas. Prima ut plurimum reſpiciunt, vel adnexa habent emolumenta quædam, ſeu utilitates, & privative Parochis competunt, ut baptizare, matrimoniis aſſiſtere, levare cadavera, &c. Secunda functiones quædam ſunt Eccleſiaſticæ, quæ cum ad officium Parochi minime ſpectent, parochiales reapſe non ſunt, & nonniſi parochiales dicuntur, quatenus tamquam præeminentiæ, & prærogativæ Parochis reſervantur. Tertia denique ſunt, quæ a quocumque indiſcriminatim Sacerdote peragi poſſunt, cujuſmodi ſunt benedictionis Aquæ Luſtralis, &c. Quæ autem ſecundo modo tamquam prærogativæ Parochis reſervantur, in duplici ſecerni debent claſſe, ita ut quædam ita iiſdem ſint reſervata, ut a nullo alio fieri poſſint, & in hoc ſenſu celebratio prædictæ miſſæ ſolemnis non decernitur *ſpectare ad Parochos*, cum haberi valeat ab Eccleſiis Regularibus, & ſæcularibus, etiam intra Parochiæ limites conſtitutis, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum, ut magis dicamus in ſequenti Decreto. Alia vero ſunt, quæ iiſdem reſervantur tantum relate ad aliquos, & ſub hac ratione miſſa ſolemnis feriæ V. in Cœna Domini ſpectat ad Parochos, non quidem abſolute, & ſimpliciter, ſe ſolum relate ad oratoria, & Confraternitates, ita ut ab harum Rectore, vel Cappellano nullatenus haberi valeat. Decretum namque editum eſt *ad debitum imponendum finem controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates ſæculares, earumque Cappellanos, & officiales ſuper juribus parochialibus, & functionibus eccleſiaſticis, nonnulliſque præeminentiis, ſeu prærogativis frequenter exoriri ſolent*, ut diſerte cavrat ejuſdem proœmium.

DECRETUM SECUNDUM.

Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulcro. Sac. Rit. Congr. 14. Junii 1659. *in Neapolitana*.

I. SErmo eſt de miſſa ſolemni, in qua cum de Rubricæ mandato duæ hoſtiæ conſecrari debeant, quarum unam Sacerdos ſumit, reſervat alteram (una cum aliquibus particulis, ſi opus fuerit, pro infirmis) pro die ſequenti, in quo non conficitur Sacramentum, utique haberi nequit illa in Eccleſiis, quibus jus non eſt aſſervandi SS. Sacramentum. Proculdubio ſeronymos eſt aſſervatio Sacramenti in Sepulcro, quæ item de Rubricæ mandato ad eamdem miſſam ſubſequitur, & ex ipſo nomine ſupponit in Eccleſia facultatem retinendi SS. Euchariſtiam. Hinc ab oppoſito facile eruitur, quod Eccleſiæ, quæ ex legitima conſuetudine, aut privilegio SS. Sacramentum aſſolent aſſervare, hujus etiam licet aſſervatio in ſepulcro, & celebratio præfatæ miſſæ. At quid, ſi fuerint Eccleſiæ Confraternitatum, aliæque ſimiles; quas prædicto jure præcedens expoliat ſanctio? Adhuc ut ſupra poterunt, Decretum namque diſponit in ſuppoſitione, quod in iiſdem non aſſervetur SS. Sacramentum, ut regulariter uſuvenit.

II. Idem eſto judicium de Eccleſiis, in quibus etſi Euchariſtia non aſſervetur aſſidue, habentur tamen id juris pro illo triduo a longæva conſuetudine ſibi factum, aut per rationabilem Epiſcoporum diſpenſationem; præſens enim Decretum conſuetudinem minime reprobat, nec Epiſcopis diſpenſandi adimit facultatem, quatenus id crediderint expedire. De Collegiatis, aliiſque reſidentialibus Eccleſiis, quibus quotidianus uſus eſt chori, nec tamen aſſervant SS. Sacramentum, dubium ſupereſt, quod nos affirmativa dirimimus, ea ducti ratione, quia præfatæ functiones portio quædam ſunt divinæ pſalmodiæ, & eccleſiaſticorum officiorum, quibus eædem vacant quotidie; quare Sacramentum aſſervare poterunt pro toto illo tempore, quo juxta miſſalis Rubricas aſſervandum eſt ad peragendas functiones prædictas, ad quas tamen cum minime neceſſariæ ſint ſacræ particulæ, quas pro infirmis Rubricæ reſervandas indicunt, idcirco ab earumdem reſervatione abſtinebunt.

DECRETUM TERTIUM.

Omnes de Clero, etiam Canonici, Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 27. Sept. 1608. *in Civitatem*.

I. HIeronymus *Epiſt. 150. ad Helvidiam quæſt. 12.* in ultima cœna ſic nobis Chriſtum deſcribit: *Ipſe conviva, & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur?* Chriſtus enim poſt eſum Agni, & communem cœnam, panem, & vinum in ſuum conſecravit corpus, & ſanguinem, prior omnium ſumpſit, & dein convivis diſpenſavit Apoſtolis. Chriſti opera cum ſint Eccleſiæ documenta, ab hujus uſque primordiis inſtituta fuit, ſumma religione poſtmodum retenta, & ad nos uſque traducta conſuetudo ſacrificandi quotannis in prædicta feria, & ſumendi Euchariſtiam de manu celebrantis. Qui exemplo Chriſti credidere plene inſiſtendum, Apoſtolorum inſtar, quos D. P. Auguſtinus teſte Epiſt. 118. ad Janu. cap. 6. *liquido apparet, quando primo acceperunt Corpus, & Sanguinem Domini, non accepiſſe jejunos*, id præſtiterunt cœnati, quos inter fuere Corinthii, quos Paulus 1. *Cor.* 11. ſevere redarguit, crederem, non tam quia id poſt cœnam facerent, quam quod in tali occaſione non raro acciderent fidelium ſciſſuræ, contentiones, & ſcandala, unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumebat, & portabat ad manducandum, abſque eo quod divites pauperibus partem facerent, unde cum ſummo ſcandalo eſuriebant inopes, dum non ſemel inebriabantur, & crapulabantur divites, quod, ut cetera taceam, in non modicum cedebat contemptum Eccleſiæ, non tantum materialis, in quam conveniebant, ſed etiam formalis, quam confundebant.

II. Lex propterea in Eccleſiam rite devenit, ut hoc Sacramentum nonniſi a Sacerdotibus & fidelibus naturali abſtinentia jejunis celebraretur, & reciperetur; & quidem adhuc ubi pro ſecuriori fidelium acceſſu ob perſecutionum ſævitiem, aliaſve ob cauſas fiebat de nocte. Auguſtinus *loc. cit.* & de univerſali ejuſmodi uſu teſtatur, & valde congruam producit rationem: *Namquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa eccleſia, quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Cum

tamen

Digitized by Google

tamen omnes non adeo prandium differre valerent, in Africa duas hodie celebratas fuiſſe miſſas, idem Auguſtinus aſſerit, *mane propter prandentes, ad veſperam propter jejunantes*.

III. A conſuetudine ejuſmodi receſſere quidam Ægyptii, qui apud Sozomenum *lib. 7. hiſt. Eccl. cap.* 19. die Sabbati ſub veſperam convenientes, jam pranſi ſacra myſteria faciebant. Auguſtinus ipſe *loc. cit. cap. 7.* nonnullorum meminit, qui licet aliis diebus communicarent jejuni, hodie tamen id præſtabant cœnati in commemorationem Cœnæ Domini, cujus anniverſarium recolebant, quod & in Gallis factum fuiſſe, Concilium Matiſconenſe II. *Can. 9.* dubitare non ſinit: *Sacramenta altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur*. Abuſum hunc ab Eccleſia ſemper fuiſſe reprobatum, quos congerunt Cardinales Bona *lib. 1. rer. liturg. cap.* 21., Brancatius *de ſacro viatico*, Lauræa *in epitome Canonum verb. Euchariſtia*, & Lugus *de SS. Euch. diſp.* 15. *num.* 22. diſerte comprobant Conciliorum canones, quibus tandem univerſi acquievere fideles.

IV. Cum Clero communicabat olim & populus, unde in Sacramentario S. Gregorii: *& communicabat omnis populus ordine ſuo*. Quem ordinem ita deſcribit Ordo Romanus de Cœna Domini: *Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primo, poſtea Diaconi, & ceteri omnes, & ita perficiatur*. Non quia nunc repellantur laici, ſed horum magis refrigeſcente charitate, communio hodierna, ſaltem inter miſſarum ſolemnia, ſolius cleri facta eſt propria, & cleri non univerſim, ſed Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conventualium, quem reapſe & præſens, & recentiora quæque Decreta ita alloquuntur, ut ejuſdem neminem, licet Sacerdotem, Canonicum vel Dignitatem, a communionis onere velint immunem: *Deinde antequam ſe purificet* (ſic habet Cœrem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 23. de Epiſcopo) *communicet primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui ſtolam a collo pendentem ſuper cottam habere debent, & denique omnes de clero*. Fallit dumtaxat in caſu occurrentis feſti de præcepto, in quo cum facienda ſit congruens proviſio miſſarum privatarum pro commoda adimpletione præcepti auditionis miſſæ, communio quidem cleri in miſſa ſervari debet, ſed juxta late tradita in tom. 1. part. 2. cap. 13. Decr. 9. & 10.

V. Benedictus XIV. *tom. 2. notif.* 18. ex can. *In Cœna Domini* de conſecr. diſt. 2. præceptum prædictæ communionis antiquitus rigoroſum fuiſſe probat, & commune etiam populo, nunc neque clerum Cathedralium, & Collegiatarum in particulari ſub gravi ad communionem Auctores obligant, exponentes Decreta, quæ iiſdem communionem injungunt, de debito decentiæ, & honeſtatis. Non ſic eſt de communione in communi, cujus obligatio, ſi rationabilis deſit omittendi cauſa, ita Cathedrales, Collegiatas, & Conventuales afficit Eccleſias, ut ſi prætermittatur, gravioris quidem culpæ reus fiat Prælatus, cui ſpecialiter commiſſa eſt cura communitatis, ſed non propterea a gravi culpa reliqui excuſantur de clero, ad quorum ſingulos, utpote communitatem conſtituentes, deficiente cura Prælati, devolvuntur obligationes, quæ communitati collective inſunt. Sane Decreta, quæ in occurrentia feſti de præcepto ſuper miſſis privatis indulgent, conſuetudinem nihilominus prædictæ communionis *nullatenus, & nullo modo* prætermittendam eſſe mandant; dictiones autem iſtæ juxta communem Canoniſtarum expoſitionem dicunt canonem latæ ſententiæ, & excludunt caſum quemlibet, & diſpenſationem, niſi forte ſtante morali impoſſibilitate, vel inſtante alio urgentiori præcepto, aut interveniente rationabili cauſa, qualem laudato loco evenire diximus, dum facta proviſione miſſarum privatarum in occurſu feſti de præcepto, ex clero non ſupereſt, qui ea die communicet. Videantur ibidem tradita.

DECRETUM QUARTUM.

Feria V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſeipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis, & Clericis, nunquam vero debet illam miniſtrare Diaconus, vel unus ex Aſſiſtentibus. S. R. C. 8. Aug. 1643. *in Majoricana*.

I. QUæ in præcedenti Decreto dedimus, ea ſufficit Cœremonialis verba recolere: *Deinde antequam ſe purificet* (ſcilicet Epiſcopus) *communicat primum Diaconum, & ſubdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, & denique omnes de clero*. Cauſam expoſcis? Libens obſequor. Id demandatur in memoriam Chriſti, qui in ultima cœna poſt conſecrationem Euchariſtiam prior omnium ſumpſit, & deinde per ſeipſum miniſtravit Apoſtolis. Idipſum conſequenter præſtet, quicumque hac die celebrat, qui ut ſcite monet Bauldryus, quantum fieri poteſt, debet eſſe ſuperior loci.

II. Communionis ritum nunc examinare ſumimus. Hodie Sacerdos conſecrat duas hoſtias, quarum unam ipſe ſumit, reſervat alteram pro die ſequenti. Conſecrat itidem particulas in tali copia, quæ inſervire comode valeant pro communicandorum numero, & quarum aliquæ reſervari poſſint, ſi opus fuerit, pro infirmis. Dicto *Agnus Dei* Diaconus mox tranſit ad librum, & ſubdiaconus ad dexteram Celebrantis, cui inſervit pro cooperiendo, & detegendo calice, quando opus eſt; in hac enim miſſa non datur pax, ut propterea Diaconus expectare debeat pro ea recipienda. Hauſto a Sacerdote Chriſti Sanguine, cujus nihil reſervat pro die ſequenti ob periculum effuſionis, ſubdiaconus palla tegit calicem, cum purificatio differenda ſit poſt communionem cleri, illumque collocat verſus cornu Evangelii ſuper, non extra, corporale propter ſpecies vini conſecrati, adhuc in ejus fundo reliquas. Tum Diaconus accedit ad dexteram celebrantis, & ſubdiaconus juxta Gavantum *part. 4. tit.* 8. pergit ad credentiam, ex qua ſine velo oblongo ad altare defert alium calicem, veſtitum patena, palla, & ſuo parvo velo coloris albi. Meratus vero *ibidem nu.* 5. ex Cœremoniali Epiſc. *lib. 2. cap.* 23., & Memoriali Rituum majoris hebdomadæ *cap.* 2. §. 5. *nu.* 3. delationem calicis facit muneris Cœremoniarii, vel alicujus Cappellani, quare nonniſi in horum defectu id præſtabit ſubdiaconus, ſed tranſibit illico ad ſiniſtram celebrantis, ſemper autem cum debitis genuflexionibus unico genu in acceſſu, & receſſu.

III. Delato ut ſupra calice, & ſuper altare depoſito, Diaconus eum accipit, diſcooperit, & ab eo pallam, & patenam aufert, quo facto celebrans cum ſacris miniſtris genuflectit unico genu, & ſtatim ſurgit, ac mox idem celebrans alteram hoſtiam conſecratam reverenter reponit manu dextera, in eodem calice, quem Diaconus ſuſtinet ante ipſum, & poſtea eum collocat ſuper altare in medio corporalis. Tum celebrans iterum genuflectit, & ſtatim ſurgit cum miniſtris ſacris, & Diaconus accedens omnino medium, facit genuflexionem, calicem prius palla cooperit, deinde patena, ſed inverſa, deſuper expandit velum parvum album ſericum, & non hoc nunc vitta ligat, aut firmat Calici, quem illico in medio altaris collocat ſuper corporale prope ſecretarum tabellam, & poſtea accipit pyxidem cum particulis conſecratis, & ponit eam in medio altaris ſuper corporale ante eumdem calicem, eamque detegit cum genuflexione ante, & poſt, & dum hæc fiunt a Diacono, Celebrans, & ſubdiaconus manent genuflexi in cornu evangelii, & interim a choro cantatur *communio*.

IV. Aperta ut ſupra pyxide, & facta genuflexione, Diaconus deſcendit in planum per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ, & celebrans cum ſubdiacono vadit ad altare, ubi facta genuflexione in medio, retrahit ſe celebrans aliquantulum ad cornu Evangelii, verſa facie quaſi ad cornu epiſtolæ, & poſt eum ſimili modo ſtat ſubdiaconus. Tunc, & non prius Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans profunde inclinatus verſus celebrantem, manibus junctis dicit alta voce, vel in cantu *Confiteor*. Terminata confeſſione celebrans adhuc ibi ſtans, dat de more communicaturis abſolutionem, dicens voce intelligibili *Miſereatur &c.*, faciens ſupra populum ſignum crucis, ut moris eſt, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen*. Quo facto Diaconus genuflectit, & mox aſcendit ad ſecundum altaris gradum ex parte Epiſtolæ, ubi genuflexus in ſuppedaneo una cum ſubdiacono, qui pariter facta genuflexione deſcendit ad ſecundum altaris gradum ex parte evangelii, & genuflectit in ſuppedaneo, communionem expectat. Interim duo acolythi extendunt linteum, quod genuflexi ſuſtinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos, quouſque completa fuerit ſacra communio.

V. Celebrans ut ſupra data abſolutione, convertit ſe ad altaris medium, ibi genuflectit unico genu, deinde accipit pyxidem, & converſus ad communicandos dicit: *Ecce agnus Dei &c.* Comunicat primo Diaconum, poſtea ſubdiaconum, alioſque miniſtros paratos, deinde Sacerdotes reliquos & clericos de eccleſia, & hos omnes ad altare ut ſupra genuflexos, præmiſſis debitis reverentiis in acceſſu, & receſſu. Diaconus, & ſubdiaconus ſumpta communione ſe purificant in calice continente vinum, ſuper credentiam præparato, & per manum ſacriſtæ, vel Cœremoniarii, aut alterius ſibi porrecto una cum mappula ad os tergendum. Ut ſe purificatum, Cœremoniale Epiſc. eoſdem tranſire facit ad latera celebrantis, ad cujus dexteram ſtat Diaconus cum particulis conſecratis, & ad ſiniſtram ſubdiaconus cum patena de ipſo calice ſublata, quam ſupponit mento communicantium; Hæc tamen præſtantur, quando Epiſcopus celebrat, & communicat, ad cujus majeſtatem fiunt, ut rite ait Macer verb. *Patena*, & ſentit Gavantus *par. 2. tit. 10. lit. C*, quem perperam Meratus deſerit *num.* 54., miror namque non viderit, quod Rubricæ miſſalis *tit.* 10. *num.* 9. Diaconum communicantibus purificationem miniſtrare jubeat. Subdiaconus itaque ſumpta purificatione, quando non celebrat Epiſcopus, ſiſtet ſe ad ſiniſtram celebrantis manibus junctis, nec patenam ſupponet communicantium mento, & Diaconus in cornu Epiſtolæ purificationem cum calice miniſtrabit Sacerdotibus, mantile ſuppeditante aliquo acolytho, clericis vero purificationem cum mantili miniſtrabit aliquis acolythus in vaſe altero, ſicuti, & laicis ad altaris cancellos, ad quos deſcendit celebrans ad eos communicandos, & interim diaconus inſervit celebranti ad ejus dexteram junctis manibus, & pyxidem non tenebit. Ex clero a Communione prius non ſurget unus, quam communicaverit & alter, & ambo ſimul diſcedent per latus ſiniſtrum Celebrantis ad cornu Epiſtolæ, ubi ut ſupra accipiunt purificationem.

VI. Expleta communione Sacerdos ad altare reportat pyxidem, & ſine genuflexione eam collocat ſuper corporale, & mox una cum ſubdiacono facta genuflexione unico genu pergit ad ſecundum altaris gradum parumper ex parte Evangelii, & ibi manent genuflexi in ſuppedaneo, dum interim Diaconus pyxidem obſerat in tabernaculo, & calicem, in quo eſt SS. Sacramentum, collocat in altaris medio ſuper corporale. Mox aſcendit Sacerdos ad altaris medium, genuflectit unico genu

cum ſacris miniſtris, accipit miſſæ calicem, quem porrigit ſubdiacono pro accipienda purificatione, & reliquum totum miſſæ peragit ritu, qui ſervatur in miſſa, quæ celebratur coram SS. Sacramento.

DECRETUM QUINTUM.

Sacerdotes in die Cœnæ Domini, SS. Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre ſtolam, vel ante pectus, vel a collo pendentem. S. R. C. 30. Septem. 1679. *in una Cappuccinor.*

I. PRainde *modis omnibus convenit* (ſunt verba Concilii Bracharenſis III. cap. 3., & habentur in cap. *Eccleſiaſtica* diſtinct. 23.) *ut quod quiſque percepit in conſecratione honoris, hoc retineat & in oblatione, vel perceptione ſuæ ſalutis, ſcilicet ut cum Sacerdos ad ſolemnia miſſarum accedit, aut per ſe Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quam orario, utroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjacent.* Conveniunt itidem Cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23., & Rituale Romanum *tit. de ord. miniſtr. Sacr.* Commun. in imponenda Sacerdotibus communicaturis delatione ſtolæ, habet quippe primum: *& alios Sacerdotes, qui ſtolam a collo pendentem habere debent*; ſecundum autem: *Sacerdotes vero cum ſtola communicent*. Ex Auctoribus denique non reperies, qui ſecus ſentiant, licet minus conveniant in plectendis contrafacientibus.

II. Quod Rubricæ vim legis habeant & excommunicatio non feratur, ubi non eſt peccatum mortale, ſunt, qui culpæ lethalis damnant Sacerdotes ſine ſtola communicantes. Rigidior, quam par ſit, videtur aliis opinio ejuſmodi, quæ propterea communiter rejicitur, ita ut Sacerdos cum ſtola quidem communicare debeat, ſed qui ſecus ageret ex rationabili cauſa, puta ex oblivione, aut defectu ſtolæ, vel difficultate eam habendi nullius culpæ plectendus ſit, certe vero non gravis, qualibet de cauſa, dummodo contemptus abſit, eamdem negligat. Ad Bracharenſe reponit Macer verb. *ſtola*, canonem illum univerſam non obligare Eccleſiam, utpote qui conditus fuit a ſolis octo Epiſcopis abſque Papæ licentia congregatis; Azorius autem *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 12. quoad culpam, & pœnam non fuiſſe receptum, aut per contrariam conſuetudinem eſſe abrogatum; Cœremoniale denique, & Rituale non obligare ſub mortali, quia eorumdem diſpoſitio eſt de re parva, cum non agatur de Sacerdote Sacrificante, aut munus ſuum ſolemniter exercente, ſed communicante inſtar laici de manu alterius. Quæ tamen nos ita dicta eſſe volumus, ut procedant de Sacerdotibus privatim, & extra functiones ſolemnes communicantibus, ſecus de communicantibus in functionibus ſolemnibus, & in communionibus generalibus, quæ ſunt de coæva Eccleſiæ diſciplina, ſemperque cuſtodita conſuetudine, & de Rubricarum mandato, cujuſmodi indubie eſt communio cleri in miſſa feriæ V. Cœnæ Domini, cujus præceptum non tamen clerum afficit, quam ipſam communitatem, cujus tranſgreſſiones non tam facile excuſari debent.

III. Ex verbo *Poſſunt*, quo præſens Decretum utitur, liberam Sacerdoti nonnulli faciunt ſtolæ delationem; quam tamen perperam, textus aperte indicat, dum ab eo facta libertas non ſiſtit in delatione ſtolæ, ſed in modo deferendi illam, ſcilicet vel ante pectus in modum crucis, ut vult Corſettus, vel a collo pendentem, ſicuti communis praxis approbat. Si quæras, cuinam ex hiſce modis potior ſit deferenda ratio? Cœremonialis Epiſc. juvat verba repetere: *& alios Sacerdotes, qui ſtolam a collo pendentem ſupra cottam habere debent*. Ultra itaque Sacerdotalem habitum cottam Sacerdotes induunt, & ſuper Cottam ſtolam, quæ a collo pendeat; cum enim Clerus in cotta careat cingulo, medio quo in modum crucis ſtolam aptet, utique nec aliter in tali circumſtantia ab eo deferri valet.

IV. Verum ſi juxta Cœremoniale ſtola e collo pendere debet, quomodo præſens Decretum pro libertate pronuntiat? Facilis eſt reſponſio. Cœremoniale Epiſc. de clero ſæculari diſponit, cui propterea ultra ſtolam attribuit cottam, quo in habitu, ut dicebamus, ſtola in modum crucis aptari nequit; Decretum vero proceſſit *in una Cappuccinorum*, qui ſupra ſuum jam ſacrum habitum cottam non induunt, nec carent fune habitus, per quem ſtolam accomodent in modum crucis. Ac de Cappuccinis, idem judicium facito de reliquis Regularibus, qui ex habitu habent cingulum, quo ut ſupra ſtolam accommodent. Abs re non eſt ſtatutum in Regula S. Benedicti *cap.* 38. *nu.* 4., ubi ſacerdotibus communicaturis præcipitur quidem delatio ſtolæ, non modus illam deferendi, neque cottæ indumentum, quod ſaltem indicere non omiſiſſet, quoties ſuper habitum apponi debuiſſet: *Cum autem Sacerdotes, qui propter infirmitatem, aut in die Dominica Cœnæ, aut ex aliqua cauſa non celebrant, communicare contigerit, juxta Decretum Sanctorum Patrum ſtolam ſemper ſuper humeros habeant.*

V. Statum ejuſmodi, dum *diem Dominicæ Cœnæ* minime præterit, certe comprehendit communiones ſolemnes, uti & minus ſolemnes, ac privatas, dum ſubdit caſus reliquos, in quibus cum ob infirmitatem, aut ex aliqua cauſa non celebrant, Sacerdotes communicant; quare ſicuti Sacerdotes Regulares in quibuſcumque communionibus, etiam ſolemnibus, abſolvimus ab indumento cottæ, ita eoſdem oneramus delatione ſtolæ, quæ quidem ut ſupra utroque modo pro libito adaptari poterit, licet nos magis laudemus eamdem e collo pendentem deferri, quo pacto in quibuslibet communionibus etiam deferri debet a clero ſæculari. An autem hic etiam cottam ſemper induat, neceſſe ſit, dubium non eſt de communionibus ſolemnibus, quibus ut minimum adaptanda eſt lex Cœremonialis Epiſcoporum, ſecus tamen fortaſſe eſt de communionibus privatis, quibus convenire videtur memorata lex Ritualis, quod ſolius ſtolæ meminit: *Sacerdotes vero cum ſtola communicent*.

VI. Notatu dignum apparet, quod documenta quæque, per quæ communicantibus delatio ſtolæ præcipitur, diſerte adeo de ſolis Sacerdotibus loquuntur, ut non leve inde deducatur argumentum pro Diaconorum deobligatione ad communicandum cum ſtola tranſverſa, quidquid nonnulli ſcripſerint. Sane laudatum Cœremoniale dum Sacerdotibus impoſito onere communicandi cum ſtola, *& alios Sacerdotes, qui ſtolam a collo pendentem ſupra Cottam habere debent*, indiſcriminatim ſubdit: *& denique omnes de Clero*, Diaconos quos probe noſcit, reliquis de clero, qui ſine ſtola communicant, aggregare videtur. Sacerdotalis dignitas adeo ſuperemince diaconalem, ut per hoc quod illa ſignificari debeat per ſtolam, quæ eſt ſignum auctoritatis ejuſdem ſuper verum Chriſti Corpus conficiendum, & miniſtrandum, inepte admodum quid ſimile infereretur in favorem diaconalis, quæ nullam auctoritatem habet ad conficiendum Chriſti corpus, ſed dumtaxat ad hoc miniſtrandum, in caſu tamen ſolius neceſſitatis, & ex commiſſione Sacerdotis.

VII. De colore ſtolæ modo ſuccedit dicere, & cum Rituale a Sacerdotibus in ſtola coloris officio currenti convenientis Eucharistiam miniſtrari mandet, quidni idipſum erit de Sacerdotibus ad Sacram Synaxim accedentibus? Quod ſi communio fiat intra miſſam, & hæc in colore ab officio diſcordet, ad uniformitatem congruum erit, colorem miſſæ proſequi, niſi miſſa eſſet de Requiem, quo in caſu in uſu erit color officii. Manifeſte namque allucinatur Baruffaldus, dum *tit.* 24. *num.* 64. contendit ſtolam ſemper eſſe debere coloris albi, ut conformetur colori adhiberi præſcripto in adminiſtratione Euchariſtiæ, quaſi hic determinate albus eſſe deberet, & non ille, qui officio congruit, ut diſertis verbis præcipit Rituale Romanum.

DECRETUM SEXTUM.

Proceſſio SS. Sacramenti, quæ in Feria V. majoris hebdomadæ fit ad ſepulcrum, & a ſepulcro ad altare Feria VI. non debet fieri extra Eccleſiam. Congr. Epiſ. & Reg. 6. Aug. 1591.

I. FInita miſſa ad locum ſepulcri ordinatur proceſſio, cujus ritus cum fere coincidat cum eo, qui ſervatur in proceſſione SS. Sacramenti, de quo alias, nunc brevi deſcribetur calamo. Expleta itaque miſſa celebrans cum ſacris miniſtris genuflectit unico genu ſine ulla capitis inclinatione ad altaris medium, deinde unus poſt alium præcedente ſubdiacono, & ſequente Diacono per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi retro altare, vel ad credentiam depoſitis planeta, & manipulo (& hunc deponunt etiam miniſtri ſacri) celebrans induit pluviale album. Juxta Inſtructionem Clementinam pro caſu fere ſimili ad credentiam perſiſtens, imponit illico incenſum in duo thuribula, & poſtea, ut ſtatim dicemus, pergit ad altaris medium; ſed quoniam ſpecialis Rubrica prædictam incenſi impoſitionem reſervat fieri ante altare, *ſtans ante altare imponit incenſum in duobus thuribulis abſque benedictione*, idcirco videtur ſatius, quod omiſſa præfata impoſitione mox incedat celebrans per planum manibus junctis, & nudo capite, medius inter ſacros miniſtros tenentes hinc inde de more pluvialis fimbrias, & accedat ad medium altaris, ubi omnes utroque genu procumbunt in plana terra, & profunde ſe inclinant, poſtea ſurgunt, & genuflectunt ſuper infimum altaris gradum, & ibi parumper orant.

II. Interim cum debitis genuflexionibus accedunt duo thuriferarii, & celebrans ſurgit cum miniſtris ſacris, & nulla genuflexione facta Sanctiſſimo Sacramento, ſtans miniſtrante Diacono ſine oſculis, imponit incenſum abſque benedictione in thuribulo primi thuriferarii, qui paululum recedit, cedens locum ſecundo thuriferario, in cujus thuribulo thus pariter imponit celebrans ex priori navicula, quam propterea Diaconus apud ſe retinet. Hoc facto ſecundus thuriferarius facta genuflexione accedit ad cornu Evangelii, ibique genuflexus in plano manet uſque ad proceſſionis initium. Tum primus thuriferarius genuflexionem faciens accedit ad Diaconum, a quo recipit ſuam naviculam, & eidem porrigit thuribulum, quod a Diacono traditur celebranti, qui genuflexus cum ſacris miniſtris ſuſtinentibus pluvialis fimbrias, præmiſſa profunda inclinatione ter incenſat Sacramentum, & repetita reverentia reddit thuribulum Diacono, & hic primo thuriferario, qui ſurgens, genuflexione facta pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi manet genuflexus e regione alterius thuriferarii, utroque interim abſtinente ab incenſatione Sacramenti. Quod ſi ad credentiam ſervatum fuerit præſcriptum Clementinæ per impoſitionem thuris in thuribula, tunc omnes ut ſupra ſe collocant, & per brevem orationem abſque alia incenſi impoſitione ter ut ſupra incenſat celebrans cum thuribulo primi thuriferarii.

III. Quæ dum aguntur, in altari ſepulcri accenduntur lumina, & explicatur corporale in medio ejuſdem, in choro diſtribuuntur clero, & accenduntur candelæ ceræ albæ, & paratur alter ſubdiaconus, qui in hac proceſſione deferre debet crucem. Accenduntur itidem intorticia pro proceſſione, & mox prædictus ſubdiaconus crucem accipit, & medius inter duos

ceroſe-

Digitized by Google

ceroferarios cum candelabris ardentibus, ſe conſtituit in plano ante altaris medium, ibique ſtat facie verſa ad altare ipſum, nec genuflexionem ullam, vel reverentiam faciunt, ſuccedunt portantes funalia hinc inde, qui una cum portioribus baldachini ſe conſtituunt ante presbyterii fores. Mox inchoatur proceſſio, ſe vertentibus erga Eccleſiam cruciferario, & ceroferariis nulla genuflexione, vel inclinatione præmiſſa, quos bini, & bini ſequuntur alii de clero cum candelis accenſis, flectentes unicum genu, ut citius ſurgant, dum tranſeunt ante SS. Sacramentum; ſuo autem tempore ſuccedunt portantes funeralia hinc inde.

IV. Dum fit proceſſio, Diaconus imponit celebrantis humeris velum oblongum coloris albi, quod firmat acicnlis, vel vittis ſericis, & quando proceſſio ita progreſſa eſt, ut eamdem Sacerdos quaſi ingredi debeat, celebrans, & miniſtri ſacri ſe erigunt, & altare aſcendentes, idem celebrans, & ſubdiaconus genuflectunt in ſuppedaneo, Diaconus vero pergit uſque ad altare ipſum, in cujus medio genuflexione præmiſſa unico genu ſine capitis inclinatione, ad cautelam juxta Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *c.* 2. §. 9. *n.* 5. firmat velum calicis vitta ſerica albi coloris, tunc ambabus manibus accipiens ipſum calicem, hujus ſcilicet pedem cum ſiniſtra, & nodum cum dextera, ac vertens ſe per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu per eam partem, quæ reſpexit cornu Evangelii, ſe convertit ad celebrantem, & ſtans tradit calicem eidem celebranti ut ſupra genuflexo, qui ſiniſtra manu velo ſubmiſſa accipit calicem per nodum, & ponit dexteram ſupra calicem, ſuper quam Diaconus extendit ambas extremitates veli humeralis, & mox in eodem loco genuflectit unico genu, Sacramentum adorans, & illico ſurgit, & accedit ad dexteram celebrantis, ubi ſine genuflexione, mox accipit, & elevat partem anteriorem pluvialis, ſubdiacono accipiente & elevante alteram, qui continuo ſe erigit cum celebrante, qui cum ſacris miniſtris aſcendit ſuppedaneum, ubi ex parte Epiſtolæ cum Sacramento vertit ſe ad populum, & cum eo ita ſe vertunt miniſtri ſacri, ut numquam reſpective relinquant dexteram, vel ſiniſtram celebrantis.

V. Statim ac celebrans converſus eſt ad populum, cantores intonant hymnum *Pange Lingua*, & Sacerdos præcedentibus duobus acolythis cum thuribulis effumantibus, alternatim ductis, comitatus a ſacris miniſtris ſuſtinentibus ut ſupra pluvialis fimbrias, diſcedit ab altari, & ſupponit ſe baldachino. Deſcendit autem ab altari ſub umbella, vel ſaltem baldachinum mediis haſtis exporrigitur uſque ad altare, ubi presbyterium non eſt valde ſpatioſum, ne Sacramentum ſine honoris tegmine per tale ſpatium deferatur. Quando autem celebrans in altari cum Sacramento vertit ſe ad populum, clerus per proceſſionem genuflexus manet verſa facie ad altare, & ut per cantores intonatur ut ſupra hymnus ſtatim ſurgit, & præmiſſa genuflexione unico genu, graviter progrediens proſequitur prædictum hymnum, neque primam ejuſdem ſtropham genuflexus concinit. Thuriferarii vero, antequam procedere incipiant, tempore congruo imponent incenſum in thuribulo, ut per proceſſionem effumigare valeant. Baldachinum erit coloris albi, ſicuti & umbella, ac paramenta Sacerdotis, miniſtrorum, & cruciferarii.

VI. Interponitur pauſa inter unam hymni ſtropham, & alteram habita ratione longioris, vel brevioris viæ ad altare ſepulcri, & eo tempore non pulſatur crotalum. Rite monet Biſſus *lit. P.* §. 3. *n.* 226. quamlibet primam ejuſdem hymni ſtropham per cantores intonandam eſſe, ut evitetur diſſonantia in cantu, additque ſatius eſſe, repetere, quatenus opus ſit, unam, vel alteram ex præcedentibus ſtrophis, & duas ultimas reſervare repoſitionis tempore, quam eaſdem per proceſſionem canere cum genuflexionis incommodo. Gavantus namque *par.* 4. *tit.* 8. *lit. V.* hanc dat generalem regulam, ut ſi in proceſſione SS. Sacramenti dum eſt intra Eccleſiam, cantari contingat hos duos verſiculos *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*, omnes genuflectere debeant SS. Sacramentum ſolis exceptis cruciferario, & ceroferariis, qui ſtantes ſe tunc ad illud dumtaxat vertunt; celebrans vero cum miniſtris, & baldachini portitores ſiſtunt immoti. Secus ſentit, ſi proceſſio ſit per viam extra Eccleſiam, ut præcaveantur varia incommoda. Ejuſmodi regula cum verba, quoad fieri poteſt, rebus concordare faciat, & ultra auctoritatem Merati *ibid. n.* 13. & Baruffaldi *tit.* 89. *n.* 60. probetur in quodam inſtructionum libello de mandato Innocentii XII. per Cardinalem Carpegna anno 1693. evulgato, digna profecto eſt, quæ in hodierna proceſſione, quæ Eccleſiam non exit, obſervetur, ſi præfatos verſus per Eccleſiam cantari contingat. In proceſſione autem Sacerdos non cantat, ſed cum ſacris miniſtris præfatum hymnum, vel pſalmos alternatim ſubmiſſa voce recitat, ut in ſimilibus definitum eſt ab Inſtructione Clementina pro proceſſione XL. horarum, ex qua cum extracta ſint plurima, quæ modo curſim libavimus, & ibi uberi pertractata ſunt calamo, operæ utique pretium erit eamdem recolere.

VII. Proceſſio præſentis, uti & ſubſequentis feriæ VI., cum unice fiat ad aſportandum Sacramentum ad locum ſepulcri, vel ad illud reportandum ad altare, mirum non eſt, ſi intra Eccleſiam dumtaxat fieri mandetur, præſertim quia nec aliter exigit circumſtantia temporis. Hinc facile habes, quod locus ſepulcri debet eſſe intra Eccleſiam, & locus diſtinctus ab altari, in quo celebratur, cum proceſſio, quæ Eccleſiam non exit, ad illum debeant inſtitui. Sic a Rubrica deſcribitur: *Hodie paretur locus aptus in aliqua Cappella Eccleſiæ, vel altari, & decenter, quoad fieri poteſt, ornetur cum velis, & luminibus.* Locus itaque, in quo fit ſepulcrum, debet eſſe aliqua Cappella, vel altare Eccleſiæ, & nec dubito, quod poſſit effingi iis in Eccleſiis, in quibus unum altare dumtaxat habetur, vel ſi cetera altaria ad rem ſint minus accomoda. Altaris pallium erit album, & locus ipſe una cum altari ſolemniter eſt ornandus, quare flores, aliaſque res ad ſplendorem ducentes, nil vetat apponi, & deſiderari non debent plura lumina ceræ albæ, & etiam ex oleo adhiberi poterunt. Parietes ornabuntur cortinis regiis, & aulæis, nunquam vero pannis nigris, etſi namque abuſive ſepulcrum Chriſti appelletur, ſepulchrum vere non eſt, & nedum vivit ipſe Chriſtus, etiam in repræſentatione mortis ejuſdem, ſed inſuper glorioſus eſt, unde abſint, neceſſe eſt, lugubria quæquæ. Reliquias, & Sanctorum Imagines in altari apponendas non eſſe, ſententia eſt Halden, Bauldryi, & a Portu, quibus nos addimus Inſtructionem Clementinam, cujus diſpoſitio etſi procedat de caſu Sacramenti patenter expoſiti, adhuc præſenti quadrat caſui, quia hac die Sacramentum in ſepulcro incluſum, æquivalet ſibi ſolemniter, & patenter expoſito.

DECRETUM SEPTIMUM.

Non eſt toleranda conſuetudo quorumdam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter hoſtiam conſecratam, reſervandam a feria V. in Cena Domini uſque ad ipſius conſumptionem in feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappucinorum Galliæ.*

I. Adeo pugnat aperte cum Rubricis, atque myſteriis conſuetudo ejuſmodi, ut quam rite noſcitur modo proſcripta, ita deformius olim inducta. Cum itaque ad ſacellum ſepulcri proceſſio devenerit, cruciferarius, & ceroferarii ſiſtunt ſe e regione ſacelli, aliquantulum recedentes e medio, & clerus dividitur in duas partes, & ſtat hinc inde facie ad invicem converſa uſque ad deventum Sacramenti, & tunc genuflectit utroque genu ante illud, & deinde manet genuflexus verſus ſacellum. Thuriferarii, miniſtri, & celebrans cum baldachino tranſeunt per medium clerum ut ſupra genuflexum, & ingrediuntur ſacellum, exceptis haſtiferis, qui ſe ſiſtunt ad januam ejuſdem ſacelli, & depoſito baldachino genuflexi manent utroque genu. Ad ingreſſum Sacramenti in ſacellum præſto erit umbella, & ſtatim ac ingreſſum eſt crucifer, & ceroferarii ſe collocabunt e regione ſacelli in medio gyri illum claudentes, & nunquam genuflectent, neque quando pertranſit Sacramentum. Ita Auctores clerum, alioſque communiter collocant, ſed quatenus ſacellum ſit ſpatioſum, & commodum, ego clero libentius locum facerem intra ipſum ſacellum.

II. Celebrans cum ſubdiacono (quidquid ſtatuat Ceremoniale Epiſc., & Auctores edoceant, cum ratio, quam poſtmodum evulgavit Inſtructio Romana, ſit congruentior, atque commodior) ſe ſiſtit in plano ante infimum altaris gradum, Diaconus vero aſcendit ad ſuppedaneum, ubi genuflexus verſis renibus ad cornu Epiſtolæ, prius e calice removet extremitates veli humeralis, & poſtea a Sacerdote ſtante recipit ipſum calicem, quo accepto, ibi genuflexus tantillum expectat donec idem celebrans, & ſubdiaconus genuflexi in infimo altaris gradu, Sacramentum adorent cum profunda reverentia, qua facta e celebrantis humeris per aliquem miniſtrum removetur velum humerale, & Diaconus mox ſurgit, & deponit calicem. Ubi? Habet Rubrica Miſſalis: *Et ponit illum primo ſuper altare*, ideſt in altaris medio ſuper corporale; Cœremoniale vero Epiſc. lib. 2. cap. 23. *Deponet ſuper altari in loco præparato*, explicat Memoriale Rituum, *in capſula præparata ſuper altare*, quam tunc non claudit, ſed ſolum poſt incenſationem. In hac rituum varietate advertit Meratus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 15., quod uterque modus teneri poteſt, vel quod ille Cœremonialis reſervari poteſt Eccleſiis Cathedralibus, in quarum directionem potiſſimum eſt editum, inferioribus vero Eccleſiis aliis modus, quem præſcribit Miſſale. Ceterum Inſtructio Romana, dum in ſimili proceſſionis reditu Sacramentum per Diaconum collocari jubet, non ſuper altare, ſed in throno, in quo poſtmodum deberet exponi, inſimul edocere videtur, in præſenti caſu ſtatim collocandum eſſe in capſula, in qua poſtea jam deberet includi, & conſequenter recedendum non eſſe a Cœremoniali Epiſc., quod noviſſimis diebus auctoritate Benedicti XIII. fuit recognitum, & ut ſupra Memoriale Rituum explicatum.

III. Diaconus itaque Sacramento depoſito ſuper altare, vel in capſula, abſque eo quod eam obſeret, genuflectit unico genu, deinde deſcendit, & genuflectit in infimo altaris gradu ad celebrantis dexteram. Juxta Miſſale tum ſurgit celebrans, imponit incenſum in thuribulo, & genuflexus Sacramentum incenſat, & non notatur aliquid in tali circumſtantia cantandum? Cœremoniale vero Epiſc. verſum *O ſalutaris hoſtia &c.*, vel *Tantum ergo Sacramentum &c.* in cantu pio, & devoto per cantores cantandum eſſe mandat, *donec Sacramentum fuerit repoſitum, & incenſatum*, & in ejuſmodi cantu concordes communiter ſunt Auctores, illum tamen præſcribunt, dum Sacramentum incenſatur, qua de re videri poſſunt Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 9. *lit.* S. & Meratus *ibidem num.* 15. Verum recedendum non eſt a prædicta Inſtructione, quæ rationi ſatis congruæ, de qua ſuo loco, innixa, in caſu fere conſimili, quæ ſubdimus, faciendа ſtatuit.

IV. Statim ac igitur Diaconus, genuflexus eſt ad celebrantis dexteram, Cantores intonant *O ſalutaris hoſtia*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, hac lege crederem, ut cantandus ſit verſus *Tan-*

tum

tum ergo, ſi per viam non fuerit dictus, ſed ut ſupra reſervatus, ut ſic abſolvatur hymnus, e *ſalutaris* vero *hoſtia*, ſi verſus ille per proceſſionem jam fuerit decantatus, Clero proſequente de more, cetera interim manentibus omnibus genuflexis per totam primam ſtropham, poſt quam, ſeu dum cantari incipitur *Genitori*, vel *Uni trinoque*, ſurgit celebrans cum miniſtris ſacris, & imponit incenſum in altero ex thuribulis ſine benedictione, & miniſtrante Diacono ſine oſculis. Mox genuflectunt omnes, & celebrans ter incenſat Sacramentum, miniſtris ſacris elevantibus pluvialis fimbrias, & una cum celebrante ſe profunde inclinantibus ante, & poſt incenſationem; qua abſoluta illico Diaconus aſcendit altare, etiamſi nondum expletus eſſet hymnus (non enim ſubdenda eſt oratio, aut benedictio impertienda, ut propterea expectare debeat) genuflectit unico genu, accipit calicem, & reponit in capſula, quam clavi obſerat, & quatenus calix præcedenter poſitus fuerit in capſula, hanc dumtaxat claudit, poſtea iterum genuflectit omnino genu, & regreditur ad celebrantis dexteram, & ibi manet genuflexus.

V. Hoc facto omnes brevi orationi vacant, & interim colliguntur cerei, extinguuntur, & aſportantur. Finita oratione ſurgunt omnes; & genuflectentes unico genu, recedunt ordine, quo venerant, ſed thuriferarii incedent ante omnes, etiam ante crucem ipſam. Celebrans cum miniſtris omnibus pergit in ſacriſtiam, clerus vero in chorum, in quem pergere item poteſt celebrans ipſe cum miniſtris, quatenus clericorum numerus fuerit minus copioſus. Ibi dicuntur veſperæ demiſſa, ſed intelligibili voce, & ſine cantu, quo tempore juxta Biſſum *Lit. h. n.* 24. §. 6. in altari ardent duæ candelæ, ſex autem, ſicut in miſſa, juxta Bauldryum *par.* 3. *cap.* 24. *n.* 18.

DECRETUM OCTAVUM.

Clavis Hoſtiæ repoſitæ in feria V. cœnæ Domini non debet dari laico, quantumvis nobili S. R. C. 30. Jan. 1610. *in Pacen.*

I. DE clavi capſulæ, in qua ut ſupra reponitur calix cum SS. Sacramento, redit ſermo, & certum eſt, quod a Diacono removeri debet, ne Chriſti corpus cujuſcumque manibus maneat expoſitum. At cum ipſe in ſuis obeundis muneribus ſit impeditus, cui illam tradet? Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *lit. s.* ei, qui ſequenti die celebrare debet, tradendam cenſet, quod ego item approbo, dummodo inde minime intelligatur vetitum, apud ſacriſtam, vel Eccleſiaſticum Eccleſiæ Præfidem, aut alium Sacerdotem aſſervari, bene vero apud laicum quemlibet licet nobilem, vel Eccleſiæ miniſtrum, quemadmodum definit Decretum, cujus diſpoſitio, ne minimum quidem dubito, quod trahi etiam debeat ad clavem tabernaculi, in quo per annum aſſervatur SS. Sacramentum.

DECRETUM NONUM.

In feria VI. in Paraſceve Parochus, dum a domo infirmorum redit cum Sacramento, non debet hoc recondere in publica Eccleſia. S. R. C. 15. Maii 1745.

I. DEcretum hocce, quod plura alia ſimul ſtatuit, integrum ſuo referetur loco, ne hic aliena ponderare cogamur, contenti modo illud detruncatum producere, prout ad præſens attinet. Hinc autem inferri volumus, quod particulæ quæ pro infirmis, ſi opus fuerit, reſervari mandantur, ponendæ non ſunt, nec aſportandæ in capſulam, in qua repoſitus fuit calix cum SS. Sacramento, ut putavit Gavantus n. 20. nec in alio Eccleſiæ loco aſſervandæ, ſed recondi ex debent extra Eccleſiam in aliquo decenti loco, nimirum vel in ſacello, aut Cappella ab Eccleſia ſeparata, ſive in aliquo tabernaculo exiſtente in ſacrario, ſicuti noviſſime edocuit Meratus *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 16., & eodem teſte communior ſervat Eccleſiarum praxis. Id certe indirecte Decretum ſtatuit, dum SS. Viaticum, quod alias deberet reſtitui capſulæ ſepulchri, aut alteri Eccleſiæ loco, ex quo aſportatum eſt ad infirmos, in pubblica Eccleſia recondi non debere definit; *debere* autem verbum eſt, quod præceptum dicit, nec libertatem relinquit. Quod ideo ſtatutum nobis placet credere, ne Sacramentum in publica Eccleſia reconditum, ſibi aſſervato in ſepulchro venerationem minuat, quam ea die ſpecialiter exigit, aut ne ſimiliter in capſula ſepulchri repoſitum, luctionem, & myſteria perturbet, ſi forte ad infirmos deportari contingat.

II. Quum itaque feria V. Cœnæ Domini in choro dicuntur veſperæ, a ſacrario exit Sacerdos aliquis in cotta, & ſtola alba, & accedit ad altare, in quo recondita latet pyxis cum particulis conſecratis, genuflectit, & ab acolytho ſuperinductus velo oblongo coloris albi, aſcendit ad Altare, & cum debitis genuflexionibus aperit tabernaculum, accipit pyxidem, & præcedentibus duobus, aut quatuor acolythis cum facibus ardentibus, eamdem ut ſupra defert in Cappellam ab Eccleſia ſeparatam, vel in Sacrarium, relicto oſtiolo tabernaculi, in quo aſſervari ſolebat, aperto, ne populus ibi adoret, quod non ad eſt amplius, ſed alio eſt aſportatum; ut ſcite monet Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 20.

III. Veſperarum item tempore juxta Memoriale Rituum n. 2. per duos Cappellanos cum ſtolis, & cum duobus acolythis lumina geſtantibus, ex altari majori transferuntur in Sacriſtiam Sanctorum Reliquiæ, ſi quæ ſuper eodem inter candelabra fuerint diſtributæ. Cujus autem coloris ſtolæ eſſe debeant, Auctores non explicant, ſed quatenus ex Rituali Romano *tit.* 89. §. 2. quæſtio decidenda foret, eſſe deberent albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, expoſcunt; Sed cum ibi Rituale agat de tranſlatione ſolemni, cujuſmodi præſens non eſt, & Reliquiæ, quæ in altari ut ſupra diſtribuuntur, quandoque ſint Sanctorum diverſæ claſſis, & ut plurimum non inſignes, in ejuſmodi caſu ego adhiberi poſſe cenſerem colorem violaceum, qui congruit tempori paſſionis, & luctus, qui ad veſperas reſumitur, & ut in colore conformitas ſervetur tum ad circumſtantiam temporis, tum in ſtolis geſtantium Reliquias, qui alias aliquando difformis eſſe deberet, ſi Sanctis, quorum Reliquiæ aſportantur, neceſſe foret, conformari.

IV. Aſportatis Reliquiis, lampades, & cerei, ſi qui ſunt per Eccleſiam accenſi, extinguuntur, ſolum illis relictis accenſis, qui ardent ad altare ſepulcri, & ad Altare majus pro veſperis. Hoc autem triduum præ ceteris diebus id habet ſpeciale, quod ab his veſperis uſque ad Miſſam ſabbati Sancti, crux Altaris majoris a tranſeuntibus coli debet genuflexione unico genu facta, ſicuti Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. per S. R. C. deciſum refert, ſtatuit Memoriale Rituum *n.* 7., & concordes Auctores aſſerunt, ſolum excipientes celebrantem paratum, atque Canonicos, hac tamen lege, ut & hi eidem ſe profunde inclinent, inſequenti vero feria VI. in qua ſpecialius fulget crucis myſterium, pariter genuflectant. Id tamen Rubricæ miſſalis prima facie apparet minus conſonum; habet quippe in fine miſſæ ſequentis feriæ VI. *Sed facta reverentia altari, ſacerdos cum miniſtris diſcedit.* Diximus *prima facie apparet minus conſonum*, quia reapſe tale non eſt, nam *reverentia* eſt nomen genericum, quod genuflexionem minime excludit, quemadmodum nos alibi ipſi diximus exponentes illud Rubricæ II. num. 2. *Genuflectens debitam facit reverentiam*, & manifeſte patet ex texto ipſo laudatæ Rubricæ, in quo *reverentia*, non minus cadit ſuper miniſtros, quos tamen nemo a genuflexione abſolvit. Diſcrimen autem maximum, quod inter Crucem eſt, & Chriſtum ipſum, ſeu figuram, & figuratum, profecto exigit, quod, hoc triduo SS. Sacramentum utroque genu adoretur ab iis reſpective, qui Crucem unico genu ut ſupra debent venerari, quemadmodum Meratus edocet *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 17.

V. Denudatio altarium eſt ritus alter hodie ab Eccleſia ſervari præſcriptus, cujus cum meminerint Iſidorus *de off. Eccl. lib.* 1. *cap.* 28. Alcuinus *de div. off. cap. de Cœne Dom.* Amalarius *de Eccl. off. lib.* 1. *cap.* 6. *de varietate Cœnæ Domini*, Rabanus Maurus *de inſtit. Clericor. lib.* 2. *cap.* 33. *de Cœna Domini*, Rupertus Abbas *de div. off. lib.* 5. *cap.* 31., aliique permulti ex veteribus ſcriptoribus, ejuſdem antiquitas non eſt, unde vocetur in dubium; myſteria autem recenſet Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 11. per eam ſcilicet deſignari, Chriſtum in paſſione ſua amiſiſſe ſpeciem, & decorem, nudatum fuiſſe quaſi gloria Deitatis, certe veſtimentis, quæ ſibi milites diviſiſſe, ex Evangelio diſcimus. Tempus, quo fieri debet, miſſale ſatis non explicat, ſed ſimpliciter habet: *Poſtea in Choro dicuntur veſperæ ſine cantu. Et Sacerdos cum miniſtris denudat altaria*, ex quibus veſperarum tempore videtur magis habenda, ſed dubium quodlibet adimit Cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23., ubi eam faciendam diſerte mandat *finitis veſperis*.

VI. Hic igitur erit ritus: Dum in Choro dicuntur veſperæ, depoſitis paramentis albis Sacerdos ſuper albam induit ſolam ſtolam violaceam in modum crucis. Diaconus ſtolam ſimiliter violaceam, ſed conſueto more tranſverſam, & ſubdiaconus remanet in ſola alba, & circa veſperarum finem hoc ordine procedunt ad altare majus. Præcedit thuriferarius ſine thuribulo, poſtea ceroferarii abſque candelabris, deinde Cœremoniarius ſine baculo, omnes nudo capite & junctis manibus. Sequitur ſubdiaconus, poſtea Diaconus, & ultimo celebrans omnes tecto capite, & unus poſt alium, quidquid ſcribat Bauldryus *par.* 4. *cap.* 9. *art.* 4. *num.* 1. tunc namque ſolum ſacri miniſtri medium habent celebrantem, quando incedit in pluviali, cujus propterea fimbrias elevare mandantur. Cum ad altare devenerint, caput detegunt, & genuflectunt omnes cruci unico genu præter Celebrantem, qui tantum ſe profunde inclinat, & idipſum faciunt ſacri miniſtri, ſi fuerint Canonici. Deinde Sacerdos cum ſacris miniſtris aſcendit ad altare, ubi incipiens denudationem, ſimul incipit mediocri voce, & ſine cantu antiphonam *Diviſerunt*, quam omnes de Choro ſtantes eadem voce terminant, & poſtea alternatim dicunt pſalmum *Deus Deus meus*, poſt quem repetunt antiphonam, & idipſum præſtat humiliori voce alternatim celebrans cum ſacris miniſtris. Equidem Biſſus, aliique plures ſentiunt pro recitatione antiphonæ ſub ſemiduplici ritu, ſed in oppoſitum ſtat communior opinio, Memoriale Rituum, & praxis Baſilicæ Lateranenſis.

VII. Interim celebrans cum ſacris miniſtris denudat altare, primo amovens tobaleam ſuperiorem, mox alias, tum pallium, & alia ornamenta, relicta tamen cruce cum candelabris ſuper altare, quo denudato, pergit ad denudanda alia, a quibus quoque dumtaxat amovet, quæ ab altari majori amovenda eſſe diximus, acolythis omnia in ſacriſtiam aſportantibus. Id tamen præ ceteris habet altare majus, quod ejuſdem crux ab acolythis tegenda erit velo violaceo,, & iterum collocanda inter candelabra; mos enim ille amovendi ab altari crucem, & ſuper illud apponendi alteram grandiorem velo nigro tectam, die ſequenti a celebrante diſcooperiendam, contrarius

eſt

Digitized by Google

tabulæ delineatæ in Cœremoniali Epiſcoporum. Ab altari item majori per aeolythos amovebuntur vaſcula florium, tapetia, & credentia ipſa cum omnibus, quæ deſervierunt ad miſſam, ad quæ præſtanda aliorum item auxilium vocari poterit, ut illi citius expediantur.

VIII. Placet Gavanto *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 12. e tabernaculo, in quo ordinarie Sacramentum aſſervari ſolet, amoveri conopæum, & quatenus non amoveatur, mutari in violaceum, quia adhuc regia Chriſti viventis eſt, ad modicum tempus abſentis, licet nec refragetur adhiberi nigrum, quia vacuum eſt tabernaculum, præſertim ob uniformitatem, cum paramentis ſequentis feriæ VI. Verum denudationis altaris, in quo ordinarie aſſervatur SS. Sacramentum, hæc erit regula, ut per acolythos amovendum ſit Conopæum, & nullo alio ciborium veſtiendum, niſi tegendæ forent ſtatuæ, ſeu imagines prædicti tabernaculi, quo in caſu cum in tabernaculo, cujus oſtiolum apertum eſſe debet, evidenter pateat, Sacramentum minime includi, ex hoc quidem capite nil vetat adhiberi conopæum nigrum, ſed cum color niger ex ſpeciali ratione adhiberi dumtaxat debeat in ſequenti feria, in qua reapſe contigit Chriſti mors, idcirco conopæo violaceo tegendum erit. Idem eſto judicium de tabernaculo altaris majoris, cujus conopæum, cum ſit album pro miſſa, amovendum erit, & quatenus aliud ſit apponendum, erit coloris violacei, cujus item crucem uſque ad ſequentem feriam velo violaceo debere eſſe tectam, ſuperius dicebamus.

IX. Si ante perfectam denudationem altarium finiatur pſalmus, non propterea erit repetendus, congruum tamen eſt, talis cautela ſervetur, ut tum a Choro, tum a celebrante ſimul cum denudatione finiatur. Quod ſi ſit valde copioſus altarium numerus, monet Bralion, eodem tempore, quo celebrans denudat altare majus, alios Sacerdotes cotta, & ſtola violacea indutos, alia altaria denudare poſſe, recitando eumdem pſalmum.

X. Fere cuncti, qui denudationis altarium, meminerunt vetuſtiſſimi alterius ritus, ſcilicet lotionis eorumdem altarium, qui reliquus adhuc eſt in Baſilica Vaticana, quæ in ſero hujus diei poſt Matutinum vino lavat altare SS. Apoſtolorum, qua de re noviſſime Joannes Chriſtophorus Battellus diſſertationem quamdam edidit, anno 1702. publici juris factam. Marcellus Cavalleri, cujus ſum ex fratre nepos, Epiſcopus Gravinenſis *in ſtatera ſacra tit.* 4. *n.* 127. in Ordine Prædicatorum idipſum præſtari aſſerit, & pro ordine Carmelitarum teſtatur Fantonus *in Cœrem. Carmel. lib.* 2. *cap.* 35. §. 5., ut taceam plurimas Galliæ, & Germaniæ Eccleſias, aliaſque mundi plagas, quarum meminit idem Battellus *cap.* 3., qui *cap.* 5. putat probabile, quod ejuſmodi mos ab initio potius ad munditiem inſtitutus fuerit, quam ad aliquod miſterium indicandum; hoc autem potiſſimum tempore, quia cum ex vetuſtiſſimo ritu altaria detineantur ſpoliata, nullum ſane aderat tempus aptius, atque commodius ipſis altaribus detergendis, atque lavandis. Id factum contendunt alii in memoriam lotionis pedum, quam Chriſtus fecit Apoſtolis, idque probant ex Eligio *hom.* 8. *de Cœna Domini*, & ex S. Iſidoro *de Eccl. off. lib.* 1. *cap.* 28. *de Cœna Domini*, ſed cum lotionem ejuſmodi commemoret mandatum, quod hodie item Eccleſia peragit, nos diceremus magis, id eſſe ſymbolum unctionis Chriſto exhibitæ a Magdalena duobus diebus ante mortem. Ejuſdem hæc videtur eſſe ſententia Marcelli Cavalieri, qui inſuper ſcite addit, vinum, & aquam, quæ in tali lotione a ſuo Ordine adhibetur, objicere ſanguinem, & aquam, quæ fluxere de latere Chriſti, qui per altare deſignatur.

XI. Reliquus nunc eſt ritus alter, amovendi ſcilicet hac die aquam benedictam e vaſis Eccleſiæ, cui cum non adſtipuletur ulla Rubrica, Decretum, myſteriumve, quod ſciatur, proſcribendus utique eſt ab Italiæ finibus, ubi præſertim viget. Sane hiſce etiam diebus ex Ritualis præſcripto Eccleſia utitur aqua benedicta in miniſtratione viatici, & extremæ unctionis, & benedictione novi ignis, & granorum incenſi, & in exequiis ipſis: quem ad effectum ſi aſſervetur in alio vaſe, ut contendunt plurimi, patet id fieri contra Eccleſiæ morem, ſtatuta, & finem. *Contra morem*, qui eſt, ut habeatur expoſita in vaſis prope Eccleſiarum fores; *Contra ſtatuta*, quia in Breviario ad diem 3. Maii Alexander I. decreviſſe dicitur, *ut aqua benedicta ſale admixto perpetuo in Eccleſia aſſervaretur*; *Contra denique, finem*, quia apponitur, ut fideles Eccleſiam ingredientes, ſtatim aſpergi valeant, & a levioribus noxis mundari, & ut præſto quoque iiſdem ſit pro aſportatione in privatas domos ob beneficia plurima, atque commoda, quæ ab eadem derivare dicuntur. Quibus cum ſuffragetur communis Hiſpaniarum praxis, & plurima Auctorum copia, quos Meratus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 16. allegat, nos adhærendum putamus edicto 18. Martii 1728. ab Archiepiſcopo Panormitano publici juris facto: *Di più vogliamo, che nelli fonti ſoliti ſtare nell' ingreſſo delle Chieſe* (nelli detti giorni di Giovedì, e Venerdì Santo) *vi ſi ponga l' acqua benedetta, conforme ſi coſtuma in ogni tempo*. Dicitur *nelli giorni di Giovedì e Venerdì Santo*, quia in Sabbato Sancto paululum ante benedictionem fontis removeri debet, renovanda ex aqua fontis baptiſmalis, aut noviter benedicenda.

DECRETUM DECIMUM.

Quæſitum fuit, quo velo cooperienda ſit crux in altari ad functionem lotionis pedum in feria V. majoris hebdomadæ & crux proceſſionis, cum Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo; & actus ipſe lotionis, ſive mandatum præcipiatur a Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate miſſæ celebratæ in mane cum cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? Sac. Rit. Cong. 19. Nov. 1649. reſpondit *colorem non eſſe mutandum*, in Januen.

I. ALtare majus hodie ſolemniter parandum eſſe pretioſioribus paramentis albis in lætitiæ ſignum ob inſtitutionem Sacramentorum maximi, quæ in miſſa recolitur, dubitandi quemlibet Rubricæ locum adimunt, quæ & conſimilia paramenta atribuunt Sacerdoti, & miniſtris ejus, utique exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, quorum veſtis cœnatoria, Baronio teſte *an.* 34. *nu.* 39. fuit coloris albi, ſyndon nempe, eademque prolixa, ut merito ſugam arripiens, abjecerit eam adoleſcens ille, ab Ambroſio *in pſal.* 36., aliiſque exiſtimatus Joannes Evangeliſta, qui quod (ut creditur) mœrore oppreſſus, non recepiſſet veſtimenta ſua, ut erat in menſa, remanſit amictus ſyndone ſuper nudo. Prædictum itaque altare veſtietur pallio coloris albi, ſuper quod ponetur aliud leve antipendium violaceum facile amovibile, poſtquam in choro recitatæ fuerint horæ minores, ut appareat præfatum pallium album pro miſſa.

II. Altaribus minoribus pallium item album aſſignat Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 2. *nu.* 1., ſed in ſuis violaceis eadem remanere debere, rite cenſet Biſſus *lit. A. num.* 294., & idipſum regula, quam communiter Auctores laudant, evidenter comprobat, quod nempe altarium color ſequi debet officium, quod in caſu noſtro eſt de Dominica paſſione; quod ſi officium diſcordet a miſſa, uti ſimiliter hac die evenit, ſolum pallium altaris, ad quod dicitur miſſa ſolemnis, ſuſcipit miſſæ colorem, non vero reliqua altaria, etſi ad hæc dicatur miſſa privata diſcordans ab officio; quanto igitur id magis verum erit in noſtro caſu, in quo ad altaria minora nulla miſſa dicitur? Quæ ratio cum item militet, quando occurrente feſto de præcepto, ab Ordinariis providendum eſt de competenti numero miſſarum privatarum, idcirco & in hujuſmodi caſu pallia altarium erunt violacea, licet miſſa celebranda ſit in paramentis albis, Miſſa ſolemni dumtaxat excepta, quæ decantabitur ſub pallio albo.

III. Hinc ruit opinio Caſtaldi, qui cruces altarium minorum tegendas eſſe autumat velis albis; ſi enim eorumdem pallia nunquam mutantur in alba, quomodo velum crucis erit mutaodum, quod nec ſequitur colorem officii, neque miſſæ, quem ſuſcipit pallium? Potior difficultas eſt de velo crucis altaris majoris ſub miſſa ſolemni, quam pro albo Auctores communiter dirimunt, idem nempe Caſtaldus *loc. cit.*, Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 1., Bauldryus *par.* 4. *cap.* 9. *n.* 1., Lohner *par.* 4. *tit.* 31. *n.* 1., & Biſſus *loc. cit.* Non deeſt tamen Piſart, qui *de Cœrem. obſerv. in fer. V. in Cœna Domini* pro violaceo acriter pugnat, & præſens Decretum allegat; quod & præſtat Meratus *par.* 4. *tit.* 8. *num.* 1., ubi his dicitur augumentis. I. Quia juxta Cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 10. crux proceſſionis, quæ fit mane poſt miſſam, tecta eſſe debet colore violaceo, licet paramenta proceſſionis ſint alba, quidni igitur, & crux altaris majoris, etſi paramenta miſſæ ſint ſimiliter alba? II. Velum crucis, etiam altaris majoris, non mutatur juxta colorem feſtorum, quæ tempore paſſionis occurrunt, ſed ſemper manet violaceum, & quidem etiam ſub miſſa ſolemni; ergo dum Decretum aſſerit, *colorem non eſſe mutandum*, ſenſus eſt, quod vela crucum ſemper debent eſſe violacea, & nunquam mutanda, ne quidem in prædicta feria V. ſub miſſa ſolemni.

IV. Verum Decreti ſenſus petendus eſt a petitione, cui ſemper conformatur reſponſio. Petitur declarari, quo velo tegenda ſit crux tum altaris, tum proceſſionis ad faciendum mandatum, ſubduntur dubitationis cauſæ, nempe quia in tali functione Sacerdos utitur *colore violaceo*, Diaconus *albo*, unde ex parte videtur velum crucis magis debere eſſe conforme paramentis Celebrantis, qui eſt principalis miniſter, & præſertim quia lotio ipſa pedum eſt *actus humilitatis*. Ex alia vero parte velum album videtur expoſci, tum quia mandatum fieri præcipitur *cum floribus*, *& ſignis lætitiæ*, a Cæremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 24., tum quia participare videtur de feſtivitate miſſæ celebratæ in mane *cum cruce velata* (nota hæc verba) *albo colore*. Cum itaque petitio ſupponat ad miſſam crucem *albo colore* velatam, & ejuſmodi ſuppoſitioni per nullum verbum ſanctio contradicat, ſimpliciter reponens, *colorem non eſſe mutandum*, quid unquam ſignificare voluit, niſi quod crux altaris, & proceſſionis ad lotionem reſpective coopertæ eſſe debent velo illius coloris, quo erat contecta in mane crux altaris ad miſſam, & crux proceſſionalis ad ſubſequentem proceſſionem? Quapropter hinc facile eſt colligere, quod crux altaris ad lotionem, & ad miſſam tecta eſſe debet velo albo, proceſſionalis autem in utroque caſu, velo violaceo; ex quibus & ſequitur aliud, ferendam nempe eſſe crucem in proceſſione ad locum mandati, uti ſentiunt Bauldryus *par.* 4. *cap.* 9. *art.* 5. *num.* 9., Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *lit.* z., & Victorius Novellarienſis *in Synopſi pag.* 73. contra Biſſum, qui ex eo, quod nec in Miſſali, nec in Cœremoniali Epiſc. nulla fiat mentio de cruce ferenda, negativæ adhæſit ſententiæ *lit. c. num.* 593.

V. Pro velo crucis albo ad miſſam etiam militat praxis Capellæ

pellæ Pontificiæ, & noviſſime pronunciant Memorialia Rituum, quæ commædita fuerint de conſenſu Benedicti XIII. fere omnem videntur dubitationem abigere. Quod crucis velum ita ad Miſſam coloris erit albi, ut præcedenter aſque ad Nonam debeat eſſe violacei, unde ſcite admonet Memoriale Rituum ad uſum Eccleſiæ Beneventanæ, quod ſuper velum album ponendum eſt velum aliud violaceum, finita Nona ſtatim facile amovendum, ut appareat album pro Miſſa, qua peracta in denudatione altarium iterum cruci reſtituendum eſſe violaceum, nos ipſi dicebamus in præcedenti Decreto.

VI. Ad miſſam autem hujus diei Eccleſia utitur velo crucis albo, non quia hoc ſequatur colorem feſtorum, aut Miſſarum occurrentiam, ſed ex diſpenſatione ſpeciali in ſignum maximæ lætitiæ, ob quam inter ipſam paſſionis memoriam, ſolutis doloribus pretioſiora adhibet paramenta tum miniſtrorum, tum altaris, ad quæ cum etiam crux attineat, hanc etiam tectam eſſe voluit colore albo, in quo Chriſtus ipſe, qui per crucem ſignificatur, aſſiduit poſtremæ menſæ, quæ in miſſa recolitur. Secus autem eſt de cruce ſubſequentis proceſſionis, quæ ad miſſam non ſpectat, ſed adhibetur finita miſſa, quando recolitur paſſionis memoria, ſeu Sacramentum defertur ad locum ſepulchri. Ad lotionem denique pedum Sacerdos apparet in violaceis ob actum humilitatis, quem mox exercere debet, Diaconus vero in albis ob munditiem deſignatam in lotione pedum, quam ex Evangelio debet legere, & ſic reſpective eſt de vario colore, qui in cruce proceſſionali, & altaris item exprimitur.

VII. Ad exemplum Chriſti, qui lavit diſcipulorum pedes, a celebrante hodie fit lotio pedum, quæ duplici de cauſa dicitur *mandatum*, & quia prima ex antiphonis, quæ in tali occaſione cantantur, incipit *mandatum*, & quia in illis *Joan.* 13. verbis apparet demandata: *ſi ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Circa qualitatem, & quantitatem eorum, quibus lavari debent pedes, ſunt varii Eccleſiarum uſus; alicubi enim lavantur tredecim Canonicis, vel pauperibus, alibi ſolum duodecim ex prædictis. Qui duodenario adhærent numero, ducuntur exemplo Chriſti, qui lavit pedes totidem Apoſtolis; qui vero tredecim lavant pedes, inſiſtunt Cæremonialibus Papæ, & Epiſcoporum, quorum poſtremum *lib. 2. cap. 24.* committit quidem arbitrio Epiſcopi, vel Eccleſiarum conſuetudini qualitatem lavandorum, non tamen numerum, ſed hunc tredenarium determinat. Sed quale unquam ſub hoc numero, qui diſcors eſt ab eo Chriſti, latet Myſterium? Sarnellius *to. 1. ep.* 13. adnotat duplicem olim lotionem hac die fieri conſuetam, unam nempe in memoriam illius, quam Maria exhibuit Chriſti pedibus in domo Phariſæi, alteram a Chriſto ipſo actam Apoſtolis; quæ lotiones cum poſtmodum unitæ fuerint, primus pauperum deſignat Chriſtum, cui Eccleſia Mariæ exemplo pedes ungit, reliqui Apoſtolos, quorum pedes Chriſtus lavit.

VIII. In tertiodecimo Paulus Areſius agnoſcit Apoſtolum Paulum, alii Mathiam, Traſcobaldus vero Paterfamilias, in cujus domum Chriſtus divertit Paſcham celebraturus. Hunc, quod eidem Chriſtus etiam pedes laverit, illos, non quia Dominicæ Cœnæ aſſederint, ſed Paulum, quem conſtat poſt Salvatoris aſcenſum fuiſſe vocatum, ob ſpecialem reverentiam, qua Romana Eccleſia ſimul cum Petro præ ceteris eumdem honorat; Mathiam vero, quia poſtmodum in locum Judæ ab Apoſtolis fuit ſuffectus. Probabilius tamen loquuntur, qui id fieri affirmant in imitationem humilitatis Chriſti ſimul & memoriam inſignis miraculi, quod contigit tempore Gregorii Magni. Sanctus hic Pontifex quotidie prandio excipiebat duodecim pauperes, quibus quadam die ſe adjunxit tertius decimus, ſcilicet Angelus, in cujus facti memoriam hæc duo carmina in Eccleſia S. Gregorii Romæ adhuc leguntur.

Bis ſenos hic Gregorius paſcebat egentes,
Angelus & decimus tertius accubuit.

IX. Hinc in Romana Eccleſia uſque ad noſtram ætatem conſuetudo inolevit erogandi quotidie prandium tredecim pauperibus, quibus poſt convivium in hac feria Papa pedes lavabat. Fiebat indem hodie lotio alia pedum, duodecim ſcilicet ſubdiaconis poſt miſſam hujus diei cum eleemoſyna duorum ſolidorum, & hæc in commemorationem facti Chriſti, ſed cum in hac feria, in qua occurrunt functiones plurimæ, duæ lotiones forent minus commodæ, omittendam adjudicavit Eccleſia lotionem ſubdiaconorum, & retinendam illam pauperum, ut ſic & imitaretur humilitatem Chriſti lavantis duodecim Apoſtolorum pedes, & Gregorii charitatem tredecim pauperes convivio excipientis. Quæ ut magis expreſſa fierent, in præſenti feria non aliis pauperibus prandium diſtribuit, ſed ſolum iis, quorum lavantur pedes, & hi præ ceteris diebus ſeliguntur ex presbyteris, quales fuerunt Apoſtoli. Ita Benedictus XIV. *Annot. tom. 1. nu.* 180.

X. Locum, in quo fieri debet mandatum, non deſignant Rubricæ, quare a quolibet deputari poterit, qui videbitur magis opportunus. Ibi extruetur altare cum pallio albo, & cruce itidem albo velo tecta, media inter candelabra cum cereis albis ardentibus. Ad ſiniſtrum ejuſdem latus parabitur credentia, ſuper quam collocabuntur miſſale, linteum Sacerdotis, treſdecim mappulæ (erunt duodecim, ubi totidem lavantur pedes) in una lance, vel ciſta, vel ſaltem linteum ſatis amplum pro extergendis pedibus eorum, quibus lavantur pedes. Pelviculam item cum micis panis, & mantile, ac buccale cum aqua ad lotionem, & extenſionem manuum celebrantis poſt lotionem pedum, & denique lana cum pecuniis in eleemoſynam pauperibus pro æquali portione donandis; & hæc omittetur apponi, quando Canonicis, vel Monachis lavantur pedes, aliiſve id genus perſonis.

XI. In prædicto loco erit ſcamnum oblongum, in quo ſedebunt pauperes, coopertum panno viridi, vel alterius coloris, non tamen rubei, & ante illud ſternetur tapes oblongus, vel plures, & cuſſinus amplior, ne celebrans genuflectens, dum lavat pedes, terra veſtes maculet. Prope idem ſcamnum parabuntur tria vaſa, unum plenum aqua calida, & herbis odoriferis, alterum aqua frigida ad temperandam calidam, ſi opus eſt, & tertium, in quod aqua pelvium effundatur poſt cujuſvis pedis lotionem, ſi neceſſe ſit, niſi forte effundenda ſit in aliquo loco ad id deputato. Ad minus itidem aderunt duæ pelves, in quibus effunditur aqua pro facienda ipſa lotione pedum, & denique duo urcei, unus pro aqua calida, alter pro infundenda frigida. Omnia autem cum menſa ipſa, & toto loco aſpergantur floribus, & herbis odoriferis.

XII. *Poſt denudationem altarium hora competenti* (ſunt verba Rubricæ quæ cum non explicat, quænam ſit hora competens, ab unoquoque propria conſuetudo, dummodo ſit poſt denudationem altarium, ſervari, vel induci poterit, crederem tamen ſatius, id fiat exemplo Chriſti poſt prandium pauperum) *facto ſigno cum tabula* (ſcilicet crotalo ad convocandum clerum) *conveniunt Clerici ad faciendum mandatum*; quo autem convenire debeant, dum Rubrica non exprimit, cleri relinquit arbitrio, conveniendi ſcilicet vel in locum, in quo faciendum eſt mandatum, vel in alterum, ex quo poſtea progrediendum ſit ad locum mandati. Hæc utique fortaſſe eſt cauſa, ob quam tum Cæremoniale Epiſc. tum Miſſale crucis proceſſionalis nullam mentionem inſtituunt, quia nempe cleri conventus fieri poteſt in locum ipſum mandati, quo in caſu opus non eſt proceſſione, quæ ſi ſit inſtituenda ad locum alterum, ſua ſane cruce carere non debet.

XIII. In quemcumque locum conveniant, ibi *Prælatus, ſeu ſuperior*, qualis ſit, congruit, qui exemplo Chriſti, lotionem peragit, *ſuper amictu, & alba induitur ſtola, & pluviali violaceis*, & hoc in ſignum maxime humiliationis, ob quam Chriſtus uſque dignatus eſt diſcipulis lavare pedes, ubi Diaconus, & ſubdiaconus in ſignum munditiæ, de qua ſupra diximus, induunt *paramenta alba*, nempe reſpective Dalmaticam, & tunicellam. *Ut in Miſſa*, ſubdit Rubrica, adeoque etiam manipulum (licet eo careat celebrans) induit Diaconus qui Evangelium cantare debet; an autem etiam ſubdiaconus, affirmat Gavantus *par. 4. tit. 8. Lit. z.*, & id probat ex pro ductis Rubricæ verbis, *ut in Miſſa*, quæ ceteroquin cum rite referri poſſint ad qualitatem coloris, & paramentorum, quæ adhibentur in miſſa, non ad quantitatem, non inde ſufficienter evincitur, manipulum ſumendum eſſe a ſubdiacono, qui in hac functione non cantat Epiſtolam, quinimmo defert crucem in proceſſione in qua regulariter uſus non eſt manipuli. Quæ tamen inferius nos definiemus de ſubdiacono in proceſſione, & benedictione novi ignis in ſabbato ſancto, definita item eſſe volumus pro præſenti caſu, qui ferme eſt omnino conſimilis.

XIV. Si ad locum mandati inſtituenda ſit proceſſio, mox ceroferarii ſumunt candelabra cum candelis accenſis, ſubdiaconus crucem accipit, & celebrans miniſtrante de more Diacono, imponit incenſum in thuribulo. Præcedit thuriferarius, tum ſubdiaconus ferens crucem, medius inter ceroferarios, deinde clerus, & tandem celebrans habens a ſiniſtris Diaconum, junctis manibus, & tecto capite. Ut proceſſio devenit ad locum deputatum, ceroferarii ſe collocant hinc inde a lateribus altaris, & ſubdiaconus deponit crucem prope altare in cornu Evangelii, nec genuflectunt, vel ſe inclinant cruci altaris, cui tamen unico genu ſubdiaconus genuflectit poſtea, dum depoſita cruci proceſſionali, ſe collocat ante altare in plano ex parte Evangelii, ubi aliquantulum retro ſe item collocat thuriferarius genuflexione præmiſſa cruci altaris, cui genuflectit quoque clerus, qui in duas ſe findit partes. Statim ac celebrans ad altare devenit, Diaconus tranſit ad dexteram celebrantis, qui depoſito birreto profundam facit cruci reverentiam, genuflectentibus ſacris miniſtris, cum quibus mox aſcendit ad altare, quod ſolus oſculatur in medio.

XV. Tum Diaconus accepto miſſali, uti fit in Miſſa, illud ſuper altare collocat, & mox eodem miniſtrante de more celebrans thus imponit in thuribulo, & poſtea idem Diaconus, ut ad miſſam, genuflectens dicit *Munda cor meum*, accipit miſſale, illudque tenens ante pectus, genuflectens petit benedictionem, dicens *Jube, Domine*, cui reſpondet celebrans *Dominus ſit in corde tuo*. Hoc facto ſurgens Diaconus, accedit ad latus Evangelii, ubi aſtantibus ceroferariis, & ſubdiacono tenente librum, ſignat, incenſat, & cantat more ſolito Evangelium *Ante diem feſtum*, quo finito celebrans oſculatur Evangelium a ſubdiacono ad ſe delatum, & ſtatim incenſatur a Diacono. Quod ſi proceſſio ordinanda non ſit, ſed mandatum fiat in eodem loco, in quem convenit clerus, omnes immediate ut ſupra ſe conſtituunt ante altare, & ſupradicta peragunt, & non ponitur incenſum in thuribulo, nec crucem accipit ſubdiaconus, qui mox in tali caſu accedit ad altare a ſiniſtris celebrantis, ad cujus dexteram Diaconus ſe collocat.

XVI. Finita celebrantis incenſatione, ceroferarii ſuper credentiam deponunt candelabra, thuriferarius thuribulum. Diaconus manipulum, quem deponit etiam ſubdiaconus, quatenus illum ſumpſerit, & poſtea per ſacros miniſtros Sacerdos exuitur pluviali, & per eoſdem præcingitur linteo mundo, quo ut præcinctus eſt, medius inter eoſdem ſacros miniſtros, accedit ad lavandos pedes pauperum in prædicto ſcamno oblongo ſedentium tectis capitibus.

Digitized by Google

tibus. Genuflexus itaque ſuper pulvino, & nudo capite exiſtens, lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuſcujuſque, ſubdiacono a ſiniſtris Celebrantis genuflexo, tenente pedem paulo elevatum, & Diacono a dexteris ejuſdem celebrantis pariter genuflexo, præbente Celebranti mappulam ad abſtergendum, ac alio miniſtro interim tenente ſub pedes pauperis pelvim plenam aqua, quam alter mutat, & alius infundit aquam tepidam, quando opus eſt. Incipitur lotio a digniori, ſeu ab eo, qui proximior eſt altari, & hujus pede loto, eodem ritu pergit Sacerdos ad lavandum pedem ejus, qui proxime ſequitur, ad cujus pedes acolythus, qui tenebat pelvim, eamdem pertrahit, & ſimul ipſe, vel alter pertrahet etiam pulvinum, ſuper quem Sacerdos genuflectere debet, dum lavat pedes, & ſic ſucceſſive. Thuriferarius autem tenebit lancem, ſeu ciſtam cum mappulis, quas ſucceſſive ſine oſculis tradet Diacono, & ab eo recipiet, quando opus eſt, vel eidem miniſtrabit linteum illud amplum, de quo ſuperius diximus. Quod namque abstergantur pauperum pedes linteo, quo celebrans eſt præcinctus, nec decens eſt, nec ad rem ſatis aptum, & indubie magis convenit, tot ſint mappulæ, quot ſunt pauperes. In Cæremoniali, quod nos habemus, tamen figura apparet ſubdiaconus genuflexus ut ſupra aſſiſtens a dexteris Celebrantis, Diaconus vero ſtat ad ejuſdem ſiniſtram, in manibus tenens linteum, & hic fortaſſe eſt commodior, & aptior modus, quidquid Auctores afferant.

XVII. Si poſt lotionem dandæ ſint Eleemoſynæ, præſto erit alter acolythus habens lancem cum eleemoſynis, quarum unam loto, & exterſo cujuſque pede, e lance accipiet Diaconus, & tradet celebranti, & hic pauperi, qui eam ſumet cum oſculo manus celebrantis, & ejuſdem eleemoſynæ. Dum Sacerdos incipit lotionem, cantores, & clerus cantant antiphonas, pſalmos, & verſus, ut in Miſſali, cujus Rubricam ſcite explicat, & modum alternatim cantandi ad longum producit Meretus *part. 4. tit. 8. nu. 23.* Pauperes autem, quorum lavantur pedes, ſufficit quidem, ſi prius diſcalceant pedem dexterum, qui ſolus a celebrante lavatur; ſed omnino convenit, quod antequam ſedeant, ſeorſim eumdem pedem ſibi lavent, ne immundi appareant.

XVIII. Completa lotione, acolythi aſportant omnia ad credentiam, ex qua ſumunt pelviculam, urceum, & bacile, in quo eſt mica panis, ac manutergium pro lavandis manibus celebrantis, qui eas lavat, & extergit extra cornu Epiſtolæ. Mox a ſacris miniſtris Sacerdos exuitur linteo, & induitur suo pluviali, ſacri Miniſtri, ut ſupra accipiunt Manipulos, & ceroferarii candelabra, & Celebrans medius inter ſacros Miniſtros præcedentibus ceroferariis ſe conſtituit juxta Gavantum *part. 4. tit. 8. num. 6. Lit. e.* ante altaris medium in plano, ubi ſacris Miniſtris ſuſtinentibus librum, & ceroferariis candelabra, alta voce, & manibus junctis dicit *Pater noſter*, & proſequendo reliqua ſecreto, iterum alta voce dicit *Et ne nos*, & alios verſus, & orationem, reſpondente clero.

XIX. Sanctus Bonifacius Moguntinus conſulit antehac Zachariam Pontificem, utrum Sanctimonialibus liceret ſibi invicem lavare pedes, ſicut homines faciunt in Cœna Domini, aliiſque diebus; & reſpondit Pontifex: *licere, præceptumque Chriſti, qui communis eſt Dominus, non tam ad maſculos, quam ad feminas pertinere.* Orientales itinerantibus, quod ut plurimum cruribus nudis, & pedibus ſolo ſandalio inſtructis incederent, pedes tergere conſuevere; quod eorum etiam laſſitudinem recreabat. Hinc Abraham tribus Angelis voluit pedes abſtergi. *Gen.* 18. 4. & Abigail Davidi, qui eam in ſponſam popoſcerat, ſe honoris ſibi adſcripturam reſpondit, ſi ad Regis famulorum abſtergendos pedes adhiberetur 1. *Reg.* 25. 41. Et D. Paulus hoſpitalitatem commendant, & viduas, & Diaconiſſas Eccleſiæ, quæ Sanctorum pedes non laverint, aſſumi prohibet: *Si Sanctorum pedes lavit* 1. Thimoth. 5. 10. Cum itaque lotio pedum non ſit Sacerdotii actus, ſed humilitatis, nil vetat, a feminis ſibi invicem præſtari ad Chriſti exemplum, qui, ut ait Zacharias, communis eſt Dominus. Quæ ratio cum communis item ſit ſæcularibus utriuſque ſexus, reprobandi minime ſunt, ſed laudandi, qui id obſequii præſtent, & humilitatis actum. Bollandus propterea ad diem 24. Martii laudat S. Bertham Abbatiſſam Ordinis Vallumbroſani, quod feria V. Sanctimonialibus ſuis pedes lavare conſueverit, & Codinus *lib. de offic. Aulæ Conſtantinianæ* deſcribit lotionem pedum, quam duodecim pauperibus faciebant Imperatores Conſtantinopolitani, & Elgardo Monacho teſte Robertus Galliarum Rex depoſitis regiis inſignibus, & cilicio indutus lotionem pedum agere, hoſque extergere capillis ſuis nequaquam exhorruit; quod & teſtatur Martene *de antiq. Eccl. diſcipl. cap.* 22. *n.* 3.

XX. Bailetius quaſdam producit pedum lotiones admodum celebres, quas Abbates olim hac die peragebant intra Monaſteria Monachis, & extra pauperibus, quibus quoque prandium, & eleemoſynas liberaliter elargiebantur. Hac occaſione per Eccleſiam ſenſim irrepſerat abuſus luxurioſorum conviviorum, quæ ut tolleret, quantum ad Regulares attinet, Aquiſgranenſe Concilium *anno* 817. *Can.* 23. *&* 24. parum potus tantum eiſdem permiſit, & cum eorumdem licentiam improbarint poſtmodum Cardinalis Robertus Pullus, & Petrus Abbas Cluniacenſis, coercita illa inde extitere intra mediocritatis terminos.

XXI. Mediolani, & in aliis plurimis Africæ, & Hiſpaniarum Eccleſiis uſus item erat, hodierna die lavare Cathecumenorum pedes, qui inſequenti ſabbato erant baptizandi, ſed ne lotio ejuſmodi crederetur ad baptiſmum pertinere, Auguſtino *Epiſt.* 119. *num.* 55. ad *Jann.* & Ambroſio teſtibus *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 1. *n.* 5. conſuetudo prædicta ab Eccleſia Romana recepta non fuit, quinimmo in Hiſpaniis per Concilium Illiberitanum *Can.* 48.

aperte proſcripta. Ex Mabillonio Benedictus XIV. *Annot. tom.* I. *n.* 177. meminit alterius lotionis pedum, quæ in Eccleſia Rothomagenſi ab Epiſcopo pauperibus fiebat in Sabbato ante Dominicam Palmarum in memoriam Mariæ quæ lavit pedes Jeſu, & quivis Eccleſiaſticus idipſum facere ſtudebat. Hæc itidem cæremonia modo deſiit, niſi ejuſdem veſtigium, adhuc perſtare cenſeas in lotione altarium, ſicuti ſuperius nos ipſi diximus, aut in tertiodecimo paupere, uti autumarunt nonnulli ſuperius laudati.

XXII. *Capitilavium* Durandus hunc diem nuncupat, ſed latius alii id nomen Dominicæ Palmarum attribuunt, quod in ea lavarentur puerorum Capita, qui in ſequenti Sabbato baptizandi erant; unde Iſidorus *lib. 6. Etymol. cap.* 18. de præfata Dominica: *Vulgus autem eum diem capitilavium nominat, quia tunc moris eſt lavandi capita infantium qui ungendi ſunt, ne forte obſervatione Quadrageſimæ ſordidata, ad unctionem accederent.*

XXIII. De ſacris oleis dicere ſuccederet, ſed utpote quæ ad Pontificale ſpectant, cum extra noſtrum ſint inſtitutum, uti Gavantus lectorem propterea remittit ad Durandum *lib. 6. cap.* 74., ita ne ægre ferat, ſi a nobis amandatur ad Benedictum XIV., qui *loc. cit.* noviſſime rem hanc egregie pertractat, ubi etiam præoccupata tenet, quæcumque dici queunt ſuper reconciliationem Pœnitentium, quæ hac die ſimiliter fiebat in prima Miſſa, ultra quam celebrabantur aliæ duæ, una pro benedictione Sacrorum oleorum, altera in memoriam inſtitutionis SS. Euchariſtiæ, quæ cum poſtea redactæ fuerint ad unam, ad hujus etiam propterea diverſas partes diſtributæ fuere prædictæ functiones.

XXIV. Ter olim in anno denuntiabatur quædam Bulla contra hæreticos, nempe in currenti feria V., in die Aſcenſionis Dominicæ, & in die Dedicationis Baſilicarum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli 18. Novembris, ſed cum poſtmodum denuntiatio ejuſmodi redacta fuerit ad ſolam feriam V. in Cœna Domini, inde illi ſimpliciter reliquum eſt nomen *Bulla in Cœna Domini*. Spondanus credit illam a Martino V. contra Bohemos anno 1420. prima vice evulgatam, id tribuunt alii Gregorio XI., nec deſunt, qui Clementi V., ſed cum forma prædictæ Bullæ, non tanquam nova deſcribatur in ordine romano Cajetani, qui vivebat tempore Bonifacii VIII., ut minimum antiquior ea eſt eodem Bonifacio, qui anno 1294. inauguratus legitur in ſummum Pontificem.

CAPUT SECUNDUM

De confeſſione, & Communione annua, & paſchali.

CUm multa malignatus fuerit inimicus in Sancto, ſacroſancta communio, quæ a fidelibus primitivæ Eccleſiæ ſeſe quotidie frequentabatur, ſenſim diminuto fidei ardore, & refrigeſcente charitate multorum adeo negligi cœpit, ut non deficerent, qui nec ſemel communicarent, in anno. Torporem ejuſmodi a Chriſtianorum cordibus excutere cupiens Eccleſia, non ad priſtinum fervorem fideles ſtuduit excitare, vel ad ſanctam primevam, a qua moribus nimium deflexerant, conſuetudinem revocare, ſed ſcite plurimum indulgens tempori, contenta fuit quoſcumque obligare ad trinam ſaltem communionem in anno: *etſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent (niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini.* C. 16. de Conſecr. diſt. 2. Canonem iſtum, qui a D. Thoma, aliiſque adſcribitur Fabiano Papæ, & ſic ſæculo tertio, nunc communiter recenſeri inter monumenta ſæculi octavi, nos ſcite monet Benedictus XIV. *to.* 3. *notif.* 4., & hinc prædictum fervorem ſpiritus in primitiva Eccleſia non ita cito deſiiſſe compertum ſit, ſicuti nonnulli autumant. Subſequens lex de trina communione quouſque tempore viguerit, & utentium moribus fuerit ſervata, certo definiri non valet; ejuſdem tamen apparet veſtigium in primordiis ſæculi 13., in quo Innocentius III., & habetur cap. *Deus* de Pœnit., & Remiſſ. recens renatos fonte baptiſmatis, Sacramento corporis, & ſanguinis Domini refici mandat *in conſuetis feſtivitatibus*. Verum cum anno 1215. idem Innocentius in Lateranenſi Concilio legem tulerit de una ſaltem communione in anno, *propter iniquitatis abundantiam* D. Thoma interprete 3. *p. qu.* 80. *art.* 10. *ad* 5., præfata lex in primordiis memorati ſæculi, profecto neceſſe eſt, ut minimum fuerit valde neglecta.

DECRETUM I. CAP. IN ORD. XI.

Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus Chriſtiana careat ſepultura. Concil. Lateran. IV. ſub Innoc. III. anno 1215. & habetur cap. *Omnis* tit. de Pœnit., & Remiſſ.

I. SAltem quantum ad Confeſſionem attinet, conſilium fieri, non præceptum, pœnaſque præſenti capite conſtitutas, manere dumtaxat negligentes communionem, non Confeſſionem, rati ſunt plurimi, quibus dubius adhæſit Durandus *in 4. d. 17. qu.* 14. Lex de communione annua impedentibus

tibus Lutheri, & Calvini vocibus impetita extitit, ubi namque ille mitius agens, eam *gravem errorem* nuncupat, hic furioſior dixit *certiſſimum Diaboli inventum*. Blaſphemas horum voces Tridentinum *ſeſſ.* 13. *Canon.* 9. compeſcuit, & inſimul communionis præceptum ſtatuit: *Si quis negaverit omnes, & ſingulos fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit*. Quod ſi juxta Tridentinum in producto Cap. *Omnis* expreſſum continetur communionis præceptum, quis unquam ambiget de præcepto Confeſſionis, quod verba ejuſdem capitis directe ſtatuunt, & plane comprobant?

II. Miror, non videant, quam allucinentur illi, qui in laudato Tridentini canone tranſgreſſores communionis excommunicatione plecti contendunt, quaſi ejuſdem verba tranſgreſſores afficerent, & non manifeſte reſtricta forent ad negantes communionis præceptum. Tranſgreſſorum pœnæ ab illis allegati capitis verbis, *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*, repetendæ ſunt, & conſonant Rituali Romano, quod *de Sepult.* iis dumtaxat denegat Eccleſiaſticam ſepulturam, quatenus ſine ullo ſigno contritionis obierint. Pœnæ itaque unice ſiſtunt in interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, & in privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quæ ſunt pœnæ excommunicatione indubie mitiores, cum a divinis ſolummodo ſeparent, ubi excommunicatio etiam adimit, quæ divina non ſunt.

III. Verumne pœnæ ejuſmodi ipſo facto incurruntur? Minime gentium. En Congregationis Decretum, (& erit 2. cap., in ord. 12.) *Pœnæ ob prætermiſſionem confeſſionis annuæ, & communionis paſcalis non incurruntur, niſi poſt Judicis ſententiam, ſive poſt edictum Ordinarii, per quod declarantur incurſi*. Congr. Epiſc. 14. Junii 1595. eapropter Rituale Romanum *de commun. paſch.* eos, qui poſt octavam Paſchæ ſæpius admoniti, communicare neglexerint, dumtaxat præcipit Ordinario denunciandos, ut prædictis pœnis plecti valeant; quare haud dubitaverim, quod non continuo poſt octavam Paſchæ præfatas incurrunt pœnas, ſed quod prius, & ſæpius admonendi ſunt, & nonniſi quatenus nihiloſecius non pareant Eccleſiæ mandatis, ut ſupra denunciandi atque plectendi.

IV. *Limita* (ſit Decr. 3. cap., in ord. 13.) *ſi intermiſſio ſit notoria; vel adſit ſtatutum Synodale in contrarium*. Ead. Congr. 15. Dec. 1596. In caſu namque ſtatuti ſynodalis in contrarium, jam lata eſt ſententia contra inobſequentes, & pro caſu notorietatis faciunt ea verba Ritualis Romani, quod *de ſepult.* ab Eccleſiaſtica ſepultura expreſſe repellit *eos, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint ſacramenta confeſſionis, & communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt*. Hinc ubertim apparet, conſtitutas ut ſupra pœnas nedum manere tranſgreſſores communionis, ſed etiam confeſſionis annuæ, quos dubio procul principalius, & in recto afficiunt verba laudati capitis. Hoc tamen diſcrimen eſt confeſſionem inter & communionem, quod cum illius lege etiam pueri rationis compotes adſtringi putentur, non propterea, ſi eam neglexerint, continuo a Judice plectendi ſunt pœna per Canonem conſtituta, ſed uſquedum agant annum duodecimum, vel decimumquartum, punientur pœna mitiori, ut videtur erui ex cap. 1. *de delict. pueror.*, ponderatque Sotus, & cum eo alii plurimi; id autem ego libentius non protraherem ultra tempus, in quo ad ſacram ſynaxim admittuntur; nam illi, in quibus tale judicium prævenit, ut citius ſolito digni habeantur, qui participes fiant tanti myſterii, tanta diſcretione utique pollent, ut digni ſint pœna conſtituta per legem, quam tranſgredi unior.

V. Hinc inferes, perperam ex cap. 1. *De delictis pueror.* ab eodem Soto deduci, Eccleſiaſticis legibus neminem alligari ante annum 12. vel 14., prædictum enim caput ſolummodo ſtatuit, pueros plectendos non eſſe pœna ordinaria, ſed ob defectum plenæ cognitionis pœna mitiori, qua profecto nec puniendi forent, ſi non tenerentur humanis legibus, quibus ceteroquin adſtringi aperte comprobant Clem. *Furioſus* de homic., & c. *Pueris* de ſent. excomun., dum illa puerum doli capacem, ſi occidat aliquem, irregularem fieri declarat, & hoc in ſententiam canonis incurrere, ſi ſcienter ex ira clericum percuſſerit. Quis autem lege confeſſionis annuæ ambigere unquam poteſt non teneri puerum in noſtro caſu, in quo cap. *Omnis* diſertis omnino verbis omnes teneri aſſerit, *qui ad annos diſcretionis devenerint*? Haud nos præterit, quod idipſum ibi deciditur de communione paſchali, ad quam propterea Paludanus etiam pueros obligat rationis compotes; ſed ex ipſo contextu ſatis apparet, diverſimode ſumi diſcretionis annos in utroque præcepto. Pro Confeſſione namque abſolute exiguntur, & ideo ut puer ad talem ætatem devenit, in qua diſcernit bonum a malo, honeſtum a turpi, atque lethaliter peccare poteſt, prædicta confeſſionis lege tenetur, quæ eſt unicum medium peccato mortali expiando poſt baptiſmum commiſſo; pro communione autem paſcbali addit *ſuſcipiens reverenter Euchariſtiæ Sacramentum*, & to *Reverenter* majorem diſcretionem exigit, taleque judicium, quo nedum diſcernatur bonum a malo, ſed etiam, quo cœleſtis cibus diſcernatur a communi, & profano, & quo prædicti Sacramenti idoneam cognitionem, & guſtum habeat, unde Rituale Romanum *de Euch. Sacram.* ita definit: *Iis, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet*.

VI. Quæ diſcretio, cognitio, & guſtus cum in aliquibus citius habeatur, in aliis tardius juxta uniuſcujuſque capacitatem, habitudinem, & educationem, ſatius communis ſententia pronuntiat, quod nulla generaliter ſtatui poteſt ætas, quæ ſit apta præfatis Sacramentis ſuſcipiendis; ſed quod magis id relinqui debet judicio pii, & prudentis Parochi, vel Confeſſarii, qui habita ratione ad cujuſvis capacitatem, alios citius, tardius alios poterunt admittere. Quod hac lege dictum eſſe volumus, ut nullus, ne illi, ultra quam par ſit, adeo ſalutare animæ differatur remedium, reiciatur a cæleſti alimonia in anno 14., in quo ſufficiens in quibuſvis ſupponitur diſcretio, & nemo ante annum decimum admittatur, ut conſulatur reverentiæ Sacramento debitæ, & inſimul vitetur aliorum offenſio, dum admodum parvulis, quamvis alioqui judicio pollentibus, publice conferretur tantum Sacramentum. Quantum vero ad confeſſionem attinet, ad eam plerique circa finem ſeptennii videntur apti, & etiam parum citius, ſi malitia ſuper ætatem, ultra vero octavum, vel ad ſummum nonum nullatenus eſt iiſdem differenda. Quæ dicta ſint tam de maribus, quam de fœminis, quibus perperam citius nonnulli cæleſtem cibum indulgent; quod citius etiam ad pubertatem deveniant: etſi namque natura in fœminis citius perficiatur in ordine ad actiones animales, puta ad generationem, non tamen in ordine ad operationes intellectuales, & rationales, in quibus ut plurimum hebetiores ſunt, & tardiores, qua de cauſa D. Antoninus 2. *part. tit.* 9. *c.* 8. §. 2. eaſdem ad participationem ſacrorum myſteriorum tardius admittit.

DECRETUM IV. CAP. IN ORDINE XIV.

An ſententia Curiæ Metropolitanæ Acheruntinæ ſuſtineatur, ſive potius ſit exequendum Decretum Curiæ Epiſcopalis Gravinenſis? Reſp. ad primam dubii partem negative, & ad ſecundam affirmative. Congr. Concil. 10. Junii 1724.

I. AMentes, atque phreneticos ex defectu uſus rationis a Sacramentis Rituale Romanum depellit, & ideo parvulorum inſtar, qui non ſunt rationis compotes, lege confeſſionis annuæ, & communionis paſchalis minime tenentur. Quoniam vero ex his admittit illos, *qui habent lucida intervalla, & devotionem oſtendunt, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit*; idcirco ego crederem, iiſdem quidem conferendam eſſe confeſſionem, & communionem eo tempore, quo prædictis gaudent lucidis intervallis, dummodo quodvis abſit indignitatis periculum, & in tali ſtatu judicentur, in quo etiam ad prædicta Sacramenta ex mera devotione admitterentur; Non ultra quippe arbitror eos obligari præcepto confeſſionis, & communionis annuæ. Quantum vero ad fatuos, ſemifatuos, energumenos, alioſque id genus, ex iiſdem eos, qui ad prædicta Sacramenta admittuntur, dubium non eſt, eorumdem etiam annuo præcepto alligari, ſecus vero, qui arcentur, licet ex defectu plenæ cognitionis minime expedire cenſeam, quod hujuſmodi quatenus ad Sacramenta reluctentur accedere, ſuperius recenſitis pœnis per Ordinarium plectantur.

II. Non ſic eſt de excommunicatis, interdictis, & publicis peccatoribus, qui cum non arceantur ob ætatis imbecillitatem, vel ob defectum plenæ cognitionis, ſed ob obices, quos ſuum eſt removere, utique utraque lege tenentur. Et quidem cum ipſi Sacramento pœnitentiæ indigeant, & ipſis ſtet illud ſuſcipere, excuſari quomodo poſſunt a præcepto annuæ confeſſionis quæ non alia de cauſa fuit a Chriſto inſtituta, niſi ad abſtergenda peccata poſt baptiſmum commiſſa? A ſacra vero menſa ſolummodo repelluntur, ne affecti pravis illis qualitatibus indigne accedant, quare idem præceptum, quod ipſos alligat ad communionem paſchalem, eos etiam obligat ad removendos obices, qui impediunt licitam, & dignam ſumptionem, quos propterea ſi ex incuria, vel perverſitate removere neglexerint, non eximuntur a nova lethali culpa ob tranſgreſſionem præcepti. Dumtaxat id fallere poteſt, ſi per ipſos non ſteterit, quo minus abſolvantur. Mere vero ſuſpenſi, quia a Sacramentis minime prohibentur, excuſari non poſſunt, ſi ad ea debito tempore haudquaquam acceſſerint.

III. Nunc ad caſum Decreti. Oruntius tamquam publicus peccator ob notorietatem falſarum atteſtationum, & juramentorum a communione paſchali rejectus, pro ea ſuſcipienda cum notario, & teſtibus ad Eccleſiam Cathedralem acceſſit, a cujus Parocho non fuit admiſſus, ſed ei inſinuatum, quod proprium Parochum adiret; Epiſcopo autem, quod in myſteriis fidei non erat ſufficienter inſtructus. Epiſcopus die 30. Martii 1723. ejuſdem Parocho demandavit, ut nequaquam eum admitteret, donec reportaret atteſtationem inſtructionis ſuper neceſſariis fidei rudimentis, pro quibus addiſcendis prædictus Oruntius adire juſſus eſt Franciſcum Gallum. In curia Epiſcopali ſæpius Oruntius comparuit, inſtans pro admiſſione ad ſatisfactionem præcepti, ſed cum repertum fuerit aliquibus tantum vicibus adiiſſe prædictum Franciſcum Gallum, a quo nedum non receperat ſchedulam debitæ inſtructionis, ſed inſuper pro tunc aſſerebatur incapax Sacramentorum, prodiit Decretum die 6. Aprilis 1723., ut continuate ſe conferret Oruntius ad præfatum Franciſcum pro conſequenda ſufficienti inſtructione; ſed cum id agere neglexiſſet, Epiſcopus die 29. Aprilis ejuſdem anni demandavit, ut procederetur contra ipſum ad declaratoriam cenſurarum.

IV. Appellatione ab Oruntio interpoſita ad curiam Metropolitanam Acheruntinam, & expedita per ipſam conſueta inhibitione vigore appellationis, non obſtante proteſtatione Promotoris Fiſcalis Gravinenſis, eſſe non poſſe in hiſce caſibus

locum

locum appellationi, prolata fuit a Vicario Capitulari Acheruntino ſententia præcipiens, Oruntium admittendum prius eſſe ad Sacramentum Euchariſtiæ; ſed habito recurſu a præfato Promotore Fiſcali ad Congregationem Concilii, hæc die 17. Julii 1723. reſcripſit: *Laudandum eſſe Epiſcopum Gravinenſem, & ejus Decretum fuiſſe, & eſſe exequendum, & ſcribendum Vicario Capitulari Acheruntino, quod nec poterat, nec debebat appellationem recipere, & quod omnino impoſterum abſtineret a ſimilibus.*

V. Oruntius petiit audiri, quapropter utriuſque partis jura fuerunt propoſita. Contendebat Fiſcalis, quod publico peccatori, etiam publice petenti, Euchariſtia eſt deneganda *c. pro dilect. de conſecr. diſt.* 2. Quod de conſilio proprii Sacerdotis communio differri poteſt, & debet *c. Omnis de Pœnit., & Remiſſ.* Quod incapax abſolutionis eſt homo laborans ignorantia myſteriorum fidei *propoſ. 64. inter damnatas ab Innoc. XI.* Et quod denique in cauſis correctionis morum quoad effectum devolutivum tantum admitti poteſt appellatio, non ſuſpenſivum; niſi agatur de gravamine per definitivam irreparabili. *Trident. ſeſſ.* 13. *cap. 1. de Reform., & Congr. Epiſc.* 1600. *apud Gallemart.* Reponebat Oruntius, quod eſt locus appellationi etiam quoad effectum ſuſpenſivum, quando judicialiter proceſſum fuit, uti in allegatis Decret. apud Gallemart. 2. Quod ipſe per examinatores a Metropolitano delegatos idoneus repertus fuit, & ſufficienter inſtructus 3. Quod falſitatis nota nullo modo ſubſiſtit, cum numquam fuerit inquiſitus, aut de ea proceſſatus.

VI. Cum Sacra Congregatio definiverit, *ſuſtinendam non eſſe ſententiam curiæ Metropolitanæ Acheruntinæ, ſed exequendum Decretum curiæ Epiſcopalis Gravinenſis*, quæ ſcriberemus, profecto nobis ſuppeterent plurima, ſed quoad rem, de qua agitur, contenti nos ſumus inſerre, quod in Epiſcoporum Decretis, quæ concernunt Confeſſionem annuam, vel communionem paſchalem, locum non habet appellatio ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum.

DECRETUM V. CAP. IN ORDINE XV.

Epiſcopus adverſus eos, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas Cap. *Omnis utriuſque ſexus* de Pœnit., & Remiſſ. contemnunt, poteſt etiam ad excommunicationem procedere, niſi forte de propriis Sacerdotis conſilio ex rationabili cauſa communio ad tempus dilata fuerit. Congreg. Concil., 28. Januar. 1587. ad 1. dub.

I. PŒnas, quæ manent tranſgreſſores confeſſionis annuæ, & communionis paſchalis, jam ſuperius produximus, excommunicationem præſens nunc adjicit ſanctio, non ad quam Epiſcopi continuo procedant, ſed qua utantur adverſus eos, qui pœnas per cap. *Omnis* conſtitutas contemnentes, ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta accedere negligunt. Rite excipit caſum, in quo cum quis pro pœnitentia acceſſerit ad proprium Sacerdotem, de hujus conſilio, & rationabili de cauſa ad tempus differt communionem; iſte enim profecto dignus non eſt, in quem Eccleſia deſæviat, cum non ex contumacia communionem differat, ſed ex rationabili cauſa, quæ cum conſilio proprii Sacerdotis probata ſit, in ipſa dilatione obedit Eccleſiæ mandatis, quæ in cap. *Omnis* propterea hanc facultatem proprio Sacerdoti feciſſe dignoſcitur, ut videlicet pœnitens ſacræ menſæ ſe ſiſtat, ut par eſt, cum debita præparatione, aut magis diſpoſitus.

II. Lucius Ferraris *in ſua Bibliotheca verb. Euchariſtia n.* 25. integrum facit Epiſcopo eum, qui tempore paſchali Euchariſtiam non ſuſcipit, vel pœna inſuper pecuniaria, vel excommunicationis mulctare, & pro excommunicatione utitur ſuperiori Decreto, pro pœna vero pecuniaria ſequens adducit, quod erit (6. cap. in ord. 16.) *An poſſit Epiſcopus pro ſatisfactione iis, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas cap.* Omnis utriuſque ſexus *de Pœnit., & Remiſſ. contemnunt, pœnas pecuniarias pio loco applicandas injungere? Reſp. poſſe injungi eleemoſynas alicui pio loco applicandas pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione.* Ead. Congr. in Eod. Decr. ad 2. dub. Quæſtionem ego modo inſtituendam non puto, an liceat Epiſcopo a pœnis per Canonem ſtatutis, adverſus prædictos contumaces ad pœnas pecuniarias, quæ ab obduratis peccatoribus obedientiam extorquere, aptiores fortaſſe ſunt, quam ſpirituales, immediate progredi, & non prius uti excommunicationis remedio, ſed ſolummodo conſtans pronuntio, quod ea Decreti verba *Pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione* evidenter demonſtrant, quod Decreti ſenſus eſt, quod Epiſcopus prius ad excommunicationem procedat, quam ad pœnas pecuniarias. Cum namque præfati tranſgreſſores per nullum canonem excommunicatione dignoſcantur feriri, quomodo poſſet Sanctio dicere *Pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione*, ſi ejuſdem mens non eſſet, quod Epiſcopus prius uteretur ſpirituali excommunicationis remedio, quam veluti ſæcularem gladium ſtringeret pecuniariarum pœnarum? Ad quas ſi deveniat Epiſcopus, ſcite notat Decretum *pio loco eſſe applicanda*, crederem & immediate ſolvendas, ut malæ qualibet ſuſpicionis tollatur occaſio.

III. Quæſitum denique fuit: *An expediat* (erit Decr. 7. cap. in ord. 17.) *talium abſolutionem ſibi reſervare? Reſp. non expedire.* Ead. Congr. in eod. Decr. ad 3. dub. Cenſuras, quarum abſolutionem conditor canonis non ſibi retinuit, eo ipſo conceſſiſſe facultatem aliis relaxandi, cautum eſt in cap. *Nuper* de ſent. excommun., ſed id nonnulli limitant ad cenſuras a jure ſtatutas, ſecus ſentiunt de iis, quæ nominatim contra aliquem ab homine latæ ſunt; unde Sylveſter in ſumma verb. Interdictum 3. num. 16. *Si ſententia interdicti, vel ſuſpenſionis lata eſt ab homine, abſolvere, ſeu relaxare poteſt ille, qui eam tulit, vel ejus ſuperior, non autem alius, niſi de ejus mandato.* At quidquid ſit de aliis cenſuris (quod inquirere hujus loci non eſt) certe dum nos præſens edocet Decretum, quod minime expedit, quod abſolutio tranſgreſſorum confeſſionis, & communionis paſchalis ab Epiſcopo ſibi reſervetur, inſimul nos inſtruit, quod a quolibet confeſſario abſolvi illi poſſunt, eorumque cenſuræ relaxari. Deciſionis ratio eſſe poteſt, quia cum per præfatas pœnas intendat Eccleſia corrigere, & mederi, faciliorem etiam iiſdem aperit viam, per quam ad reſipiſcentiam, & ſalutem valeant pervenire.

IV. Quod ſi adeo peſtifero, gravique veterno laborent, ut neque expergefiant ad excommunicationis remedium, Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 3. poteſtatem Epiſcopis facit procedendi contra eos tamquam de hæreſi ſuſpectos: *Excommunicatus vero quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, ſed ſi obdurato corde cenſuris annexus in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit.*

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE XVIII.

Præſenti Decreto noſtro ſancimus dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, & aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam quadrageſimali, & paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchæ Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem Parocho ſumant. Clemens VIII. anno 1592. adverſus quoſdam Galliæ Epiſcopos.

I. COnfeſſio annua, & communio paſchalis a Cap. *Omnis* mandantur fieri *proprio Sacerdoti*, cujus nomine cum Parochum, eumve, qui ejus juſſu Sacramenta diſpenſat, venire, ex juribus compertum ſit, ac Auctoribus, Joannes e Poliaco Confeſſiones apud Regulares factas, ad ſatisfaciendum prædicto præcepto putavit invalidas, nec poſtmodum defuere rigidiores quidam Galliarum Parochi, qui quaſi ab orco revocantes ſententiam ejuſdem Joannis, auſi ſunt propugnare neceſſitatem confeſſionis faciendæ proprio Parocho, ſaltem in Paſchate. Nitebantur autem & verbis, & menti laudati canonis. Verbis, quia per ea indiſcriminatim proprio Sacerdoti facienda committitur confeſſio, & communio, & hanc nemo denegat a Parocho eſſe diſtribuendam, menti vero, quæ fuit, ut proprius Parochus ſaltem ſemel in anno oves ſuas paſceret, & recognoſceret.

II. Sententiam Joannis e Poliaco damnavit Joannes XXII. in extravag. *Vas electionis*, & adverſus Galliarum Parochos Clemens VIII. præſens edidit Decretum, cujus patulam ecce rationem. Regulares juxta Clem. *Dudum* §. *ſtatuimus* de ſepult. habent a Papa licentiam audiendi ſæcularium confeſſiones, atque juriſdictionem, quam ut exerceant, dependebant olim ab approbatione ſuorum Regularium ſuperiorum, & præſentatione apud Epiſcopum, in cujus Diœceſi debebant confeſſiones excipere; nunc autem juxta Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. dependent inſuper ab Epiſcoporum approbatione, non quidem tamquam a medio, a quo juriſdictionem accipiant, uti evenit in confeſſariis ſæcularibus, ſed tamquam a conditione, ſine qua juriſdictionem, atque licentiam, quam habent a Papa, non valent executioni mandare. Id non obſcure indicant ea Decreti verba: *Dictis Fratribus, & aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt*; certe enim per ea Regularibus præ ſæcularibus declaratur indultum aliquod Sedis Apoſtolicæ, quod propterea ab Ordinariis locorum minime conſequantur, licet quoad executionem ab eorumdem approbatione tamquam a conditione dependeat, ſicuti ſequentia verba demonſtrant: *Idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis.* Quod Sedis Apoſtolicæ indultum eſt illud Clem. *Dudum*, nempe licentia ad excipiendas quandocumque, etiam paſchali tempore, ſæcularium confeſſiones; non quidem integre, ut habetur in cit. Clem., ſcilicet prævia ſola Regularium præſentatione apud Epiſcopos, & adhuc his reluctantibus, quatenus eos ſecundo præſentatos rejecerint, ſed limitate, ſeu ſuppoſita Ordinariorum approbatione, quam ut ſupra poſtmodum Tridentinum in conditionem appoſuit. Sæculares itaque cum propria apud Regulares confitentur peccata, ſatisfaciunt canoni, quia ea aperiunt confeſſariis delegatis per Sedem Apoſtolicam, & habentibus facultatem a Papa, qui dubio procul ſupremus, & proprius Sacerdos eſt in univerſa Eccleſia.

III. Secus eſt de communione paſchali, ſuper quam nulla legitur facultas Regularibus facta, quinimmo Romani Pontifices conſtanter declaraverunt, non ſatisfieri præcepto, niſi eadem ſuſcipiatur in propria Parochia de manu Parochi, unde Decretum: *Dummodo tamen iidem ſæculares chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem Parocho ſumant.* Rationem expoſcis? Libens obſequor: In confeſſione ſincere pandi debent ſecretiora, etiam cordis, quare ſi de neceſſitate facienda foret proprio Parocho,

qui & noxiora abſcondere non ſemel nonnullis dictat prudentia carnis, perſæpe exponeretur fruſtrationis periculo, aliiſque gravibus incommodis, quibus cum non ſubjaceat communio paſchalis, hæc parochiali juri merito alligata fuit, illa vero ad fidelium arbitrium etiam cuique ex approbatis Regularibus fieri indulta. Idem eſto judicium de confeſſariis ſæcularibus, ſimpliciter, & ſine ulla temporis exceptione approbatis, qui hoc ipſo confeſſiones excipiunt de licentia, ſi non Papæ, Epiſcopi, quem nomine proprii Sacerdotis relate ad ſuam Diœceſim non minus venire compertum eſt. Diximus *ſine ulla temporis exceptione approbatis*, quia cum clerus ſæcularis non gaudeat indulto Apoſtolico, ſed juriſdictionem, & licentiam audiendi confeſſiones ab Epiſcopo recipiat, ab hoc etiam prædicta licentia poteſt limitari, licet fortaſſe minime expediat, excipiatur annua confeſſio, quoties confeſſarii reperiuntur generaliter idonei. Habent autem adhuc Parochi communionem paſchalem, per quam oves ſuas paſcant ſemel in anno, & recognoſcant, nec illis deſideratur medium eas recognoſcendi per confeſſionem, non quidem per ſe ipſis adminiſtratam, ſed per atteſtationem manu confeſſarii ſubſcriptam, de qua infra ſermo redibit.

IV. Num per Communionem apud Eccleſiam Cathedralem ſatisfiat præcepto, Auctores quæſtionem inſtituunt, & communiter negative reſolvunt; addit vero Lugus *lib.* 6. *dub.* 15. etiam per Papam ſic fuiſſe definitum. Pignatellus *to.* 7. *conſul.* 89. *n.* 18., Clericatus *dec.* 48. *n.* 31., Barufaldus *de commun. paſch. n.* 43. & Bened. XIV. *to.* 1. *notif.* 18. quoddam referunt Innocentii XI. Decretum de die 5. Febr. 1682., in quo cum declaretur, Romæ communicantes in Baſilica Lateranenſi, vel Vaticana, aut nationali, præcepto non ſatisfacere, idipſum aperte inferri erutur in aliis mundi plagis de iis, qui contempta propria Parochia, ad Cathedralem communicaturi procedunt. Ego autem, ut cauſa brevitatis plurima alia taceam jura, ſolummodo præſens Decretum addo, in quo Clemens VIII. exponens caput *omnis*, clara edicit verba, communionem paſchalem ſumendam eſſe *in propria Parochia*, *& a proprio Parocho*. Quidquid enim olim fuerit, poſtquam Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 13. populum in certas, propriaſque Parochias voluit diſtingui, & unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque aſſignari Parochum, qui oves ſuas cognoſcere poſſet, & Sacramentis paſceret, Cathedralis, non amplius fructuoſe ad ſatisfaciendum præcepto, Euchariſtiam adminiſtrat fidelibus alienæ Parochiæ, ſicuti nec eorum matrimoniis valet aſſiſtere.

V. Id fallit primo, ſi Cathedralis id juris habeat ab Epiſcopo, qui eſt proprius Sacerdos in tota Diœceſi, & Parochus Parochorum; & id certe verum eſt quoad ſingulares perſonas; quoad totam vero communitatem nonnullum dubium ingerit Decr. Sacræ Congr. Concil. 29. Febr. 1744., quod ſuſtinendum non eſſe ſanxit Decretum Archiepiſcopi Neapolitani circa adimplementum præcepti paſchalis in tribus Granciis, quibus id juris fecerat, ſed potius præceptum paſchale eſſe adimplendum in Eccleſia curata, & matrice. Idipſum *in Caſſanen.* 22. Julii 1741. ab eadem Congreg. fuit definitum: cum enim Epiſcopus quædam loca ita divulſiſſet a Parochia S. Juliani, ut in iiſdem coadjutorem conſtituiſſet, a quo tamquam a Parocho familiæ eorumdem locorum Sacramenta tenerentur ſuſcipere, modus iſte approbatus non extitit. Quod ſi non probatur edictum Epiſcopi circa adimpletionem præcepti paſchalis in alia Eccleſia intra Parochiales limites conſtituta, & adhuc cum aliqua dependentia a Parocho ratione deputationis coadjutoris, vel ſubſcriptionis ſchedarum, ut in duobus productis eveniebat caſibus; multo utique minus probandum videtur, ſi id generaliter indulgeret pro Eccleſia Cathedrali, & præſertim ſine ulla dependentia a proprio Parocho. Idem judicium facito de Parocho, ita ut quidem valeat uni vel alteri veniam dare, ut in altera Eccleſia præceptum adimpleat, non tamen univerſo, vel fere univerſo populo, quia licet ſic fortaſſe conſultum fieret juribus, & honori Parochi, non tamen Eccleſiæ matris, quæ privaretur reverentiæ, & ſubjectionis, quæ ipſi debentur, argumentis, cum filii ſolverentur obligatione perſonalis acceſſus, quemadmodum definiit Rota *poſt Tambur. de Jure Abbat. dec.* 34. *n.* 6. *& in Burgen. Parochiæ auxiliaris* 20. *Apr.* 1742. §. 10. *coram Eminentiſſ. Calcagnino*. Id tamen limita, ſi gravis in oppoſitum urgeat neceſſitas, cui cum omnes pateant leges, etiam univerſim præfata dari poſſet facultas.

VI. Fallit 2. ſi Eccleſia Cathedralis gaudeat indulto Apoſtolico, quod cum quibuſcumque aptum ſit derogare legibus, abſque ullis limitibus exequi poterit, prout ejuſdem verba ſonant. 3. ſi eidem aſſiſtat immemorabilis conſuetudo, quæ juriſdictionem præbet non habenti, ſicuti ſcite ſcribit Diana *to.* 2. *tract.* 2. *reſ.* 16. *n.* 3. in favorem Cathedralis Panormi, idque extendit ad omnia Sacramenta, & quidem etiam ad matrimonium 4. dubitari poteſt de iis Cathedralibus, quibus, in diſtributione Parochiarum particularis, & diſtinctus populus aſſignatus non fuit; eæ enim videntur ſibi reſervaſſe univerſalem juriſdictionem adminiſtrandi Sacramenta omnibus de Civitate, & Diœceſi, non quidem intra limites parochiales alienos, ſed intra terminos ipſarum Cathedralium, quibus ſaltem adaptandum videtur cap. *officium* de off. Archipr., & quod ibidem ſubdit Gloſſa verb. *A foris venientes*, ubi ſtatuitur, inter cetera miniſteria Archipresbyteri Eccleſiæ Cathedralis præcipuum eſſe adminiſtrare Sacramenta omnibus de Diœceſi confluentibus ad illam; quolibet autem in caſu Eccleſia Cathedralis adminiſtret communionem paſchalem alienis parochianis, his ſemper conſignet ſchedam, ut hac media ſaltem proprius Parochus oves ſuas recognoſcere valeat, & de adimplemento præcepti certior fieri.

DECRETUM IX. CAP. IN ORD. XIX.

Epiſcopi declarare non poſſunt, quod Regulares ad confeſſiones ſæcularium excipiendas approbati, hos in Paſchate audire non valeant ſine Parochorum licentia, quia Regulares poſſunt audire Confeſſiones quorumcumque ad eos confluentium. Congr. Concil. 24. Martii 1597. 8. Jun. 1599., & 26. Martii 1671.

I. REfert Fagnanus in cit. cap. *Omnis*, quod cum Archiepiſcopus Salernitanus dubitaſſet, num Epiſcopus poſſet mandare, ne quis tempore Paſchatis confiteatur Fratribus Mendicantibus, ex exhibitione compendii ſuorum privilegiorum apparuit, hos gaudere Apoſtolica facultate ad excipiendas ſæcularium confeſſiones, etiam tempore paſchali, & quod propterea Sacra Congregatio definiit, quod ab Epiſcopis impediri non valent. Idipſum jam inſpicis declarari in præſenti iterum repetito Decreto, & jam cauſam dedimus, quia nempe Regulares a Sede Apoſtolica habent generale indultum, quod conſequenter ab Epiſcopis tamquam Papa inferioribus, non poteſt impediri, aut limitari ad Parochorum licentiam, licet poſt Tridentinum ab Epiſcoporum approbatione tamquam a conditione dependeat, ſine qua executioni licite mandari non valet. Quo Apoſtolico indulto cum clerus ſæcularis minime gaudeat, haud ambigo, quod ejuſdem facultas poſſit ab Epiſcopis limitari ad Parochorum licentiam.

II. Verum quæ de Regularibus diximus, nobis liceat aliarum Sanctionum productione roborare. *Illi Religioſi* (ſic Decr. 20. cap. in ord. 20.) *qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, cuiuſcumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittantur*. Clemens XI. in ſua Conſt. *Superna* 21. Junii 1670. Regularibus igitur, qui ad audiendas Confeſſiones regulariter idonei reperiuntur, Epiſcoporum arbitrio relictum non eſt, limitatam approbationem præbere cum exceptione alicujus temporis, ne quidem paſchalis, aut cum dependentia a licentia ipſorum approbantium Epiſcoporum, vel Parochorum, unde ibidem ſubditur, (& eſt Decr. 21. cap. in ord. 21.) *Ii vero, qui ſemel fuerint ſimpliciter approbati, poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paſchali, confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia*. Idem Clemens X. *in cit. Conſtit.*, qui ut aditum præcluderet effugiis quibuslibet, quibus ab ipſo ſtatuta quocumque modo poſſent eludi, aa ſcilicet limitando ad confeſſionem ex devotione, non ad ſatisfaciendum canoni, addendum credidit: *ſi vero* (ſic Dec. 22. cap. in ord. 22.) *qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni, quæ incipit* omnis utriuſque ſexus, *quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur*. Idem Clemens X. *in cit. Conſtit.*, cujus particula *Dumtaxat* paſchalem communionem excludit, quam per Parochos eſſe adminiſtrandam ſuperius dicebamus.

III. Æquum eſt, nunc agamus de Regularibus, qui generaliter idonei non reperiuntur, & de his idem Clemens diſponit: *Quoad ceteros vero Religioſos qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti* (ſic Decr. 23. cap. in ord. 23.) *arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipſos cum limitata facultate prout iiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere*. Idem *in cit. Conſt.*, quare nos credimus, quod ejuſmodi Regulares cum exceptione temporis paſchalis ab Epiſcopis poſſint admitti, quatenus id expedire putaverint. Cum enim præſertim tunc temporis ad pœnitentiæ Sacramentum procedant obdurati peccatores variis criminibus, pravis conſuetudinibus, atque cenſuris irretiti, profecto expediens eſt, pro eo tempore non admittantur, qui minus ex Confeſſariis idonei reperiuntur. Saltem autem expediens eſſe non poteſt, quod Regulares ejuſmodi, qui apti nati non ſunt Parochorum dependentiam ſubire, pro paſchali tempore admittantur dependenter a Parochorum venia, quæ jam, ſi idonei non ſunt, iiſdem idoneitatem præſtare non valet.

DECRETUM XIV. CAP. IN ORD. XXIV.

Non ſatisfecit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. Alex. VII. 24. Sept. 1665. oppoſitam theſim proſcribent.

I. DOctrinæ a nobis ſuperius traditæ id videtur opponi. Regulares a Pontifice juriſdictionem habent, & quatenus idonei ſint, iiſdem ab Epiſcopis approbatio denegari non valet, a qua tamquam a conditione dependent, ut prædictam juriſdictionem exerceant; credibile autem non eſt, quod Tridentinum exercitium prædictæ juriſdictionis ita Epiſcoporum approbationi alligare voluerit, ut ſi hæc adhuc injuſte denegetur, illa exerceri non poſſit, alias quippe Epiſcopis integrum foret, jus illud Apoſtolicum in Regularibus univerſim irritum facere, & Tridentinum manum daret operibus injuſtitiæ, quod abſit omnino dicere. Cum igitur approbatio injuſte denegata, haberi debeat pro conceſſa, videtur, quod confeſſio ut ſupra Regulari facta, & valida ſit, & ſatisfactiva præcepti.

II. Etenim per Decreti verba confeſſio prædicta non declaratur invalida, ſed ſolum impotens ad implendum præceptum, quaſi dumtaxat Regularis approbatus, Papali delegatione gaudeat ad excipiendas confeſſiones paſchali tempore, non autem reprobatus, licet injuſte, communionis inſtar paſchalis, quæ quia

nullam

nullam delegationem ad hanc Regularis habet, ſi fiat apud Regulares, valida quidem eſt, ſed non ſatisfactiva præcepti. Verum nobis liceat, talem confeſſionem etiam invalidam reputare, quia alias quilibet Regularis poſſet facile ſe idoneum cogitare, & judicans in cauſa propria, confeſſiones nihilominus excipere Prælatis ipſis reluctantibus, quos inter & Regulares jurgia fierent, & contentiones plurimæ. Ad quæ, & ſimilia evitanda incommoda, arbitramur, quod approbatio ſit conditio adeo eſſentialiter exacta, ut quocumque ex titulo deſit, confeſſionem reddat prorſus invalidam. Et maxime quia in Epiſcopis injuſtitia præſumi non debet, & adhuc in caſu gravaminis non deſunt Regularibus media, quibus poſſunt ſe a tali injuſtitia redimere, recurſus nempe ad Sacram Congregationem, quæ purificata Regularium idoneitate, non ſemel vel Epiſcopis juſſit, ut eoſdem approbarent, vel per ſeipſam eos approbavit, aut aliis, & præcipue vicinioribus Epiſcopis delegavit eorum approbationem.

DECRETUM XV. CAP. IN ORDINE XXV.

Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Alexand. VII. 24. Sept. 1665. theſim proſcribens oppoſitam.

I. AUctores & numero, & pondere graves, eo nixi fundamento, quod Eccleſia præcipere non valet actum mere internum, quem nec deprehendit, nec punit, arbitrati ſunt, quod ſatisfaciat præcepto, qui ita confitetur exterius, ut Sacramentum minime recipiat, vel quia non detegit peccata mere interna, aut internum prætereat dolorem, ſive propoſitum. Conſonum id videtur cap. *Omnes*, quod confeſſionem quidem præcipit, non abſolutionem; unde & Alexander IV. Cap. *Quod quidam* de Pœnit., & Remiſs. Epiſcopo Belluacenſi reſpondet, quod eorum confeſſiones, qui dicunt ſe abſtinere non poſſe, ſunt excipiendæ; quia licet vera non ſit hujuſmodi pœnitentia, admittenda tamen eſt eorum confeſſio, ac crebris, ac ſalutaribus monitis pœnitentia indicenda.

II. Qui præceptum annuæ confeſſionis contendunt non eſſe mere Eccleſiaſticum, ſed modificationem præcepti divini, ab his difficultatibus ſe facile expediunt; Deus namque præcipit, deprehendit, & punit etiam actus mere internos; nos vero ne videamur difficultatem effugere, dicere malumus, quod cap. *Omnis* confeſſionem imperat, prout eſt a Deo inſtituta, adeoque cum dolore, & propoſito interno, ac abſolutione; unde fideles obligat confiteri *omnia ſua peccata*, inter quæ & connumerantur interna, *& injunctam adimplere pœnitentiam*, quam nemo tenetur agere, qui non recipit Sacramentum media abſolutione perfectum, & undequaque validum. Eccleſia itaque præcipere poteſt illos actus internos, qui neceſſarii ſunt ad externos vel ut ſimpliciter fiant, vel ut recte fiant, aut qui conjunguntur cum externis, quare præcipiens miſſæ auditionem, præcipit & actum internum, quo quis ei velit aſſiſtere in adimplementum præcepti, & præcipiens actus virtutum, imperat & actus internos, ſine quibus actus externi non ſunt veri actus virtutum. Dum igitur ut ſupra præcipit Sacramentum pœnitentiæ, etiam jubet confeſſionem peccatorum cordis, internum dolorem, ac propoſitum, & receptionem abſolutionis, ſine quibus Sacramentum non ſubſiſtit.

III. Ad rem admodum ſunt appoſita c. 7. 8., & 17. diſt. 30., & Clem. *Ne in agro*, ubi excommunicatione plectuntur, qui putaverint contemnenda jejunia communia, aut qui in die Dominico jejunaverint in contemptum ejuſdem diei, aut ex interna ſuperſtitione, & denique Monachi, qui curias Principum adeunt, ut ſuis Prælatis, vel Monaſteriis noceant. Cum itaque ibi plectantur actus interni, quidni ab Eccleſia & plecti poterunt, qui faciunt confeſſionem voluntarie nullam ex defectu alicujus interni, etſi pœnæ quoad forum externum infligi non poſſint, donec exterius conſtet de culpa? ex quibus abunde conſtat ad argumenta; Alexander vero III. probat memoratam confeſſionem, non ut ſufficientem ad obſervantiam præcepti, ſed qua utilem ad hoc, ut a confeſſariis poſſint accedentes ſalutaribus monitis adjuvari, & ad verum dolorem, & conſtans propoſitum iidem induci.

IV. Habens duo peccata, puta furti, & perjurii, ſi attritione ſupernaturali doleat de furto ex motivo particularis turpitudinis, & invincibiliter oblitus perjurii, ſolum furtum confiteatur, facit confeſſionem validam, & informem, quia non recipit formam gratiæ ob obicem perjurii non retractati, & quæritur, an ille ſatisfaciat præcepto? Reſp. affirmative, quia ille reapſe recipit pœnitentiæ Sacramentum, licet non fructum, qui ceteroquin cum finis extrinſecus præcepti ſit, non intrinſecus, ſub præceptum non cadit. Idem eſto judicium de eo, qui invincibiliter putans accedere cum debito dolore, aut propoſito, faceret confeſſionem nullam; hic enim non facit confeſſionem voluntarie nullam, ut per ſanctionem feriri intelligatur, quinimmo cum quantum eſt ex ſe præſtet, quod arbitratur ſufficere, dignus non eſt, qui tranſgreſſor præcepti putetur; & hæc ratio item militat de præcedenti caſu, in quo non recipit Sacramenti fructum.

DECRETUM XVI. CAP. IN ORDINE XXVI.

Præcepto Communionis annuæ non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Innoc. XI. 2. Martii 1679. oppoſitam proſligens propoſitionem.

I. QUam in ſimili agentes de confeſſione annua, ſatis uberi proſecuti ſumus calamo, paucis nunc expedimus quæſtionem. Præceptum de communione vel non eſt, niſi modificatio præcepti divini, quatenus Eccleſia determinavit tempus, quo illud congruentius adimpleatur, vel ſi eſt mere Eccleſiaſticum, certe talem communionem præcipit, qualem Chriſtus inſtituit, piam ſcilicet, animæ proficuam, & vivificam, & nutritivam ſpiritualis vitæ, unde Joan. 6. *Et qui manducat me, vivet propter me;* quid enim unquam aliud indicat Cap. *Omnis*, dum Euchariſtiam *reverenter* ſuſcipi mandat; ſicuti itaque non ſatisfacit naturali præcepto ſumendi cibum ut medium ad conſervandam vitam corporalem, qui profanum cibum ſumit cum veneno, quod obex eſt, ut ille vitam nutriat, quinimmo hanc enecat, & deſtruit; ita ille, qui ſacrilege communicat, non ſatisfacit præcepto ſumendi cæleſtem cibum, cum ſimul edat, & bibat venenum animæ, & ſpiritualis vitæ juxta illud Apoſt. 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.*

II. Non ſic eſt de eo, qui invincibiliter oblitus peccati mortalis, accedit ad Euchariſtiam cum aliis actibus virtutum citra dolorem peccatorum, & multo minus ſi ille accederet etiam cum attritione ſupernaturali; ille enim valide, & non ſacrilege communionem ſuſcipit, & bona fide accedit, ſe credens eſſe in ſtatu gratiæ, & ſufficienter diſpoſitum, etſi effectum gratiæ non conſequatur ratione obicis, non retractati, hic vero etiam gratiam ſuſcipit, quam Sacramentum tunc cauſat per accidens primam, quare uterque præcepto ſatisfacit.

DECRETUM XVII. CAP. IN ORDINE XXI.

Confeſſores Regulares cogendi non ſunt habere libros, in quibus ſcribantur nomina pœnitentium, quod Parochorum proprium eſt, ſed ſufficit, quod pœnitentibus in ſcriptis conſignent atteſtationem ſchedulam, ubi eſt præceptum, vel conſuetudo, ut eam Parocho exhibeant tempore Paſchalis. Congreg. Concil. 18. Martii 1586.

I. TAmquam præambula præmittenda cenſemus quædam dubia cum opinionibus Theologorum, quæ circa confeſſionem annuam communiter excitantur. Primum eſt, num qui nullius ſibi conſcius eſt peccati lethalis, vel venialis, debeat ſemel quotannis confiteri? Affirmat Alexander 4. *par. qu.* 18. *membr.* 4. *art.* 1. §. 2., ita tamen ut ejuſmodi homo ſe ſiſtere debeat coram Sacerdote, & generatim ſe confiteri peccatorem. Negat communis opinio, tum quia textus habet, *ſua omnia confiteatur peccata*: tum quia tota deeſt præcepti, & legis materia, & ſubſtantia.

II. Secundum excitatur de eo, qui venialibus ſimul, & lethalibus criminibus eſt obnoxius, aut qui ſolis tenetur venialibus. Illum nemo ex Auctoribus a confeſſione mortalium liberat, quiſquis vero item abſolvit a confeſſione venialium, quod hæc ſint materia confeſſionis libera, quæ in caſu neque per accidens ratione præcepti poteſt fieri neceſſaria, cum jam habeatur materia neceſſaria, ſcilicet peccata mortalia. Hunc autem, nimirum qui ſolis obſtrictus eſt venialibus, quamplures obligant ad confeſſionem aliquorum, non omnium, quia etiam venialia ſunt vere, & proprie peccata, & textus habet; *omnia ſua confiteatur peccata*; communior tamen ſententia eumdem abſolvit; tum quia præceptum Eccleſiaſticum non eſt, niſi modificatio præcepti divini, & jure divino nemo cogitur ad confeſſionem venialium, tum quia textus *omnia peccata* jubet eſſe confitenda, quare neceſſe eſt diſponat de ſolis lethalibus, cum credibile non ſit, quod Eccleſia ad omnium peccatorum venialium, quæ non ita facile diſcernuntur, confeſſionem fideles compellat.

III. Sotus ulterius progreditur, & *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 1. *art.* 3. videtur aſſerere, quod Eccleſia nec poteſt imperare confeſſionem venialium, quia id eſſet materiam novam Sacramenti facere, & mutare veterem a Chriſto conſtitutam, nam ex Chriſti inſtitutione peccata venialia ſunt ſolum materia apta, & voluntaria, & tunc eſſent neceſſario confitenda. Contra Sotum inſurgunt Cajetanus, Navarrus, & alii, & cum venialium confeſſio ſit opus, & officium virtutis, & uſus utilis, & ſalutaris Sacramenti, nihil vetare aſſerunt, quod ab Eccleſia poſſit præſcribi, ſicuti plura alia opera, quæ ſunt in ſolo conſilio, Eccleſia præcipere poteſt, & tunc fiunt nobis in præcepto, quæ antea ſolum erant in conſilio. Etſi tamen tunc venialia ſint, neceſſario confitenda, non propterea ſunt materia neceſſaria Sacramenti, quod adhuc ea lege poſita, poſſunt extra confeſſionem deleri, & aliis remediis expiari, ubi quia peccata lethalia ſunt materia neceſſaria, non dimittuntur, niſi per confeſſionem in re, vel voto ſuſceptam.

IV. Num adſit certum, & definitum tempus, quo tale præceptum debeat impleri, tertium efformat dubium, in quo duæ contrariæ verſantur ſententiæ. Prima communior in utilem præcepti adimpletionem aſſignat totum anni ſpatium, quia textus habet: *ſemel quotannis confiteatur*. Altera vero præceptum urgere ſentit quadrageſimali tempore, quod proxime præcedit Paſcham, vel ipſo paſchali tempore; & id videtur uſu receptum, & a Tridentino probatum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *in fine*; unde etiam Sixtus IV., in conſt. *Nos illius* inter extravagantes communes *de Tregua*, *Pace* Mendicantibus præcipit, ne doceant, Parochianos minime obligari ſaltem in paſchate ad confitendum Sacerdoti, cui de jure communi quilibet quotannis in paſchate confiteri debet.

V. Quartum dubium agitat, an præceptum annuæ confeſſionis ſit datum cauſa Euchariſtiæ idonee ſuſcipiendæ, an

potius abſolute & per ſe? Quidam ſenſerunt nullum eſſe præceptum per ſe, ſed ſolum ratione Euchariſtiæ, ad quam idonee recipiendam præexigitur ſacra peccatorum confeſſio; communi tamen ſententia receptum eſt, dari præceptum per ſe, quia cit. cap. *Omnis* utrumque præcipit, & ut quiſque ſemel in anno confiteatur, & ut in paſchate Euchariſtiam ſuſcipiat; quod & probat Eccleſiæ praxis, dum citius ad confeſſionem aſtringit pueros, quam ad communionem.

VI. Denique quintum dubium eſt, qua ratione annus computari debeat, cum Eccleſia imperat, ut ſemel in anno confiteamur; & hac in re tres ſunt ſententiæ, quarum prima eum computat a tempore, quo quis confeſſus eſt; ſecunda a prima die Januarii, prout eſt in uſu, & conſuetudine hominum, cui jura adaptari præſumuntur, quando aliud non exprimunt; tertia vero eumdem putat incipere ab una Paſcha ad alteram, ſicuti computatur annus Eccleſiaſticus, ad quem pertinet confeſſio annua, & non ad profanum, qui incipit a prima die Januarii.

VII. Hæc modo noſtrum judicium expectant, cui viam ſternat expoſitio præſentis Decreti, a quo edocemur, quod fideles, ubi eſt præceptum, vel conſuetudo, tenentur in Paſchate exhibere Parocho confeſſionis ſchedulam, utique alias a communione arcendi. Non niſi præmunitos confeſſione peccatorum ad eſum Euchariſtici cibi in Paſchate eſſe admittendos, ſtatuere ſynodi Lingonenſis anno 1542. Burdigalenſis anno 1582. Bituricenſis anno 1584., aliæque permultæ apud Natalem Alexandrum *de Euch. cap. 1. art. 3. reg. 9.*, quibus ego adjicio Acta Eccl. Mediol., quæ *to. 1. pag. 387.*, *&* *661*, *editionis Lugdunenſis* etiam meminere ſchedulæ: *Non adminiſtretur in Paſchate SS. Euchariſtiæ Sacramentum, niſi confeſſis ſibi, aut alicui ex confeſſariis approbatis, de qua confeſſione fidem ſcriptam ferant.*

VIII. Præceptum confeſſionis annuæ quadrageſimali, vel Paſchali tempore urgere, ſuperius producta Decreta ubertim etiam indicant, dum, ut declarent per confeſſiones factas apud Regulares eidem ſatisfieri præcepto, Regularibus aſſerunt Apoſtolicum indultum confeſſiones ſæcularium excipiendi *etiam quadrageſimali, vel Paſchali tempore*. Rituale item Romanum *de ſepult.* plectit privatione ſepulturæ *eos, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta confeſſionis, & communionis in Paſcha*. Accedit, quod Sixtus IV. *conſt. cit.* aperte dixit, quod *jure communi quilibet Parochianus debet quotannis in Paſcha proprio Sacerdoti confiteri*, & dubium quodlibet Tridentinum videtur adimere, dum *ſeſſ. 14. cap. 5. in fine* relato Decreto, atque probato de confitendo ſemel in anno, ſubdit: *unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animorum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili, tempore quadrageſimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum.*

IX. Quibus præſuppoſitis nos certi juris putamus, præceptum prædictum non habere certum, & definitum tempus, ſed totum anni ſpatium, cum cap. *Omnis* aperte tenſat, *ut quiſque ſemel in anno confiteatur*; ratione vero conſuetudinis, & juris ſpecialis alicubi recepti, urgere quadrageſimali, vel paſchali tempore; nihil enim impedit, quod confeſſio, quæ de jure communi ſemel in anno fieri debet, alicubi, neceſſe ſit, fiat tempore determinato, conſuetudine, vel ſpeciali jure ſic interpretante, ac declarante jus commune. Quare dum Sixtus IV. ait, *jure communi debet Parochianus*, non intendit, quod per cap. *Omnis* confeſſio indicatur paſchali tempore, cum illud diſerte nimis eamdem præſcribat *ſemel in anno*, ut id rite potuerit dicere, ſed dumtaxat innuit, jus commune in memorato capite conſtitutum, conſuetudine fere ubique recepta, declaratum fuiſſe, ut confeſſio annua fieri debeat tempore quadrageſimali, vel paſchali. Id clarius indicat Tridentinum, dum in primis abſolute ſtatuit, quod ex Decreto Concilii Lateranenſis, quiſquis *ſemel in anno* confiteri debet, & poſtea ſubdit, quod inde devenit in univerſam Eccleſiam ſalutaris mos confitendi tempore quadrageſimæ. *Quem morem* (ſedulo verba nota) *hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur*, non tamquam ubique obligatorium, ſed ſolum, ubi ſic recepta conſuetudo obtinuit, & ferunt ſpecialia jura, ſed *tamquam pium, & merito retinendum*, quatenus nempe illud aptius tempus eſt, in quo præceptum adimpleatur, cum ſic & ſimul confeſſio deſerviat ad celebrandam Paſcham cum majori animi puritate, & ad dignius accedendum ad eſum euchariſtici cibi. Hinc autem ubertim habes, quos ad limites trahas, quod ex Rituali Romano productum fuit, necnon ex laudatis Decretis, quæ nonniſi ratione memoratæ conſuetudinis Regularibus adjudicant indultum Apoſtolicum excipiendi confeſſiones ſæcularium tempore paſchali, ut ſignificent ſatisfieri præcepto per confeſſiones habitas apud Regulares, non autem quia de jure communi confeſſio eo tempore fieri debeat.

X. Conſuetudo ejuſmodi, ubi inducta eſt animo ſe obligandi, aut ipſi aſſiſtunt ſpecialia jura, obligatoria eſt, ſecus vero, ubi inducta tantummodo fuit cauſa dignius ſumendi ſacram Euchariſtiam, vel devotius celebrandi Paſcham, inibi tamen laudabilis adhuc eſt, admodum pia, & ut habet Tridentinum, *merito retinenda*, licet poſtea ſatisfiat præcepto, in quocumque alio anni tempore habeatur confeſſio. Si hanc cauſam dixeris, ob quam præſens Decretum exigit præceptum, vel conſuetudinem, ut fideles compellat ad exhibendam Parochis confeſſionis ſchedulam tempore Paſchatis, abſit, quod ego refrager pro locis, in quibus præceptum eſt, vel conſuetudo obligatoria confitendi tali tempore, ut ſic Parochi certi fiant de adimpletione præcepti, antequam fideles ad ſacram Synaxim admittant. Quod ſi id extendas ad loca, quæ non habent præceptum, vel conſuetudinem obligatoriam confeſſionis pro eo tempore, poteſt quidem exigi confeſſionis ſchedula, ſed non quæ habita fuerit quadrageſimali, vel paſchali tempore, ſed quæ intra anni ſpatium, & adhuc Parochus teneretur accedentibus ſacram ſynaxim præbere, quia confeſſionis præceptum totum annum in utile habet ſpatium, & ſacræ Euchariſtiæ ſumptio non præexigit neceſſario peccatorum confeſſionem, ſed ſolum ſtatum gratiæ, in quo quilibet præſumitur, niſi conſtet oppoſitum.

XI. Confeſſionis autem ſchedula nedum exigi poteſt, ubi præceptum, vel conſuetudo obligatoria ut ſupra eſt confeſſionis prædicto tempore habendæ, ſed ubivis, modo tamen, qualem deſcripſimus, licet eamdem non expediat exigi, ubi non viget conſuetudo eam exigendi. Divus Thomas *quodl. 1. art. 12.* quæſtionem inſtituit, *utrum ſacerdos parochialis debeat credere ſuo ſubdito dicenti ſe eſſe confeſſum, ut propter hoc ei Euchariſtiam det*, & eamdem affirmative reſolvit, *quia in foro pœnitentiæ creditur pœnitenti pro ſe, & contra ſe, & pari ratione poſſet falſum dicere confitendo*. Hæc eſt cauſa, ob quam non expedire diximus, quod confeſſionis exigatur ſchedula, ubi eam exigendi uſus non eſt; ceterum quod exigi ea valeat, dubium non eſt, cum ſit medium unicum, per quod ſuper adimpletione præcepti certi fieri poſſunt Parochi, quibus a Rituali committitur, ut tranſgreſſores Ordinariis denuntient, conſtitutis utique plectendos pœnis, quas etiam tranſgreſſores præcepti ſolius confeſſionis ſuperius manere dicebamus. Quam ex D. Thoma dedimus, fortaſſe item eſt cauſa, ob quam ab exactione confeſſionis ſchedulæ eccleſia generaliter abſtinet, & nihilominus accedentibus communionem præbet, ad quam ſufficienter cenſetur diſpoſitus, qui nullius conſcius eſt noxæ lethalis.

XII. Nunc deſcendimus ad id, quod de confeſſariis Regularibus ſubdit Decretum, quod nempe *cogendi non ſunt habere libros, in quibus ſcribantur nomina pœnitentium*, & inſimul rationem reddit, *quia id Parochorum proprium eſt*, qui ſingulis annis debent diſtinctim deſcribere univerſos ſuæ curæ commiſſos, qui cum ſint doli capaces, reſpective tenentur ad Sacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ut congruo tempore diligenter cognoſcere valeant vultum pecoris ſui, & tranſgreſſores denuntiare; hic autem liber dicitur *liber ſtatus animarum*, qui a Rituali *tit. 93.* a quibuſvis Parochis teneri mandatur, ejuſque meminit Tridentinum *ſeſſ. 22. de Reform. cap. 1.* Quam recognitionem quum ut Parochi, ubi uſus eſt, etiam quoad confeſſionem habere valeant, Decretum Regularibus præcipit, ut ſuis pœnitentibus conſignent atteſtationis ſchedulam ſuper confeſſionem annuam, quam ex privilegio Apoſtolico valent excipere.

XIII. Hora eſt, noſtrum promamus judicium ſuper dubia, quæ ſuperius una cum auctorum ſententiis dedimus, atque rationibus. Qui itaque tenetur noxis lethalibus, earumdem omnes debet utique Sacramento ſubjicere, non tamen veniales, ſi his etiam reperiatur infectus; veniales enim culpæ ex ſe non ſunt neceſſario confitendæ, & in caſu neque per accidens, cum jam habeantur mortales, per quarum apertionem perficitur Sacramentum, & adimpletur præceptum. Adſtrictus ſolis venialibus ad aliquorum confeſſionem tenetur, non omnium; quorum autem, confitentis relictum eſt arbitrio. Si namque non teneretur ad confeſſionem, quiſquis poſſet eludere Parochos cauſando defectum mortalium, & nunquam tuto poſſent feriri tranſgreſſores pœnis per canonem conſtitutis. Sane in Clem. *Ne in agro Dominico* præcipitur Monachis, ut ſingulis menſibus ſublata occaſione quacumque ſemel ſaltem ad confeſſionem accedant; quod & præcipere, immo & frequentius, Sacerdotibus ſæcularibus ſolent Epiſcopi, exigentes ab eis inſuper confeſſionis ſchedulam; ergo opus eſt, etiam qui ſolis tenetur venialibus, ad confeſſionem obligare intendat Eccleſia, cum fieri non poſſit, quod omnes Sacerdotes, & Monachos tam crebro lethalis conſcientia premat.

XIV. Non obſtringitur autem ad confeſſionem omnium venialium, quia ad horum confeſſionem non tenetur, niſi per accidens, ratione ſcilicet adimplendi Eccleſiaſtici præcepti, ad quod ſufficit confeſſio cujuſcumque venialis; unde cap. *Omnis* dum habet *Confiteatur omnia ſua peccata*, de mortalibus quidem loquitur, quorum ſi aliquod taceatur, confeſſio evadit ſacrilega; non ita tamen de iiſdem diſponit, ut ſi quis ſolis venialibus ſit obſtrictus, horum aliquod non teneatur Sacramento ſubjicere ad implendum præceptum, quod cum ſit impoſitum univerſitati fidelium, ex hoc ipſo titulo videtur etiam comprehendere ut ſupra venialia in defectu mortalium, quibus poſſibile non eſt, quotannis infecta ſit multitudo fidelium; & maxime quia textui æque erat facile dum dixit *Confiteatur omnia ſua peccata*, addere *mortalia*, ſi venialibus in quocumque caſu voluiſſet parcere.

XV. Hinc ſi quis inferat eum, qui nullis obſtrictus eſt venialibus, teneri ad confeſſionem aliquorum ex peccatis olim confeſſis, & abſolutis, videtur quidem conſequenter loqui ad ſuperius a nobis tradita, cum non minus hæc ſint materia ſufficiens, & apta, & non minus itidem poſſint eſſe materia conſilii, & alias cauſando defectum etiam venialium, poſſet quilibet Parochos, & pœnas ſtatutas eludere; quæ ſunt rationes, ob quas nos fideles obſtrinximus ad confeſſionem venialium. In contrarium tamen eſt doctrina D. Thomæ, qui *quodl. 1. art. 12. ad 1.* habet: *Non poteſt aliquis aſtutus*

homi-

hominis auctoritate compelli ad confitendum peccatum, quod alteri confeſſus eſt, qui abſolvere potuit, quia confeſſio peccatorum quoddam ſacramentale eſt divino imperio ſubjacens, non humano. Verum nos, qui venialium peccatorum, quæ jure divino confeſſioni neceſſario non ſubjacent, confeſſionem indicimus ad ſatisfaciendum præcepto, ſuper Eccleſiæ auctoritate circa peccata confeſſa, & abſoluta tricari nolumus, neque immorari, ſed magis dicere, quod cum peccata olim confeſſa, & rite abſoluta jam amplius peccata non ſint, utpote per pœnitentiam deſtructa, atque deleta, nullatenus ſubjecta eſſe poſſunt cit. cap. *Omnis*, quod fideles obligat confiteri *Omnia ſua peccata*, quibus ſcilicet obſtringuntur, & non quibus olim tenebantur, & amplius non ſunt.

XVI. Ubertim hinc habet, confeſſionis lege minime teneri, qui vitam etiam venialibus immunem ſemper traducit; huic enim & deeſt materia ſufficiens confeſſionis; unde etiam Eccleſiaſticæ conſecutæ inde legis, quæ cum peccatorum confeſſionem præcipiat, conſequenter nec ſe ſiſtere Sacerdoti obſtrictus eſſe poteſt, cum ei confeſſionem peccatorum facere non valeat. Habet vero ſpiritualis Paſtor, unde adhuc vultum pecoris ſui agnoſcat, conſiderando exterius vitam ejus, licet non per confeſſionem, vel confeſſionis ſchedulam. Et ſane qui in pelago hujus vitæ, in quo tam crebræ agitantur procellæ, occurruntque occaſiones periclitandi, per totum vitæ curſum, vel adhuc unum annum ſine ulla, ne quidem veniali culpa vitam tranſigit, ſubminiſtrat Parocho, & unde credat ei, quæ ſibi ab illo dicuntur, & unde diſcat ſpiritualiter proficere in hac lacrymarum valle.

XVII. Quantum vero ad tempus, in quo præceptum obligat, jam late diximus ſolum vi ſpecialium ſtatutorum, vel conſuetudinis obligatoriæ, reſtrictum eſſe poſſe ad paſchale tempus, ex ſe autem, & de jure communi totum anni ſpatium habere utile, quem incipere a Paſchate, & deſinere in ſequenti Paſcate, dicemus infra, agentes de communione annua, ubi debuntur alia plurima de confeſſionis præcepto. Quod ſi totum anni ſpatium utile habet confeſſio, hujus utique præceptum datum non eſt cauſa Euchariſtiæ idonee ſuſcipiendæ, ſed per ſe, & ſeorſim obligat, quare qui vel nullius, vel ſolius venialis culpæ conſcius, in Paſchate communionem ſuſcipit, communionis quidem legem ſervat, confeſſionis non item, ſi poſtmodum intra annum in mortalem lapſus, hanc, vel venialem, qua tenebatur, negligat confiteri.

XVIII. Duo dubia præſentis Decreti expoſitionem claudant. Primum eſt, num ſemel confeſſus in anno, ſi in eodem anno in lethale peccatum labatur, confiteri eo anno iterum debeat? Reſp. negative, nam iſte jam implevit Eccleſiæ legem, quæ ſolum *ſemel in anno* confiteri jubet. Alterum vero eſt de eo, qui ſemel in anno confeſſus, poſt confeſſionem meminit, ſe oblitum eſſe alicujus noxæ lethalis; & hunc dicimus differre poſſe confeſſionem prædicti peccati ad annum proxime ſequentem, quoniam integram ipſe formaliter fecit confeſſionem omnium ſuorum peccatorum, licet non materialiter, unde quantum eſt de ſe, ſatisfecit Eccleſiæ legi de annua confeſſione peccatorum omnium.

DECRETUM XVIII. CAP. IN ORD. XXVIII.

Intelligimus optimo jure ſatisfactum eſſe canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel intra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem fideles præparatione debita Sanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere. Eugenius IV. Conſt. *Fide digna* 8. Julii 1440.

I. QUid veniat nomine Paſchatis, in quo ad ſatisfaciendum canoni quivis fidelis tenetur Euchariſtiam ſuſcipere, non una vox eſt Auctorum, aliqui ad ſolam Reſurrectionis diem caput limitant, & favorabilia videntur habere illa Decreta, quæ propterea eamdem ſolam diem excipiunt, dum Regularibus facultatem faciunt adminiſtrandi Euchariſtiam. Extendunt alii ad diem Dominicæ Cœnæ, & conſuetudinem allegant, & denique Panormitanus duos item ad Paſcham conſequenter dies putat utiles, qui veluti ſunt extenſiones quædam ejuſdem diei Paſchatis. Liberalius eſt præſens Decretum, quod ſpatium dictum quindecim ad rem fructuoſum declarat, *a Dominica nempe Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive*, & cum ſtatuat, *huic ſententiæ debere omnes acquieſcere*, quoſcumque alios enecat dicendi modos. Et quidem ſi tale præceptum ſoli diei Paſchæ alligatum eſſet, onerolum nimis foret tum Parochis, tum fidelibus ipſis, & obſervatu valde difficile. Parochis quidem, qui frequentem habent populum, & quandoque ex clero non, vel vix aliquem adjutorem; & præſertim quia & excipiendis confeſſionibus, & communicandis, & aſſiſtendis infirmis deberent itidem eſſe intenti, ut taceam munera alia miſſarum, & officiorum divinorum, in quibus ea die occupantur.

II. Opus non eſt, nec nieam, quod iſte Parochorum incommoda non minus indirecte in Parochianos reflectunt, qui inſuper cum variis deſtineantur curis, & vacare debeant cuſtodiæ puerorum, infirmorum, & rerum domeſticarum, & eorum itidem plurimi a Parochiali ſint valde diſſiti, profecto in ſolo die Paſchæ prædictum præceptum toti fidelium turbæ fieret obſervatu difficile, adhuc ubi plurimus eſſulit clerus; quid autem, ubi ſolus Parochus, vel unus, alterve de clero? His ſi addantur melior conſcientiæ diſpoſitio, dignior mentis devotio, plenior animi ſerenitas, aliæque diſpoſitiones quamplurimæ, quas tanti expoſcit dignitas Sacramenti, & ſpiritualium fructuum copioſior ubertas, quas pro libito habere in noſtro non eſt poſitum arbitrio, rationem, profecto fas eſt, faciat Decreto, quod unam dumtaxat, vel alteram non addidit diem, ſed memoratos quindecim utiles dies declaravit. Quæ dicta ſunto ſine præjudicio illorum locorum, ubi conſuetudo latius concedit ſpatium, Eugenius quippe IV. non intendit ad ſtrictiores terminos arctare utile ſpatium, ſed ad ampliores extendere, & adeo, ut motiva, quæ ſuæ conſtitutionis adduxit, impulſiva ſolummodo cenſeri debeant, ac per conſequens, quod adhuc præcepto ſatisfaciant, qui ex ſolo corpore uſque ad Dominicam in Albis communicare diſtulerint, ut non obſcure eruitur ex verbis, quæ ſubdimus.

III. Sunt autem ejuſmodi verba, quibus Eugenius utitur in exponendo cit. canone: *Dicimus expreſſe, non intentionis legiſlatoris fuiſſe, animas illaqueare fidelium ſub culpa mortali ad communicandum præciſe in die Reſurrectionis Dominicæ, ſed terminos ſtatuiſſe a Paſcha ad Paſcham, tum dicat* ſemel in anno, *& infra* ad minus in Paſcha &c. *Mens enim magis, quam verborum ſonus, eſt attendenda diſcrete. Intelligimus itaque, &c.* ut in producto Decreto. Duas particulas, quibus canon afficitur, Eugenius ponderat, & ex iiſdem duo eruit præcepta virtualiter diſtincta, primum ex iis verbis *ſemel in anno*, & hoc eſt præceptum communionis annuæ, cujus limites ſtatuit *a Paſcha ad Paſcham*; alterum vero ex conſequentibus verbis *ad minus in Paſcha*, præceptum ſcilicet communionis paſchalis, cujus terminos aſſignat *a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive*, ſi non ex vi ſoni verborum Canonis, ex intentione legiſlatoris, uti diſerte ſe exprimit.

IV. Quæ præcepta etſi bina ſint, communionem non multiplicant, ita ut ultra paſchalem communio alia intra annum ſit habenda, ſed cum paſchalis habeatur intra annum, per eam ſatisfit etiam præcepto communionis annuæ. Non ſic tamen eſt de communione annua, per quam non ſatisfit paſchali, niſi habeatur intra quindecim dies, quibus ut ſupra eſt addicta. Præceptum annuæ non eſt, niſi divinum præceptum, quod ab Eccleſia interprete declaratur obligare ſemel in anno ad conſervationem ſpiritualis vitæ; præceptum vero communionis paſchalis eſt mere Eccleſiaſticum, latum ad ſolemnitatem temporis, in quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & cum diſcipulis ſuis paſcham celebrans, ſui eoſdem participes fecit ſacri corporis, ut non obſcure denotant ipſa verba Decreti.

V. Diſputant Theologi, num qui communicare omiſit in Paſchate, teneatur poſtea quamprimum communicare? Negat D. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 19., & ait, quia quando aliquid præcipitur pro tempore determinato, hoc elapſo ceſſat obligatio, unde non tenemur ſupplere omiſſum jejunium, vel divinum officium. Affirmat ſententia longe communior, quæ diſtinguit inter præcepta, & horum illa, quæ habent tempus præfixum ad finiendam obligationem, cum ipſo tempore expirare ſenſit, ſecus vero ille, quæ ſolum habent determinatum tempus ad non ulterius differendam ſatisfactionem, remque exemplificat in eo, qui tenetur ſolvere *v. g.* centum aureos in paſchate, in quo ſi eos non ſolvit, non propterea liberatur ab onere eoſdem ſolvendi, quamprimum poteſt. Rituale Romanum hanc ultimam ſententiam pro communione paſchali approbare videtur, dum in paſchate communicare omittentes, poſt octavam Paſchæ ſæpius mandat admoneri, ut communicent, & quatenus non pareant, eoſdem denunciari Ordinariis. Id autem Prælati præſtant non per impoſitionem novi præcepti, cujus propterea obligatio, opus eſt, adhuc perſtet, unde & eos, qui obſequi negligunt, pœnis plectunt tantummodo, quæ jam per Cap. *Omnis* conſtitutæ ſunt contra tranſgreſſores communionis paſchalis.

VI. Verum cum neutra ex his ſententiis bina ut ſupra diſtinguat præcepta, utraque habet, unde carpatur. Prima verum quidem dicit in eo, quod cum tempore elabi putat obligationem communionis paſchalis inſtar aliorum præceptorum, quæ determinato tempori ſunt alligata; ſed peccat in eo, quod eum, qui non communicavit in Paſchate, ab onere communicandi poſtea omnimode liberat contra Eccleſiæ praxim, quæ poſt paſcham adhuc eumdem communicare adſtringit. Secunda autem verum itidem dicit, dum adhuc poſt Paſcham obligationem communicandi putat urgere; ſed poſtea peccat, quia communionem, quæ adhuc inſtat, cenſet eſſe communionem paſchalem contra Eccleſiæ praxim, quæ dum eum, qui prætermiſit communicare in Paſchate, in ſequenti Paſchate ad binam communionem non obligat, aperte commonſtrat, præceptum communionis paſchalis expiraſſe cum tempore, cui eſt affixum, alias ad triginta communiones deberet illum obligare, qui triginta annis communionem paſchalem neglexiſſet ſuſcipere, ſicut obligatio debitoris centum aureorum in quolibet Paſchate, ſemper creſcit juxta numerum annorum, quibus ſolvere omittit.

VII. Nos itaque bina ut ſupra diſtinguentes præcepta, dicimus eum, qui communionem prætermiſit in Paſchate, adhuc quidem ad communionem teneri poſt Paſcha, non ad ſatisfaciendum præcepto communionis paſchalis, cujus obligatio cum ipſo tempore expiravit, ſed ad implendum præceptum communionis annuæ, quod cum media communione paſchali adimpletum non fuerit, obligare non deſinit, donec ejus terminus, qui eſt a Paſcha ad Paſcham, non fuerit elapſus. Eccleſia itaque tranſgreſſores communionis paſchalis, adhuc poſt Paſcham ad communionem obligat, non quidem ad paſchalem, ſed annuam, & ad hanc (quæ latius habet ſpatium, & uſque ad ſequentem Paſcham ex ſe utiliter impletur) intra con-

congruum, quod aſſignat, ſuæ obligationis tempus anticipandam eoſdem compellit ſub comminatione pœnarum, quibus jam puniendi forent ob tranſgreſſionem præcepti paſchalis, & a quarum inflictione de ſua benignitate Eccleſia ultricem manum cohibet, ſi forte illi reſcipiſcant, ſuiſque mandatis per anticipationem communionis annuæ intra aſſignatum tempus ſe præbeant obſequentes. Etſi autem iſti lethaliter peccaverint in omiſſione præcepti paſchalis, non tamen denuo peccant, ſi intra aſſignatum tempus communionem annuam non perfecerint, dummodo intra annum eamdem expleant, quia mandatum de anticipanda ut ſupra communione annua pure pœnale eſt, quod conſequenter ad pœnam obligat, non ad culpam; peccabunt vero iterum contra divinum præceptum, ſi intra annum communicare neglexerint, poſt annum vero prædictæ communionis lege minime tenentur.

VIII. An qui non communicavit in Paſchate, bene vero v. g. in antecedenti Epiphania, teneatur poſt Paſcham communicare, Roſignolus *de Euch. c. 8. art. 3. num.* 5. quæſtionem inſtituit, eamque negative reſolvit, illumque dumtaxat obligat ad communicandum iterum in Epiphania ſequenti, ne ultra annum differatur communio contra canonem, qui *ſemel in anno* quemlibet communicare demandat. Sermo eſt de communione annua, nam quoad paſchalem ſi quis eam omittat in Paſchate v. g. anni 1749., peccat eam omittendo, & licet poſtea communicet in Epiphania 1750., adhuc tenetur iterum communicare in Paſchate 1750., quia communionis paſchalis præceptum utiliter non impletur, niſi a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis cujuslibet anni. Quoad annuam vero, qui paſchalem anni 1749. omiſit, ſi communicet in Epiphania 1750., illius præcepto ſatisfacit, quia cum communio annua obligare incipiat ab uno Paſcha ad ſequens Paſcha, communionem annuam ille peragit intra annum 1749., qui quoad rem, de qua agitur, non deſinit, niſi in Paſchate 1750., quare qui communicavit in Epiphania 1750., cum communionem nihilominus intra annum 1749. quoad rem peragat, & non in anno 1750., qui ſolum incipit in Paſchate 1750. ut dicebamus, ſatisfacit quidem communioni annuæ 1749., ſed non 1750., ſed hanc non tenetur explere in Epiphania 1751., ſed utiliter poteſt eamdem differre uſque ad Paſcha 1751. excluſive, uſque ad quam durat annus 1750., & in qua incipit annus 1751. Pro adimpletione namque communionis annuæ nihili refert, quod inter unam communionem, & alteram mediet pluſquam ſpatium unius anni, dummodo adimpleatur, antequam elabatur annus, cui eſt addicta; unde qui communicavit in Paſchate 1749., & differt communionem alteram v. g. uſque ad Dominicam Paſſionis 1751., nullum præceptum communionis annuæ infringit, licet peccet per omiſſionem communionis paſchalis 1750., quia eam facere negligit intra quindecim dies, quibus eſt affixa. Et quidem qui communicavit in Paſchate 1749., non peccat contra præceptum communionis annuæ 1749., quia per communionem paſchalem ſatisfacit etiam annuæ 1749., qui deſinit in Paſchate 1750. Qui vero communicat in Dominica Paſſionis 1751., etſi intra annum 1750. nullam aliam communionem egerit, adhuc ſervat præceptum communionis annuæ 1750., quia reapſe adhuc illam peragit intra annum 1750. qui ſolum deſinit in Paſchate 1751. præceptum enim communionis annuæ, cujus termini juxta Eugenium IV. ſunt a Paſcha ad Paſcham, neceſſe non eſt, quod adimpleatur in principio anni, ſed ſufficit, quod intra annum expleatur.

IX. Annus itaque, quem communio annua in utile habet ſpatium, Eccleſiaſticus eſt, non naturalis, adeoque aliquando longior, quandoque brevior anno naturali; ſeu eſt totum illud ſpatium temporis, quod eſt Paſcham unam inter & alteram, paſchæ adhuc nomine non rigoroſe ſumpto pro ſolo die Reſurrectionis, ſed & pro totis quindecim diebus, quos Eugenius putat utiles ad adimplendum præceptum, ita ut annus communionis annuæ v. g. 1749. incipiat a Dominica Palmarum ejuſdem anni, & deſinat in Dominica in Albis inſequentis anni 1750. Quæ omnia dicta itidem ſint de confeſſione annua, ita ut quatenus annua ipſa eſt, ſit præceptum divinum, cui reſpective applicari debeant omnia, quæ ſtatuta ſunt de communione annua; quatenus vero ipſa eſt paſchalis pro locis, in quibus habentur ſpecialia jura, aut conſuetudo obligatoria, eadem ſit præceptum Eccleſiaſticum, de quo dici debent, quæcumque diximus de communione paſchali, niſi fortaſſe quoad ejuſdem utile ſpatium, cujus amplitudinem jura ipſa declarent, aut conſuetudo. Qui autem omittit communionem in Paſchate, debent annuam, quæ ejuſdem loco exigitur, perinde ſumere de manu Parochi, ac ſi eſſet paſchalis, ut de obedientia certa fieri poſſit Eccleſia, & Parochus ſemel ſaltem in anno oves ſuas paſcere, & recognoſcere.

DECRETUM XIX. CAPITIS, IN ORDINE XXIX.

Communionis in Paſchate præceptum poteſt extendi in longius tempus ex Epiſcopi, aut Parochi diſpenſatione rationabili, veluti ſi timeatur de relapſu in peccatum, ſeu gravitas delicti perpetrati id requirat, aut ſi cauſa alicujus forenſis expeditionis impediat conſcientiæ ſerenitatem. Congreg. Concil. 19. Novembr. 1619.

I. EN quæ conſequenter canon habet: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Paſchalis communio itaque per Eugenium IV. non ita alligata fuit memoratis quindecim diebus, ut etiam poſt octavam Paſchæ differri non valeat, *dummodo adſit cauſa rationabilis*, cujus quidem a Decreto producuntur exempla, ſed dictio *veluti*, qua Decretum utitur, abunde indicat, idipſum fore in aliis caſibus juxta rerum contingentiam, *accedente tamen conſilio proprii Sacerdotis*, explicat Sanctio *Epiſcopi, aut Parochi*. An his id privative competat, affirmat Roſignolus *de Euch. qu. 8. art. 3. nu.* 8., ſed Puteobonellus *de Euch. qu. 2. art.* 2. id ſatius etiam extendit ad confeſſarium, cui ſuam pœnitens aperit conſcientiam. Parochi enim, & Epiſcopi non poſſunt rectum judicium facere ſuper ſtatum, & diſpoſitionem fidelium, niſi ipſi vel in confeſſione, aut extra ultro iiſdem pœnitentes conſcientiam detegant; ad quod Eccleſia fideles obligandos non eſſe putavit ad præcavenda abſurda plurima, quorum ſuperius meminimus. Haud tamen denegaverim teneri pœnitentem, quatenus fuerit requiſitus, certiorem facere Parochum, vel Epiſcopum ſuper legitimam differendi cauſam, expreſſam tamen in genere, non in ſpecie per fidem ſubſcriptam manu Confeſſarii, quem ſcite monet Benedictus XIV. *to. 3. notif.* 4. non poſſe pro libito communionem diu differre, ſed ſolum *ad tempus*, congruum tamen in prudenti ſui judicio, & ratione habita ad prorogandi cauſam.

II. Ut differri, an anticipari de conſilio valeat, ſuccedit quæſtio, quam negative plures dirimunt, quod ſuper anticipatione Lateranenſe ſileat. Rationem hanc alii putant futilem, quia in impedimento approbato pro dilatione, includi cenſent etiam impedimentum prævifum ad effectum anticipationis, licet Lateranenſe prorogationis dumtaxat meminerit, quia frequentius accidit. Ulterius progrediuntur alii, & prævidentem impedimentum obligant ad communionem anticipandam, ſicut qui prævidet impedimentum audiendi miſſam orto jam Sole in die feſto, tenetur illam audire ſummo mane, & ſimiliter tenetur communicare in Dominica Palmarum ad ſatisfaciendum communioni paſchali, qui impedimentum prævidet in ceteris diebus. Verum ita quidem in productis exemplis, aliiſque ſimilibus, in quibus fit anticipatio intra tempus, quod præcepta pro ſui adimpletione habent utile; ſed ſicuti ad anticipationem auditionis miſſæ, aut jejunii, quæ craſtina inſtabunt die, nemo tenetur in die præcedenti, & quatenus anticipet, inutilis omnino eſt anticipatio ad adimplementum præcepti, ita pronunciandum videtur de communione paſchali, ut nec ullus eam anticipare teneatur ante Dominicam Palmarum, nec præcepto ſatisfaciat, ſi illam anticipet, etſi prævideat impedimentum futurum tempore conſtituto.

III. Hæc tamen difficultatem non univerſim evertunt, nam in allegatis exemplis conceſſa nec eſt prorogatio, quæ cum conceſſa ſit in caſu communionis, quidni conceſſa ſimiliter cenſeri non debet anticipatio, quæ ex ſe laudabilior eſt prorogatione? At plurima non deeſt nihilominus ratio diſcriminis; caput enim *omnis*, & præſens Decretum conſulto meminere ſolius prorogationis, ut anticipationem excluderent, ad hoc ut communio paſchalis, quæ diebus, quibus eſt affixa, ob impedimentum haberi non poteſt; ſaltem habeatur in anno, cui itidem eſt addicta, & in quo prætermiſſa, qua paſchalis, ea adhuc obligat, qua annua, ſicuti late ſuperius expoſuimus. Idem eſto judicium de confeſſione annua, ubi ratione particularium jurium, vel conſuetudinis habenda eſt in Paſchate, ita ut ob impedimentum anticipari non poſſit, ſed debeat differri, ut ſimiliter habeatur intra annum ſuæ addictionis, in quo prætermiſſa ut paſchalis eſt, obligat, quatenus annua. Ubi vero confeſſio alligata non eſt alicui determinato tempori, jam opus non eſt, conemur oſtendere, quod fructuoſe anticipari non poteſt, ſed omnino debet differri, ut fiet intra annum, cui canon illam addixit. Ut autem in hoc caſu fideles illam differant, non egent conſilio proprii Sacerdotis, quinimmo nec cauſa rationabili, quia jam totus annus juxta canonem favorabilis extat ad implendum præceptum, quod ſimiliter dicito de communione annua.

IV. Verum etſi cuique integrum ſit, confeſſionem intra annum differre, dubium non eſt, quod qui prævidet impedimentum in ultimis anni diebus, in præcedentibus ejuſdem anni eam anticipare tenetur, ſicuti dicebamus teneri illum ſummo mane diei feſti audire miſſam, qui orto jam Sole prævidet impedimentum. Idem judicium facito de communione annua, ad quam tenetur, qui paſchalem omiſit. Quod ſi caſus ad tales temporis redigatur anguſtias, ut locum amplius intra annum anticipatio non habeat, ſi differendi non deſit cauſa rationabilis, non dubitarem de conſilio proprii Sacerdotis poſſe fieri prorogationem ad annum ſequentem, ad ſimilem caſum ob conſimilem cauſam applicando beneficium, quod indultum eſt pro communione Paſchali, etſi etiam hæc habeat terminum lege præfinitum. Qui autem de conſilio proprii Sacerdotis protrahit confeſſionem, vel communionem annuam, vel paſchalem, in re ſatisfacit præcepto, quia confeſſionem, vel communionem peragit in anno, vel paſchate per legitimam auctoritatem prorogatis, unde D. Thomas 3. *p. qu.* 80. *art.* 11. *ad* 3. ſcribit: *Licet in peccatis permanentes non excuſentur propter hæc a tranſgreſſione præcepti, pœnitentes tamen, qui ut Innocentius ait, ſecundum conſilium Sacerdotis abſtinent ſe, excuſantur.*

DECRE-

DECRETUM XX. CAPITIS, IN ORDINE XXX.

Regulares poſſunt laicis qui degunt intra ſepta monaſterii, eiſque actu inſerviunt, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ unctionis, necnon ſepulturam dare in propria Eccleſia juxta Decretum editum in Mediolanenſi, non tamen iis, qui quidem actu inſerviunt, ſed degunt extra ſepta Monaſterii, nec eorum familiis, Congr. Conc. 25. Janu. 1738.

I. DEcretum *in Mediolan.* editum, quod ut ſupra laudatur, & confirmatur, in cap. de communione infirmorum dare reſervamus, unde modo illico gradimur ad communionem paſchalem, quam a quolibet in propria Parochia de manu Parochi, aut alterius Sacerdotis ab eo delegati, ſumendam eſſe, quæ ſuperius dedimus, dubitare non ſinunt. Non a lege communionis in Paſchate, ſed communicandi in propria Parochia de manu Parochi, unanimi omnium conſenſu eximuntur Sacerdotes, qui cum ex munere ſuo Euchariſtiam per ſeipſos ſumant, non de aliorum manibus, quocumque in loco celebrent, cenſentur ſatisfacere præcepto. Sed quid de Sacerdotibus tunc temporis infirmitate detentis, impeditis; vel celebrare omittentibus? Opus eſt diſtinctione; vel enim ſi non in die Paſchatis, celebrant in aliqua ex diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, & tunc ubicumque celebrent, adimplent præceptum, cujus adimplemento utile eſt prædictum totum temporis ſpatium. Vel nullatenus eo tempore celebrant, & in tali caſu cum Euchariſtiam per ſeipſos non ſumant, computandi ſunt ut laici, & horum inſtar de manu Parochi tenentur eam ſuſcipere, nullatenus eos excuſante dignitate Sacerdotali, quæ dumtaxat eoſdem potis eſt liberare a prędicto onere fidelibus omnibus communi, quatenus ejuſdem dignitatis munera exercentes, per ſeipſos cæleſtem eſum percipiunt.

II. Non ſic eſt de Regulari clero, qui nedum a Parochorum, intra quorum Parochiæ limites monaſteria ſita ſunt, ſed etiam ab Ordinariorum juriſdictione exemptus, ſuum Regularem Prælatum privative agnoſcit in Ordinarium, & Parochum, a quo propterea, vel de manu Sacerdotis ab eo delegati, ſuſcipientes Euchariſtiam in Paſchate, non ſolum Sacerdotes, qui quacumque de cauſa a celebrando ſe abſtinent, ſed adhuc Clerici, & Fratres Laici ſatisfaciunt præcepto communionis paſchalis. Quibus exemptionis privilegiis cum etiam Novitii, & qui in Regulari habitu Monaſteriis inſerviunt nondum profeſſi, perfruantur, dubio procul & omnes hi, aliique ſimiles, quocumque appellentur nomine, ſumentes Euchariſtiam de manu Prælati Regularis, vel Sacerdotis ab eo delegati, præceptum adimplent.

III. Ad perſonas ſæculares quod attinet, a Parochorum, & Ordinariorum juriſdictione duo perſonarum genera eximit Tridentinum, & Regularibus plene ſubjicit, unum *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de Reform.* his verbis: *exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut militiis actu inſerviunt, & intra ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia vivunt;* alterum vero *ſeſſ.* 25. *c.* 11. *de Reform.*, ubi habet: *Præter eas, quæ ſunt de illorum monaſteriorum, ſeu locorum familia, perſonæ tam Regulares, quam ſæculares.* Per primum textum declarantur ut ſupra immunes, quicumque Monaſteriis inſerviunt, & quidem non ſolum in humilioribus ſervitiis, ſed quocumque modo, puta per organædum, cantorem, cappellanum &c., licet per hoc quod ut ſupra ſerviant, non continuo immunitate gaudeant, ſed inſuper requiratur, quod intra ſepta Monaſterii reſideant, ſubque Prælatorum Regularium obedientia vivant, non quidem ratione voti, ut ſcite exponit Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *c.* 14. *n.* 11., ſed ratione reſpectivæ ſervitutis; unde hæc ultima conditio, quam Tridentinum exigit, non videtur multiplicare, ſed fere coincidere cum prima, & hæc fortaſſe eſt cauſa, ob quam præſens Decretum dumtaxat poſtulat, quod *degant intra ſepta Monaſterii*, & quod *Regularibus actu inſerviant*. Ex defectu autem ſecundæ conditionis a privilegio exemptionis rite eos arcet, qui licet inſerviant, non tamen degunt intra ſepta Monaſterii, ob defectum vero primæ, & ſecundæ eorumdem familias, cum hæ nec actu inſerviant, nec intra ſepta Monaſterii reſideant.

IV. Ad ſecundum, quem produximus, deſcendimus Tridentini textum, per quem exemptione donantur, *qui ſunt de Monaſteriorum familia*; & in hoc item convenit ſequens Decretum (erit 21. cap. in ord. 31.) quod propterea eoſdem plene ſubjicit Regularium Prælatis, perinde ac ſi Regulares ipſi forent, ita ut eorumdem confeſſiones excipi poſſint a Regularibus abſque licentia, & approbatione Ordinariorum, quæ ad aliorum ſæcularium confeſſiones audiendas in Regularibus eſt omnino neceſſaria: *Prælati Regulares, ſeu alii Religioſi confeſſores abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi poſſunt audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui ſunt vere de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt.* Cong. Concil. 14. Aug. 1568., & Clemens X. in conſtit. *ſuperna* 21. Junii 1670. Nomine *eorum de familia*, qui & *familiares* vocantur, veniunt, qui vel patriæ poteſtati ſubjiciuntur, vel Dominicæ, & expenſis Patris, vel Domini continuo aluntur. *Cap. ult. de verbor. ſignif. in* 6. & Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 5. *nu.* 2. quare ad contrahendam familiaritatem Rota *part.* 1. *recent. deciſ.* 584. *num.* 3. exigit mentem, & dentem. Mens probatur ex parte familiaris ex ſervitute, quam Domino præſtat, & ex receptione ſervitii ex parte Domini; dens vero ex eo, quod familiaris partem in pecunia habeat a Domino, victum, & habitationem. Hæc autem quoad eos, qui in monaſteriis inſerviunt, aperte commonſtrant intellectum illorum verborum Decreti: *Non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt*, videlicet, quod prædicti inſervientes, ut prædicta exemptione gaudeant, non ſufficit, quod præciſe inſerviant, ſed inſuper exigitur, quod in & a monaſterio habitationem habeant, & victum, licet poſtea nihili referat, quod ad eorum familias extra monaſterium aliquando divertant, dummodo monaſterium permanenter inhabitent.

V. Hinc ſi quis inferat, quod ad prædictum effectum Regularium familiares, itidem dici poſſunt, qui ſe iiſdem traderent in ſpirituales filios, & ut tales a Regulari Prælato reciperentur, abſit, quod ego refrager, quinimmo quatenus ejuſmodi filii a Monaſterio gratis itidem conſequantur victum, & habitationem, exemptionis privilegio participes facio. Familiaritas enim etiam petitur a ſubjectione ad patriam poteſtatem, & quoad rem, de qua agitur, naturali ſpiritualem æquivalere arbitror, & adoptantem. Secus eſt, ſi Monaſterio alimenta ſolverent, quia tunc expenſis Patris minime alerentur, ſicuti ad veram familiaritatem exigi dicebamus, & definiviſſe videtur Sacra Congregatio Concilii 29. Janu. 1718., dum quemdam Comitem, qui in Monaſterio cum Regularibus degebat, ſacro Viatico refici, & oleo infirmorum ungi a Regularibus irrequiſito Parocho non potuiſſe declaravit, cum tamen id indubie facere potuiſſent, quatenus ille inter veros familiares connumeraretur. Quidquid autem ſit de ſacro Viatico, & infirmorum oleo, de quo ſuo loco reſervamus agere, familiares ejuſmodi quoad communionem paſchalem ad Parochialem tenentur accedere, nihil eiſdem ſuffragante habitatione intra Monaſterium, quia menſam gratis non conſequuntur. Cum enim iſti ſine gravi incommodo Eccleſiam Parochialem petere valeant, excuſari ab acceſſu non poſſunt ex capite impotentiæ, ex quo complures excuſant eos, qui intra clauſtra detinentur infirmi. His autem, nolumus, aggreges, ſed vere familiaribus benefactores illos, qui intra Monaſterium habitantes, alimenta non ſolverent, licet bona ſua Monaſterio legaſſent, aut donaſſent, vel eiſdem identidem eleemoſynas facerent.

DECRETUM XXII. CAP., IN ORDINE XXXII.

An famuli, & famulæ Monialium ſæculares degentes in manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & Manſiones ſitæ ſunt? Reſp. affirmative, & non amplius. Congr. Concil. 19. Sept. 1722.

I. MOniales iiſdem gratiis perfrui, & privilegiis, quibus gaudent Regulares, dubitare non ſinunt Conſtitutiones Xyſti IV., & Bonifacii VIII. apud Rodericum *qu. Regul. to.* 1. *q.* 55. *art.* 13., quare cum Clemens IV., & Xyſtus IV. expreſſe Regularibus conceſſerint libere Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare iis, qui in eorumdem immorantur obſequiis, Monialium famuli, de quibus diſponit laudatum Decretum, ab earumdem confeſſario in Paſchate communicari poſſe videntur, & maxime quia Nicolaus V. in ſpecie conſtituit, *ut confeſſor Monialium, vel alius Frater ad hoc pro tempore deputatus, Moniales abſolvere poſſit, necnon ipſas ſervitrices &c. eiſque Euchariſtiæ ſeu extremæ unctionis ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare libere, & licite, Diœceſanorum locorum, ac Rectorum Parochialium Eccleſiarum, & cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc nullatenus requiſita*, quemadmodum legitur in monumentis Minorum *fol.* 145.

II. Verum etſi reſpective omnia, quæ ſuperius dedimus de Regularibus viris, fœminis itidem competant, etiam quoad ſervitrices ipſas, ſi quæ de licentia intra Monaſterii ſepta immorentur, non tamen adaptabilia ea ſunt famulis, aut famulabus, de quibus præſens procedit Decretum. Ut namque dicebamus, juxta Tridentinum *cap.* 11. *ſeſſ.* 24. *de Reform.* ad famulorum exemptionem tria copulative requiruntur, quod ſcilicet *actu inſerviant*, quod *intra monaſterii ſepta, & domos reſideant*, & quod denique *ſub illorum obedientia vivant*; licet autem prædicti famuli Monialibus inſerviant, & ſub earum obedientia quodammodo degant, non tamen reſident *intra ſepta, & Domos monaſterii*, cum manſiones prædictæ, licet exteriori murorum recinctu ſint cum Monaſterio concluſæ, non ſunt tamen intra Monaſterium, quod in dicto Concilii textu venit *Domorum* nomine, & multo minus intra clauſuram, quæ deſignatur per *ſepta*, ſicuti ponderant Navarrus *de Regul. comment.* 4. *n.* 44. Bonacina *to.* 1. *tit. de clauſura quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. & 3. Sanchez *ad præcepta decal. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 9., Bordonus *to.* 3. *reſ.* 19. *num.* 9. Maceraten. *variar. reſol. lib.* 1. *reſ.* 18. *num.* 4., & Cardinalis de Luca *de juriſdict. diſc.* 4. *num.* 9. Particula autem *& non amplius*, quam in fine habet Decretum, deſignat omnium Cardinalium vota fuiſſe concordia, & cum res ſit omnimode clara, ſuper ea non eſſe amplius diſceptandum.

III. Ubi autem ex Regularium familiaribus adſtrinximus illos ad petendam Eccleſiam Parochialem pro communione paſchali, qui Monaſterio ſolvunt alimenta, ab hoc onere eximimus puellas, quæ educationis gratia in Monaſteriis Monialium detinentur, aliaſque quaſcumque mulieres, quæ in iiſdem Monaſteriis qualibet de cauſa commorantur, etſi Monaſterio

alimen-

alimenta ſolvant, dicimuſque, quod communicantes apud confeſſarium Monialium, non minus ac Moniales ipſæ præceptum adimplent. Abſque gravi namque incommodo pro communione exire nequeunt, & præcepta Eccleſiaſtica cum gravi incommodo haudquaquam obligare cenſentur.

DECRETUM XXIII. CAP., IN ORDINE XXXIII.

In Oratoriis Collegiorum Convictoribus, diſcipulis, & Domeſticis, hoc eſt, illis, qui actu degunt in Collegio, & illi inſerviunt, communio paſchalis adminiſtrari non poteſt. Congr. Concil. 11. Junii 1718.

I. Recte juventutis educationi plurimum conferre videtur, quod alumni Collegiorum pro miſſis audiendis, ſuſcipiendiſque Sacramentis ad publicas accedere non cogantur Eccleſias; hinc rite quidem in Collegiis oratoria erigi permittuntur, in quibus conſuetæ exerceantur congregationes, & alia pietatis opera, & ne ipſa quidem, uti fieri ſolet in oratoriis privatis, excipiuntur ſolemniora feſta, ſed diebus indiſtinctim omnibus miſſæ, etiam plures, in iiſdem celebrari conceduntur, & Sacroſancta Sacramenta adminiſtrari Convictoribus diſcipulis, atque Domeſticis. Non minus tamen recte in conditionem ſolet apponi, quod in eis non liceat Sacramenta adminiſtrare populo, habere publicas campanas, aut ſepulturas, ne inde populus a publicis avertatur Eccleſiis, & præjudicium inferatur Parochis, quorum juribus impræſentiarum Congregatio volens plene conſulere, exceptam item declarat communionem paſchalem pro Convictoribus ipſis, atque Domeſticis, quæ cum infrequens admodum ſit, & pro ſemel in anno, recte non officit educationi, & ſarta tecta ſervat Parochorum jura, quibus canones omnes eam adjudicant.

II. Quam ſanctio non definit, quæſtionem examinare ſumimus, a quo nempe Parocho eamdem ſuſcipere debeant, & licet in favorem Parochi reſpectivi domicilii, decidenda videatur, nos ſtamus ex parte Parochi, intra cujus Parochiæ limites Collegium eſt conſtitutum, alias quippe Convictores plurimi ad proprias domos tenerentur divertere, & alii totam percurſare civitatem, cum magno ſui, & Collegii incommodo, & conſuetæ præjudicio diſciplinæ. Idipſum dictum eſſe volumus de ſcholaribus, artium profeſſoribus, mercatoribus, aliiſque, qui ſtudiorum, vel alterius negotii cauſa alicubi ad tempus commorantur, animo repetendi proprium domicilium, cum ſe expedierint; cogendi enim non ſunt adire Parochum proprii domicilii pro communione paſchali, ſed communicantes apud Parochum Parochiæ, in qua habent quaſi domicilium, cenſendi ſunt præcepto ſatisfacere, tametſi a Parocho domicilii licentiam minime petierint, ſicut *in ſumma lib. 3. tit. de Parochis num. 7.* Hoſtienſis adocuit cujus opinionem *conſ. t. l. 3. n. 7.* per hæc verba adoptavit Navarrus: *videtur ſufficere habitatio bona fide, & ſine fraude ſuſcepta in aliqua loca, unde non poteſt commode reverti ad ſumenda Sacramenta in loca Parochiæ, ubi habebat domicilium.*

DECRETUM XXIV. CAP. IN ORDINE XXXIV.

Tertiarii Regularium Ordinum, ſi qualitatibus in Bulla fel. rec. Leonis Papæ X. præſcriptis ſint prædìti, videlicet ſi viri collegialiter, aut clauſtraliter vivant, mulieres vero virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, poſſunt, & debent, etiam invito, ac minime requiſito Parocho, in Fratrum Eccleſiis ſepeliri; ſecus earo ſi ſupradictis qualitatibus careant. Congreg. Epiſcop. 11. Dec. 1615.

I. Difficultatibus admodum involutam quæſtionem aggredimur, quæ quatenus ex ſolis antiquis juribus definienda foret, dubium non eſt, quod univerſim Tertiarii a reſpectivis Regularibus Sacra Euchariſtia in Paſchate poſſent refici, & in mortis articulo muniri viatico, & extrema unctione, eorumque cadavera irrequiſito Parocho tumulari. Id namque concordes indulgent cum omnimodæ exemptionis privilegio Summi Pontifices, & præ ceteris Bonifacius IX. *in ſinu*, Siſtus IV. *Dum fructus uberes*, & denique Alexander VI. in Bulla *Conſiderantes* 1495. Ampliſſima ejuſmodi privilegia Leo X. aliqualiter anno 1516. moderatus eſt in Bulla *Dum intra mentis*, in qua ſacro approbante Concilio Lateranenſi quinto obligavit Tertiarios in privatis domibus habitantes recipiendam a proprio Parocho communionem in Paſchate, & ſacrum viaticum, & extremam unctionem in mortis articulo, eoſque ſubdidit judicibus ſæcularibus, atque adſtrinxit ad onera, quæ laicis incumbunt. Subdit vero: *Collegialiter autem viventes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis ejus tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant*; quare cum Regularium privilegia omnimodam ferant independentiam ab Ordinariis, & Parochis quoad Sacramentorum receptionem, & ſepulturam, dubio procul ſimili exemptione gaudent omnes illi Tertiarii, qui prædìti ſunt qualitatibus ut ſupra præſcriptis.

II. A nonnullis verſum fuit in dubium, num votum, de quo Leo X. eſſet votum ſolemne Religionis, quod clauderet tria ſubſtantialia, obedientiam ſcilicet, paupertatem, & caſtitatem, & idem Leo X. ſuam aperiens mentem, in Bulla *In Sacro* 1518. expreſſe declaravit, quod *de voto ſolemni intelligi minime debet, ita ut mulieres virginalem, aut cælibem vitam ſimpliciter viventes, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.* Non eſt, quod coner oſtendere: quod ex Tertiariis viris ſolum illi prædictis potiuntur privilegiis, qui collegialiter vivunt, aut cum clauſtralibus degunt, ſive poſtea illi votum caſtitatis habeant, vel non, nam ex vi textus *Ac mulieres* compertum eſt, votum ad effectum prædictum dumtaxat ſuffragari poſſe Tertiariis fœminis, non autem viris privatim viventibus. Non ſic eſt de Tertiariis mulieribus, ad quarum exemptionem votum textus indiſpenſabiliter exigit, quo ſi careant, exemptione non perfruuntur, etſi collegialiter vivant, niſi intra Monaſteria Monialium Clauſtralium tamquam continuæ commenſales inhabitent; ſi vero votum habeant, *etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia gaudent.*

III. Dictionem *etiam*, quam textus adhibet, volo, hic ſerio ponderes; dirimere enim aperte apta eſt in favorem Tertiariarum in congregatione viventium quæſtionem ſuper earumdem exemptionem, de qua nonnulli dubitant, & alii iiſdem dumtaxat probabiliter decernunt ex eo, quod decreta eſt Tertiariis viris collegialiter viventibus. Barboſa teſte dictio *etiam* de ſui natura eſt implicativa, atque exprimit caſum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem, quare in noſtro caſu eum ſenſum reddit, quod mulieres ſub voto, & habitu ut ſupra viventes, nedum præfatis gaudent privilegiis, ſi collegialiter vivant, aut cum Monialibus clauſtralibus habitent, quod reſpectiva commune item eſt Tertiariis viris, ſed etiamſi degant in privatis domibus, quod viris minime competit. Et ecce quam belle Leo X. in ſubſequenti Bulla ſuæ præcedentis ſenſum explicat, in qua ceteroquin manebat ſatis expreſſus, quia dum mulieres cum voto, & habitu viventes, ſimpliciter declarat privilegiorum participes, de iiſdem ſive ſeparatim, aut in collegio degentibus, non obſcure deſignat ſe eſſe locutum.

IV. Pius V. in Conſtitutione *Circa Paſtoralis officii*, quam ſuper Monialium clauſuram edidit die 25. Maii 1566., nihil innovans de Tertiariis privatim viventibus, ad clauſuram obligavit earumdem illas, quæ in congregatione vivebant, ſed cum diſerte ſermonem habeat de iis, *quæ votum ſolemne emiſerant*, dubium quodvis tollitur, quod Conſtitutio dumtaxat afficit Tertiarias illas, quæ Tertiariarum quidem nuncupabantur nomine, ſed erant vere Religioſæ. Collegiales ceteras ad votum ſolemne, & clauſuram hortandas aſſerit, & quatenus recuſent, iiſdem interdicit alias in Congregatione recipere, & ſi receperint, earum receptiones, & profeſſiones irritat, & annullat; & hinc quamplures eruunt, mulierum collegia quæque, etiam earum, quæ votum ſimplex habent, per Epiſcopos ad votum ſolemne, & clauſuram adſtringi poſſe, & interim tamquam ſuppreſſa Ordinariorum juriſdictioni manere ſubjecta. Secus tamen ſentiunt Auctores alii, ſi non majores, ſane numero, & pondere pares, qui propterea conſtitutionem explicant de Tertiariis, quæ ſine ullo voto in Congregatione vivebant, non autem de illis, quæ voto ſimplici caſtitatis emiſſo, ſub Religionis habito ducebant vitam juxta tramites Leonis X. Ad rem valde revelat, quod poſt dictam conſtitutionem in ipſa urbe Roma mutationem nullam paſſæ ſunt Sorores Turris novæ ſpeculorum, nullam collegium Tertiariarum S. Dominici Mantuæ, nullam Congregationes plurimæ, quæ quidem diſperſæ erant in diverſis mundi plagis, ſed S. Pio probe erant agnitæ. Cui ſi addas, quod idem Pius inſequenti anno 1567. Tertiariis ipſis *in Congregatione viventibus* exemptionem ab Ordinario, aliaque privilegia, quæ iidem Leo fecerat, uberrimis confirmat terminis, non leve utique argumentum exurgit. Quis enim Pii mentis melior interpres eſſe poteſt, quam Pius ipſe? Aut quomodo unquam confirmare poterat privilegia illarum Tertiariarum, quarum receptiones, & profeſſiones irritas prius fecerat, & nullas?

V. Hujus profecto argumenti vim plurimam ſenſit Sacra Congregatio Concilii quæ propterea anno 1608. (Decretum hocce conſignant alii anno 1612.) Tertiarias, quæ qualitatibus pollent Leonis X., privilegiorum quoque facit participes, & indubie fallor, ſi non idipſum ſentire cenſeas Sacram Epiſcoporum Congregationem, dum in Decreto, quod expoſitioni ſubeſt, eaſdem Tertiarias tumulari poſſe ſtatuit etiam invito, & minime requiſito Parocho. Concordant etiam antiquiora Decreta, unde apud Lezanam *tom. 3. in mare magnum Exem. S. Aug. §. 9. num 22.* Sacra Congregatio demandat reſtitutionem cadaveris cujuſdam Tertiariæ, & Antonius Epiſcopus Sabinenſis in litteris juſſu Pauli III. Barcinonam miſſis declarat cadaver alterius Tertiariæ ſpectare ad Eccleſiam Ordinis, cujus habitum deferebat. Decretum aliud ex Barboſa *in collect. Apoſt. Deciſ. verb. Regulares quoad ſuam, & aliorum ſepulturam*, lubet adjicere: *Regulares poſſunt in eorum Eccleſiis ſepelire abſque Parochi interventu Tertiarios collegialiter viventes, aut cum clauſtralibus habitantes, necnon mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes. Quod ſi Tertiarii, vel Tertiariæ his careant qualitatibus, non ſunt ſepeliendi in Eccleſia Regularium, niſi ipſi, dum viverint, in ea elegerint ſepulturam, & tunc Parochus etiam eſt adhibendus.* S.R.C. 20. Junii 1609. Hic autem adhuc poſt Pianam conſtitutionem in integrum ſtare inſpicis

Bullam

Digitized by Google

Bullam Leonis X., quæ, ut dicebamus, comprehendit Tertiarias, cum voto & ſeparatim, & in collegio viventes.

VI. At etſi uſquemodo conſtans Congregationi ſententia ſteterit, prodiit poſtea Decretum quoddam (erit 25. Cap. in ord. 35.) quod excitavit diſcordiam plurimam, *Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum ad tollendas omnes contentiones inter Epiſcopos, & Superiores Regularium ſuper immunitate, & exemptione Tertiariarum, quæ in privatis domibus degunt, vulgo* Bizoche, *ſeu alio quovis nomine nuncupatarum in primis, & ante omnia in memoriam revocat ea, quæ Sacra Congregatio Conſilii Tridentini Interpretum in eamdem ſententiam reſpondit, videlicet:*

VII. 1. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpius reſpondit, minime poſſe Sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de Pœnitentia, vel Bizochas vocant, Confeſſiones Sacramentales audire; niſi fuerint ab Ordinario approbati ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas.*

VIII. 2. *Quemadmodum nec poſſe illis ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis Sanctiſſimi D. N. J. C.*

IX. 3. *Verum quoad ſepulturam. atque alia privilegia Fratres Tertiarios, mantellatos, corrigiatos, aliosque ſimiles, ita demum Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, privilegiis potiri, ab Ordinarii juriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cavetur conſtitutione Conſilii Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſ. 11. in fine. Hoc autem voto mulierum alia duo, ſcilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi, quinimmo hujuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſſeque voverint, etiam in conſanguineorum, aut affinium ſuorum, aut propriis domibus vel ſeorſum habitantes, ſupradictis privilegiis Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarii juriſdictione frui debere, ut idem Leo poſtea declaravit conſtitutione edita die 1. Martii 1518.*

X. 4. *An autem prædictæ qualitates in hujuſmodi Tertiariis concurrant, Ordinarii loci eſſe judicium.*

XI. 5. *Præterea ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur, ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendas eſſe decernit.*

XII. 6. *Superioribus autem Regularibus ſufficienti facultate ad id a Sede Apoſtolica ſuffultis* (Cappuccinis exceptis) *licere mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, atque in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutas, quæ de proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quam conſanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu ſibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis prævio examine diligenti ſibi conſtiterit.*

XIII. 7. *Verum in hujuſmodi habitu concedendo, & reſpective deferendo, omnino a velo ſupra caput, quod* ſuperjectum *vocant, & a Pectorali, quod vulgo dicitur,* ſottogola, *& a Patientia abſtinendum eſſe, quinimo eas, quæ ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum deferre deprehenſæ fuerint, illa dimittere etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ab Ordinariis locorum compellendas eſſe decernit.*

XIV. 8. *Supradictis vero Decretis mulieres tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo eas diſpoſitioni Conſtitutionis Pii Papæ V. editæ Romæ anno 1566. IV. Kal. Julii, quæ incipit* Circa Paſtoralis, *penitus ſubjacere expreſſe declarat, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Datum Romæ 20. Dec. 1616.*

XV. Eſt incredibile dictu, quam lætantes ex hoc Decreto victoriam canant Parochi, quibus præ ceteris aſſentantur Mattheuccius *officialis cap. 52. n. 6.*, & Clericatus *diſcordia 40. de Regul. n. 5.*, qui propterea ex §. 8. inferunt Tertiarias in congregatione ſine clauſura viventes, allegatis privilegiis minime potiri, & plene ſubjectas eſſe juriſdictioni Ordinarii; quæ autem in privatis domibus degunt, ex §. 2. & 5. obligatas eſſe ſentiunt ad recipiendam a Parocho Euchariſtiam in Paſchate, Sacrum viaticum, & extremam unctionem in mortis articulo, & ſepulturam poſt mortem. Quam autem infeliciter reſpective glorientur, & arguant, ut demonſtremus, abſit, utamur extrinſeca auctoritate Doctorum, qui cum ſcripſerint & poſt Pianam Conſtitutionem, & laudatum Decretum, nihilominus ea rite exponunt de Tertiariis ſive collegialiter, ſeu privatim ſine ullo expreſſo voto viventibus, non autem de iis, quæ cum votum habeant, & requiſita Leonis X., in exceptuatis expreſſe politæ ſunt in §. 3. incipit *Verum quoad ſepulturam*, ejuſdem Decreti. Et ſane §. ille 3. luce meridiana clarius manifeſte prodit, quod totum Decretum quantum ad ea, quæ contra Tertiarias ut ſupra eruuntur; diſponit de ſolis Tertiariis, quæ carent caſtitatis voto, ac conditionibus præſcriptis a Leone X., & eas nos ipſi fatemur ultro ut ſupra plene ſubjectas eſſe Ordinariorum, & Parochorum juriſdictioni, neque gaudere privilegiis Regularium Ordinum. At quod attinet ad Tertiarios, vel Tertiarias, quæ reſpective habent requiſita Leonis X., *qui ſcilicet ex Tertiariis collegialiter vivunt, aut cum clauſtralibus habitant;* & ex Tertiariis fœminis, *quæ cum expreſſo voto, & ſub habitu vel in congregatione, vel conſanguineorum, ſive privatis domibus degunt* (ut importare ſuperius diximus dictionem *etiam*, qua idem Decretum quoque utitur) adeo laudatus §. 3. diſertis verbis Bullam Leonis X. repetit, & privilegia, quæ prædictis Tertiariis illa facit, ubertim confirmat, ut bardus, opus eſt, omnino ſit, qui Tertiarias cum voto in privatis domibus habitantes, comprehenſas eſſe putet in §. 2., qui Tertiarias obligat ad recipiendam Euchariſtiam in Paſchate a loci Parocho, aut collegialiter cum voto, & dicto habitu viventes, quas idem §. 3. exemptione ab Ordinario aperte donat, aliiſque privilegiis ſui Ordinis, contineri cenſeat in §. 8., & ſubjectas eſſe Conſtitutioni Pianæ, & Ordinariorum juriſdictioni.

XVI. Quod ut melius adhuc aſſequaris, volo, ſerio ponderes, quod idem §. 3. eadem omnino privilegia Sororibus tertii Ordinis convenire declarat, quæ competunt *Tertiariis habitantibus cum clauſtralibus;* quis autem hos adſtringet ad communicandum in Paſchate apud Parochum? Quis dicet a Regularibus ſacro viatico, & extrema unctione muniri non poſſe in mortis articulo, & poſt mortem tumulari irrequiſito Parocho? Non ſatis adhuc. Idem §. 3. per ea verba *Quoad ſepulturam* aperte decernit, quod Tertiariæ quoad ſepulturam potiuntur privilegiis ſui Ordinis, quod idem eſt, ac dicere, quod ſepeliri debent in Eccleſiis Ordinis *etiam invicto, & irrequiſito Parocho*, in §. vero quinto e contra decernitur, quod *ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur, ſin minus, in Eccleſiis parochialibus ſepeliendas eſſe.* Et non vides adhuc, quod ſi a manifeſtæ contradictionis nota Congregationem vindicare velis, tu ipſe vel invitus dicere cogeris, quod in §. 3. loquitur de Tertiariis cum voto, de iiſdem vero ſine voto in §. 5.

XVII. Verum opus haud eſt, hanc ſuper rem addamus alia, cum eadem Congregatio iiſdem die & anno, 20. Decemb. 1616. mentem ſuam abunde expreſſerit, cujus Decreti meminit Pax Jordanus *to. 2. Elucubr. lib. 7. tit. 13. pag. 69.*, & eſt tenoris ſequentis: *Tertiariæ, quæ trium votorum ſubſtantialium profeſſionem non emittunt, neque in clauſuram ſe reducere volunt, omnimodæ Epiſcopi curæ, & juriſdictioni ſubjectæ ſint, & eſſe debent, ſecus, ſi caſtitatis votum expreſſe voverint, & multo minus, ſi & alia duo juxta Decretum Lateranenſe.* Quibus ſi adjungatur, quod proœmium ipſum ſæpe laudati Decreti cantat; *In primis, & ante omnia in memoriam revocat ea, quæ Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in eamdem ſententiam reſpondit*; non aliter utique dici poteſt, cum Decreta cuncta, quæ præcedenter prodiere, ut nos ipſi ſuperius oſtendimus, & fatetur Card. Petra *to. 4. Commen. in Conſt. 15. Martini V. n. 9.*, in eo concordent, quod Tertiarii quique, qui gaudent qualitatibus Leonis X., item gaudeant privilegiis, his vero careant, qui illis carent.

XVIII. Qui extrinſeca auctoritate uti nolle diximus, nobis donet Lector, ſi Sacram Romanam Rotam in medium producimus, quæ die 11. Dec. 1634. ut nos diſtinximus, diſtinguere, & pronunciare non metuit. Idipſum definiit 23. Jann. 1699., cujus deciſio cum rem penitus enucleet, profecto digna eſt, quæ referatur de verbo ad verbum: *Cum Tertiariæ Sancti Spiritus Utini vivant collegialiter, ſeu clauſtraliter ſub obedientia ſuorum ſuperiorum in Religione approbata, emittantque votum caſtitatis, & geſtent habitum Religioſum, ac in omnibus profiteantur Regulam S. Franciſci traditam a Nicolao IV.... Controverti nequit, quin ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudeant privilegio fori, atque a ſtatutis ſæcularibus ſint exemptæ, ut expreſſe habetur in Conſt. Leonis X. §. 19. & 20. Quando juxta declarationem ejuſdem Leonis X. de anno 1518. mulieres Tertiariæ expreſſe viventes virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem vitam, & geſtantes habitum, etiamſi in propriis, vel conſanguineorum domibus habitent, propria poſſideant, & de propriis libere diſponant, privilegio fori gaudent, & eximuntur a juriſdictione Ordinarii, uti declaravit etiam Sacra Congregatio Concilii in Decreto relato apud Fagnan. in cap. Nullus ſub num. 66. & ſeq. de for. compet. Naldus in ſumma verb. Clauſura nu. 7. Campanil. in diverſ. jur. can. rub. 12. cap. 13. n. 174. Cochier ubi ſupra nu. 16. Navar. de elect. fori qu. 66. num. 14. 15. Ciarlin controv. lib. 1. cap. 18. per tot. Modern. Pignatell. conſul. 119. ſub num. 2. §. At vero hodie to. 4., ubi quod Doctores contrarii loquuntur in terminis, in quibus tales mulieres nullum votum emittant, & in hoc ſenſu intelligendæ ſunt auctoritates in objecto allegatæ. Ita Barboſa de jure Eccl. l. 1. c. 39. §. 2. n. 41. in fine. Tambur. de jure Abbatiſſ. dicta diſp. 7. q. 3. n. 8. verb. Præfata Conſtitutio apud to. 2. Mantiſ. Dec. 5. Rotæ Romanæ t. 16. Card. de Luca pag. 11.*

XIX. Ex his patet reſponſio ad deciſionem, quam refert Paſſerinus *de ſtatib. tom. 2. quæſt. 187. art. 4. num. 247.*, videlicet: *cum Fratres Monaſterii Sancti Dominici de Lugo Imolen. Diœceſis poſtulaſſent declarari, an ipſis liceret, præſertim ex ſuis privilegiis, audire confeſſiones virorum, & mulierum profeſſarum Tertii Ordinis S. Dominici, eiſque in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, viaticum præbere, atque extremam unctionem miniſtrare? Sacra Congregatio, conſiderato præcipue quod harum non eſt proprie Religio, nec ipſæ ſunt plene tranſlatæ ad Ordinem, ita ut deſinant eſſe de ſæculo, ſenſit hujuſmodi Tertiarias comprehendi ſub Decreto Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15., eaſque non poſſe abſolvi niſi a confeſſariis ab Ordinario approbatis, nec poſſe a Regularibus accipere communionem Paſchalem, & quantum ad extremam unctionem non eſſe judicium Congregationis, ſed tamen conſtare, ejus adminiſtrationem, ſicut aliorum Sacramentorum pertinere ad Parochum.* Sermo namque eſt de Tertiariis, qui nullum votum habebant, & ſe-

paratim

paratim vivebat, ut aperta eruitur ex Fagnano *De Pœnit. & Remiſs. cap. omnis n. 64.* ex quo Paſſerinus prædictam deciſionem deprompſit. Nec te terreat to *Profeſſorum*, quia ut obſervat Mattheuccius *Officialis cap. 52. n. 10.* eorum profeſſio *votum non ſignificat, ſed purum propoſitum ſervandi Regulam, per quod votum non conſtituitur, etiamſi millies firmiſſime repetatur ex Gobat tom. 3. oper. mor. part. 1. c. 1. n. 7.*

XX. Verum etſi ex tradita reſponſione ſuperius ſtatutis haudquaquam officiat allatum Decretum; non tamen videtur ruere ratio, cui ſanctio innititur, ſed magis adaptabilis Tertiariis etiam cum voto, cum harum non minus non ſit proprie Religio, nec ipſæ ſint plene translatæ ad Ordinem, ita ut deſinant eſſe de ſæculo, quare cum & valide matrimonium contrahant, licet illicite, & inſtar aliarum perſonarum laicarum bona poſſideant, & de iiſdem libere diſponant: non minus comprehendi videntur in laudato Decreto Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. At nimis probat ratio hujuſmodi, alias quippe exemptione etiam ſpoliati forent Tertiarii illi, qui cum clauſtralibus degunt, quod nemo dixerit. Sequeretur itidem, quod per Concilium Tridentinum derogatum eſſet privilegiis Tertiariorum, de quibus tamen in eo ne quidem verbum non ſolum habetur, ſed inſuper nos diſerte monet Harleus Archiepiſcopus Pariſienſis apud Nat. Alexand. *diſſer. 4. ſect. 13. & 14. n. 82.* quod *Sacroſancta Synodus Tridentina Regularium privilegiis modum adhibuit, intacto nihilominus Leonis X. diplomate*: Dum intra mentis arcana, *quod Synodus Lateranenſis adprobaverat*: At quid volunt tot Congregationum Decreta a nobis ſuperius producta, quæ licet poſteriora ipſa ſint, adhuc Tertiariis habentibus conditiones Bullæ Leonis X. exemptionem, & alia privilegia decernunt, niſi quod per Concilium Tridentinum prædicta Leonis Bulla derogata minime fuerit?

XXI. Repeti hic poſſunt deciſiones Sacræ Romanæ Rotæ, de quibus ſupra, & his omnibus liceat nobis addere non modicam Auctorum copiam, qui licet poſt Tridentinum, & celebre Congregationis Decretum 1616. ſcripſerint, Tertiarios nihilominus, & præſertim mulieres, quæ aſſertas habent conditiones Leonis X., ſuperius recenſitis privilegiis cenſent inſtructos. Sunt autem anno 1619. Cherubinus *tom. 1. in Bullam Leonis X. ſcholion 2.*, Filiuccius 1621. *to. 1. mor. qu. tract. 5. cap. 1. n. 14.*, Portel. 1623. *dub. Reg. verb. Tertiarii, & in Compend. verb. Tertiarii n. 20.*, Gavantus 1627. *Man. Epiſc. verb. Tertiarii num. 10.*, Diana Coord. 1628. *to. 9. tract. 2. reſ. 175. num. 2.*, Bonacina 1630. *tom. 3. diſp. 2. qu. 2. punct. 26. prop. 2.*, Paulus Squill. 1630. *de priv. Clericor. cap. 6. num. 33.*, Ludovicus a Cruce 1632. *in Bullam Cruciatæ diſp. 1. cap. 9. dub. 4. nu. 9.*, De la val Belga 1634. *Comp. Alphab. verb. Beguinæ n. 3.* Tamburinus 1637. *de jure Abbatiſſ. diſp. 7. qu. 3. num. 8.*, Trullench. 1639. *to. 3. lib. 1. §. 9. dub. 3. n. 6.*, Peyrinus 1642. *tom. 1. in Conſt. 4. Sixti IV. §. 7. num. 36.* Pelitzarius 1644. *de Monial. cap. 9. num. 13., & in Manual. tract. 8. cap. 3. ſect. 3. qu. 4. num. 291.*, Barboſa 1645. *ſumma Apoſt. Deciſ. verb. Tertiariæ*, Ceſpedes *de exempt. Reg. dub. 219. nu. 17.* Samuellius 1647. *de ſepult. tract. 1. diſp. 4. contr. 19. concl. 5.*, Bordonus 1648. *tom. 3. part. 2. reſol. 58. nu. 30.*, Donatus 1652. *tom. 2. tract. 17. qu. 3. nu. 4.*, Lezana 1653. *to. 1. part. 2. cap. 14. n. 34.*, Biſſæus 1655. *tom. 2. verb. Privilegium V. n. 7.* Fagnanus 1659. *de for. compet. can. nullus, nu. 68.*, Antonius de Marinis *lib. 1. cap. 117. nu. 13.*, Gonzalez 1670. *in ſumma Priv. pag. 86.*, Sylveira 1673. *Opuſc. 2. reſol. 38. qu. 5. num. 29.*, Salmanticenſes 1679. *tom. 5. tract. 18. de Privil. cap. 1. punct. 7. n. 94.*, Candelinus 1680. *de Tertiariis cap. 12. pag. 76. 78.*, Pizzornus 1682. *ſumma Quadripartita qu. 22.*, De Gubernatis 1685. *tom. 2. lib. 12. cap. 13. num. 281.*, Pignatellus 1687. *to. 4. conſult. 119. n. 2.*, Cajetanus de Alexandris 1712. *confeſſarius Monialium cap. 2. §. 12. q. 8.*, Guidottus *in Ferrarien. Tertiar. pag. 6.*, Vidal. 1724. *tr. 18. ap. Vigandi Append. 2. exam. 5. n. 9.*, ubi & allegatur La Crux *l. 1. Epit. de ſtat. Relig. cap. 3. dub. 5. typis Matriti 1622.* qui etiam recoli debet *c. 4. concluſ. 1.*

XXII. Ut itaque habet allegata deciſio Sacræ Rotæ Romanæ 23. Janu. 1699., etſi Tertiarii, & Tertiariæ ejuſmodi, preſſe Religioſi non ſint, cum non emittant tria vota ſolemnia, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & per conſequens valeant propria poſſidere, de eis libere diſponere, & matrimonium contrahere; ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, & large Religioſæ, quæ ſecundum Panormitanum in favorabilibus veniunt Religioſorum nomine, licet non in odioſis, & quæ juxta Sacram Congregationem 1669. gaudent privilegio fori, non tenentur ad laicorum onera, nec inſtar laicorum conveniri poſſunt coram judicibus ſæcularibus, unde tales non ſunt, qui venire ſimpliciter valeant ſæcularium nomine, de quibus laudato loco Tridentinum diſponit. Dixi *large perſonas Religioſas*, ad evertendas tricas conſulto abſtinens a ſpecioſis nominibus, quibus ſummi Pontifices in Apoſtolicis diplomatibus eas inſigniunt, ut *perſonarum ſub Regulari obſervantia vacantium*, ſicuti in Bulla *Sedis Apoſtolicæ* Innocentius VII. eas nuncupat; & *Religioſarum* abſolute Eugenius IV. conſt. *Paſtoralis officii*, & ſolummodo addo, quod Tertiariarum votum etſi ſimplex ſit, tale tamen eſt juxta Donatum *to. 3. tract. 1. q. 10.*, ut ſtatum conſtituat, & quod commutari non poteſt ab habente generale privilegium commutandi vota ſimplicia caſtitatis. Alii illud æquiparant votis ſimplicibus fieri ſolitis in Societate Jeſu noviciatu peracto, quæ faciunt homines vere Religioſos, ut docet Suarez *to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 12. nu. 3.*

XXIII. Hinc Barboſa *jur. Eccl. cap. 43. de ſtatu, & vita Regul. num. 8.* Sorores ejuſmodi, dummodo collegialiter vivant, capaces adjudicat legati relicti pro Monachatu: *Unde D. Franc. de Caſtello Siciliæ dec. 88. reſolvit legatum relictum, ſi nupſerit, vel monachabitur, verificari in Tertiariis S. Franciſci, & ſimilibus, quæ vitam cælibem duxerint, ſecus quando privatam vitam agerent in earum domibus privatis, refert Aloyſius Ricc. in collect. dec. par. 4. collect.* 1051. Liberalior eſt Diana *part. 1. tract. 2. de Immunit. reſ.* 85. qui prædicti Legati eaſdem facit participes, quamvis in privatis domibus degant; & id pariter edocet Novarius *de elect. fori ſect. 1. qu. 66. num. 16.*

XXIV. Circumfertur littera quædam Sacræ Congr. Epiſc., & Regul. 17. Junii 1639., in qua reprobatur factum nonnullorum Regularium Oppidi Finalis, qui inconſulto, & irrequiſito Parocho, extremis Sacramentis munierant Tertiariam quamdam profeſſam, eamque tumulaverant; ſed Tertiariæ ejuſmodi, licet profeſſæ, defuiſſe aliquod ex requiſitis Concilii Lateranenſis, reponunt Lezana *tom. 2. verb. Tertiariæ, num. 2.*, & Guidottus *in Ferrarien. pag. 6.*, nec aliter profecto ſentire valent plurimi Auctores illi ſuperius allegati, qui etſi poſtmodum ſcripſerint, nihilominus Tertiarios habentes prædicta requiſita, privilegiorum cenſent participes. Quod vero ad Decreta ſpectat, ne repetam jam producta, dumtaxat adjicio quoddam 1646. ex eodem Lezana *tom. 1. par. 2. cap. 14. n. 44.*, quod de prædictis Tertiariis in margine notat: *Habent privilegium a Concilio generali Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. in fine, cui Decreto Sacra Congregatio non derogat.*

XXV. Volo, Lector hæc verba ſerio cogitet: *Cui Decreto Sacra Congregatio non derogat*; ex his enim plane corruit nonnullorum reſponſio, cui aſſerunt privilegia Leonis X. per poſteriora Decreta dictarum Congregationum derogata fuiſſe, atque reſtricta. Et quidem cum Bulla Leonis X. ſit pars Concili Œcumenici, alias neceſſe foret, quod Sacra Congregatio derogaſſet tale Concilium; quo quid abſurdius? Clericatus *to. 2. de Regul. diſc. 21. num. 14.* affert deciſionem Sacræ Rotæ, quæ eſt 101. *n. 2. coram Cavalerio*, & eſt tenoris ſequentis: *Decretum Sacræ Congregationis Epiſc. & Regul. non habet vim derogandi dicto Capiti emanato in Concilio Lateranenſi, cui nonniſi a Papa, vel ab alio Concilio Generali derogari poteſt*; quinimmo receptiſſima ſententia Auctorum eſt, non cenſeri per ipſas Bullas Pontificias derogatum Concilii Generalis Decretis, niſi expreſſa mentio fiat ſaltem in genere, dicendo: *Non obſtante lege, aut Conſtitutione a Concilio Generali edita.* Cum itaque poſt Concilium Lateranenſe celebratum dumtaxat ſit Concilium Tridentinum, & in hoc nullum vel minimum, ut diximus, appareat prædictæ derogationis veſtigium, profecto neceſſe eſt, adverſarii exhibeant, non Sacrarum Congregationum Decreta, quibus vis nulla derogandi Conciliis Generalibus, ſed Pontificias Bullas; ſed quoniam ipſi nec ullam producunt, nec producere valent, qua ut ſupra derogetur, liceat nobis afferre Tridentino poſteriores aliquas, quibus prædictum caput Lateranenſis Concilii confirmatur, & roboratur. Sunt autem Conſtitutio Pii V. *Etſi mendacium* 16. Maii 1567. & Urbani VIII. *In plenitudine* 1625. in utraque enim expreſſe confirmantur Tertiariis privilegia, quæ iiſdem facta fuerant per Leonem X. innovantur, & denuo conceduntur; quinimmo in hac ultima expreſſe confirmatur Conſtitutio præfata *Etſi mendicantium*, quare quatenus etiam per Bullam Gregorii XIII. *In tanta* caſſata illa fuiſſet, adhuc modo in integro ſuo perſtaret robore.

XXVI. Diximus *Quatenus etiam per Bullam Gregorii XIII. caſſata illa fuiſſet*, quia Bulla *In tanta* publicata non extitit, ut nos monent Peyrinus, atque Donatus, & dubium quodvis adimit Navarrus, qui in cap. 27. ſui Manualis, quod edidit anno 1588. & ſic tribus annis poſt mortem ejuſdem Gregorii, expreſſe aſſerit præfatam Bullam nunquam promulgatam fuiſſe, & per conſequens nunquam aſſecutam eſſe vim aliquam obligandi, cum de eſſentia Legis ſit, ut obliget, ejuſdem publicatio. Ceterum etſi promulgata adhuc illa fuiſſet, cum Gregorius ipſe XIII. per litteras pro tunc temporis Cameræ Apoſtolicæ Auditoris, incipiunt *univerſis, & ſingulis* 1584. (ut videre eſt apud Confectium *par. 1. pag. 24.*) indulgeatur expreſſe, & demandetur executio prædictæ Bullæ *Etſi mendicantium*, hæc revalidata abunde fuiſſe, quamvis non prodiiſſet poſtmodum, ut dicebamus, Bulla Urbani VIII. *In plenitudine*, quæ eamdem diſerte confirmat. Sed demus, Bullam *Etſi Mendicantium* revocatam fuiſſe, & numquam fuiſſe confirmatam, & petimus, quid ſequitur inde? Non aliud utique, niſi rem reductam fuiſſe ad terminos juris communis, in quibus erat, antequam prædicta Bulla prodiiſſet, quare adhuc opus eſſet, adverſarii docerent, per quod Generale Concilium, aut Pontificias Bullas derogatum fuerit laudatum Caput Concilii Lateranenſis, quod ut ſupra exemptione ab Ordinario, aliiſque privilegiis donat Tertiarios Regularium Ordinum. In hoc item ſtatu res modo poſita manet, poſtquam Bulla *Pretioſus*, aliæque, quas in favorem Ordinum Regularium ediderat Benedictus XIII., per Bullam *Romanus Pontifex* Clementis XII. 1732. revocatæ fuerunt, ſed cum per hanc ita caſſatæ ſint, ut res reducta fuerit ad eum ſtatum, in quo erat, antequam illæ litteræ emanaſſent, dubio procul modo inſuper ſuffragantur Regularibus Bullæ *Etſi Mendicantium*, atque *In plenitudine*, de quibus ſuperius dicebamus.

XXVII. Quod ſi res ita ſe habet, & Sacra Congregatio Decretis Generalium Conciliorum, aut Summorum Pontificum non derogat, nec habet vim derogandi, inconcuſſa utique eſt conſequentia, quod quotquot Sacrarum Congregationum prodierunt Decreta, quæ Tertiariarum exemptioni adverſari videntur, in eis particularis militat ratio quædam, quæ cum ceteris Tertiariis communis minime ſit, iiſdem nec communis redditur diſpoſitio Decreti. Valde celebre apud adverſarios eſt

quoddam Decretum (erit 26. Cap. in Ord. 36. *in Sarzanenſi* editum, videlicet *Conſervatorium Tertiariarum S. Franciſci Maſſæ ſubjectum eſt omnimodæ juriſdictioni Epiſcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis, quoad dictum conſervatorium*. Congreg. Concil. 30. Januarii 1723. & licet hocce Decretum prima fronte Tertiariarum exemptionem videatur univerſim evertere, ſecus tamen eſſe evidenter oſtendit ſimplex lectio Epiſtolæ, ab ipſo Sarzanenſi Epiſcopo pro informatione in Sacram Congreg. tranſmiſſæ, quæ habetur impreſſa in to. 2. Theſauri Reſol. Sacræ Congreg. Concilii. Ex ea namque apparet, quod tale Conſervatorium a longo tempore jam erat ſub juriſdictione Ordinarii, & quod P. Provincialis Minorum obſervantium illud ſuæ juriſdictionis ſubjecerat: *De hic quin quaſdam libertates in principio mei Epiſcopatus intellexi, earum ſtatui improprias, & quod faciliter introducebant tum Regulares Fratres de Obſervantia, tum ſæculares, conſulens earum indemnitati, & bono nomini, dedi ipſis in confeſſarium Sacerdotem ſexagenarium, bonis moribus, & ſcientia præditum, qui earum ſaluti proſpiceret, præeſſet, eaſque in vitam perfectionis dirigeret. Verum P. Provincialis Minorum Obſervantium cum adveniſſet Maſſam viſitaturus ſuos Fratres Menſe Octobris proxime præterito, nullo mecum facto verbo, ipſis mulieribus dedit in Confeſſarium Patrem Julium Ajolam ſui Ordinis, eaſque ſuæ juriſdictionis ſubjecit, prætendens ad ipſum in totum ſpectare &c.* Ex his igitur dumtaxat ſequitur, quod Conſervatoria illa, quæ a longo tempore ſubſunt Ordinariis, ſub horum etiam juriſdictionem debeant permanere, non autem quod ad eorumdem juriſdictionem debeant pertranſire, quæ ſub Regularium gubernio quieſcunt, vel ſi jam pertranſierint, nondum elapſi ſunt centum anni, per quorum lapſum, ut ſtatuit Rota Romana 15. Junii 1668. *deciſ. recent. par.* 15. *deciſ.* 285. *n.* 17., dumtaxat præſcribitur contra privilegia Regularium, quibus, nec Regulares ipſi valent renunciare, unde *c. cum tempore* §. *de arbitriis* Innocentius III. *etſi ſponte volueris, de jure tamen nequiveris ſine licentia Romani Pontificis, renunciare privilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ Monaſterium illud judicant ad jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere*; & Clemens XI. in Conſt. *Apoſtolicæ libertati* 13. Febr. 1703. *Nemini licere privilegia hujuſmodi immutare, quinimmo nec poſſe Regulares ipſas, niſi de Romani pro tempore exiſtentis Pontificis licentia, eiſdem renunciare*.

XXVIII. Ad hos ſi res redigatur terminos, abſit, quod nos refragemur, tamquam enim alias deciſum producit Fagnanus *de foro compet. cap. Nullus n.* 68., & concordat Pignatellus *to.* 4. *conſul.* 119. *n.* 2. quinimmo *centenaria, atque immemorabilis præſcriptio habet vim privilegii, & dat meliorem titulum de mundo*, ut loquuntur Doctores, quos allegat Menochius *de Præſcript. lib.* 3. *præſumpt.* 131. *n.* 44., Gratian. *diſcept. foren. cap.* 800. Rota recent. *deciſ.* 101. *n.* 31., & Gabriel Commun. *concl.* 5. *de præſcr. Concl.* 1. *per totam*, ubi firmat, quod *contra hanc centenariam præſcriptionem non admittitur probatio in contrarium*; & idem demonſtrat Gaſpar Antonius Theſaurus *q.* 8. *foren. lib.* 2. *q.* 27. ſubdens quod *per centenariam poſſeſſionem præſcribitur omne jus, etiam impræſcriptibile*, & Deciſiones Rotæ oſtendunt *a nemine talem centenariam præſcriptionem poſſe impugnari* apud Clericat. *to.* 2. *diſcur.* 13. *de Juriſdict. n.* 8.

XXIX. Cardinalis Petra *to.* 4. *comment. ad conſt.* 15. *Martini V. n.* 20. affert deciſionem alteram, in qua Sacra Congregatio Collegium Tertiariarum Ordinis S. Franciſci Oppidi Cortonei Ordinario declaravit eſſe ſubjectum; & ejuſmodi deciſio confirmata extitit per Congr. Epiſc. 27. Junii 1704., & iterum per eam Concilii 15. Junii 1709. Reponunt nonnulli deciſionem ejuſmodi ceteris obeſſe non poſſe, quia juxta generalem doctrinam, de qua Donatus *de privil. tract.* 7. *q.* 12. & Paſſerinus *to.* 3. *de ſtat. q.* 189. *art.* 8. *n.* 137., inter Regulares datur quidem communicatio in favorabilibus, non in odioſis. Tu vero ſatius ita ſtatutum dixeris, vel quia Ordinarius ſuper dictum Collegium jam jus acquiſiverat, vel altera particulari de cauſa, aliat quippe etiam Collegium Tertiariarum Ordinis Servorum, quod Cortonei ſimiliter habetur, pertranſiiſſet ad juriſdictionem Ordinarii, cum tamen ſemper perſtiterit ſub regimine Religionis. Non leve item eſt argumentum, quam produximus, deciſio Rotæ Romanæ, quæ anno 1699. non obſtante prædicto Decreto Tertiarias Collegiales Urini a juriſdictione Ordinarii pronunciavit immunes. Quod adnotemus, nobis denique dignum apparet, quod Tertiariæ ipſæ Cortonei, & Maſſæ, pro quibus laudata prodierunt Decreta, pertranſierunt poſtmodum ad juriſdictionem Ordinis, ſub qua modo quieſcunt.

XXX. *Citra tamen approbationem Sacræ Congreg. quoad dictum Conſervatorium*, clauſula quædam eſt, qua affectum noſcimus Decretum *in Sarzanen.* editum, & ex qua nonnulli eruunt, Tertiariarum Collegia ſine votis ſolemnibus, & clauſura, quæ juxta Conſt. Pii V. ſupprimenda forent, a Sacra Congregatione tolerari quidem, ſed non approbari, & ideo ab Epiſcopis poſſe ſupprimi, & forſan expedire, quod ſupprimantur. Ad Conſtitutionem Pii V. quod attinet, jam ſuperius vidimus in ea diſpoſitionem fieri de Collegiis Tertiariarum, quæ conditiones non habent Concilii Lateranenſis, quare deſcendentes ad prædictam clauſulam, a P. Joſepho Gibalino Societatis Jeſu *de clauſura Sanctimonial. diſp.* 1. *cap.* 3. §. 2. *confect.* 4. ſatis opportune inſtruimur, quod is dicendi modus non ſignat quidem, quod prædictus ſtatus probetur tamquam Religioſus, ad quod neceſſaria foret emiſſio trium votorum ſolemnium, bene vero, quod probetur tamquam licitus, pius, & bonus, qualem profecto oſtendunt laudes plurimæ, & privilegia, quibus Summi Pontifices illum condecorarunt, & certe demonſtrant uberrima Sanctitatis germina, quæ Dei Eccleſiam omni tempore illuſtrarunt maxime. Opus non eſſe credimus, hic recenſeamus quamplures gratias, quæ identidem Collegiis ejuſmodi per Summos Pontifices, ſacraſque Congregationes particulariter factæ leguntur; Si enim dixerimus, quod Sacra Congregatio anno 1667. Tertiariis Ordinis S. Dominici Venetiarum benigne indulſit, ut ad habitum, & in Congregationem mulieres annorum decem & octo recipere poſſent, ubertim demonſtraſſe credimus, quod Tertiariæ, quæ juxta Bullam Pii V. debent ſupprimi, haudquaquam ſunt, de quibus loquimur, ſed quæ abſque ullo voto in Congregatione vivunt, alias quippe illis denegari debuiſſet, & etiam ſubtrahi facultas quælibet ad habitum admittendi, & non concedi, etiam pro fœminis annorum decem & octo: hoc enim non eſt deſtructionem earum intendere, ſed magis perpetuitatem.

XXXI. Tertiariarum cauſam, quam ſi neceſſaria documenta ſibi a Regularibus exhibita fuiſſent, Bened. XIV. dum tamquam Archiepiſcopus Eccleſiæ Bononienſi præerat, ſe propugnaturum proteſtatus eſt *tom.* 2. *notif.* 9. *n.* 16. & *tom.* 5. *notif.* 15., ad ſupremam Cathedram aſſumptus late defendit, dum die 27. Maii 1744. Tertiarias S. Dominici, quæ Bononiæ collegialiter vivunt, in integra, & pacifica poſſeſſione ſuorum privilegiorum relinquendas eſſe mandavit *per ua antico privelegia da Lui riconoſciuto nell' atta della viſita*. Privilegium ejuſmodi aliud profecto non eſt, niſi quod habetur in Conſtit. *Conſiderantes* Alexandri VI. 1495. *Omnibus, & ſingulis Sororibus tertii Ordinis de Pœnitentia B. Dominici nuncupatis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, quando id petierint, tam in die Paſchæ, ſeu feſti Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & infra ejuſdem feſti octavam, quam etiam aliis diebus, etiam in mortis articulo Euchariſtiæ; & alia Sacramenta hujuſmodi ab eiſdem Fratribus Ordinis Prædicatorum recipere libere, & licite valeant, cujuſvis licentia ſuper hoc minime obtenta, ſeu etiam petita, auctoritate Apoſtolica licentiam concedimus, & facultatem*. Quod autem nonniſi illud ſit privilegium, cui innixus Benedictus XIV. ut ſupra ſtatuit, aperte teſtantur perſonæ omni exceptione majores, quæ in viſitationis actu præſentes aderant, & validum argumentum eſt, quod cum prædictum Collegium fundatum fuerit anno 1620., privilegium, quod ipſi particulare foret, magis de moderno ſaperet, quam de antiquo, ut taceam, quod deberet alias reperiri in Bullario Dominicano, in quo collecta jacent privilegia quæcumque, ſive totius Ordinis, ſeu cujuſvis ex Monaſteriis.

XXXII. Volo, tu ſerio cogites, quanti Sapientiſſimus hic Summus Pontifex poſteriora Congregationum, quæ adeo adverſarii extollunt, Decreta faciat adverſus Apoſtolica indulta, licet antiquiora, quibus nos ſuperius dicebamus non eſſe derogatum, & id ipſe ubertim demonſtrat, dum nihilominus ob productum Alexandri VI. privilegium Tertiarias prædictas in plena Ordinis juriſdictione declarat; nos autem inferre pergimus, quod ſi id præſtitit erga præfatas Tertiarias, nec dubitamus, quod idipſum præſtabit de reliquis cunctis, dummodo reſpectivi Regulares eidem exhibeant ſua quæque privilegia. Et ſane quid unquam declarari poteſt, niſi idipſum in favorem Tertiariarum Ordinis S. Auguſtini, quæ a Sixto IV. Conſt. *Dum fructus uberes* 1474. conſecutæ ſunt, ſi non copioſius, certe ſimile indultum? *Liceatque Fratribus prædictis eiſdem Pinzocheris, & Mantellatis perſonis, & in earum etiam domibus, quoties opus fuerit, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis Sacramenta miniſtrare, & dum eas decedere contigerit, illarum cadavera ad eorumdem Fratrum Eccleſias tumulanda deferre, etiam parochialium Eccleſiarum, perſonarum eorumdem Rectorum licentia deſuper minime requiſita, & contradictione qualibet non obſtante*. Quod ſi quæ Religio adeo ſpecioſa a Sede Apoſtolica privilegia particulariter aſſecuta non eſt, conſulere poterit ſuam, ſi quam habeat, communicationis Bullam, & hanc vel illa producere, ut ſe redimat a continuis incommodis, quæ propterea a Parochis, & Ordinariis pati cogitur.

XXXIII. Reliquum nunc dumtaxat eſt, obviam eamus abſurdis, quæ ex noſtra ſententia derivare contendunt Parochi. Sunt autem, quia Regulares alienam juriſdictionem invaderent, ſi intra parochiales limites munire poſſent Tertiarias ſacro viatico, & extrema unctione, & earumdem cadavera levare inconſulto Parocho, & cum præjudicio jurium parochialium. Verum hoc argumentum apud plebem exigere poteſt quidem plauſum, ſed non apud doctos, qui probe noſcunt, quod prædicta, quæ Parochi abſurda nuncupant, non latuere Summis Pontificibus, qui ante Concilium Lateranenſe prædictis Tertiarias condecoravere privilegiis, non Leoni X., non toti Concilio Lateranenſi quinto, cui ultra Summum Eccleſiæ Paſtorem ſexdecim interfuere Cardinales, & ſeptuaginta quatuor Epiſcopi, quatuor Generales Regularium Ordinum, ac Oratores Chriſtianorum Principum; quare niſi hos omnes imprudentiæ carpas, dum nihilominus Tertiarias a juriſdictione Parochorum, & Ordinariorum voluerunt immunes, jam vides utique, quod vel invictus dicere cogeris, quod illa reapſe non ſunt, qualia videri poſſunt indoctis, & effingunt Parochi.

XXXIV. Sane nullum abſurdum ſequitur, nec aliqui patiuntur ſcandalum, per hoc quod Regularem extra clauſtra infirmum a Regularibus Sacramentis communiri videant. Nullum ex eo quod eumdem mortuum inconſulto Parocho ad propriam Eccleſiam ſepeliendum aſportent; unde ergo abſurdum umquam excogitari poterit, ſi iidem Regulares ſimilia præſtent erga Tertiarias, quæ portio quædam ſunt eorumdem Ordinis? Hora eſt properemus ad alia, & ideo expoſitionem

claudat

Digitized by Google

claudat D. Thomæ auctoritas, qui *in 4. ſent.*, *ſeu in ſupplem. 3. par. q. 8. art. 5. ad 1.* expreſſe aſſerit, quod inde dumtaxat ii ex Parochis præjudicium ſentiunt, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui gregi præſunt, non ut eum paſcant, ſed ut ab eo paſcantur: *Præjudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur, quod eſt in favorem ejus indultum; juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & honorem Dei, & ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis, & honorem Dei promovendum, quod aliis, quæ juriſdictionis ſunt, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui gregi præſunt, non ut eum paſcant, ſed ut ab eo paſcantur.*

DECRETUM XXVII. CAP. IN ORDINE XXXVII.

Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Rectores Eccleſiarum Parochialium iſtius Civitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Jeſu, quod aſſerere audent perſonas laicas ſumentes in eorum Oratoriis, ſeu Congregationibus Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: cumque id minime ſit permiſſum, ſed fideles Sacram Communionem tempore paſchali a proprio Sacerdote, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licentia ſuſcipere teneantur, Sanctitas ſua juſſit Eminentiæ veſtræ ſignificandum, ut ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, & aliis ſibi bene viſis, id prohibeat præfatis Religioſis, moneatque ipſos laicos Sacramentum Euchariſtiæ ut ſupra de manu proprii Parochi teneri ſuſcipere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant. Cardinalis Veroſpius de mandato Urbani VIII. 20. Martii 1638. ad Card. Boncompagnum Archiep. Neapol.

I. Regularis vix Ordo eſt, cui per Sedem Apoſtolicam ſpecialis facultas attributa non ſit ſuper adminiſtratione Euchariſtiæ famulis ſuis ſæcularibus, aliiſque, qui in monaſteriorum immorantur obſequiis, etiam pro ſatisfactione præcepti paſchalis, & in mortis articulo. Liberalior, & quæ non prætereatur, profecto digna eſt Bulla *Dum ad Sacram* 28. Julii 1506., in qua Julius II. concedit Fratribus Minimis *in eorum Eccleſiis conſtructis, & conſtruendis, curialibus, mercatoribus, peregrinis, ac tranſeuntibus, & aliis quibuſvis perſonis Euchariſtiæ Sacramentum, quoties opus fuerit, miniſtrare, ac miniſtrari facere.* Verba autem illa *Quoties opus fuerit* eodem Pontifice interpreta reddunt: *Quoties devotio ingrueret, & neceſſitas poſtularet, etiam abſque quacumque ſuperiorum licentia.*

II. Si non adhuc liberalius, certe ad rem expreſſius eſt indultum Nicolai V., qui Religioſis B. Mariæ de Guadalupe die 28. Sept. 1468. conceſſit, *ut licite, ac libere liceat omnibus Chriſtifidelibus de illorum manu, ac in eorum Eccleſia Sacratiſſima communione die Paſchæ refici abſque Epiſcopi, aut Parochi venia.* Antonius item Cardinalis, & Pœnitentiarius Paulli III. die 20. Jan. 1540. de ejuſdem Pontificis ſpeciali mandato, vivæ vocis oraculo indulſiſſe refertur, *ut iidem Fratres prædicti Monaſterii B. Mariæ de Guadalupe Ordinis S. Hieronymi poſſint in ſuis Cappellis, Oratoriis, Monaſteriis, ac grangiis adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, etiam in die Paſchatis ſubditis ejuſdem Monaſterii, vel ab eo dependentibus, & aliis illo confluentibus utriuſque ſexus, Diœceſanorum locorum Curatorum, aut Rectorum ad hoc licentia minime requiſita, & ut ſic ſuſcipientes præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant non obſtantibus in contrarium quibuſcumque.* Quod privilegium extenſum inde fuit ad omnia Monaſteria ejuſdem Ordinis, etiamſi in eis non militet eadem ratio, ab eodem Paulo III., Pio IV., & aliis Pontificibus, ac conſequenter per viam communicationis cuique fere commune redditum eſt Regulari Ordini, & certe iis, qui communicationem habent cum prædicto Ordine S. Hieronymi.

III. Privilegia ejuſmodi comprehenſa non eſſe, neque in Bulla revocatoria *Romanus Pontifex* Gregorii XV. de die 2. Julii 1622., utpote quæ præſervat oracula authentica, & manu alicujus Cardinalis ſubſcripta, neque in Bulla *Commiſſi nobis* Urbani VIII. 5. Maii 1629., quia ante hanc jam illa ſuum ſortita erant effectum, & tranſierant in privilegia bullata per Confirmationem Gregorii XIII., Sixti, V., Clementis VIII. & Pauli V., neque denique in revocatione Tridentini ex defectu intimationis Regularibus factæ contra formam a Gregorio XIII. præciſe teneri præſcriptam in revocatione privilegiorum Societatis Jeſu, ac conſequenter etiam aliorum Regularium Ordinum de ejuſdem privilegiis participantium, quam plures Auctores edocent & numero, & nota inſignes apud Samuellium *tract. 1. de ſepult. elect. contr. 15.*, & Paſſerinum *tom. 2. quæſt. 87. art. 1. n. 964.* qui propterea prædicta privilegia adhuc in licitum uſum eſſe poſſe ſentiunt, licet nonnulli ab eorumdem praxi abſtinere conſulant ad præcavendas contentiones, & rixas. Non diſſimiliter cenſent alii, licet alteram incedant viam, quia nempe tale privilegium non eſt privilegium Regularium, ſed fidelium, conceſſum ſcilicet, ut ſatisfiat horum devotioni, ut apparet ex Bulla Eugenii IV. pro Monachis Congregationis S. Juſtinæ. Non deſunt denique, qui per communionem ſumptam de manu Regularium, cap. *Omnis* plene ſatisfieri putant, quod quippe non exigit, niſi quod ſumatur *de manu proprii Sacerdotis*, qualis eſt Papa in univerſa Eccleſia, ac conſequenter omnes etiam illi, qui licentiam per privilegia ab eo habent.

IV. At cum nedum ſanctio præſens, & quas ſuperius produximus, ſed quotquot emanaverunt poſt Tridentinum, aut Sacrarum Congregationum, vel ipſius Sedis Apoſtolicæ deciſiones, jus impertiendi communionem paſchalem privative ad Regulares reſervent Parochis, cum communi ſententia nos arbitramur, præfata privilegia non amplius Regularibus ſuffragari, utpote quæ licet ſufficienter non caſſata eſſent per laudatas Bullas revocatorias derogata certe cenſenda ſunt per poſteriores omnes declarationes Sacrarum Congregationum Pontificum auctoritate emanatas, & a Sede ipſa Apoſtolica approbatas, unde Clemens VIII. in Decr. 8. hujus cap. *Dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ in in die feſto Paſchæ Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem Parocho ſumant.* Dum enim in oppoſitum conſtanter aperte ſtatuunt, ſi quæ ſunt, privilegiis certe derogant; & per hæc patet ad ea, quæ ſuperius fuerunt producta.

V. Integrum tamen adhuc Regularibus jus ut ſupra perſtat pro famulis, familiaribus domeſticis, & commenſalibus, quod ad peregrinos, & vagos ea ratione extendunt plurimi, quod revocatio privilegiorum fuit facta ad favorem Parochorum propriorum, ad quos cum adhuc id genus homines communicaturi minime accederent, nulla propterea iiſdem irrogatur injuria Parochis per hoc quod a Regularibus communicentur. Eugenius IV. decreviſſe refertur, quod advenæ, & peregrini, ſeu vagi acquirunt incolatum quoad Sacramenta Confeſſionis, & communionis tempore Paſchatis, licet in modico tempore ſteterint, ſed id conceſſiſſe reponunt ad favorem peregrinorum, & ad tollendos eorum ſcrupulos, non vero eos obligando ad recipienda Sacramenta de manu Parochorum, quorum Parochiam pro modico illo tempore incolunt, ſed eoſdem relinquendo juris communis diſpoſitioni. Sane Rituale Romanum *peregrinos, advenas, & qui certum domicilium non habent*, ab iis Parochis, ad quos rite parati acceſſerint, communicari demandat, vel remitti ad Eccleſiæ Cathedralis Parochum, ubi eſt ea conſuetudo, argumentum utique irrefragabile, quod neceſſe non eſt, iidem communicent in Parochia, quam incolunt. Advenæ itaque peregrini, & qui in loco certum domicilium non habent, vel quaſi domicilium, a Regularibus remitti debebunt ad Cathedralem, ubi viget conſuetudo ejuſmodi, ut ſe conforment locorum moribus; & ubi talis conſuetudo non eſt ab iiſdem communicari poterunt juxta allegatum indultum Pii II., & adhuc licentiam tacitam ſuorum Parochorum quæ jure præſumitur pro quocumque, qui Euchariſtiam legitime valet adminiſtrare.

VI. Qui intra Monaſteria detinentur infirmi, ſive ut gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, aut timent grave damnum, inde exeuntes, fructuoſe in Paſchate apud Regulares communicant ex neceſſitatis titulo, cum Eccleſiam Parochialem adire non valeant abſque gravi periculo, & incommodo. Ob id ſolet afferri privilegium Pauli III., qui excipiens communionem paſchalem, & in articulo mortis, ſubdit, *niſi in caſu neceſſitatis*; ego vero libens addo licentiam tacitam Parochi, cujus diſſenſus tamquam irrationabilis nec eſſet attendendus. Paſſaus, aliique prædictos a communione paſchali deobligant, tamquam quæ in eo ſtatu a proprio Sacerdote ſumi non poteſt, ſed verius tale præceptum apparet dividuum, duas habens partes, unam principalem, & potiorem, ſcilicet communionem, quæ indicta eſt ob ſolemnitatem paſchalem, alteram minus principalem, & veluti acceſſoriam, obligationem nempe illam ſumendi de manu proprii Parochi, ut ſaltem ſemel in anno oves ſuas poſſit recognoſcere; quare videre non eſt, cur qui communionem ſumere comode poteſt, eam non teneatur ſuſcipere, quia illam ſumere non poteſt de manu proprii Parochi, quemadmodum ad communionem ſuſcipiendam peregrini communiter cenſentur aſtricti, etſi eam ſumere non valeant de manu proprii Parochi.

VII. Ad quid, ſi ceſſent ejuſmodi cauſæ, antequam tempus utile ad explendum præceptum expiret? Tenebunturne iterum communicare in Parochiali. Nequaquam; cum enim tunc rationabilis realiter adeſſet cauſa, ob quam Parochialem Eccleſiam petere non poterat, & præceptum inſtaret, ipſe uſus eſt jure ſuo, communionem apud Regulares ſuſcipiens, hoc pacto adimplens præceptum quoad communionem, quæ eſt potior ejuſdem pars, & principalis, & tunc ſibi dumtaxat poſſibilis, licet non quoad partem minus principalem, & acceſſoriam, habendi ſcilicet illam de manu Parochi, quæ in eo ſtatu nec ceſſante cauſa obligare poteſt, quia cum non ſit dividua, ſecum traheret iterationem partis potioris, & principalis legitime jam habitæ, ſcilicet alterius communionis, cum tamen caput *omnis* unam tantum præcipiat. Et maxime quia ſi non materialia verba, ſervatur mens legis, dum adhuc Parochus habet, unde oves ſuas recognoſcat media ſchedula manu Regularium ſubſcripta, quam ſi Parochus exigat, illi non dubitamus a Parochiano eſſe exhibendam. Quæ dicta ſunto, dummodo Parochiani bona fide ad communionem proceſſerint; ſi enim prævisa ceſſatione cauſæ communio, quæ bene, & devote poterat differri, in fraudem, & ad evitandam obligationem communicandi de manu Parochi facta fuiſſet; ab iteranda communione in Parochiali eum nos abſolvere non poſſumus: Quoniam tamen, etſi ejuſmodi homines ad Parochialem pro communione paſchali commode accedere nequeant, poſſunt tamen licentiam petere; ideo nos credimus, id obſequii eoſdem præſtare teneri Parochis, licet quatenus hi renuant, non dubitemus ut ſupra ad communionem paſchalem ſe ſiſtere poſſe, abſque eo quod obſtringi valeant ad eam in Parochiali iterandam.

DECRE-

DECRETUM XXVIII. CAP. IN ORD. XXXVIII.

Non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipit ante vel poſt diem Paſchatis, non de manu Parochi, ſed Regularium habentium a Sede Apoſtolica privilegium miniſtrandi hoc Sacramentum; *præterquam in die Paſchatis*; quod tamen viſum eſt etiam in die Reſurrectionis poſſe ipſos miniſtrare. Congr. 21. Maii 1601.

I. AD licite adminiſtrandam Euchariſtiam ultra poteſtatem Ordinis rite expoſcunt plurimi poteſtatem juriſdictionis, eſt namque actus Paſtoris paſcentis oves Chriſti, adeoque juriſdictionis actus; quare Concilia Chartaginenſe *cap.* 17. & Milevitanum *cap.* 18. ſtatuiſſe referuntur, ne quis ſive clericus, ſive laicus communicet in aliena Parochia, & ſpecialiter de Religioſis in Clem. de privil. cap. *Religioſi* cautum habetur: *Ne Religioſi præſumant miniſtrare Euchariſtiam laicis, aut clericis abſque Parochi licentia*. Et quidem privilegia, quæ ſuper adminiſtratione Euchariſtiæ poſtmodum obtinuere Regulares, ubertim neceſſitatem indicant poteſtatis juriſdictionis, alias quippe nec olim egniſſent licentia Paſtorum, nec poſtea Apoſtolicis privilegiis. Oppoſita autem ſententia abſque poteſtate juriſdictionis a Sacerdote non admittit univerſim Euchariſtiam miniſtrari poſſe, ſed tres excipit caſus, ſcilicet communionis Paſchatis, viatici, & ex præconſecratis particulis, ſolumque celebranti indulget, quod ex conſecratis in miſſa poſſit ex devotione petentem communicare, & nititur tum Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de ſacrif. miſſæ*, ubi optat, ut fideles in ſingulis miſſis communicent, quod nequit impleri, niſi Sacerdotes celebrantes poſſint adſtantes communicare. Tum 2., quia Eccleſia in hymno aſſerit hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum, ut Sacerdotes illud ſumerent, & darent ceteris. Ad quæ tamen reponunt illi, quod Concilium non dicit, quod de facto optet, ſed quod optaret, ſi ſcilicet hoc alias æque & bene fieri poſſet; quare nec vel minimam juriſdictionem tribuit ſimplicibus Sacerdotibus, nec ullatenus revocat prohibitiones antiquas. Bene vero Eccleſia inquit, quod Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, ut Sacerdotes illud ſumerent, & ceteris darent, ſed quod id intelligi debet cum ſubordinatione, & ordine, quemadmodum & data eſt poteſtas abſolvendi a peccatis, ſed ut exercenda a Prælatis, & Paſtoribus, ab aliis vero nonniſi ex eorum commiſſione.

II. Verum quidquid ſit de quæſtione ejuſmodi, modo reperire non eſt Religionem ullam, quæ principaliter, vel per viam communicationis non gaudeat amplis adeo privilegiis, ut nullum dubitandi relinquant locum ſuper abſolutam Regularium poteſtatem communicandi quoſvis fideles tum intra miſſam ex conſecratis in eadem, tum extra miſſam ex præconſecratis. Hæc tamen privilegia ut plurimum hanc clauſulam, *Præterquam in die Paſchatis*, adnexam habent, & licet in privilegiis Eugenii IV. pro Benedictinis Congregationis S. Juſtinæ, Julii II. pro Minimis, & Pauli IV. pro Theatinis expreſſe eadem non habeatur exceptio. Peyrinus adhuc *ad D. Conſtit. Julii* II. *n.* 89. eamdem ſubintelligi cenſet, quia in communi conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt communi uſu, & ſenſu excepta, & quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus.

III. Quid ſibi velit prædicta clauſula, nunc exurgit dubium, in quo nonnulli materiali adhærentes verborum ſenſui, tradidere, in die Paſchatis Regularibus licitum non eſſe, Euchariſtiam adminiſtrare laicis, ſive hi adimplendi præcepti gratia accedant, ſive devotionis cauſa; poſſe vero in aliis quibuſcumque diebus, etiam proxime antecedentibus, & ſubſequentibus ad prædictum feſtum Paſchæ, qui cum a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis utiles ſint pro ſatisfactione præcepti, hinc factum fuit dubium, quod præſentis eſt cauſa Decreti, num ſcilicet in iiſdem diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis Laici ſumentes Euchariſtiam de manu Regularium, qui habent privilegium adminiſtrandi hoc Sacramentum cum clauſula *præterquam in die paſchatis*, præcepto ſatisfacerent.

IV. Advertentes alii, quod legum ſpiritus, & anima eſt legiſlatorum mens, credidere, ſiſtendum non eſſe in terminis materialibus, & verborum ſono, ſed magis attendenda eſſe verba formalia, ſive Pontificum intentionem, quæ fuit reſervare Parochis communionem paſchalem; unde in horum ſententia clauſula *præterquam in die Paſchatis* Regulares dumtaxat privat jure impartiendi communionem ſatisfactivam præcepti, quæ ex eo dicitur *diei paſchatis*, quo pro ea die a cap. *Omnis* fuerit indicta, & a Rituali Romano commendetur fieri, licet ad fidelium commodum ab Eugenio IV. ejuſdem tempus fuerit ut ſupra ampliatum. Rem declarat admodum Decretum 8. hujus capitis, in quo Clemens VIII., qui probe noverat ex conceſſione Eugenii IV. communionem paſchalem utiliter impleri a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, adhuc ut eamdem reſervet Parochis, his verbis utitur, *Dummodo iidem ſæculares Sacramentum Euchariſtiæ die feſto paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem parocho ſumant*; quidni igitur & Regularium privilegia ad effectum excludendi communionem paſchalem, per clauſulam *præterquam in die paſchatis* rite exprimi potuerunt?

V. Fieret ſenſus itaque, quod Regulares neque in die Paſchæ, neque in aliis diebus poſſunt Euchariſtiam præbere fidelibus, cujus ſumptio valida ſit præcepto ſatisfacere, poſſunt vero & in die Paſchæ, & in quibuslibet diebus aliis communicare fideles ex devotione accedentes. Expoſitio ejuſmodi a præſenti aperte ſanctione adoptatur, dum definit per communionem ſumptam de manu Regularium in antecedentibus, & ſubſequentibus diebus ad diem Paſchæ, licet ut ſupra utilibus, non ſatisfieri præcepto; & inſimul declarat Regularibus illis, quorum privilegia prædictam clauſulam *Præterquam in die Paſchatis* habent adnexam, facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam, etiam in die Paſchæ: *Quod tamen viſum eſt etiam in die paſcha poſſe ipſos adminiſtrare*. Præcedens Decretum non diſſimiliter ſentire videtur, quippe quod in veriori ſui ſenſu Regularibus non inhibet in die Paſchæ adminiſtrare Euchariſtiam, ſed ſolum edocere, quod per talem ſumptionem ſatisfiat communioni paſchali. Quibus lubens ego addo laudata privilegia Eugenii IV., Julii II., & Pauli IV., quæ cum per communicationem ceteris Ordinibus participantibus ſint communia, & nullam exceptionem faciant, etiam diem Paſchæ includere videntur, abſque eo quod pati apta ſint memoratam clauſulam, quam ſubintelligi quidem Peyrinus aſſerit ad excludendam communionem paſchalem, quæ communi ſenſu cenſetur ſemper excepta, ſed minime advertit, quod ibi ſermo eſt de communicantibus, devotionis gratia, & non cauſa ſatisfaciendi præcepto, & ideo conſulto clauſula quælibet omiſſa fuit, quia communio paſchalis, quæ non eſt ex devotione, ſed de præcepto, ex ipſa terminorum ſignificatione jam ubertim erat excepta.

VI. Modo prodeat Decretum aliud, & erit 29. cap. in ord. 59. *Parochiani non ſatisfaciunt obligationi communionis paſchalis per Euchariſtiam ſumptam extra propriam Parochiam, quare monendi erunt Regulares, ne in eorum Eccleſiis adminiſtrent Euchariſtiam die Paſchæ, niſi illis, de quibus ſibi conſtiterit, jam illam in Parochiali ſumpſiſſe in aliqua ex diebus hebdomadæ majoris: & in omni caſu a Parochis habendi non erunt liberi ab onere communionis paſchalis parochiani illi, qui in propria Parochia non communicaverint*. Congreg. Epiſcop. 16. Maii 1600. In quo Decreto videre eſt, quod Sacra Congregatio primario ſiſtit in declarando, quod per communionem habitam extra propriam Parochiam non ſatisfit præcepto, & licet ſecundario deſcendat ad admonitionem, ne Regulares in die Paſchæ fideles ad communionem admittant, ab hac tamen adminiſtranda eoſdem non abſolute prohibet, quinimmo aperte permittit, dummodo ſibi conſtet de jam adimpleto præcepto; adhuc de hoc parum ſollicita, declarare pergit, quod in quocumque caſu habendi non ſunt liberi ab onere communionis paſchalis illi Parochiani, qui in propria Parochia Euchariſtiam non ſumpſerint, etſi illam ſuſcepiſſent de manu Regularium. Id autem in veriori ſui ſenſu non eſt, niſi per Euchariſtiam ſumptam de manu Regularium non ſatisfieri præcepto, & Regularibus vigore ſuorum privilegiorum integrum eſſe eamdem adminiſtrare ex devotione accedentibus; & hæc eſt cauſa, ob quam communionem in die Paſchæ abſolute non prohibentur diſtribuere, ſed ſolum admonendi decernuntur, ne illam diſtribuant, niſi illis, de quibus ſibi conſtiterit, jam ſatisfeciſſe præcepto, rite addunt Auctores, vel paratos eſſe eidem ſatisfacere in ſubſequentibus diebus utilibus; ſi enim nec præceptum adimplevere, nec illud adimplere parati ſunt, utique repelli debent, tamquam indiſpoſiti ad tantum Sacramentum ſuſcipiendum, cum obedire reluctentur Eccleſiæ mandatis. Hac propterea cum clauſula, vel abſolute ex devotione accedentibus, Euchariſtiam a Regularibus adminiſtrari poſſe, cenſuerunt Suarez *to.* 3. *diſp.* 72. *ſect.* 2. §. *cenſeo igitur*, Fagundez *in* 3. *præcept. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 18., Palaus *tract.* 21. *p.* 16. *n.* 10., Rodriquez *p.* 1. *quæſt.* 59. *art.* 3., Card. de Lugo *de Euch. diſp.* 18. *n.* 50., Sanchez *de matrim. l.* 3. *diſp.* 23. *n.* 17. Antonius a Sp. Sanc. *p.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *n.* 98., Ceſpedes *c.* 6. *qu.* 22. *n.* 1. & 129. *n.* 3., Coton *l.* 4. *controv.* 8. *n.* 113., Peyrinus *ad Conſt.* 1. *Julii* II. *n.* 86. Tamburinus *to.* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 3. *n.* 3., Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 81., quod & probabile putat Lezana *verb. Euchariſtia n.* 2., & alii plures ab illis citati.

VII. In oppoſitum tria producuntur Decreta, primum a Gavanto *in manuali Epiſ. verb. Euchariſtia n.* 23., & erit 30. cap. in ord. 40. *Qui ſatisfecit in paſchate in parochiali, non tamen poteſt in ipſo die paſchatis Euchariſtiam ſumere in Eccleſia Regularium non habentium curam animarum*. Congregatio Concil. 23. Januarii 1586., & 14. Martii 1615. Si namque qui in Parochiali ſatisfecerint *in paſchate*, ideſt in aliqua die majoris hebdomadæ, adhuc in die Paſchatis in Eccleſiis Regularium Euchariſtiam ſumere non poſſunt, dubio procul Regulares in die Paſchæ ad Sacram Menſam admittere nequeunt Chriſtifideles, qui accedunt ſola devotionis gratia, tametſi conſtet eos jam ſatisfeciſſe præcepto.

VIII. Secundum Decretum, quod erit 31. cap. in ord. 41. refertur a Barboſa *de Paroch. par.* 2. *c.* 20. *n.* 8., & eſt tenoris ſequentis: *Fuit dubitatum, an die paſchatis Fratres poſſint adminiſtrare populo Sanctiſſimam Euchariſtiam, Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe, ſtante quod in privilegio Eugenii IV. hoc eis interdicitur expreſſe pro illa die*. Die 2. Martii 1619. Reapſe hoc Decretum non ſatis exprimit, an ſermo ſit de communione adimpletiva præcepti, an etiam de ea, quæ fit ſola devotionis cauſa, & præſertim ab iis, qui jam ſatisfecerunt præcepto, ſed ubertim ſupplet ſequens Decretum (erit 32. cap. in ord. 42.) quod per hæc verba etiam communionem ex devotione diſerte interdicit: *Non poſſunt ſæculares in ipſo die Paſchatis de manu Regularium Sanctam communionem accipere, etſi in alia die ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto hac de re edito*. Congr. Concil. 8. Junii 1619. Equidem ex his Decretis omnino everti videntur, quæ in favorem Regularium ſupe-

ſuperius conſtructa ſunt; cum enim hæc Decreta productis poſteriora ſint, his derogant; quatenus opus ſit. Verum vide, quæ in ſequenti Decreto tradimus.

DECRETUM XXXIII. CAP. IN ORDINE XLIII.

Prohibeatur Regularibus adminiſtrare ſæcularibus Sacramentum communionis, etiam devotionis gratia, ipſo die Paſchatis; in aliis vero diebus temporis Paſchalis declaretur, eos, qui Sacram Cmomunionem receperint extra Parochiam, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere. Congr. Epiſc. 10. Sept. 1627.

I. REfert hoc Decretum Nicolius *in floſc. verb. Paſch. n.* 6. ubi & adducit rationem, quæ in Sacram Congregationem deducta, eamdem permovit ad declarandam Communionem etiam ex devotione in Eccleſiis Regularium illicitam in ipſa die Paſchatis: *Nam Regulares nec poſſunt adminiſtrare Euchariſtiam Sæcularibus in Dominica Reſurrectionis, licet antea ſatisfecerint, vel poſtea intendant ſatisfacere præcepto in Parochia, quia pro ea die non habent privilegium*. Hinc fit, clauſulam illam *Præterquam in die Paſchatis*, quam adnexam ut plurimum habent privilegia Regularium, & ex qua a Sacra Congregatione deducitur in Regularibus pro die Paſchæ carentia privilegii, nedum formaliter, ſed etiam materialiter intelligendam eſſe, ita ut nedum excludat Regulares ab adminiſtranda Euchariſtia, cujus ſumptio valida ſit ad adimplandum præceptum, ſed etiam eoſdem omnino prohibeat a diſtributione Sacræ Synaxis in die Paſchatis, etſi ea ſola devotione ſumeretur.

II. De primi authenticia Decreti, quod a Gavanto ut ſupra producitur, dubitat Antonius a Spiritu Sancto *loc. cit.*, & abſolute aſſerit, uſu non fuiſſe receptum, certe ſecundum, quod ex Barboſa protulimus, ſub manifeſto errore procedit, aſſerit quippe, & pro ratione producit, quod *in privilegio Eugenii IV. Regularibus expreſſe interdicitur adminiſtrare populo Sacram Euchariſtiam in die Paſchatis*, cum tamen adeo abſit, ut in privilegio Eugenii fiet exceptio Paſchatis, ut magis fiat aperta conceſſio, utpote quod abſolute latum eſt pro omni die abſque ulla exceptione. Habet namque Bulla Eugenii IV. prout habetur in Bullario Ord. Caſſinen., & Prædicator. *eiſque ac omnibus, qui ad præfatos Monachos ob hujuſmodi devotionem recurrerint, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare valeant, de ſpecialis dono gratiæ in favorem obſervantiæ Regularis licentia elargimur*, prout vero habetur in Bullario Romano, in quo eſt 9. hujus Pontificis; *& eis miniſtrare Euchariſtiæ Sacramentum de ſpecialis dono gratiæ elargimur*. Ubi utique nulla apparet exceptio Paſchatis, & maxime expreſſa, ut Decretum aſſerit, quod propterea ſub errore procedere evincitur.

III. Quæ cum ita ſint, & conſimilia, quæ poſtmodum emanaverunt, non procedant derogando privilegiis Regularium, ſed ſupponendo, quod Regulares pro die Paſchæ nullum privilegium habeant, quinimmo ſit ipſis expreſſe interdictum, unde ex Nicolio uti ſuperius diximus, etiam ratio, quæ Sacram Congregationem ad præſentis permovit efformationem Decreti, fuit, *quia pro eo die non habent privilegium*, ad ſummum fit, quod Regulares illi Ordines, quorum privilegia habent adnexam memoratam clauſulam *Præterquam in die Paſchatis*, ad Sacram Menſam admittere non valeant accedentes ex devotione, non autem ii, quorum privilegia prædictam clauſulam non habent adjunctam, vel ſi hanc habent adnexam, communicant in privilegiis cum illis Religionibus, quarum privilegia affecta non ſunt prædicta clauſula, ſed ſine ulla exceptione dierum indulgent cæleſti cibo reficere, quicumque ad earum Eccleſias ex devotione procedunt. Religiones autem, quarum privilegia affecta non ſunt prædicta clauſula, ſunt Congregatio Benedictina S. Juſtinæ, Minimorum, & Theatinorum Ordo; ex participantibus vero certe Religiones mendicantes, ceterarum autem unaquæque conſulat ſuam, ſi habet, communicationis Bullam.

DECRETUM XXXIV. CAP. IN ORDINE XLIV.

Epiſcopi non poſſunt prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare non valeant perſonis ſæcularibus Sacramentum Confeſſionis; poſſunt tamen eiſdem prohibere, ut perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ ſæculares in alia die ſatisfecerint præcepto hac de re edito. Congreg. Concil. 9. Julii 1644.

I. NOn licet Regularibus (ſit Decr. 35. cap. in ord. 45.) *in die Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus*. Congr. Concil. 14. Januarii 1736. Cum hiſce duobus Decretis cauſam ſimiliter dederit Decretum ut ſupra ex Barboſa prodctum, utpote quod in eorumdem efformatione relatum fuit, & examinatum, iiſdem reſtrictionibus, quas nuper adduximus, manent ſubjecta, quibus modo addimus alteram, ut videlicet adhuc Religiones, quibus ut ſupra non ſuffragantur privilegia, ſe tueri valeant in ſua conſuetudine, quæ cum non ſit derogata, juriſdictionem dat non habenti, dummmodo longæva ſit, & ſufficienter præſcripta.

II. Quæ lubentes ea eo dedimus, quod fideles præſertim illi, qui jam adimpleverunt præceptum, cum Eccleſiæ legibus anticipate obſecuti ſint, ſe Parochis paſcendos præbendo, & majori animi præparatione, ob quam cauſam communio ipſa paſchalis fuit indicta, feſtum Paſchatis ſtudeant celebrare, digni a nobis viſi non ſunt, qui defraudentur in ſuo deſiderio communicandi apud Regulares, ut abſit excogitemus unquam in contrarium legem ullam Eccleſiæ, quæ ſemper præmovet, non impedit majora ſtudia pietatis, removetque ea, quæ ab iiſdem poſſunt retardare fideles, ut & de tacita, quatenus putaretur neceſſaria, Parochorum licentia minime dubitemus, & in caſu manifeſti diſſenſus, hunc eſſe irrationabilem, & tamquam difformem ab Eccleſiæ mente, niſi quid relevans haberetur in contrarium, non eſſe attendendum. Cum enim Parochi in die Paſchæ ſint admodum impediti in excipiendis confeſſionibus, & communicandis fidelibus, qui accedunt cauſa ſatisfaciendi præcepto, nullam rationabilem habent cauſam fideles illos, qui erga eoſdem quaſque jam ſui abſolverunt partes muneris, prohibendi a communione apud Regulares, ex qua non modicum Parochis ipſis levamen obvenit, & maximum fidelibus commodum, atque ſpirituale beneficium. Sic namque fideles a frequentioris populi turba ſemoti, facilius ſe colligunt, devotius ſe præparant, & ferventioribus prævüs virtutum actibus ad tantum Sacramentum, ut par eſt, cum majori fructuum ubertate procedunt, & cum inſuper citius ſe expediant, inde fit, quod fidelium plurimi, præſertim qui infirmorum, aut puerorum, vel rerum domeſticarum curis detinentur, aut aliorum obſequiis, vel admodum a Parochiali abſunt, Sanctum Paſcha cum communione celebrent ad ſalutem, a qua deberent abſtinere, ſi ad Eccleſiam Parochialem neceſſe foret accedere; qua ſuper re dignus eſt, recolator Pau Jordanus *lib* 3. *tit*. 7. *num*. 79.

III. Diximus *Præſertim illi, qui jam adimpleverunt præceptum*, quia cum producta ſpiritualia commoda communia item ſint fidelibus reliquis, horum etiam illos apud Regulares communicare poſſe credimus, qui etſi nondum præcepto ſatisfecerint, intra dies tamen utiles parati ſunt obſequi Eccleſiæ legibus. Id autem juxta doctrinam Card. de Lugo *diſp.* 8. *num.* 60. de quocumque præſumi debet, qui ea die ad Eccleſias Regularium communicaturus accedit, & certe ſi in bonis operibus teſtimonium habeat, eumque commendet vitæ probitas. Ceterum cum nullus præſumatur ſuæ ſalutis immemor, ea die Regulares ad Sacram menſam admittere abſolute poterunt omnes illos, quos admitterent in diebus aliis.

IV. *Aliena vero parochia fideles ad proprium Parochum remittet*, ſunt Ritualis Romani verba de Parocho in die Paſchæ adminiſtrante Sacram Synaxim, ex quibus videtur erui, quod unus Paſtor ea die non poſſit paſcere alterius oves, ſed ad proprium Paſtorem eas teneatur remittere. Ritualis ſenſum fortaſſe aperit Divus Carolus, dum *Conc. Provinc.* 11. *tit.* 12. *Decr.* 12. ſuis indixit Parochis, ut ſingulis diebus, cum in Paſcha adminiſtraverint Euchariſtiam, antequam illam cuique præbeant, ad populum converſi denuncient, ut ſi quis eorum, qui communicaturi adſtant, ſuæ Parochiæ incolæ non ſit, ſuam quiſquis Parochiam adeat, ubi canonum ſanctionibus ſtatutum eſt, eo tempore Sacram ſumat Euchariſtiam. Ut ſupra itaque fortaſſis remitti jubentur, non quia in Parochialibus ad ſacram menſam non poſſint admitti, ſed ne qui admittuntur, ex ignorantia putent ſatisfeciſſe præcepto, aut cum jam communicaverint, in ſatisfactionem præcepti ad aliam communionem in Parochiali cogantur. Sane Decretum, quod ex Gavanto ſuperius produximus, dum non diſtinguens, an ſint de propria Parochia, abſolute ad ſacram menſam in die Paſchæ in Eccleſiis Regularium, quæ Parochiales ſunt, eos admitti poſſe declarat, qui jam in Parochiali ſatisfecerunt præcepto, non obſcura indicat, quod apud Parochiales Eccleſias eadem die etiam exteri cæleſti cibo poſſint refici.

V. Si dixeris, quod etiam Parochi mandato Ritualis ſatis obtemperent, ſi communioni fidelium præmittant præfatum monitum, expoſitio videtur rei admodum opportuna, & commoda; ſic enim de obligatione monetur populus, & omnis ignorantia tollitur, & inſimul eximantur Parochi ab onere, quod in tali circumſtantia temporis eſt minus aptum, ſingillatim ſcilicet cognoſcendi, & perſcrutandi ſuos parochianos, ut exteros ad proprium Parochum remittere valeant. Præmiſſio hujus moniti, haud refragor, eſt laudabilis, & a Regularibus etiam digna, quæ uſitetur, ſed cum modo obligatio communicandi in Paſchate apud proprium Parochum nota ſit etiam rudioribus, ad illam Parochos obligare non poſſumus, ſed magis ad non communicandos exteros, vel quatenus eos communicent, aut alios de Parochia qui iterum communicaverunt, ad non diſtribuendam iiſdem communionis ſchedulam; & id ad præcavendam (ſi fieri poteſt) deteſtabilem nonnullorum fraudem, qui cum ipſi præceptum nolint implere, mediis aliorum communionibus a Parochis communionis ſignum reportant ad effectum evitandi pœnas per Sacros Canones ſancte conſtitutas.

VI. *Ægrotis quoque Parochialibus, etiamſi communionem extra præſcriptos paſchales dies ſumpſerint, in paſchalibus diebus illam deferet, ac miniſtrabit*, ſunt alia verba Ritualis Romani, quæ dum committunt Parocho paſchalem adminiſtrare communionem ægrotis intra ſuam Parochiam conſtitutis, conſequenter nos edocent, lege communionis paſchalis ægrotos quoque teneri, qui dubio procul comprehenduntur in numero Chriſtifidelium, quos indiſtincte afficit cap. *Omnis*. At quid, ſi ægroti in tali ſtatu ſint conſtituti, ut nonniſi per modum viatici poſſint Euchariſtiam ſuſcipere? Non tenentur lege

Pa-

Digitized by Google

Paſchatis, nec ad Euchariſtiam ſumendam per modum viatici; & quatenus hoc pacto eam ſumpſerint, adhuc præcepto Eccleſiaſtico minime ſatisfaciunt, quod propterea adimplere non minus erunt adſtricti, ſi convaluerint antequam expirent dies utiles, niſi de conſilio proprii Sacerdotis communio differatur, vel tenebuntur ad communionem annuam, quatenus paſchales dies exceſſerint. Sunt namque duo diverſa præcepta, communicandi in Paſchate, vel intra annum, & communicandi in articulo mortis, & utrumque per ſe obligat, & pro diverſo tempore, & circumſtantiis; quare ſicuti qui communicavit in Paſchate, vel intra annum, non propterea eximitur ab onere communicandi in articulo mortis, ita qui per modum viatici communicavit in articulo mortis, non liberatur ab obligatione communicandi in Paſchate, vel infra annum, quando convaluerit. An autem, qui ſanus communicavit in mane, teneatur veſpere communicare per modum viatici, ſi in articulo mortis conſtituatur, loci hujus non eſt quæſtionem inſtituere, ſed capitis de ſacro viatico, ubi conſimilia, & alia dubia excitabuntur.

CAPUT TERTIUM.

De Communione frequenti, & quotidiana.

EXordio naſcentis Eccleſiæ viguiſſe conſuetudinem quotidianæ communionis, ex *Act. cap.* 2. *nu.* 42. non leve eruitur argumentum: *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis;* unde Cyprianus de Orat. Dom. *Hunc autem panem dari nobis, quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie, ac cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes, a cæleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur.* De ejuſmodi conſuetudine teſtatur etiam Angelicus Doctor 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 10. *ad* 5., ubi inſimul edocet, quomodo refrigeſcente charitate multorum, ad ttes vices in anno, & poſtmodum ad unam dumtaxat fuerint reducta: *In primitiva Eccleſia, quando magna vigebat devotio fidei Chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut quotidie fideles communicarent, unde Anacletus Papa dicit: Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & Sancta Romana tenet Eccleſia. Poſtmodum vero, diminuto fidei ardore, Fabianus Papa indulſit, ut ſi non frequentius, ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini. Soter etiam Papa dicit, in Cœna Domini eſſe communicandum, ut habetur in Decret. de conſecr. diſt. 2. Poſtmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit Innocentius III., ut ſaltem ſemel in anno in Paſcha fideles communicent.*

Hactenus D. Thomas, ex cujus textu conſuetudinem præfatam quamplures fuiſſe colligunt in univerſali præcepto, idque confirmant ex Canon. 10. Apoſt. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, & ſcripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec Sacram communionem percipiunt, velut inquietudinem Eccleſiæ commovent, & convenit communione privari.* Verum eam non fuiſſe ſaltem in univerſali præcepto, quo tenerentur omnes, multo probabilius edocent Doctores alii, & nituntur in defectu textus canonici eam univerſaliter demandantis; ex adductis enim cap. *peracta* diſponit dumtaxat de clericis, qui miniſtrabant Epiſcopo ſolemniter celebranti, & cap. *Omnes fideles*, ut notat Concilium Antiochenum *can.* 2., non præcipit univerſaliter eſum quotidianum Euchariſtiæ, ſed præciſe damnat, qui Eccleſiam cum aliis ingredientes, ex quadam ſuperſtitione a communione ſe abſtinebant. Sed demus, quod canon iſte præceptum importet, numquid propterea communio quotidiana cenſenda erit univerſaliter præcepta? Nequaquam, quia cum ad ingreſſum Eccleſiæ non omnes obliget, adhuc ſolum illos afficeret, qui cum aliis Eccleſiam ingreſſi, cum iiſdem non communicaſſent. Verba quoque illa *velut inquietudinem Eccleſiæ commovent*, non obſcure indicant, eos dumtaxat reprobari, qui aliis devote communicantibus, nec orationi vacant, nec communioni, unde aliis perturbationi ſunt, & ſcandalo. Sancti denique Patres, & auctores inter ſe ſe diſſident, argumentum utique validum, quod prædicta conſuetudo meræ devotionis erat, non præcepti, nec ubique gentium, quinimmo neque ubi viguit, ab omnibus indiſtincte ſervata.

Scio Romæ eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec laudo, ait Hieronymus *ep.* 30. *ad Pammachium*. Quis autem crederet ubique gentium viguiſſe conſuetudinem, quam Romanis limitibus Hieronymus evulgat reſtrictam? Quis divino, vel Eccleſiaſtico innixam præcepto, aut indiſtincte ſervatam, ubi frequentabatur, quam idem Sanctus Pater nec laudat, nec reprehendit, & quemlibet in ſuo ſenſu abundare aſſerit? Verum lectorem moraremur plurimum, ſi Sanctos Patres ad trutinam vocare vellemus, quare rem claudat Joannes de Avila vir pietate, ac doctrina percelebris, qui apud Lugum *diſp.* 7. *n.* 43. ſcite advertit, non eſſe credibile, quod etiam conjugati poſt copulam quotidie ad Euchariſtiam accederent, a qua diuturnis, gravibuſque verbis eoſdem removent Decreta illius temporis, de quibus infra.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE XLVI.

Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, numquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecus reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut ſingulis miſſis fideles aſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*, idque non immerito; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa; quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certe de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Sacra Congreg. Concilii 12. Februarii 1679. approbante Innoc. XI.

I. A Deo plurima ſunt bona, ſpirituales effectus, & gratiæ, quæ obveniunt ſumentibus Sacram Synaxim, *antitodum*, ut ait Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2., *quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur, & in quo Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad patrem, divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit*, ut quidem laudabile, & optandum, quod nedum fidelis populus frequens, ſed quotidianus ad eam accederet. Eapropter uſus quotidianæ communionis, aut frequentiæ a Sanctis Patribus in Eccleſia ſemper probatus extitit, & Tridentina Synodus vehementer optat in eamdem induci, cuſtodiri, atque ſervari.

II. Ita quidem eſt, monet Angelicus Doctor 3. *p. q.* 80. *art.* 10. ex parte Sacramenti, *non tamen ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, ac reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile, quod quotidie ſumat, unde Auguſtinus cum dixiſſet, accipe quod quotidie tibi prodeſt, ſubjungit, ſic vive, ut quotidie merearis accipere; ſed quia multoties in pluribus hominum multo impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum.* Cum enim per ſumptionem Sacræ Synaxis *non homini præparetur habitatio, ſed Deo*. I. Paral. 19. indubie in ſumente præexigitur magna devotio, & reverentia, quæ ſi actualiter deſit, etſi non putemus impediri effectum ejuſdem primarium, ſeu gratiæ augmentum, ut voluit Cajetanus, quia tamen hoc pacto communicans, ſine poſitiva diſpoſitione accedit, quaſi non dijudicans Corpus Chriſti, talem irreverentiam committit, quæ magis obeſt, quam proſit augmentum gratiæ inde receptum. Deus namque jure magis punit irreverentiam poſitivam erga tantum myſterium, quam ex opere operato ſuam munificentiam oſtendat, ut infra magis dicetur.

III. Sane vel hic eſt Eccleſiæ ſenſus, vel reverentiam Euchariſtiæ debitam, præferendam cenſet ſumentis utilitati; præcipit enim, ne ſæpius in uno die quis communicet non obſtante magno gratiæ augmento, quod ut minimum ex opere operato reportaret. *Majorem effectum recipit homo in una miſſa vel manducatione cum bona præparatione, quam multis, ſi non ſe præparet diligenter*, ait D. Bonaventura *in* 4. *d.* 12., & inſimul nos edocet, in allata inhibitione multiplicis communionis in diem non minus reverentiam Sacramenti inſpectam fuiſſe, quam profectum ſuſcipientis, cui magis prodeſt communio rarior, ad quam rite præparatus accedit, quam frequentior ſine diligenti diſpoſitione. Frequentia ejus eſt conditionis, ut paulatim adimat præparationis diligentiam (& uh quam vereor, ne ejuſmodi eveniat in pluribus Sacerdotibus, quos nimis inconſideranter cerno ad altare procedere!) atque adeo fructus ubertatem, qui juxta Tridentinum pro menſura diſpoſitionis confertur. Huc fortaſſe reſpexit Alexander II., dum *de conſecr. diſt.* 1. *can.* 53. lata prohibitione Sacerdotibus ipſis pluries in diem ſacrificandi, ſubdidit: *Non modica res eſt unam miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam miſſam digne celebrare poteſt.* Adeo infelix eſt humana conditio, ut vel ei, dum nimis frequentia ſunt, & vulgaria, etiam pretioſiora vileſcant, aut facile ſenſim tepeſcat fervor ſpiritus ad illa digne ſumenda.

IV. Etſi itaque, ut rite habet Decretum, frequens, quotidianuſve Euchariſtiæ uſus ex ſe laudabilis ſit, & optandus, quia tamen ob negotia, & ſæculares curas variæ ſunt in hominibus ſpiritus alienationes, multiplices conſcientiarum receſſus, & e contra plura nonnumquam gratiæ dona parvulis conferuntur a Deo, & hæc omnia noſtris non patent oculis, idcirco a nobis nihil certi generaliter ſtatui poteſt circa dignitatem cujuſque, ſeu frequentem, vel quotidianum eſum cibi Euchariſtici, & ab eo conſtituendo recte abſtinuerunt Sancti Patres. Quo ex Decreto, aliiſque, de quibus hactenus, adeo eorum, quæ ſtatuimus in præliminaribus capitibus, uber eruitur argumentum, ut fallamur profecto, ſi adhuc ſit, qui uſum quotidianum Euchariſtici cibi, qui in primitiva Eccleſia viguiſſe contenditur, Eccleſiaſtico, vel divino præcepto putet fuiſſe obnoxium.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE XLVII.

Et propterea quoad Negotiatores attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ea conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod perſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. Sacra Congreg. Concil. in eodem Decreto.

I. SI *non decet*, clamat Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7., *ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte, certe quo magis ſanctitas, & divinitas Chriſti hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere debet, ne ſine magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat*. Sunt autem aliqui hominum ſtatus, quorum cura cum verſetur in temporalibus negotiis, aut obſequiis carnalibus alteri præſtandis, cujuſmodi ſunt negotiatores, & conjugati, vix in illis adeſſe poteſt aſſiduus fervor ſpiritus, piæ devotionis affectus, aliæque diſpoſitiones mentis, & corporis, in quibus ſita eſt magna reverentia, & ſanctitas, quam Tridentinus prærexigit ad ſumptionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Plerumque namque negotiatores per negotia, aliique laici viri per ſæculares curas a cæleſtibus diſtrahentur, & conjugati ab obſequiis conjugalibus, quæ quamvis ſecundum ſe ſint licita, mentem tamen per ſenſitivos motus, & affectiones obtundunt, & quoquo modo retrahunt e ſpiritualibus, ut taceam corporalem immunditiem, quam in ſequenti Decreto videbimus ex ſe potem arcere ab eſca Angelorum, qui nec nubunt, neque nubuntur, ut dicitur *Marci c. 12.*

II. Rite itaque præ negotiationibus, & conjugatis, aliiſque id genus, vel ſimilibus hominibus committitur confeſſariis, qui ſecreta cordis ſcrutantur, ut ex conſcientiarum puritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu, quid noverint ipſorum ſaluti magis profuturum, quoad frequentiam communionis præſcribant; ut enim advertit Lugus, Chriſtus ipſe Dominus cæleſtem hunc cibum tantummodo per manus Sacerdotis diſtribui voluit, ut idem Sacerdos, ſeu Confeſſarius illum impartiret, quibus, & quando dari expediret.

DECRETUM III. CAP. IN ORD. XLVIII.

In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cæleſtium epularum communionem eſſe conveniendum. Ead. Congr. in eodem Decreto.

I. VOlo, diligenter attendas, de quo præ negotiatoribus, aliiſque diſtentis ſæcularibus curis, conjugati ſerio admoneri decernuntur, quod nempe, ſi juxta Apoſtolum e conjugalibus amplexibus debent abſtinere, ut vacent orationi, tanto magis in Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ ab iiſdem eſt vacandum, ut puriori mente, ſicuti par eſt, ad cæleſtium epularum communionem valeant convenire. Conjugalis actus, etſi ex ſe licitus ſit, id præ aliis habet, ut mentis invehat evagationem, & hebetudinem ad ſpiritualia, & abſorbet adeo nimia illius voluptas, ut non ita cito ſe colligant, qui illi incubuere, ad priſtinamque mentis tranquillitatem redeant; hinc facile impedimento eſt orationi, & multo magis communioni, cui præeat, ut minimum decens eſt, major devotio, & mentis puritas, atque mundities corporis. Satis id indicat conditio hujus panis, *Cæli* propterea dicti, & *Angelorum*, cui cum ad Sacram Synaxim accedunt, corpus ſuum exhibeat templum & habitaculum, ut congruum hoc ſit, & conveniens ei, cui præparatur nedum puritate mentis pollere debet, ſed adhuc corporis, quemadmodum ipſe, quando pro noſtra æterna ſalute in terris naſci voluit, undequaque puriſſimum ſibi delegit habitaculum, intemeratæ ſcilicet Virginis alvum, ex quo & proſilivit abſque læſione ulla, & minima partium dilatatione.

II. Celebre eſt *c. ſciatis* 33. *qu.* 4. ex Hieronymo excerptum: *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet. Si Panes propoſitionis non poterant ab iis, qui uxores ſuas tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari, atque contingi? Non quod nuptias condemnamus (hoc enim non dicimus) ſed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi ſumus, vacare operibus carni non debeamus.* Oza quoque 2. *Reg.* 6., quod Arcam tetigerit, a Domino percuſſus interiit, & in cauſam communiter producitur, quia illa nocte ad uxorem acceſſerat, ad quam cum itidem acceſſiſſet Mathatias, ſcite hic maluit die quodam ſolemni e Sacrificio abſtinere, quam cum corporali immunditie ad altare propinquare, ut ſcribit Joſephus *lib. 17. antiq. cap.* 8. Quæ cum ita forent in veteri Teſtamento, ſi inde in novo conjugalem continentiam vellem commendare, injuriam crederem irrogare chriſtiano homini, qui ad ſacram ſynaxim propinquans, accedere prope noſcit ad myſterium, in quo non umbræ, vel figuræ, ſed verum Chriſti corpus continetur.

III. Dignum, quod ponderetur, profecto eſt, quod caput *ſciatis* ut ſupra plectit reddentes debitum; quis autem ambigeret, id e fortiori procedere de petentibus? Sunt, qui inhibitionem limitant ad exigentes voluptatis gratia, non cauſa progignendæ prolis, aut vitandæ incontinentiæ. At quoniam his finibus alio tempore poſſunt æque indulgere, & conjugalis copula quocumque fine exerceatur, vix ſeparabilis eſt ab immunditie animæ, nunquam corporis, nos nemini ex petentibus poſſumus Sacroſanctum Chriſti Corpus concedere, ſed magis eoſdem damnamus veniali culpa, ſi nihilominus ad eſum immaculati Agni non reformidant accedere. Valde ad rem appoſitum eſt factum Chriſti, qui teſte D. Thomæ 3. *p. q.* 83. *art.* 5. in ultima cœna ante diſtributionem ſui Corporis eo fine diſcipulorum pedes lavare voluit, ut oſtenderet, nedum munditiem animæ, ſed etiam corporis prærequiri ad communionem rite ſuſcipiendam; unde Petro, qui lavari renuebat, etſi quoad animam mundus eſſet, per ea verba *Jo.* 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, alias comminatus eſt ſui denegationem corporis.

IV. Mitius agendum eſt cum reddentibus debitum, de quibus Auguſtinus in Pſal. 149. *Pro ſanctificatione perfecta Deus tibi computabit, ſi non, quod tibi debetur, exigis, ſed reddis, quod debetur uxori.* Hi namque non ultro ſpurcitiis carnis indulgent, ſed a debito juſtitiæ pertracti, quare digni non ſunt, qui propterea ſub reatu venialis culpæ arceantur a cæleſti convivio. Ex his itaque ſolum primo pelluntur, qui petitionem honeſtis, & moderatis precibus, vel excuſationibus rejicere neglexerint; etſi enim nonnulli ex Auctoribus ad id eos minime obligent, profecto quatenus cæleſti menſæ aſſidere intendant, eam, ne polluantur ſaltem debent dare operam, quam etiam in aliis circumſtantiis licite præſtare valent. 2. Qui debitum reddunt voluptatis gratia, aut ſi illud reddentes cauſa ſatisfaciendi obligationi juſtitiæ, vel procreandæ prolis locum item ultro dederint voluptati; unde in cap. *vir* 33. q. 4. ex reddentibus ſolum ille ad communionem admittitur, qui non cupidine voluptatis actus, ſe ſolum liberorum creandorum cauſa reddit debitum uxori exigenti, nec tamen conſentit libidini ejuſdem uxoris, neque locum ultro dat voluptati. *Si quis ſua conjuge non cupidine voluptatis actus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur, de ſumendo corporis Domini, ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus, neſcit ardere.* Ubi Gloſſa in, *Prohiberi* ita expoſito pro *diſſuaderi* ſequentia verba *Qui in igne poſitus, neſcit ardere*, ita recte vertit; *Qui in ardore concupiſcentiæ, ideſt in amplexibus uxoris igneis, neſcit conſentire libidini uxoris ſuæ, ſed reddit debitum uxori exigenti.*

V. Tertio depelluntur illi, quorum mens ex voluptate, quæ naturaliter ineſt actui, & noſtrum non eſt cohibere, fuit graviter concuſſa, ſaltem ſi nondum ad pacatam mentem redierint; ex cauſis enim, quæ impedimenti ſunt Euchariſtiæ devote ſuſcipiendæ potiſſima eſt evagatio mentis, & hebetudo, quæ ſi ceſſet, cum ipſa ſimul ceſſat impedimentum. Etſi namque ipſi rei uxoriæ incubuerint, & voluptatem, mentiſque commotionem paſſi ſint, uti ab iiſdem hæc non potuerunt impediri, ita nec ipſis poſſunt eſſe impedimenti, dummodo ad pacatam mentem devenerint, ſine qua ad cæleſtem menſam nullatenus eſt procedendum. Quarto denique prohibendi itidem ſunt, qui paulo ante tempus communionis debitum reddiderunt, etſi eorumdem mens concuſſa non fuiſſet, aut ad tranquillam mentem rediiſſent; id enim exigit immunditiem ſi non animæ, certe corporis, quæ perſeverare præſumitur. Cum in moralibus parum, & nihil æquiparentur, quid unquam indecentius, quam a thalamo ad Angelorum menſam procedere? Quid irreverentius, quam manibus, e carnalibus amplexibus, adhuc fere calidis, certe pollutis, Sacroſanctum Chriſti corpus pertractare, aut ore a conjugalibus oſculis fœdato, immaculati, & puriſſimi Agni carnes edere? Horreo, dum ſcribens meditor, quod non deſunt, qui irreverentiam adeo gravem non pavent committere. His ego ad mentem revocare cogor caput *ſciatis*, quod de reddentibus debitum habet; *Quanto magis ille, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari, atque contingi.* Huc itidem ſpectat laudatum caput *Vir*, ubi vir cum propria uxore dormiens, niſi lotus aqua, interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ; deinde ſubditur, *ſed neque lotus intrare ſtatim debet;* non obſcure indicans, quod neque reddens debitum, etſi ad pacatam mentem redierit, non poteſt e fortiori illico ad Cœleſte intrare convivium.

VI. Ut vir ante communionem rei uxoriæ parcat tribus, aut quatuor, vel octo diebus, monet cap. *Omnis* de conſecr. diſt. 2., per aliquot dies Catechiſmus Romanus *par. 2. cap. 4. n.* 58., & ex Auctoribus ſunt, qui aſſignant ſpatium viginti quatuor horarum, quod id tempus *Levit.* 15. *& Deut.* 23. deſtinetur luſtrationi pollutis. Qui vero abſtinentiam ut ſupra indicunt per totam præcedentem noctem, qui per ſolem mediam; nec deſiderantur, qui expoſtulant, & contenti ſunt eo, & toto tempore, quo perdurat mentis evagatio. Quatenus ex productis veteris Teſtamenti exemplis res decidenda foret, nos crederemus, a conjugatis id obſequii ſaltem per totam præcedentem noctem præſtandum eſſe; ſed quoniam Eccleſia ita metitur dies a media ad mediam noctem, ut etiam jejunium, quod præexigit devotæ perceptioni SS. Sacramenti contentæ ſit, incipiat a præcedenti media nocte, putamus non ultra oneris imponendum eſſe conjugatis, qui cum inter illecebras carnis poſiti, facile alliciantur, & pertrahantur, pleres alias arcerentur ab Angelorum eſca, quæ ſalutare remedium

item

Digitized by Google

item eſt contra concupiſcentiam; unde *Zachar.* 9. 17. dicitur *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Quia vero plerumque juxta cit. cap. *Vir* habent conjuges, etiam de ſua commixtione, quod defleant, cæleſti huic non audeant aſſidere menſæ, niſi prius aqua loti, ſeu niſi prius immunditiem animæ, & corporis lacrymis terſerint.

VII. Petentium hæc erit lex, quæ ſalvis ſuperius traditis adaptanda quoque eſt reddentibus debitum, & præcipue, quos primo, & ſecundo loco recenſuimus. Ceterum nec deſunt caſus, in quibus tum exigentes, tum reddentes, qui alias ut ſupra repelluntur, ad Sacram Synaxim admitti poſſunt, & ſunt, quoties adeſt cauſa aliqua, quæ indecentiam reſarciat. Prima eſt, magna feſti ſolemnitas, in qua Sacra Communione reficiuntur accolæ fere omnes. Secunda, ſi ſit dies jubilæi, exigatque communionem, quo comparetur. Tertia eſt ſpecialis devotio, preparatioque ad communionem. Quarta, ſi ex omiſſione communionis conſurgeret nota aliqua. Plures item aliæ intervenire valent, quæ pro ingruentibus circumſtantiis deferuntur Confeſſarii prudentis judicio.

VIII. Quæ de conjugali copula hucuſque dedimus, opus non eſt, nitamur oſtendere, quod a fortiori ad minus militant de copula, & pollutione mortaliter peccaminoſa, quare gradum facimus ad illuſionem, quæ in ſomnis, vel ſomniis aliquando accidit. Divus Gregorius *Epiſt.* 31. *l.* 12. ſubtiliter penſandum eſſe aſſerit, ex qua re id acciderit menti dormientis. Si ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate, omnino illuſio non eſt timenda; ſecus, ſi ex turpi cogitatione vigilantis, ex mulierum conſortio, ex crapula, aliave ejuſmodi cauſa, libera, & voluntaria. Quod ſi forte ultra modum appetitus in ſumendis cibis inconſideranter raperetur, atque inde illuſio eveniret, dummodo dormientis mens non fuerit graviter concuſſa, non propterea prohibetur perceptio ſacri myſterii, ſed ſola hujus immolatio, niſi fortaſſe neceſſitas ob ingruentem diem feſtum, & defectum alterius Sacerdotis in loco, ad immolandum quoque compelleret. Si denique in ſomnis turpis aliqua cogitatio ex mera Diaboli ſuggeſtione dormientem oppreſſerit, & hic præcedenter nullam cauſam dederit, nec inde conſenſerit, vel evigilans delectatus ſit, etſi pollutio conſecuta ſit, poſſumus, & debemus ad gratiam ſalutaris cibi confidenter accedere; alias enim nequiſſimus humani generis hoſtis ſimilibus imaginibus ad impedimentum noſtræ ſanctificationis obtenderet, & a nobis cæleſtis remedii medicinam ſubtrahere conaretur. Ita D. Gregorius, cujus laudata Epiſtola digna undique eſt, quæ recolatur.

IX. De copula conjugali poſt communionem modo ſuccedit dicere, & quidquid inter petentes ut ſupra diſtinguant aliqui, uti nos omnes eidem claſſi aggregavimus, & ab Angelorum eſca ſub veniali culpa prohibuimus, ita nunc in nihilo mitiores effecti, culpa veniali plectimus, quotquot reverentia poſthabita, quæ debetur cæleſti cibo, quo enutriti ſunt, nihilominus carnales cibos exquirunt, & eadem die percipiunt. Idem eſto judicium de reddentibus debitum gratia voluptatis, aut qui voluptati ultro locum etiam dederint, vel qui petitionem honeſtis precibus, vel excuſationibus repellere omiſerint. Quos extra caſus licite redditur debitum, quia per communionem ab uno conjugum factam nec extinguitur, nec ſuſpenditur in altero jus petendi, & quidem quamvis petens ipſe in mane communionem ſumpſiſſet, licet tunc crederemus, reddentem ſaltem ex charitate teneri ad præmonendum, & dehortandum exigentem. Ut dicebamus autem, juxta Eccleſiæ morem dies non expirat, niſi in media ſubſequenti nocte, ad quam uſque conſequenter protrahenda erit prædicta abſtinentia.

DECRETUM IV. CAP. IN ORDINE XLIX.

In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuavitatem deguſtet. Eadem Congr. in laudato Decreto.

I. EN œconomiam in gravi ejuſmodi re per Eccleſiarum Præſules tenendam, atque ſervandam. Una præcepti formula aliquos deterrere interdicuntur a frequenti, aut quotidiana communione, aut generaliter conſtituere dies, in quibus ſumenda ſit Sacroſancta Euchariſtia, ſed magis putare mandantur, per ſe, aut Parochos, vel confeſſarios, qui ſecreta cordium ſcrutantur, eſſe decernendum, quid ſingulis expediat, ſitque permittendum, qua de re jam ſatis actum eſt in ſuperioribus Decretis. Quod vero ſubdit ſanctio de nemine repellendo a Sacro Convivio, volo id intelligas cum exceptione eorum, quos Rituale Romanum *tit. de Euch. Sacram.* ab eodem aperte depellit, & de quibus jam nos agimus in cap. ſeq. Ceteri itaque ſive frequenter, vel quotidie accedant, nunquam prohibendi erunt; duplex enim ad hujus Sacramenti perceptionem communiter diſpoſitio diſtinguitur. Una neceſſaria eſt, & ſufficiens, & dici poteſt negativa, atque ſita eſt in ſtatu gratiæ, in qua quicumque exiſtit, jus abſolute habet ad communionem juxta Tridentinum, quod *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. nullam aliam neceſſariam diſpoſitionem agnoſcit, niſi quod prius ſe probet homo, & non reperiat ſibi conſcium mortalis culpæ, qua ſi forte infectus fuerit, doleat, non ſola contritione, ſed etiam confeſſione ſacramentali: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam hoc Apoſtoli præceptum: Probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Talis ſane eſt Eccleſiæ ſpiritus, quæ olim Sacram Synaxim adminiſtravit pueris, & etiam nunc eam in mortis articulo adminiſtrat phreneticis, & amentibus, quando quodvis abeſt irreverentiæ periculum.

II. Altera diſpoſitio eſt præparatio poſitiva, & devota, quæ non exigit nudum ſtatum gratiæ, ſed magnam inſuper animi puritatem, fervorem ſpiritus, devotionem actualem, & attentionem, aliaſque rationes ſimiles, per quas Deo, qui debet ſuſcipi, quaſi dignum præparatur habitaculum. Hæc ſi in iis, qui capaces ſunt, deſit, an nihilominus Euchariſtia ſuum cauſet effectum primarium, ſcilicet augmentum gratiæ, quæſtio eſt, quæ in contraria Doctores diviſit placita. Ab affirmativa tamen nos ſtamus parte, quia lex eſt Sacramentorum omnium novæ legis, ut ex opere operato conferant habitualem gratiam, vel hujus augmentum ea ſuſcipientibus, & non ponentibus obicem, cujuſmodi ſunt, qui ſine poſitiva diſpoſitione accedunt. Carentia namque devotionis actualis, mentis evagatio, & peccata ipſa venialia actualia non opponuntur prædictis gratiæ, & augmento, alias quippe homo, qui ea conſecutus eſſet, eadem deperderet, quoties venialiter peccaret, vel actuali devotione careret. Accedit, quod item alias ſine ejuſmodi diſpoſitione communicans, peccaret mortaliter, ſicuti generaliter evenit in ponentibus obicem effectui primario aliorum Sacramentorum; conſequens autem eſt contra ſenſum fidelium, innumerabilibus parat viam ſcrupulis, etiam juſtos revocat a receptione Sacramenti, nec fundamentum habet in rerum naturis, quæ, ut dicebamus, oppoſitionem non habent, neque in peculiari Chriſti inſtitutione, quæ interprete Apoſtolo dumtaxat exigit, quod prius ſe probet homo, ſeu non habeat conſcientiam peccati mortalis, ut ſupra explicat Tridentinum.

III. Sunt, qui duplicem diſtinguunt obicem, poſitivum unum, atque contrarium, qualis eſt ſtatus mortalis labis, mere negativum alterum, & conſiſtit in carentia diſpoſitionis requiſitæ; & cum iſte ſolum concomitanter ſe habeat ex humana fragilitate, quæ venialia, & evagationem mentis facile admittit, ac ex tepiditate negligit, mortalis quidem culpæ damnandus non eſt, ſed ſolum venialis, prædictum tamen effectum impedire non ceſſat. At reſponſio iſta argumentum minime diluit; obex namque qui impedit effectum primarium ſacramenti, mere negativus non eſt, ſed poſitivus, atque contrarius, ut inductive patet in aliis Sacramentis, quidni igitur & in præſenti? Rem igitur concludat D. Thomas, qui *art.* 8. *huj. qu.* habet: *Ad primum dicendum, quod ille, qui cum actu venialis peccati ad hoc Sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter* (quia ſcilicet conſervat habitum gratiæ ſanctificantis, licet non habeat actum devotionis) *& ideo habitualem effectum* (ſcilicet augmentum ejuſdem gratiæ) *hujus Sacramenti percipit, non autem actualem*, nimirum uberiores alios prædicti Sacramenti effectus, qui præſertim conſiſtunt in fervore, & actibus charitatis, & dulcedine ſpirituali juxta illud Cant. 2. *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

IV. Huc ſpectant auctoritates omnes SS. Patrum, quos inutiliter in ſui patrocinium nonnulli congerunt; dum enim illi ad dignam hujus Sacramenti perceptionem magnam animi puritatem, & devotionem exigunt, docentve nedum peccata venialia actualia obſiſtere ejus fructui, ſed etiam affectionem ad venialia, & ſtatum imperfectionis, vel hortantur ad diſpoſitionem, quæ nedum ſufficit ad effectum primarium, ſed quæ magis decet Sacramenti reverentiæ, & Chriſti dignitati, qui in eo ſuſcipitur; vel loquuntur, non de diſpoſitione ad minimum augmentum gratiæ, quod Euchariſtia communicat ex opere operato, ſed etiam ad uberiores alios ſpirituales fructus, qui dubio procul dependent a recenſitis communicantis actibus, & juxta horum menſuram percipiuntur. Angelicus ipſe Doctor, qui totus eſt in noſtra aſſertione, *in* 4. *diſt.* 12. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. actualem devotionem expoſtulat; ſed cum habeat *Ad hoc, quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet, quod adſit actualis devotio*, Sole clarius eſt, quod non loquitur de ſolo effectu primario, ſed de plenitudine ejuſdem effectus.

V. Quod ſi quis prædictam diſpoſitionem præmittere neglexerit ex contemptu formali, vel virtuali Sacramenti, gravis injuria eidem irrogatur, quæ indubie mortale invehit peccatum, quod cum hoc ipſo removeat ſtatum gratiæ neceſſarium omnimode ad effectum primarium, hunc nedum non conſequetur, ſed inſuper communicabit ſacrilege. Contingit autem contemptus formalis, cum conſulto in ſpretum ejuſdem Sacramenti talem diſpoſitionem omittit; virtualis vero, dum ea opportunitate, & occaſione voluntarie, & advertenter ſine ulla devotione, & cum mentis diſtractione ad illud accedit, etſi non intendat Sacramento injuriam facere, vel irreverentiam; attenta enim dignitate tanti Sacramenti, qua major dari non poteſt, ſine injuria eidem Sacramento, & ſpecie aliqua contemptus contingere non poteſt tanta indevotio, & mentis alienatio voluntaria in opportunitate, & occaſione, in qua occurrit Deo ſuo. Quod ſi talis indevotio ex ſemivoluntarietate con-

contingat, ex mera nempe negligentia, & tepiditate, defectus plenæ electionis eamdem a mortali quidem culpa excuſat, ſed non a veniali; adhuc enim intervenit irreverentia aliqua, & Sacramentum ſumitur indigne, non quidem, ut advertit Lugo *diſp.* 15. *n.* 5., indignitate gravi, ſed indignitate levi, quæ conſequenter potis dumtaxat eſt inducere peccatum veniale. Et iſte caſus eſt, in quo ſuperius diximus, quod ita indevote accedens, recipit effectum Sacramenti primarium, non ſecundarios.

VI. Dices; Nullus actus peccaminoſus poteſt augere gratiam, cum nihil magis opponatur ſanctitati, quam peccatum, ergo ſi ut ſupra accedere eſt peccatum veniale, per talem Euchariſtiæ ſuſceptionem augeri nequit gratia. Item videtur implicatorium, hominem ſimul peccare, & creſcere in gratia.

VII. Reſp. Nullum actum peccaminoſum poſſe augere gratiam ex opere operantis, ſeu virtute ejuſdem actus, immo neque ex opere operato per modum diſpoſitionis ad ipſam gratiam, quia implicat peccatum diſponere ad ſanctitatem, bene vero ex opere operato per modum conditionis, dependenter a qua Sacramentum cauſet ſuum effectum. Dependent namque Sacramenta in cauſando gratiam etiam a ſuſcipientis conſenſu, & ab intentione miniſtri, quæ quandoque poſſunt eſſe pravæ. Reapſe tamen non eſt ſumptio peccaminoſa, quæ dat gratiam, ſed Sacramentum dependenter a ſumptione tamquam conditione; quo in caſu nullum inconveniens eſt, quod communicans ſimul venialiter peccet, & ſuſcipiat gratiam, quia primum accidit ex opere operantis, ſecundum ex opere operato; & per hoc patet ſolutio ad additamentum.

VIII. Quoniam tamen fatemur, Chriſtum in inſtitutione hujus Sacramenti præ dignatione ſua, & hominis imbecillitate, in ſuſcipientibus reſpexiſſe potius ſanctitatem habitualem, quam devotionem actualem, etiam in quibus adeſt capacitas, & advertentia, propterea hæc devotio non erit ſcrupuloſe taxanda. Si namque præparatio noſtra a dignitate Sacramenti menſuranda foret, nullus, quantumvis juſtus, atque perfectus, poſſet unquam eſſe ſufficienter diſpoſitus, & quatenus illa in gradu aliquo eminenti præexigeretur, res utique ſcrupulis undique plena foret, vixque aliquis ad tale Sacramentum fortaſſe tuto poſſet accedere, menſæque illi aſſidere, quam Chriſtus paravit nobis omnibus. Quoniam vero hujus loci non eſt hanc materiam ulterius proſequi, quam pertractando parumper a ſcopo deflreximus, rem pro nunc concludemus dicentes, quod in adultis, atque capacibus, ut ſine culpa ulla, etiam veniali, de hoc Sacramento participent, requiritur quidem reverentia, atque devotio actualis, non in gradu ſummo, aut intenſiori, vel ferventiori, ſed juxta qualitatem perſonæ ſufficit etiam in gradum magis, vel minus remiſſo, & tunc cum effectu primario communicantur etiam ſecundarii, ad menſuram tamen diſpoſitionis actualis.

IX. Nunc deſcendimus ad Decretum, quod propterea nullas a communione, ſive frequenti, ſeu quotidiana repellendos eſſe mandat, quia ratione habitualis gratiæ jus præſumuntur habere ad effectum Sacramenti primarium, & etiam ratione actualis diſpoſitionis ad conſequentes effectus, quæ ſi adhuc deſit, dummodo non ex contemptu ut ſupra, qui ceteroquin non poteſt, nec debet præſumi, non impedit effectum primarium, ſeu gratiæ augmentum, licet utique effectus ſecundarios cum interventu venialis culpæ. *Nihilominus*, idem ſubdit Decretum, *debet dari opera, ut unuſquiſque pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuavitatem deguſtet*; id enim expoſcit & reverentia tanto Sacramento debita, & bonum ipſum, ſeu, utilitas communicantis, ut fuſiori calamo in Decr. 1. proſecuti ſumus.

DECRETUM V. CAP. IN ORDINE L.

Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; ſi quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a ſuperioribus permittatur. Ead. Congreg. in eodem Decreto.

I. UNaquæque Religio particularia ſua habet inſtituta, ſanctaſque conſuetudines, quæ Euchariſtiæ percipiendæ dies præſcribuntur; quid igitur unquam æquius, quam quod ſanctis iiſdem legibus, quibus addictæ ſunt, & ſervare voverunt, contentæ ſint, & ſe ſe Moniales accommodent? Clemens V. in Vienenſi Concilio, & habetur Clement. lib. 3. tit. 10. cap. 1. *Ne in agro Dominico* §. *Sane*, jubet Monachis, quorum nomine veniunt etiam Moniales, quod *in prima Dominica menſis cujuslibet ſemper communicent*, ſed ejuſmodi præceptum uſu Regularium Ordinum receptum non fuit, quorum propterea conſtitutiones & inter ſe ſe variant, & a memorato præcepto diſcrepant, tum quoad dies, tum quoad vices, quibus reſpectivi profeſſores ſacra debent refici Euchariſtia. Per præſens item Decretum ſatis crederem derogari, quod cum Moniales ſtatuat admonendas, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent, Clementinam conſequenter parvipendit ſanctionem, quam tamen, quatenus reſpectivis non pareant conſtitutionibus, noſ ſtare arbitramur, ſi non quoad diem, primam nempe Dominicam, ſaltem quoad unam vicem in quolibet menſe, qua ut minimum æquum eſt, perſonæ ſpecialiter Deo Devotæ, Cæleſti menſæ aſſideant.

II. A producta lege excipiuntur, quæ puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus incaleſcunt, quæ ſi frequentiorem, aut quotidianam Angelorum pabuli refectionem exoptent, quatenus ex vitæ moribus dignæ reputentur, id illis a ſuperioribus permitti poſſe non habet Decretum, ſed abſolute *Id illis a ſuperioribus permittatur*, quaſi in horum arbitrio non ſit, eaſdem, prout petierint, a tam ſalutari alimonia repellere. Cum namque Moniales per regularem profeſſionem cum Chriſto ſpirituale Matrimonium ineant, & a Chriſto præ dignatione ſua in ſponſas mediantibus Prælatis acceptentur, ſi moribus a tanto conjugio non degenerent, ſed dignam pro viribus vitam traducant, a cæleſti ſuo ſponſo, quoties uniri petierint, noſtrum non eſt eaſdem divellere. Piget admodum, quod brevitatis ſtudium nos cohibeat ab hic recenſendis plurimis, quæ leguntur de ejuſmodi ſacratis virginibus, quæ cum per obedientiæ meritum ab hac ſpirituali unione arcerentur, vehementer adeo angebantur, ut ad eas confortandas Chriſtus ipſe vel per ſeipſum, Angelos, ſanctoſve viros ſupernæ patriæ accolas accucurrerit, aliiſque mirabilibus modis, quem illæ prævenerant in benedictionibus dulcedinis, deſiderium cordis earum tribuerit eis, & voluntate labiorum earum non fraudaverit eas, quemadmodum eloquitur Regius vates *Pſal.* 20. Quæ dicta eſſe volumus etiam de aliis virginibus, quæ licet inter mundi fluctus poſitæ, per pietatis ſtudia a ſæcularibus curis vivunt ſecretæ, & ſoli Deo pro conditione vacantes, Chriſti thalamo, qui paſcitur inter lilia, terrenas nuptias poſtponunt. Idem eſto judicium de viris.

III. Hinc duo, volumus, adnotes, quorum primum eſt, majorem munditiem, animique puritatem, ac diſpoſitionem, ut ſuper frequentiori, aut quotidiana communione diſpenſentur, requiri in iis, qui vitam ſpiritualem profitentur, quam in ſæcularibus, qui curis diſtinentur innumeris, & ea propter ex Monialibus ſolum illæ, quæ enitent puritate mentis, & admodum incaleſcunt fervore ſpiritus, ut ſupra diſpenſandæ dicuntur. Huc collineant verba illa Apoc. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*, & in humano ipſo convivio major mundities, & nitor in veſtibus requiritur in homine nobili, & ingenuo, quam in agricola, & ruſtico. Idipſum conſequenter erit de viris doctis, nam uti illi per frequentiora auxilia, ita hi per ſcientiæ donum probe noſcunt excellentiam myſterii, ad quod accedunt; *omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*, ut dicitur *Lucæ* 12. 48. Unde rite D. Romualdus Monachos, quos inter orandum dormientes reperiebat, eo die tamquam indignos arcebat a Sacra Synaxi.

IV. Munditiem animæ, ac ſanctitatem, quibus præ ceteris pollere debent, unde ediſcant, profecto habent Sacerdotes, qui quotidie communicaturi, & ſacroſanctam hoſtiam immolaturi ad altare procedunt. *Sint Sancti*, ait Dominus Levit. 21., *quia & ego ſanctus ſum*, ubi per hæc verba non obſcure indicat, quod ſicuti ipſi in terris Dei perſonam repræſentant, ita Dei ſanctitatem in ſe exprimere, & referre debent; ſanctum autem, addit Chryſoſtomus *hom.* 7. *ſupr. Ep. ad Hebr.*, non mundatio peccatorum facit, ſed quædam eminentia, & excellentia magna virtutum, præſentia ſpiritus, & bonorum operum opulentia. *Filii Dei* dicuntur in Pſal. 28., & *Angeli* Malach. 2., & Apoc. 1., & per primum eis datur intelligi, aſſimilari debere Dei Filio, ex cujus parte, & mandato propitiatorias hoſtias Deo offerunt, ut nomine Filiorum Dei, & encomio digni habeantur; per ſecundum vero, quod Angelicam puritatem eoſdem, opus eſt, æmulari, & eo magis, quia officio Angelos ſuperant, qui nec poſſunt peccata condonare, neque conſecrare Corpus Chriſti.

V. Audiant nunc Petrum Apoſtolum Ep. 1. cap. 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta*. Dicit *genus electum*, non per carnem, aut ſanguinem, ſed nobilitate ſpiritus, & adoptione filiorum Dei, ſimile ei in munditia, & claritate. *Regale Sacerdotium*, quia Reges eos eſſe oportet, qui in pravas mentis affectiones dominentur, in omni actu legem impleant divinam, & ad rectæ rationis dictamen vitam componant, & cum ſui rectores ſint, populo item operibus bonis ad exemplum imperent. Reges quoque hominum, unde coronam, quæ regni inſigne eſt, in vertice geſtant, & in illos, Deo tantum ſecundi, ſpiritualem auctoritatem exercent, quæ longe major eſt, & præſtabilior ea, qua Principes hujus mundi gaudent in ſuos ſubditos. Quid ultra? Sacerdotibus Dæmones ipſi parent, & poteſtatem verentur, & tanta cum Deo illis conſtituta eſt neceſſitudo, ut ad eorum nutum Cælo delapſus ſuorum ſe ſiſtat manibus Sacerdotum. *Gens* denique *ſancta* ſint, quia ſanctitatem expoſcunt eorum munia, & præſertim quia ſanctiſſimam Chriſti carnem ore conſecrant, ac comedunt, manibus pertractant, ac diſtribuunt, quando etiam non diceretur Sacerdos, nomen utique compoſitum ex *Sacer*, ſeu ſanctus, & *dos*, eo quod propria eorumdem dos debet eſſe ſanctitas, quam Ethnici ipſi tam internam, quam externam in ſuis Sacerdotibus exquirebant, unde Tibullus,

Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Queis tulit heſterna gaudia nocte venus.
Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

VI. Haud tamen denegaverim, Eccleſiam cum Sacerdotibus liberalius procedere, quorum aliquos etſi noſcat fervore ſpiritus non eminere, nec in virtutibus præcellere, adhuc ad quotidianam immolationem admittit. Verum non deſunt juſtæ id agendi cauſæ; tum quia ſtatus Sacerdotalis de ſe fert majorem diſpoſitionem ob elongationem a curis ſæcularibus, & illam facile & invehunt auxilia crebra, quæ vi Ordinis aſſequuntur; tum quia ſunt nuncii, & miniſtri publici ad comedenda peccata populi, & ad Deum placandum ab ipſa ſpecialiter deputati;

tum quia Eccleſiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit eos Deo magis acceptos; tum denique ne fruſtretur fructibus ſacrificii, adeo ſalutaribus vivis, atque defunctis. Ceterum D. Bonaventura *lib. 2. de profectu Religioſor. cap. 77.* Sacerdotes, ut par eſt, non ſe præparantes, rita conſulit, ut abſtineant aliquando, ad hoc ut reverentius accedant; & hac utique eadem de cauſa poſſe illos, qui per beneficium, vel cappellaniam quotidie celebrare adiguntur, a celebratione aliquando vacare, jam decreverat olim Alexander III., & noviſſime ſtatuit Sacra Congregatio Concilii 18. Sept. 1683.

VII. Difficilius profecto eſt definire, unde tantus tepor, & indevotio in Sacerdotibus adeſſe valeat, qui cum quotidie celebrent, quotidie conſequuntur nova gratiæ incrementa, quæ, ut ſuperius dicebamus, non impediuntur per ſemivoluntarias indiſpoſitiones, & adhue per actualia peccata venialia. Ob quam vehementer vereor, ne defectus fervoris, quem patimur quotidia celebrantes, indicet occultam indiſpoſitionem, & carentiam gratiæ! Quæ ſi ita forent, quid unquam miſerabilius in recipientibus tam continuo ſanctitatis fontem? Non deſunt tamen aliqui dicendi modi. Primus eſt, quia habitus gratiæ, & charitatis, licet quotidiano illo incremento augeantur, nihilominus ad eliciendos actus indigent auxiliis actualibus, quæ denegantur tum ob alia peccata venialia, tum præſertim ob ea, quæ celebrando indevote, & cum animi diſtractione committuntur. Secundus, quia etſi peccata venialia non excludant gratiam, & ejus augmentum, impediunt tamen fervorem charitatis. Tertius, quoniam habitus infuſi gratiæ, & charitatis non excludunt habitus vitiorum materialiter ſumptos, nec difficultates materiæ, nec pravas conſuetudines, & ideo poſt infuſionem gratiæ, & ejuſdem augmentum poteſt homo eiſdem aſſuetus, in eadem propendere, atque prolabi, niſi per ſtudium mortificationis, & exercitium laudabilium operationum ſe exerceat.

VIII. Hora eſt, producamus alterum, quod dicebamus adnotandum, & eſt, quod Moniales, aliique Regulares viri, quoad communionem non ita alligantur diebus ex Regulari Inſtituto præſtitutis, ut ſi quæ eamdem petant in aliquibus particularis devotionis feſtis, aut ingruentem aliam ob cauſam, non ſis ipſis indulgendum, etſi non ſint ex iis, quæ puritate mentis præcellunt, aut fervore ſpiritus. Mens namque Decreti non eſt impedire, aut retardare particularia pietatis, ac devotionis ſtudia, aut perſonas Deo devotas ſæcularibus deterioris conditionis facere, unde ut ſupra admonendæ dumtaxat illæ dicuntur, quæ *quotidie ſacram Euchariſtiam petunt*, non quæ pro una, vel altera vice, aut occurrente juſta cauſa aliqua. Quod ſi in Decreto ſubditur indulgendum eſſe iis, *quæ puritate mentis enitent, & incaleſcunt fervore ſpiritus*, non propterea ut ſupra limitate repelluntur alteræ, ſed ſolum a quotidiana, & frequentiori habitualiter, quam ſi & ipſæ nitent, oportet, vitæ moribus prius ſe ſimiliter dignas præſtent.

DECRETUM VI. CAP. IN ORD. LI.

Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine diſcant Cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Ead. Congreg. in eodem Decreto.

I. Concionatorum etiam opera (adeo Eccleſiæ cordi eſt, ne quis dignam præparationem negligens, offendat reverentiam tanto Sacramento debitam!) adhibenda laudatur, quatenus data opportunitate orationem habeant ſuper prævia diſpoſitione plurima, quam requirit Euchariſtiæ ſumptio, & præſertim frequens, & quotidiana, ut hinc fideles, maxime qui ſecularibus negotiis, & obſequiis conjugalibus incumbunt, ediſcant ab ea abſtinere, quando ſe minus paratos ſenſerint, & ſe ad majorem præparationem accingere, ne in extremo judicio cogantur poſtea rationem reddare Chriſto judici, quem irreverenter in Euchariſtia ſumere præſumpſerunt.

DECRETUM VII. CAP. IN ORD. LII.

Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt; & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, & dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cæleſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Ead. Congr. in eod. Decreto.

I. Unde Deo gratias agant, habent utique Epiſcopi, in quorum Diœceſibus viget adeo laudabilis, & utilis conſuetudo, quam propterea adhibito ut ſupra prudentiæ, & judicii temperamento ita alere debebunt, ut ſui officii, & curæ eſſe ſciant, nulli labori, aut diligentiæ eſſe parcendum, quo illa cuſtodiatur quidem, & ſi ibi non eſt, introducatur, & inſimul omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, ne quæ vita eſt, vertatur in mortem, & ut virtutes, & dona in ſumentibus augeantur; quod ex potiſſimis ſpiritualibus effectibus eſt, quos Euchariſtia præſtat digne ſumentibus. Id autem abunde continget, ſi ii, qui devoto frequentis, aut quotidianæ communionis ſtudio tenentur, aſſueverint totam ſuam operam impendere ad ſe probandos cum timore, & charitate, priuſquam de Pane illo edant. Quod ut præſtent, nos cum eadem Congregatione precamur Chriſtum Dominum, ut qui dignatus eſt ſe nobis dare in carnem, & ſanguinem, dignetur etiam opem ſuam, divitiaſque gratiæ ubertim largiri.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORDINE LIII.

Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino Ead. Congr. in eod. Decreto.

I. Modo pergit Congregatio ad errores, & abuſus, & redargui mandat aſſerentes, non communionem universim, ſed communionem quotidianam eſſe de jure divino. Lis eſt inter Theologos, num adulti præcepto divino teneantur ad communionem ſacramentalem, & dubium non eſt, quod illi, qui affirmant, probabiliùs ſentire videntur. Celebre eſt illud Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, ubi ſub comminatione amiſſionis vitæ æternæ præcipitur communio, non quidem ſolum myſtica, prout dicit Eccleſiæ copulari, quæ unicuique, etiam parvulis, ad ſalutem eſt neceſſaria, ſed etiam realis juxta communem intellectum SS. Patrum; hinc & *Lucæ* 22. poſt conſecrationem, & diſtributionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ Chriſtus dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, idest *conſecrate, comedite, & diſtribuite*. Quo autem tempore obliget præceptum ejuſmodi, fere omnes conveniunt pro mortis articulo, in quo eſt maxima, & extrema indigentia, tum ad confirmandam vitam ſpiritualem, tum ad ſuperandam luctam adverſus Dæmonem tunc maxime inſidiantem. Addunt aliqui *etiam aliquoties in vita*, & præſertim cum vehementes inſtant tentationes ad quas evertendas Euchariſtia communiter cenſetur, & eſt pharmacum valde ſalutare.

II. At iſti videntur confundere neceſſitatem per accidens ratione alicujus adjacentis cum neceſſitate per ſe vigore præcepti; Suarez tamen nullam communionis neceſſitatem per accidens adeſſe poſſe excogitavit, quia ad ſuperandas tentationes, & avertendum relapſum in peccata, non deſunt remedia alia, nempe orationum, pœnitentiarum, & mentis elevationis in Deum, remotionis otii, aliarumque occaſionum tunc vigentium, quæ ſi non proſint, nec videtur prodeſſe poſſe communio; & quando adhuc compertum ex experientia haberetur profuiſſe parum remedia alia, benevero communionem, tunc fidelis quidem teneretur ad communionem, non vi præcepti divini communicandi, ſed vi alterius præcepti, quo quiſque obligatur vitare tentationes, & relapſum in peccata.

III. Victoria *in ſumma n.* 86. præceptum divinum communicandi quidem agnoſcit, ſed ſemel tantum in vita obligare ſentit, ſive id poſtea fiat in vita, ſive in mortis articulo. De mortis articulo ſufficienter agitur, ubi de ſacro viatico; in vita autem aliquoties obligare, hæc ratio ſuadet, quod Euchariſtia inſtituta eſt ſub ſpecie panis, & vini ad nutriendam, & confortandam ſpiritualiter animam, unde ſicuti ad ſuſtentationem vitæ corporalis non ſufficit una tantum vice, vel altera ſumere cibum, ſed ſumendus eſt, quoties opus fuerit propter debilitatem ſubjecti, & continuam actionem caloris naturalis humidum radicale depaſcentis, ſic non ſufficit ſemel, aut iterum in vita ſumere cæleſtem cibum, ſed illum ſumere obligamur, quando neceſſarium judicaverimus ad vitæ ſpiritualis conſervationem; etiam enim charitatis robur ex carnis concupiſcentia, & peccati fomite continuo tepeſcit, & vires animæ nutri-

nutritione ſpirituali deſtitutæ, debilitantur, unde opus eſt, non unica actu, nec unica nutritione reſtaurentur, ſed pluribus, prout neceſſitas exiget, & indigentia.

IV. Si quæras, quot præciſe vicibus hoc præceptum obliget? Reſp. univerſaliter, & ſignate definiri non poſſe propter diverſas ſubjectorum diſpoſitiones, & tentationes; cenſemus tamen, quod per ſe loquendo ſatisfit prædicto præcepto per communionem ſemel in anno, alioquin incongrue Eccleſia permitteret fideles communionem ab anno in annum differre, ſi divinum præceptum urgeret frequentius. Sunt propterea plurimi, qui Chriſtum communionem præcepiſſe ſentiunt, ſed non determinaſſe tempus, hocque reliquiſſe Eccleſiæ tamquam ſuæ mentis interpreti determinandum; quare præceptum Eccleſiaſticum de communione paſchali non eſſet præceptum diſtinctum a divino; ſed hujus ſolum modificatio, & determinatio quoad tempus, unde cum ex mera pluralitate præceptorum non detinnatur, nec diverſitas ſpecifica, nec numerica peccatorum, etſi per omiſſionem communionis paſchalis violantur duo præcepta, Eccleſiaſticum ſcilicet, & divinum, non duo propterea patrarentur peccata. Quæ autem ſtet nobis opinio, jam fuſe egimus in Decr. 18. præcedentis capitis, ubi duo præcepta ita diſtinximus, ut per communionem paſchalem ſatisfias quidem utrique, Eccleſiaſtico ſcilicet, & divino, ſed ſi omittatur communio paſchalis, Eccleſiaſticum dumtaxat frangatur præceptum, non divinum, quod propterea adhuc urget, donec totum elapſum fuerit anni ſpatium, & nonniſi hoc elapſo cenſetur infringi, ut ibidem magis ſtatuimus.

V. Diximus *per ſe loquendo*, quia per accidens ob inſurgentes tentationes, & periculoſas occaſiones, ſaltem quando via aliter ſuperari queunt, & probabiliter alias timetur relapſus in peccata, nos ex vi præcepti divini quemque teneri credimus ad ſumendam Euchariſtiam, quæ ex inſtitutione Chriſti eſt *vere cibus*, & *vere potus* ad vitam ſpiritualem cuſtodiendam, juxta Ignatium Martyrem *pharmacum immortalitatis*, & ſecundum Tridentinum *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur*. Ex quibus ubertim utique conſtat, quam rite Decretum redargui mandet aſſerentes, communionem quotidianam eſſe de jure divino; opinio enim iſta nullum fundamentum habet in ſacris litteris, ex quibus nec a longe deduci valet. Contrariam inſuper habet perpetuam Eccleſiæ traditionem, & praxim, ac definitionem quamlibet, quæ adeo ſiſtit in eam optando tamquam laudabilem, ut etiam contenta ſit annua paſchali. Contrarios quoque habet SS. Patres omnes, quorum aliqui, ut Hieronymus *loc. cit.*, quotidianam communionem nec vituperant, & ut verum fatear, nec ex Auctoribus aliquem reperi, qui id edoceat: adeo abit a recto tramite.

CAPUT QUARTUM.

De Communione Fidelium.

COmmunionis nomen, quamvis hodie ſignificet regulariter ſolam Euchariſtiæ participationem, olim alia plurima ſignificaſſe, erudite tradunt Albaſpinæus *lib. 1. obſerv.*, Morinus *lib. 2. Eccl. exercit.*, Sirmondus *hiſt. publ. pœnit.*, & Card. Bona *lib. 2. Rer. liturg. cap. 19. n. 3.*, ubi duo potiſſima refert Chriſtianæ communionis genera, *communionem* ſcilicet *commercii*, ſive mutuæ cum ceteris fidelibus ſocietatis, & *communionem Euchariſtiæ*, quæ prioris perfectio, finis, & centrum eſt. Illa habitudinem habet ad corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, hæc verum corpus ejuſdem reſpicit, quod ſumitur in Euchariſtia. Illa dicebatur communio ſine oblatione, utpote conſiſtens in ſola participatione orationum, & conſortio fidelium; hæc communio cum oblatione iis conceſſa, qui corporis, & ſanguinis Domini erant participes.

Quoniam vero Eccleſia ex populo conſtat, & clero, communio, quæ reſpicit corpus Chriſti myſticum, in laicam dividebatur, & Eccleſiaſticam, & hujus tot erant ſpecies, quot Ordines Eccleſiaſtici, quare cum aliquis Ordinis ſui munia, in pœnam alicujus delicti obire non poterat, is communione privari dicebatur, quatenus cum ceteris in iis, quæ ſui Ordinis erant, communicare non poſſet; qua de communione loquuntur antiqui illi Canones, qui jubent clericos communione privari. Quando vero aliquis ob capitale crimen perpetuo deponebatur, laica tantum communione donabatur, detruſus in monaſterium, unde Concilium Agathenſe can. 50. Si *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen admiſerit &c. ab officii honore depoſitus, in monaſterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam communionem tantummodo accipiat*. Quid vero fuerit communio laica, diſputant Auctores. Sunt, qui nihil aliud fuiſſe putant, quam perceptionem Euchariſtiæ ſub unica ſpecie, ſcilicet panis laicorum more, ſed omnino falli advertit Bellotte *obſerv. ad Rit. Eccl. Laud.*, quia utriuſque ſpeciei uſus permiſſus fuit populo, etiam diu poſtquam adverſus graviter delinquentes clericos pœna communionis laicæ decreta fuit. Alii diſcurrunt aliter, ſed tu ſcire ſenties, ſi dixeris laicam communionem fuiſſe jus ſocietatis, & communicationis cum ceteris fidelibus in rebus tam ſacris, quam civilibus more laicorum, quare clerici laica communione mulctati, non gaudebant foro Eccleſiaſtico, communes cum laicis habebantur, participabant de aliorum laicorum orationibus, & nonniſi extra presbyterium ſimul cum laicis admittebantur ad participationem Euchariſtiæ, ſub una poſtea, vel ſub duplici ſpecie juxta Eccleſiarum conſuetudinem.

Communionis peregrinæ non ſemel itidem meminere Synodi, & eam aliqui cum laica communione confundunt, utique tamen perperam, nam ex clericis qui laica communione plectebantur, ad ordinis ſui officia redire non poterant, cum eſſet pœna iis impoſita, qui perpetuo deponebantur, ubi qui peregrina communione puniebantur, gradum ſuum recipere poterant pœnitentia peracta, unde in can. 2. ejuſdem Synodi Agathenſis: *Contumaces clerici prout dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui priores gradus elati ſuperbia, communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum, dignitatemque recipiant*. Ex hoc Concilio aperte conſtat, quod clericorum nomen hac communione plexorum eradebatur ab Eccleſiæ matricula; nihil autem ultra certi habetur, nam in reliquis Auctores valde diſſident. Sirmundus *loc. cit.* cenſet, tunc peregrina communione clericos fuiſſe mulctatos, cum in eo loco, & ſtatu collocabantur, quo poni ſolebant clerici peregrini, qui ſine litteris commendatitiis extra propriam Diœceſim peregrinabantur; excipi enim benigne conſueverant, & ſumptibus Eccleſiæ ali, nemo tamen clericorum cum illis tamquam cum clericis communicabat. Baronius *an. 400. num. 67.* inſtar peregrinorum admiſſos fuiſſe probat in participatione orationum non autem Sacramentorum; ad horum enim participationem peregrini non admittebantur, antequam formatas litteras ſuorum Ordinariorum oſtendiſſent, quæ eos catholicos eſſe teſtabantur. Henaus *de ſacrif. miſſæ part. 3. diſp.* 28. ait communionem peregrinam eam fuiſſe, ad quam clerici admittebantur, quibus in pœnam alicujus peccati peregrinationes ſive perpetuæ, ſive ad tempus impoſitæ erant; alii vero in eo ſitam eſſe, ut qui eadem mulctabantur, inter clericos inferioris Ordinis communicarent, unde Epiſcopus ea mulctatus non cum Epiſcopis, ſed cum Presbyteris, Presbyter non cum Presbyteris, ſed cum Diaconis communicare debebat.

Communionis genus aliud in uſu item fuit apud veterem Eccleſiam, & dicebatur *Eulogia*, quarum nomen etſi quandoque uſurpatum fuerit ad ſignificandas particulas conſecratas, ut apud Cyrillum Alex. *Epiſt. ad Neſtor.*, & apud Maximum *ad cap. 3. Eccl. Hier.*, reapſe tamen eaſdem non ſignificabat, ſed eulogiæ erant portio illa panis, quæ cum ſupereſſet conſecrationi attento communicandorum numero, haudquaquam conſecrabatur, ſed ſolemni tamen ritu benedicta, & in particulas diſſecta, in fine miſſæ diſtribuebatur iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut nolebant Sacramenti Euchariſtiæ participes fieri, licet legatur etiam aliquando diſtributa iiſdem ipſis qui Euchariſtico cibo jam refecti fuerant. Eulogiæ itaque in ſe non continebant Chriſti corpus, ſed dumtaxat erant panis benedictus vice panis Angelorum diſtributus in ſymbolum frequentioris Euchariſticæ communionis, quæ in uſu erat apud primitivæ Eccleſiæ fideles. Nec de hoc, neque de aliis ſuperius recenſitis communionis generibus modo procedet ſermo, ſed de ſola communione Euchariſtiæ, cujus plurima jam dedimus in capitibus præcedentibus.

DECRETUM I. CAPITIS IN ORDINE LIV.

Doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam SS. Euchariſtiam, nec eam alio modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. Congr. Concil. 12. Febr. *1679.* approbante Innoc. XI.

I. EXpoſitive hic ſtat dictio *ſeu*, quare loca non multiplicat, quaſi ſenſu ſit, quod ſacra ſynaxis abſque diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis ſumi nec poſſit in Eccleſiis publicis, neque in oratoriis privatis, ſed ſolum exponit præcedens verbum, atque deſignat to *In Eccleſiis* idipſum docere, quod verbum ſubſequens, ſcilicet *in oratoriis privatis*, unde ſolummodo ſenſus eſt quod in oratoriis privatis, quæ lato modo dicuntur Eccleſiæ, ſumi non poteſt SS. Euchariſtia, niſi ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis. In oppoſitum ſentit Clericatus *deciſ. 8. de Sacram. Euch. ad menſem Febr. num. 54.*, & nititur tum quia in conceſſione oratorii privati ut conceſſa cenſetur Sacerdoti confeſſio, & ſumptio SS. Euchariſtiæ, ita & ceteris ejuſdem adminiſtratio, & præſertim iis, quorum intuitu oratorium fuit conceſſum; cui namque conceditur, quod eſt majus, dicitur etiam conceſſum, quod eſt minus, & maxime in caſu, cum communio ex inſtituto Eccleſiæ præbenda ſit in miſſa poſt communionem celebrantis, poſt quam propterea Eccleſia nonnullas preces recitat, quæ & ſpectant ad celebrantem, atque fideles, qui ſacram Euchariſtiam in miſſa ſumpſerunt. Tum quia Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 6.* ſe dicit *optare, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent*; id autem præſtari non poſſet, ſi per conceſſionem oratorii privati non intelligeretur ſimul conceſſa facultas ibi percipiendi Angelorum epulum. Clericati ſententiam amplectuntur nonnulli alii, ſed eamdem in eo limitant, quatenus Ordinariorum licentiam expoſtulant.

II. Verum præſens Decretum, dum *diſpenſationem, ſeu privilegium Pontificis* poſcit, facultatem ejuſmodi neque ab Or-

ab Ordinariis locorum tradi poſſe, aperte declarat, & ſcite dixeris, quæcumque cauſa, inveniat, ne quidem excluſo infirmitatis caſu, in quo jam ad infirmum ab Eccleſia Euchariſtia deferenda mandatur, niſi habeatur oratorium privilegiatum, & quidem privilegiatum pro diſpenſatione Euchariſtiæ, non vero pro ſola celebratione miſſæ, cujuſmodi privilegium etſi habeatur, nihilominus ſanctio, ut dicebamus, expoſtulat aliud diſtinctum privilegium pro adminiſtranda SS. Euchariſtia. Evidentius id redditur ex notif. 14. t. 2. num. 12., ubi Benedictus XIV. de mandato Congregationis Concilii, cujus tunc erat a ſecretis, allocutus Innocentium XIII. in favorem cujuſdam Matronæ, quæ habituali infirmitate detenta, in mane ad Eccleſiam accedere non poterat pro ſumptione SS. Euchariſtiæ, conſequi non potuit facultatem ſumendi ſacram ſynaxim in oratorio, in quo jam ex conceſſione Apoſtolica celebrabatur miſſæ ſacrificium, niſi limitatam ad tempus infirmitatis, & nonniſi prius viſis, & ponderatis medicorum atteſtationibus. Hæc autem ubertim deſignant, quod ex conceſſione oratorii privati pro miſſa non continuo inferri poteſt conceſſio pro adminiſtratione Euchariſtiæ, ſed ad hanc requiritur novum, & diſtinctum privilegium; cum enim privilegia, quæ communiter emanant ſuper oratoriis privatis, unice ſiſtant in facultate inibi faciendi miſſæ ſacrificium, nec minimum verbum teneant ſuper adminiſtratione SS. Sacramenti, neque ex identitate, aut ex majoritate rationis extendi valent ad diſtributionem Euchariſtiæ, quam cum probe noverint, ſi voluiſſent, utique expreſſiſſent; & præſertim cum talia privilegia ſint contra jus commune, juxta quod SS. Euchariſtia, ut par eſt, & tanti Sacramenti dignitas exigit, in publicis Eccleſiis debet adminiſtrari. Ex inſtituto itaque Eccleſiæ ſacra quidem communio adminiſtrari debet intra miſſam, & Tridentinum optat, adminiſtretur in miſſis ſingulis, ſed ſervato loco, & tempore, quemadmodum magis dicitur, ubi de communione fidelium inhibita in miſſa noctis Nativitatis Dominicæ.

III. Quod privilegium non ſufficit, ſit ab Epiſcopis factum, ſed requiritur, ſit Apoſtolicum; etſi namque olim Epiſcopi, qui ſuper oratoriis privatis indultum faciebant, prædictam item facultatem facere poſſent, poſtquam tamen per Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 6.* iiſdem vetitum eſt permittere, in privatis domibus ſacrum fieri, & per Congregationem Concilii juſſu Pauli V. die 10. Martii 1615. declaratum fuit, nulli Epiſcopo licere, facultatem facere cuicumque perſonæ, in oratorio privato audiendi, celebrandive miſſam abſque obtentu Apoſtolici privilegii; ſicuti conceſſio faciendi ſacrum in oratoriis privatis facta eſt juris privativi Sedis Apoſtolicæ, ita & conceſſio recipiendi in iiſdem ſacram ſynaxim. Quæ dicta præciſe ſunto de oratoriis privatis, non autem de publicis, de iis nempe, quæ habent oſtium in publica via, ita ut ad illa cuilibet fideli ſit liber acceſſus, quoniam in iſtis, perinde ac in plublicis ipſis Eccleſiis, celebrari poteſt, ac ſacra Euchariſtia adminiſtrari. A privatorum oratoriorum regula tamen abeunt oratoria Cardinalium, Epiſcoporum, & Regularium, quæ licet in via publica non habeant januam, adhuc cum iſtar publicarum Eccleſiarum in iiſdem plures miſſæ eodem die dici valeant, & aſſiſtentes iiſdem miſſis præcepto ſatisfaciant quique fideles, haud dubitaverim etiam Sacram Synaxim in iiſdem licite adminiſtrari poſſe. Dixi *& Regularium*, quia etſi his privilegia per Tridentinum adempta fuiſſe, ſentiant plurimi, in dubium tamen revocari non poteſt privilegium a Gregorio XIII. factum Societati Jeſu, & implicite Ordinibus ceteris participantibus ejus privilegia, cum ejuſdem conſtitutio *Decet Romanum Pontificem* 3. Maii 1575. poſt Tridentinum lata fuerit, nec clauſulis limitantibus maneat reſtricta.

IV. Ad aliud, quod ſanctio ſtatuit, deſcendentibus nobis occurrit quod *SS. Euchariſtia non poteſt deferri in crumena, & ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto*, & ſolum excipiuntur infirmi, quorum nomine veniunt, *quotquot ad illam ſuſcipiendam ad Eccleſias non valent accedere*. Quod dixit Eliſabet *Luc.* 1., quando a Deipara ſe viſitatam agnovit (*unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*) potiori utique jure habent, unde dicant infirmi, ad quos defertur ipſe rerum omnium Dominus, & præ gaudio lacrimas cohibere non valeo ſuper bonitatem ejuſdem, qui hominem de limo formatum, tanto honore dignatur, ſed oh quam habeo, unde deplorem humanam miſeriam, quæ ſuam non agnoſcens parvitatem, tantorum immemor beneficiorum, perſæpe rebellis, & ingrata de beneficiis ipſis ita ſuperbit, ut eumdem Dominum, cum ipſi ad Eccleſias accedere valeant, ad ſe exiſtentes domi deferri curent, & uſque prætendant! Quid vero dicam de illis, qui in lecto cubantes, illum recipere non formidabant, & in crumena, & in ſecreto ſine decenti pompa, ac cum irreverentia plurima ad ſe deferri ſinebant? Opus itaque haud eſt, hic allegentur rationes, ob quas univerſim vetatur ad non infirmos domum deferri; & quidem adhuc publice, & cum pompa, ut non abſcure indicant verba illa *Quam ad infirmos*, ubi dictionem *Quam* pro *Niſi*, vel *Præterquam* dubium non eſt uſurpari. Et præſertim quia ad infirmos ipſos publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani ab Eccleſia deferri præcipitur; quare locus non eſt interpretationi præcedentis inhibitionis, ita ut reſtricta ſit ad ſolum caſum, in quo in crumena, & ſecreto ad ſanos deferatur.

V. *Et ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi vero ab oratorio privato, cum forma decenti*, ſunt ulteriora verba Decreti, per quæ diſtinguit inter infirmos, & horum illos, qui habent oratorium privatum cum privilegio ſumendi in eo ſacram Euchariſtiam, privare nolens favore Apoſtolico, indulget refici poſſe cæleſti Epula *cum forma decenti* ab oratorio ad ipſos deportata. Sed quæ erit forma decens? Petenda ea eſt ex qualitate infirmitatis, ita ut ægrotus extra lectum, & adhuc genuflexus, vel eo meliori modo, quem morbus patitur, Angelorum eſcam de manu Sacerdotis reverenter accipiat. Si vero deferenda ſit ad lectum, id minime præſtabitur ſine decenti luminum comitatu, & opportunus erit umbellæ uſus; infirmo autem miniſtrabitur vel per modum viatici, vel juxta conſuetum ritum in Rituali diſerte deſcriptum, quo ob devotionem in ægritudine communicantur fideles, reſpectu habito ad qualitatem prædictæ infirmitatis.

VI. Qui vero ex infirmis carent oratorio ut ſupra privilegiato, communicari mandantur cum Euchariſtia *publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani* ad ipſos ab Eccleſia deportata; quod ita intelligi volumus, ut id quidem regulariter ſervari debeat, non vero quod vetitum ſit, etiam ſecreto, in crumena, ſive mantica Euchariſtiam ad infirmos deferri, quando ſcilicet longius, aut difficilius iter eſt obeundum, vel fortaſſe etiam equitandum, uti aperte concedit Rituale Romanum, cui præſens non derogat Decretum, ſed magis idipſum firmat, dum facta univerſali inhibitione deferendi Altaris Sacramentum ſecreto, aut in crumena ad ſanos domi exiſtentes, ſtatim adjicit *Quam ad infirmos*, per exceptivam diſtinctionem iſtam non obſcure indicans, etiam præfacto pacto deduci poſſe ad ægrotos, quando vix aliter fieri poteſt, licet exinde ſubdat modum, quem regulariter, & extra neceſſitatis caſum adhiberi intendit.

VII. Papa, cum ſolemniter celebrat, ſedens in throno communicat, Sacroſancta hoſtia ad ipſum delata, & contra hanc cæremoniam latrant hæretici, aſſerentes eſſe actum ſuperbiæ in Pontifice permittente ſibi ad thronum Chriſtum deferri; at Myſteria hujus actionis minime percipiunt, cum Chriſti Vicarius Domini ſui humilitatem potius imitari intendat, quando nempe in cœnaculo panem, & vinum conſecravit, deinde in Calvario ſacrificium conſummans, ſeipſum in conſpectu totius populi Deo Patri obtulit: ſic Papa ſuper altare, quod eſt cœnaculi figura, conſecrat, at in ſublimi throno communionem ſumit, ad imitandum Chriſtum in monte crucifixum, unde S. Bonaventura in expoſit. Pſal. 21. *Chriſtus in communi, & omnibus videntibus paſſus eſt, unde Papa quando ſumit Corpus Chriſti in miſſa ſolemni, ſumit omnibus videntibus, nam ſedens in cathedra convertit ſe ad populum*. In miſſa item ſolemni ſiphone, ſeu fiſtula e calice abſorbet Chriſti ſanguinem, & reliquia quædam eſt antiqui moris fidelibus omnibus communis, qui quando communicabant ſub utraque ſpecie, ad evitandum effuſionis periculum ſimili modo Chriſti ſanguinem ſorbere ſolebant; canna autem ejuſmodi juxta Angelum Roccam ſignificat arundinem, cum qua per ſpongiam acetum Chriſto crucifixo porrexerunt hebræi.

VIII. Hic meminiſſe juvat nonnullorum etiam antiquorum uſum, & primo perſecutionum tempore concedendi fidelibus domum, & ſecum deferre Euchariſtiam, tum ob difficultatem conveniendi ad eam ſumendam, tum ut prompte eadem refici poſſent, quando ad martyrium trahebantur, qua de re plures Sanctorum Patrum atteſtationes habentur. 2. Refert D. Baſilius Monachis in eremo degentibus conceſſum item fuiſſe, ſecum deferre conſecratum panem propter Sacerdotum penuriam, ut eumdem propriis manibus ſumere poſſent, quod in occidentali Eccleſia uſque ad Hormiſdæ tempora perduravit, & propter devotionis relaxationem in Cæſaraguſtano Concilio can. 3. ablatum fuit, necnon in Rhemenſi cap. 2., uſus tamen ejuſmodi in Eccleſia orientali diutius remanſit. 3. In itineribus quoque hoſtiam conſecratam ſecum a Chriſtianis delatam fuiſſe tradit D. Ambroſius de Satiro ejuſdem fratre, necnon de S. Maximiano Syracuſarum Epiſcopo D. Gregorius 3. *dial. cap.* 36., & denique de S. Byrino Epiſcopo Surius *ad diem 3. Decemb.* 4. Dominicum quoque corpus ſupra cadaverum pectus poſitum fuiſſe, & ſepulturæ mandatum, argumentum non leve ſuppeditant hiſtoria Translationis S. Othmari Abbatis, vita S. Baſilii Amphilochio tributa, atque D. Gregorius *Dial. lib. 2. cap.* 24., quantumvis poſtmodum id tamquam contrarium illi Matt. 26. *Accipite, & comedite*, quod cadavera facere nequeunt, proſcriptum fuerit a Concilio Carthaginenſe 3., & Autiſiodorenſe 6

DECRETUM II. CAP. IN ORD. LV.

Admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Ead. Congreg. in eod. Decr.

I. PAnis, vinique munera, quæ in Chriſti corpus convertenda in Sacroſancto miſſæ ſacrificio, ad altare a primordiis uſque Eccleſiæ offerre conſuevere fideles rite, *oblationes* dicta inveniuntur; cum enim Deus ſit dominus omnium, ei quid tribui non poteſt, quod ſuum non ſit, quare in muneribus noſtris nos de noſtro non habemus, niſi eorumdem oblationem. Oblationes ejuſmodi offerentium manibus ut plurimum effici ſolebant, ſed cum inde Sacerdotum fortaſſe incuria non ſemel factum fuerit, ut panes quilibet, qui offerebantur, licet non integri, & plene mundi, conſecrarentur, ad ejuſmodi abuſum tollendum inventus mos extitit offerendi farinam, vel colligendi frumentum, virginibus, vel Sacerdotum conjugibus, aut diaconiſſis, quæ fuerint mundæ a muliebri profluvio,

commiſſo munere parandi, & coquendi panem Dominicum; quod item commiſſum fuiſſe legitur Sacerdotibus ipſis, aut clericis, & apud Monachos, alioſque præſitum in ſacris veſtibus, & cum melodia pſalmorum. Celebris eſt, & digna, quæ ubique ſervetur, lex Concilii 4. Mediolan. *Ne hoſtias pro ſacra Euchariſtia conficienda laicus homo, aut fœmina faciat, aut* ſaltem ex fæminis ſolæ Deo Sacratæ Virgines eaſdem faciant.

II. Quæ primitus fuerit panis forma, & magnitudo, certo definiri non poteſt, ſententia tamen Joannis Diaconi apparet ſatis probabilis, eam nempe fuiſſe, *prout erat cujuſque ſtudium, atque devotio in Religione divina*. Allatio teſte apud Græcos figura quadrangula fuit in frequentiori uſu, ſed ſpherica dubio procul in univerſa Eccleſia prævaluit, unde præfatus panis *Corona* dictus cernitur in vita S. Zephyrini, & lib. 4. Dial. cap. 55. Sancti Gregorii, *Circulus* a S. Epiphanio Ancorat. num. 57., & *rotula* in hiſt. S. Othmari Abbatis. Uſus panis a communi omnino diſſimilis, ſubtilis, in formam nummi, non in furno, ſed ferrea forma coctus, compreſſus, & ſigillatus, quali nunc utimur, ſua quidem non caret antiquitatis laude, ſed quo præciſe tempore cœperit, facile non eſt ſtatuere, ejus tamen veſtigium fortaſſe primum apparet anno 895. apud Bollandum *to. 5. Julii fol.* 290. *num.* 53. ſed non deſunt monumenta plurima, ex quibus aperte conſtat, nedum communiter non fuiſſe receptum, ſed adhuc a nonnullis reprobatum, unde Bernoldus apud Caſſandrum *in liturg. c.* 27. ejuſmodi hoſtias vocat *minutias nummulariarum oblatarum, & indignas panis vocabulo pro ſua tenuitate*. Verum Concilium Toletanum XVI. *Can. 6.* ab hoſtiis magnitudinem omnem removet, eaſque eſſe mandat tenuis quantitatis: *Neque grande aliquid, ſed modicam tantum oblatam*; & rationem ſubdit Concilium Nicænum apud Gelaſium Cizicenum: *Propter hoc enim neque multum ſumimus, ſed parum, ut ſciamus, quod non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus*.

III. *Hoſtiæ* nomen uti apud Chriſtianos tributum extitit panis ſubſtantiæ, quæ pro Euchariſtia præparatur, ita reliquum fuit eidem pani jam conſecrato, & in Corpus Chriſti tranſubſtantiato, huic tamen vere dumtaxat convenit, non illi, quare Amalarius *Præfat. 2. in lib. de off. Eccl.* habet de Sacerdote conſecrante: *Facit eam tranſire per ſuam ſecretam orationem ad nomen hoſtiæ, ſive muneris, donive, vel Sacrificii*. Et quidem cum Chriſtus pro nobis factus ſit hoſtia, & ſacrificium, quod in Euchariſtia offertur, non minus in memoriam, quam in gratiarum actionem ob magnum redemptionis beneficium, per quam orcus victus extitit, Euchariſtico Sacrificio rite competit hoſtiæ nomen, per quam olim deſignabantur Sacrificia illa, quæ offerebantur in gratiarum actionem ob ſuperatos hoſtes, unde Ovidius *Faſt. lib. 1. verſic.* 341.

Hoſtibus a domitis Hoſtia nomen habet.

IV. Græci in lateribus panis conſecrandi has imprimebant litteras *IC. XC. N K.* ſcilicet *Jeſus Chriſtus vincit*, Sirmundus vero *cap. 4. de Azymo* ex Can. 3. Concilii ſecundi Turonenſis celebrati anno 566. eruit, mandatum fuiſſe eidem crucem imprimi, cui poſtea ex parte altera additum fuit Chriſti nomen. Ex forma, & figura crucis, & Domini Euchariſtiæ datum fuiſſe *Formatæ* nomen, tradit Durandus *lib. 4. cap.* 41., & Honorius Auguſtodunenſis tum nominis impreſſi Chriſti, tum figuræ ſphericæ inſtar denarii, cujuſmodi erant hoſtiæ formatæ, his verbis myſterium exponit: *Panis ideo in modum denarii formatum, quia Panis vitæ Chriſtus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur; ideo imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago, & nomen Imperatoris ſcribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen noſtrum in libro vitæ notatur*. Novarinus *Agnus Euchar. lib. 5. cap.* 69. 70. 71. 77. producit plurimas ex his Euchariſtiæ formis, quarum non deſunt aliquæ, quæ repræſentant Chriſtum ſub variis myſteriis paſſionis ſuæ, & redemptionis, quinimmo & Virginem Deiparam, & præcipue tenentem in ſinu ſuo filium crucifixum e cruce depoſitum. Refert vero Macrus verb. *hoſtia*, quod Honorius Papa III. anno 1220. mandavit, ut in hoſtia imprimeretur crucifixi imago, cui decreto haud eos contraire credimus, qui ultra crucifixum in ea imprimunt e lateribus Mariam, atque Joannem Evangeliſtam, ſive quoſcumque alios, quos ante crucem ex Evangeliſtis ſtetiſſe diſcimus crucifixionis tempore.

V. Ex oblationibus tantas diaconus ponebat ſuper altare, quantæ ſufficere poterant pro populi communione, quæ fiebat, poſtquam celebrans ſe refecerat Chriſti corpore, & ſanguine, unoquoque ut plurimum quidem recipiente eas oblationes, quas altari obtulerat, vel participante de alienis oblationibus, unde D. P. Auguſtinus ſerm. 215. de Tem. *Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*; & S. Cyprianus *oper., & Eleem.* 3. quamdam matronam ita corrigit: *Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicam ſine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*. Non leve argumentum item ſuppeditat matrona illa, quæ cum a D. Gregorio dicente conſueta verba *Corpus Domini noſtri &c.*, communicaretur, ſe a riſu cohibere non potuit, dum dixit: *Panem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, ut corpus Dominicum perhibebas*. Præcipue vero, poſtquam vice panis offerri cœpit farina, aut frumentum colligi, panis integer fieri cœpit, & conſecrari, atque particulatim fractus, deſerviebat in communionem celebrantis, & populi; & uſus ejuſmodi adhuc vigebat in Eccleſia Romana circa medietatem ſæculi undecimi, in quo Cardinalis Umbertus apud Canis. *nov. edit. to. 3. fol.* 294. in hunc modum ſcribit: *Sancta Romana Eccleſia uſque nunc obſervat. Panem integrum benedicit, & fractum ſingulis particulatim diſtribuit, dicens: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*. Quum igitur Euchariſtia diſtribueretur populo per panem comminutum, & particulatim ſectum, partes illæ reciſæ a pane integro, quibus communicabat populus, dictæ fuere *particulæ*, quare D. Gregorius Turonenſis ſexti ſæculi lib. 10. cap. 8. *ſume tibi Euchariſtiæ particulam, atque impone ori tuo*. Hoc autem *particularum* nomen adhuc reliquum eſt hoſtiolis illis, quibus modo populus communicat, etſi ſectæ non ſint a pane integro, ſed ex ſe ſint quid totum integrum, poſtquam in Eccleſiam fuerunt invectæ, quod contigit eodem tempore, quo inductus fuit uſus panis ſubtilis inſtar denarii, ferrea forma cocti, atque compreſſi.

VI. Hora eſt, deſcendamus ad expoſitionem Decreti, & nobis occurrit caſus admodum memorabilis, de quo Beyerlinck *to. 3. verb. Euchariſtia*. Anno 1384. Oſvaldus Mulſer, ex nobili ortus proſapia, in templo pagi Seveld non procul ab Œniponto in finibus comitatus Tirolis, tempore paſchali, quo Chriſtifideles ex præcepto Eccleſiæ ad communionem ſolent accedere, majori hoſtia, & non ut ceteri laici, communicare nitebatur, cui ex timore Sacerdos perniciose aſſentiri volebat. Verum dum venerabile Sacramentum ſuper linguam Oſvaldi poneretur, ecce miraculoſe ante altare terra ſe aperit, ac ſi ipſum Oſvaldum prorſus deglutire vellet, & in illam uſque ad genua cecidit. Ille vero manibus latus altaris apprehendit, ſed altare iſthic inſtar ceræ moleſcere cœpit, manibuſque ceſſit. Oſvaldus præſentem Dei vindictam perſentiens, mox pœnitentia ducitur, veniam a Deo precatur, ſed cum hoſtiam deglutire non poſſet, Deo id non permittente, Sacerdos eam in ſacrarium reponit, ubi etiam nunc ſanguineo colore divinitus tincta, & ex linguæ ſaliva nonnihil contracta conſpicitur una cum altari ipſo, & in eo veſtigiis manuum Oſvaldi, qui ſic divinitus correptus, in moleſtam incidit ægritudinem, pœnitentiamque agens, & confeſſus, aliquantulo ſupervixit tempore, demum mortuus in Domino.

VII. Quod grandior in communione exigatur hoſtia, ex duplici fieri poteſt capite, ex errore nempe, aut ex ſuperbia. Ex errore, quatenus credatur Euchariſtiæ perceptionem in quantitate, non in virtute conſiſtere, non tantum corporis eſſe in exiguo, quantum in magno, aut integrum, & plenum non eſſe in ſingulis particulis, vel particularum partibus, vel plus gratiæ, & ſpiritualium effectuum conſequi per ſumptionem magnæ, quam parvæ hoſtiæ. Ex ſuperbia vero, quatenus id ſolum expoſceretur ad diſtinctionem honorificentiæ præ aliis. Proportione ſervata idipſum evenire poteſt de exquirentibus plures hoſtias; quam autem rite utrumque à Decreto reprobatum maneat, ex eo abunde patet, quod primum fides damnat, ſecundum moralis virtus, cum tamen adhuc Chriſtus, apud quem acceptio perſonarum non eſt, pretioſo ſuo ſanguine omnes æque redemerit, & in ſalutem cunctorum ſua æque Sacramenta inſtituerit, quare abſque diſtinctione ulla ſunt quoque omnibus adminiſtranda, & ſic quod ad Euchariſtiam ſpectat, cum conſuetis particulis, non grandioribus ſolito, nec earum pluribus uni præ alio.

VIII. Hoſtia, quæ circumlata eſt in proceſſione, aut publicæ fuit venerationi expoſita, an in plures partes ſecta, fidelibus diſtribui poſſit, inſurgit quæſtio, quam negative reſolvunt Gavantus *par. 2. tit.* 10. *num. 9. tit.* 1., Biſſus *to. 2. verb. particulæ num.* 45., Tonellius *lib. 2. tit.* 10. *ad Rubr.* 5., aliique plures, qui eam ſumendam aſſerunt a celebrante poſt ſumptionem ſanguinis intra miſſam. Quod cum item edoceat S. Carolus Borromæus *in Concil. Diœceſ. XI.*, quem Paſtoralis ſollicitudo glorioſum reddidit, & inſtructio Romana de hoſtia, quæ expoſita manſit occaſione XL. horarum, hæc verba teneat: *e l'oſtia conſagrata ſi dovrà conſumare nella meſſa, o in quella mattina, o nella ſeguente*, non quidem inde lex exurgit totam Eccleſiam rigoroſe obligans, ſed ſane talis methodus, quam ceteræ proſequantur Eccleſiæ. Verum liceat nobis univerſalem legem noſcere in præſenti Decreto, quod dum conſuetas particulas communicaturis dari mandat, inſimul inhibet, hoſtiam ut ſupra ſectam iiſdem diſtribuere, partes namque prædictæ hoſtiæ ſemper conſuetis, vel parviores, aut grandiores erunt, & nunquam in figura conformes. Et maxime quia non minus reſiſtit Decreti ratio, quia nempe ſaltem plebs idiota per grandiores plus gratiæ, & minus per parviores conſequi, poteſt credere, aut ex eo, quod per proceſſionem fuerit circumgeſtata, vel publicæ venerationi expoſita, aliquid honoris, vel plus ſpiritualium effectuum ſibi præ aliis fingere, ſive in eam majori anxietate ferri, aut conqueri, quod communicetur cum particula non habente denarii formam, in qua myſteria latere diximus, & hinc errores oriri, ſcandala, atque rixas.

IX. Quod cum parte hoſtiæ ſui ſacrificii Sacerdoti liceat communicare laicum, ſententia eſt Gavanti *par. 3. tit.* 10. *n.* 2., Quarti *par. 2. tit.* 10. *dub.* 3. Macri verb. *hoſtia*, aliorumque, & nituntur. 1. Quia nulla eſt lex prohibens. 2. Quia ex eodem pane Chriſtus ſeipſum, & Apoſtolos communicavit. 3. Quoniam talis erat conſuetudo Eccleſiæ, ut dictum eſt ſupra. 4. Nam ſacrificium eſt commune celebranti, & adſtantibus, unde convenit quoque omnes de eodem participare. Verum etſi hæc ſarta, tectaque eſſe queant attenta conſuetudine primorum ſæculorum, non tamen nova Eccleſiæ diſciplina, quam cum Decretum approbet, dum conſuetis particulis fideles communicandos eſſe mandat, dubium non eſt, quod Sacerdos non poteſt illos communicare cum parte hoſtiæ, quam eidem integram modernior diſciplina reſervat, & pro fidelibus diſtinctas particulas inſtituit, & poſtmodum in eorumdem communione

ſem-

ſemper adhibuit. Ad rem admodum item conferunt cap. *Relatum*, & cap. *comperimus* de conſecr. diſt. 2., ſed nos uti malumus Rubrica X. Miſſalis *num.* 3., ubi decernitur, quod ſi Sacerdos celebrans poſt conſecrationem decidat in caſum mortis, ſuppleatur ſacrificium ab alio Sacerdote, a quo ſumatur Sacramentum, & ejuſdem partem præbeat Sacerdoti infirmo, ſi aliæ particulæ conſecratæ deſint. Si itaque Sacerdos ille, qui potiſſimam partem habuit in conſecratione, communicandus adhuc eſt cum aliis particulis conſecratis, & ſolum cum parte hoſtiæ in illarum defectu, & id urgente mortis periculo, ad ſummum iidem fideles, qui latiori modo ad ſacrificium concurrunt, in mortis periculo cum parte hoſtiæ communicari poterunt in caſu, quo aliæ particulæ conſecratæ deſint. Quæ ex eo labentius dedimus, quia alias non minus locus patet ſuperius recenſitis abſurdis, & incommodis, quæ cum quoque militent in diviſione aliarum particularum, & hoc ipſo illæ non ſint ad conſuetis ad Decreti præſcriptum, idcirco in defectu aliarum conſecratarum eaſdem particulas dividi non poſſe credimus, ut adſtantium nulli incommunicati recedant, excepto ſolo mortis periculo. Non officit autem exemplum Chriſti, cum nihilominus communis Eccleſiæ praxis juſtis de cauſis relicta tota hoſtia pro celebrante, fidelibus quid integrum aſſignaverit.

DECRETUM III. CAPITIS IN ORDINE LVI.

Caveant etiam, ut circa communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Ead. Congr. Concil. 12. Febr. 1679. approbante Innoc. XI.

I. NEdum in Miſſa feriæ V. Cœnæ Domini, ſed etiam in ſubſequenti feria VI. Paraſceves ex particulis in Miſſa præcedentis diei conſecratis, olim communicaſſe populum, tradunt Mabillon, & Martene apud Benedictum XIV. *notif.* 18. *tom.* 2., qui ex Pouget *Inſtit. Cath. tom.* 1. *pag.* 840. eamdem conſuetudinem apud clerum nonnullarum Eccleſiarum adhuc reliquam eſſe aſſerit. Equidem modo nos non adeo tenet otii, ut illa curioſe rimari velimus, hinc incunctanter ſequens (erit cap. 4., in ord. 57.) Decretum arripimus, in quo cum ſolis infirmis communio concedatur, utique ſani omnes ab eadem depelluntur: *In feria ſexta Paraſceves non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi infirmis*. S. R. Con. 19. Feb. 1622. Quantum ad præſens attinet, rem ſatis dirimit ſanctio illa, quæ licet Merato teſte *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 78. in regeſtis ſacræ Congregationis minime reperiatur, non continuo inter Apocrypha eſt rejicienda, cum fere ab omnibus producatur Auctoribus, a Merato ipſo digna cenſita ſit, quæ nihilominus referretur in ſuo Decretorum indice *n.* 187., & denique evulgata fuerit a Gavanto, qui cum Congregationis Sacrorum Rituum Conſultor peritiſſimus fuerit, eidem certe facit auctoritatis plurimum.

II. Verum ne ex Decreto quodammodo dubio quid certi videamur ſtatuere, quod exponendum ſuſcepimus, examinemus Decretum; & ex Rubricam Miſſalis inter Miſſam præcedentis feriæ quintæ poſitam, quam ſervari demandat: *Reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro infirmis*. Si itaque *pro infirmis*, utique non pro ſanis, non limitaſſet quippe Rubrica ad infirmos diſpoſitionem ſuam, ſi etiam ſanis integrum foret communicare. Servandum quoque edicit *uſum Romanæ Eccleſiæ*; & hunc abſtinuiſſe ab adminiſtranda Euchariſtia, teſtis eſt Emin. Petra in *Conſt.* 20. *Eugenii IV. num.* 11., & idipſum quoque teſtantur, quoquot nullam alias inhibitionem adminiſtrandæ Euchariſtiæ adeſſe ſentiunt, unde Diana *to.* 2. *tract.* 2. *reſ.* 45. prædictæ regularis abſtinentiæ in rationem producit, quod in diebus maximi mœroris priſcis temporibus haud uſus erat Euchariſtiæ diſtribuendæ, quod ex Albaſp. *de vet. ritib. lib.* 2. *obſerv.* 14. quoque tradit Gavantus *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 25. Confirmari id potaſt ex cap. *ſabbato* 13. de Conſecr. diſt. 3., ubi Innocentius Papa I. ait: *utique conſtat Apoſtolos biduo iſto* (veneris, & ſabbati ſancti) *& in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe*, & ideo ſubdit; *Traditio Eccleſiæ habet, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*, adde, aut adminiſtrari, quia quoad Euchariſtiam correlativa olim erant celebrari, & adminiſtrari.

III. Hunc vero eſſe Decreti ſenſum, excludendi ſcilicet ſanos a communione in prædicta feria ſexta, ejuſdem ſcopus manifeſte indicat, qui potiſſimum verſabatur in ablegando eorum abuſum, qui cum ſtudio quotidianæ communionis tenerentur, hanc neque prætermittebant in eadem Paraſceves feria. Quæ licet dumtaxat ſtatuta ſint de die Paraſceves, tu haud ambige, eadem extendere a feria V. jam celebrata Miſſa uſque ad Miſſam ſubſequentis ſabbati, quo toto tempore ut minimum perdurat mœſtitudo maxima ob mortem, & ſepulturam Domini, nec aliter expoſcit prædicta Rubrica miſſalis, quæ, ut dicebamus, particulas, quas reſervandas indicit, infirmorum beneficio deſtinat. Ceterum dignum, quod advertatur, eſt verbum *caveant*, quo Decretum utitur; deſignat enim, quod ab Ordinariis locorum ſummo ſtudio conandum eſt, ut in prædicta feria fideles a communione abſtineant, quod haud dubito, præſtandum item eſſe, ubi viget contraria conſuetudo, qualis Dicaſtillo teſte *diſ.* 4. *dub.* 2. *n.* 32. eſt Viennæ Auſtriæ, & Matriti in Parochia S. Martini, ſed non ita poſtea communionem inhibet, ut tolerari non poſſit contraria conſuetudo, ubi vix extirpari poteſt, aut nonniſi cum difficultate maxima.

IV. De ſabbato ſancto ſuccedit dicere, non quidem pro tempore præcedenti ſolemnem miſſam ejuſdem diei, in quo jam diximus haud licitam eſſe, ſed de tempore ſubſequenti, aut de communione intra eamdem Miſſam. Negativæ adhærent parti Gavantus *par.* 4. *tit.* 10. *num.* 38., & 46., Cotonius *lib.* 2. *controv.* 4. *num.* 174., Volpi *reſol.* 62. *num.* 2., Azorius *to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſ.* 3., & 4., Arnaudus *de opit. par.* 4. *tit.* 10. *num.* 29. Francolinus *de hor. can. cap.* 30. *num.* 12., Marchinus *de ſacram. ord. tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 8. *num.* 3., & denique Macrus *verb. communio*. Horum fundamenta ſunt. 1. Cap. *ſabbato* 13. de conſecr. diſt. 3., ubi dicitur, *biduo iſto* (veneris ſcilicet, & ſabbati ſancti) *Apoſtolos in mœrore fuiſſe, & ex traditione Eccleſiæ non celebrari*, quare ſicuti nos ipſi ex eo intulimus illicitam fidelium communionem in feria VI., quidni & in ſubſequenti ſabbato? II. quia laudata Miſſalis Rubrica, quæ ſolis infirmis reſervat particulas conſecratas, etiam de ſabbato ſancto procedit. III. Item conſuetudo univerſalis abſtinet a communicando populo. IV. Ratio dictat, abſtinendum eſſe a lætitia convivii durante mœrore Paſſionis Chriſti, & Apoſtolorum triſtitia; utriuſque autem repræſentatio durat uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis. V. Quia in Miſſa ejuſdem ſabbati omittitur *offertorium*, argumentum irrefragabile non adminiſtrandæ populis Euchariſtiæ, & præſertim, quia ſimiliter prætermittitur antiphona *communio*; illud enim cantabatur, dum a populo communicaturo offerebantur munera panis, & vini, & hæc, dum fiebat communio ejuſdem populi.

V. Verum communionem fidelibus in ſabbato ſancto intra Miſſam, & poſt Miſſam diſtribui poſſe ſentiunt Auctores longe plurimi, quorum brevitatis gratia ſolum meminiſſe liceat Clericati *de Euch. Sacram. deciſ.* 15., atque Merati *part.* 4. *tit.* 10. *num.* 57., qui præ ceteris rem plane enucleant. Rationes vero eſſe poſſunt, & primo quia inhibitiva Decreta loquuntur dumtaxat de feria ſexta Paraſceves. 2. quia Tridentinum *de ſacrif. Miſſæ ſeſſ.* 22. *cap.* 6. optat, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent. 3. Quoniam in miſſa prædicti ſabbati antiquitus nedum communicabant Sacerdos, & clerus, ſed etiam pueri, neophyti, & fideles omnes, ut manifeſte produnt, quæ habent Martene *lib.* 2. *de antiq. Eccl. ritib. cap.* 1. *art.* 16. *num.* 12., Ordo Romanus primus inter evulgatos a Mabillon *num.* 46., Sacramentarium Gelaſianum *lib.* 1. *cap.* 45., Grancolas *libr.* 2. *in Brev. Rom. cap.* 71., & Ordo Romanus Hittorpii. 4. Quia anticipatio in celebrando myſterio Reſurrectionis Dominicæ ſicuti concedit celebrationem Miſſæ in ſabbato ſancto, ita fidelium communionem intra, vel poſt eamdem Miſſam.

VI. Reliquum nunc eſt, eatur obviam contrariis argumentis, quorum ſolutioni ut facilior ſternatur via, nobis liceat excurrere Miſſam ejuſdem ſabbati, ritumque, quo celebrabatur, cum omnibus illis, quæ apud nos ſunt reliqua, ponderare. Miſſa igitur dicebatur poſt baptiſmum, nec cenſebatur ad officium ſabbati pertinere, ſed adventante magno Paſchatis die circa quartam noctis vigiliam, per quam ſolemniter peragebatur cum Evangelio de Reſurrectione ſecundum Matthæum, cantibus, & ſignis lætitiæ, illuminationibus, thurificationibus, campanarum ſtrepitu, aliiſque feſtivitatis & publicæ exultationis argumentis. Noctis officium juſtis pluribus de cauſis poſtmodum Eccleſia in ſabbato anticipandum eſſe cenſuit, ſed vix aliquid de veteris officii ritu immutavit, eaſdemque ſervavit preces, quaſi officium etiam hodie veſpertina recitaretur hora.

VII. Omittitur Introitus (qui ſemper omittebatur, quando Miſſa immediate ſubſequebatur officium) quoniam cum Miſſa illa celebraretur illico poſt baptiſmum, cœtus omnis in reditu a fontibus jam congregatus erat, quare neceſſe non erat Introitu, qui potiſſimum inſtitutus erat ad occupandos adſtantes, donec Sacerdos veniret ad altare, & univerſus populus foret adunatus. Ornamenta alba Altaris, Sacerdotis, & Miniſtrorum, *Gloria in excelſis* cum campanarum, & organorum ſtrepitu, omiſſio *Flectamus genua* ad orationem, & *Alleluja* ter ſolemniter decantatum poſt Epiſtolam, reliquiæ ſunt ſolemnitatis, & lætitiæ, quibus, ut dicebamus, celebrabatur præfata Miſſa, quæ non ad Quadrageſimam, ſed ad feſtum Paſchatis ſpectare cenſebatur. Sed cum hæc ita ſint, cur poſt *Alleluja* dicitur tractus, qui luctus ſignificat? Reponit Gavantus, quia gaudium paſchale nondum plenum erat, ſed ſolum, in ſpe proxima, quoniam etſi recoleretur Reſurrectio Chriſti, hæc tamen nondum erat peracta, cum teſte D. Thoma 3. *par. q.* 53. *art.* 2. Chriſtus reſurrexerit circa diluculum jam illuceſcente die.

VIII. In Collecta, Præfatione, & Communicantes dicitur *noctem*, quod Miſſa celebraretur de nocte. Collecta autem, uti & ſubſequens Epiſtola eſt ſuper noviter baptizatos, & his in illa deprecatur conſervatio adoptionis ſpiritus, & in hac advertuntur, ut ſicuti conſurrexerunt cum Chriſto, ita ſolum quærant, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Evangelium adhuc eſt de Reſurrectione Chriſti ſecundum Matthæum, qui primus Evangeliſtarum eſt, ſed ad illud non deferuntur luminaria, quia fides adhuc obſcura erat juxta Alcuinum, Grancolas vero, quia Eccleſia toto noctis officio ubertim illuſtrata erat. Poſt Evangelium non dicitur *Credo*, & in cauſam producit *Gavantus*, quia nondum Apoſtoli credebant Reſurrectionem Chriſti, diceret Beriendi *de oblat.* §. 4., quia nonniſi in feria ſexta Paraſceves in Eccleſia uſua erat intra Miſſam recitandi ſymbolum, & audivi, qui dicunt, id fuiſſe præſtitum, quia jam præcedenter fieret confeſſio fidei in adminiſtratione baptiſmi.

IX. Non dicitur Offertorium, & hujus omiſſionis ex Alcuino

cuino

Digitized by Google

omnino myſticam rationem refert Gavantus, quia nempe mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus ad ſepulchrum. Hinc dedocent alii, in hac Miſſa prætermitti ſolitas oblationes panis, & vini, ac conſequenter nullum in ea communicaſſe, quia juri communicandi adnexum erat onus offerendi. Quod ad communionem ſpectat, ſuo infra non carebit examine, contenti modo dicere, quod Miſſa iſta ſuis deſtituta non fuit oblationibus, & quidem etiam pro pueris, & cathecumenis recenter baptizatis, unde prior ſecreta Sacramentarii Gelaſiani: *Suſcipe, Domine, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum &c.* Pro Cathecumenis offerebant ſuſceptores, quorum duos, vel tres, & adhuc plures unicuique deſtinari ſolitos tradit Martene *lib.* 1. *de antiq. Eccl. ritib. cap.* 1. *art.* 16. *num.* 32., pro pueris vero parentes, quare Ordo Romanus primus inter evulgatos a Mabillon num. 46. *Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramenta corporis Chriſti: & omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas procedant, & parentes eorum offerant pro ipſis, & communicent omnes.*

X. Ex his Meratus eruit, probabile eſſe admodum, quod oblationes in Sabbato Sancto fierent ante Miſſam; cum enim ante Miſſam baptiſma conferretur, ſuſceptores occupati erant in exuendis, & induendis ſuis cathecumenis, aliiſque muniis exequendis, quapropter cum non poſſent apud ſe oblationes retinere, ut illas conſueto tempore ad altare deferrent, offerebant illas ante miſſam, in qua propterea non cantabatur Antiphona ad offerendum. In offertorio miſſam hanc item decurtatam fuiſſe aſſerit, quia cum multum temporis impenderetur in ſuſcipiendis oblationibus, & præcipue in Sabbato Sancto, in quo omnes, etiam pueri communicabant, neceſſum fuit anticipari oblationes ſecreto ante miſſam ad evitandam ejuſdem miſſæ prolixitatem, quia parvuli, qui jejuni, etiam a lacte, debebant communicare, difficillime ſe temperare poterant ab iteratis, & moleſtis vagitibus emittendis. Walfridus Strabo *de reb. Eccl. c.* 22. rationem aliam producit: *Cum vero credamus priſtis temporibus Patres Sanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paſchæ obſervamus.* Ferme eadem verba tenet Berno Abbas Augienſis *de reb. ad Miſſam ſpectantib.*, unde mens horum Auctorum eſt, antiquitus, dum offerebantur dona, & fiebant oblationes a populo, nihil recitari ſolere a cantoribus, & hanc veterem diſciplinam conſervatam fuiſſe in miſſa Sabbati Sancti.

XI. *Pacis oſculum non datur*, ait Rubrica, quam Gavantus in eo niti aſſerit, quia nondum Chriſtus dixerat Apoſtolis *Pax vobis*, ſed Grancolas nos edocet, reſervatum fuiſſe ad principium matutini, quod paulo poſt in eadem nocte de Paſchate dicebatur; quare Ordo Romanus Hittorpi pag. 55. *In ipſa nocte, matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniant, & mutua charitate ſe invicem oſculantes, dicant: ſurrexit Dominus.* Rubrica item *Agnus Dei* omitti mandat, & ſi Durando *c.* 85., atque Gavanto credimus, myſtica cauſa eſt, quia mulieres nondum credebant Chriſto Redemptori animarum ad tollenda peccata mundi, ſed fortaſſe ſatius ponderat laudatus Grancolas, dum in rationem producit, quod *Agnus Dei* eſt nova adjectio, facta ſcilicet a Sergio Papa, qui ſedebat anno 688.

XII. Antiphonam, quæ *communio*, & orationem, quæ *poſtcommunio* dicitur, omiſſioni itidem eadem Rubrica ſubjicit, ſed olim dici ſolitas, dubium quodvis amovet Sacramentarium Gelaſianum *lib.* 1. *c.* 15., quod poſtcommunionis meminit ſub hiſce verbis: *Præſta quæſumus &c., ut divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis innovemur, & moribus*; hinc autem rite Meratus infert, ſimiliter recitari ſolitam Antiphonam *communio*, quæ correlativa eſt ad orationem *poſtcommunio* dictam. Quam allucinentur illi, qui ex omiſſione prædictarum Antiphonæ, & orationis inferunt antiquum uſum non communicandi in hoc ſabbato, non eſt conemur oſtendere, cum ultra ea, quæ ſuperius dedimus agentes de offertorio, prædictæ orationis ea verba manifeſte comprobent: *Ut divino munere ſatiati &c.* Hac ſuper relector recolat Martene *lib.* 1. *de antiq. Eccl. ritib. cap.* 1. *art.* 16., Ordinem Romanum primum inter evulgatos a Mabillon *num.* 46., Sacramentarium Gelaſianum *lib.* 1. *cap.* 45., Grancolam *lib.* 2. *in brev. Rom. cap.* 71., & Ordinem Romanum Hittorpii *pag.* 55., & profecto fallor, ſi non mecum ſentiat, nedum Sacerdotem, & clerum, ſed etiam pueros, & neophytos, ac fideles omnes in prædicta conſueviſſe communicare miſſa. Sane adeo calida ſunt monumenta iſta, ut Meratus ipſe ſe coactum aſſerat ad deſerendam Gavanti ſententiam, quam ceteroquin pro viribus propugnare aſſolet, additque Benedictus XIV. Annot. 10. s. par. 1. num. 404. *Ma non ſuſſiſtendo, che in queſta meſſa del Sabbato Santo, oltre, i Cattecumeni, ed i fanciulli, che ſi battezzavano, gli altri aſtanti non riceveſſero la ſacra comunione dalle mani del celebrante, come ſi prova dal Sacramentario di S. Gelaſio &c.* Primum autem clero dabatur communio, deinde parvulis, poſtea Cathecumenis, & denique reliquis fidelibus, & quoad infantes ſugentes ubera, non porrigebatur illis Corpus Chriſti, ſed tantum ſanguis, qui cum cochleari ſumptus in eorum os infundebatur, deinde porrigebatur illis lac, & mel ordinarium, prius tamen benedictum. In calicem quoque ſanguinis, quem bibituri erant, conſuetudo fuit infundere lac, & mel, quod ſimul cum vino in ſacrificium offerebatur, dabaturque Neophytis, ut eos tamquam infantes deſignarent lacte, & melle nutriendos juxta illud Petri: *Quaſi modo geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite*; ſed cum id poſtmodum indecorum viſum fuerit, ſuppreſſum extitit, & tantummodo præmiſſum, lac, & mel prædictum ſuper altare offerri, & ſejunctim benedici, ſicuti diccbamus fieri de parvulis.

XIII. Remanet modo dicere, cur Antiphonam *communio*, & orationem *poſtcommunio* moderna Eccleſiæ diſciplina taceat, ſed earum loco Grancolas ſuffectas fuiſſe aſſerit veſperas, quæ gratiarum actio potius dicendæ ſunt, quam officium veſpertinum; quod & notat Ordo Romanus Hittorpii *pag.* 58. atque Meratus, & ante ipſum Gavantus *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 38. *lit.* o., & Durandus *l.* 6. *c.* 85. *n.* 7. Haud tamen ego refragarer admodum, ſi quis diceret, difformem olim fuiſſe Eccleſiarum uſum, ita ut alicubi dicerentur communio, & poſtcommunio prædictæ, alibi vero memoratæ veſperæ, quæ cum recitarentur poſt mediam noctem, & quando nimis etiam tarda erat hora pro recitandis nocturnis matutini, etſi deſervirent etiam pro primis veſperis Paſcharis, adhuc veſperarum nomine recte appellari non poterant, ſed magis ut ſupra gratiarum actio; hinc non deſunt antiqua Breviaria Monaſtica, & aliarum Eccleſiarum apud Grancolam, quæ pridie Paſchatis habent alias primas veſperas cum Antiphonis, pſalmis, hymno, & precibus, quæ feſti ſolemnitati congruebant. Variata poſtmodum Eccleſiæ diſciplina, cum miſſa anticipata fuerit in ſabbato, tunc præcipue juxta locorum varietatem reſecatæ fuerunt vel præfatæ communio, & poſtcommunio, vel primæ ſolemnes veſperæ, & prædictæ breves veſperæ, quæ etiamnunc apud nos ſunt reliquæ, communiter receptæ fuerunt, & deſerviunt pro primis veſperis Paſchatis, & pro præfatis Antiphona, & oratione *communio*, & *poſtcommunio* dictis. Anticipatio miſſæ ſecum traxit communionem cleri, & populi, cujus præxis etſi modo ferme defierit, nihil tamen vetat, adhuc reſtitui, innovari, vel haberi, ut magis dicemus contraria diſſolventes argumenta.

XIV. Ad primum itaque dicimus, cap. *Sabbato* quod præcipue vetat celebrationem miſſæ, pro Sabbato Sancto ample derogatum eſſe; cum in eo poſtmodum celebratio miſſæ introducta fuerit, adeoque derogatum item eſſe quoad communionem, quæ adnexa eſt celebrationi miſſæ; par autem non eſt ratio de feria ſexta Paraſceves, in qua ſicuti adhuc juxta modernam Eccleſiæ diſciplinam non licet celebratio miſſæ, ita neque fidelium communio.

XV. Ad 2. laudatam quidem Rubricam olim comprehendiſſe etiam totum Sabbatum, & adhuc hoc comprehendere uſque ad miſſam, ſed poſtquam in eo miſſa anticipata fuit, non amplius comprehendere miſſæ tempus, aut ſubſequens ad miſſam ipſam, & maxime quia tunc non deſunt particulæ in eadem miſſa conſecratæ, quibus paſcantur fideles, licet nihil vetet, eos etiam paſci particulis illis, quæ ſuperfuerunt infirmis.

XVI. Ad 3. conſuetudinem quidem communicandi in Sabbato Sancto modo fere deſiiſſe, ſed ab Auctoribus referri loca plurima in quibus viget. Ceterum quod adhuc juxta modernam Eccleſiæ diſciplinam olim communicaverint fideles, & modo etiam communicare valeant, dubium quodvis removet oratio, quæ poſt præfatas veſperas eſt dici præſcripta. Habet enim: *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes*; in facultativis autem non uſus non nocet, & conſuetudo negativa non præjudicat, ut rite ponderat Cardin. de Luca *de præm. diſc.* 30. *nu.* 7., quare nedum ubi conſuetudo communicandi viget, retineri poteſt, ſed etiam, ubi deſiit, poteſt tuto invehi, atque ſervari.

XVII. Ad 4. tempus proprium lætitiæ, & convivii paſchalis eſſe in Dominica Reſurrectionis, ſed cum nihilominus Eccleſia præveniendum crediderit in officio tempus lætitiæ paſchalis ad miſſam, quam propterea lætanter peragit ſolutis doloribus mortis, & ſepulturæ Chriſti, præveniri item poſſe accipiendo dona, quæ dantur tempore ipſius lætitiæ.

XVIII. Ad 5. jam ubertim patet ex ſuperius dictis, quare adnotare pergimus, quod cum ad miſſam intret paſchale gaudium, ceſſet triſtitia mortis, & ſepulturæ Chriſti, nedum intra miſſam, ſed etiam poſt ipſam fideles communicari poſſunt cum particulis in eadem miſſa conſecratis, vel cum illis, quæ cum pro infirmis reſervatæ eſſent, ad eorumdem communionem non deſervierunt. Potior difficultas urget de miſſæ tempore ante conſecrationem, & cum tunc nondum habeantur particulæ in miſſa conſecratæ, fidelium communionem inhibere videtur laudata Rubrica, quæ particulas feriæ V. in cœna Domini ita *pro infirmis* reſervari jubet, ut hinc præſens Decretum inferat, cum iiſdem non poſſe ſanos refici. Verum quoniam Decretum ſe ſatis explicat, reſtringitque Rubricam ad feriam ſextam Paraſceves (id intellige, uſquedum durat mœſtitudo mortis, & ſepulturæ Chriſti, quæ ea evenere die) ego crederem eo miſſæ tempore, in quo juxta modernam diſciplinam ſolvitur mœſtitudo prædicta, & intrat paſchale gaudium, communionem populi tolerari poſſe cum particulis, quæ ut ſupra infirmis ſuperfuere, præſertim in numeroſis Parochiis, ad quas frequentes conveniunt fideles pro communione paſchali.

DE-

DECRETUM V. CAPITIS, IN ORDINE LVIII.

Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt miſſam decantatam non poſſint ſucceſſive aliæ duæ miſſæ celebrari, nec communio exhiberi Euchariſtica fidelibus depoſcentibus ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus. S. R. C. 23. Martii 1686. *in Senen.*

I. PRæceptum, cujus ſanctio meminit, *in Piſaur.* die 20. Aprilis 1641. a S. R. C. ſub his prodiit terminis: *In nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam miſſam nullo modo poſſunt aliæ duæ immediate celebrari, nec fideles communicari.* Super hoc Decreto nonnulli Regulares ſupplicarunt audiri, ſed nihilominus Congregatio ſtetit in deciſis, & iterum reſpondendum cenſuit: *Prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & communionem depoſcentibus.* Die 7. Dec. 1641. & iterum 15. Sept. 1668. *In Janu.* At cum varia ſint Regularium Ordinum privilegia, nec deſint ex Religionibus, quæ in privilegiorum revocationibus, vel reſtrictionibus non intelliguntur comprehendi, niſi ſint ſpeciali mentione expreſſæ, ad rem penitus definiendam præſens Decretum neceſſarium extitit, quod cum præcedentia inhibitiva Decreta ligare declaret omnes omnino Regulares Ordines, etiam ſpeciali mentione nominandos, dubium amplius eſſe non poteſt, quod modo nullus Regularis Ordo poſt decantatam primam miſſam procedere valet ad celebrationem aliarum duarum, vel alterius, aut ad communicandos fideles in prædicta nocte.

II. Cum de miſſa agere hujus loci non ſit, extemplo arripimus communionem, quam nedum poſt miſſam prohiberi dicimus, ſed etiam illam, quæ fieret intra miſſam, vel ante miſſam; etſi namque præſens Decretum, & alterum 20. Apr. 1641. a petitione tracta fuerint ad exarandum *Poſt miſſam decantatam*, eorum ſenſum ſatis aperit Decretum 7. Decembr. 1741., dum abſolute ſtatuit: *Prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & communionem depoſcentibus.* Verum alienis probationibus non indiget præſens ſanctio, quia licet primitus quidem ponat *poſt miſſam decantatam*, ſe tamen poſtmodum ubertim declarat per ea verba: *ſed expectandum eſt, ut illuceſcat aurora pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus:* ex his enim aperte conſtat, quod nocturno tempore nullatenus fidelibus diſtribui poteſt Sacra Synaxis.

III. Quod habet Benedictus XIV. *Annot. tom. 2. par. 4. ſeſſ. 2. nu.* 164. nobis liceat addere: *Nella Baſilica Vaticana, ove ſiamo ſtati Canonico molti anni, nella meſſa della notte del Natale ricevono la communione dalle mani del celebrante, che la canta ſolennemente, non ſolo il Diacono, ed il Suddiacono, ma ancora tutti gli altri Canonici, e Beneficiati, e tutti gli altri del clero, che non ſono Sacerdoti. Ma eſſendovi i Decreti della Sacra Congregazione de' Riti, che celebrata la prima meſſa nella notte del Natale, non ſi poſſano celebrare le altre due, nè ſi poſſano communicare gli aſtanti per li gravi inconvenienti, che andavano ſuccedendo, deeſi ai predetti Decreti obedire.* Digna eſt, quæ advertatur, particula *ma eſſendovi*, cujus vis cum ſit adverſativa, ubertim denotat, quod nedum poſt miſſam, ſed etiam intra miſſam fidelium communio manet inhibita per laudata Decreta, ad quæ conſonans ſub Clemente XI. pro Alma urbe die 18. Decemb. 1702. ſequens prodiit edictum, quod ſi Merato credimus *par. 4. tit. 3. nu.* 13., ſingulis annis per Cardinalem Vicarium in privilegio Nativitatis Dominicæ innovatur mediis ſchedis ad omnes urbis Eccleſias tranſmiſſis: *Cum in nocte Nativitatis Domini non ſit adminiſtranda fidelibus Euchariſtia, nec poſt primam miſſam celebrandæ ſint aliæ duæ, nam hoc eſt contra Rubricam miſſalis Romani, & contra repetita Decreta S. R. C. emanata 7. Decemb.* 1641., *& 9. Auguſti* 1653., *ac in Piſauren.* 20. *Aprilis* 1664., *ideo etiam in Alma urbe idem inviolabiliter ſervetur.* Nota to *cum in nocte*, ut inde inferas, communionem fidelium, ſupra quam cadit, vigore Decretorum cenſeri inhibitam, non ſolum extra, ſed etiam intra miſſam in dicta nocte.

IV. Generalis alia univerſim lex ponitur, nimirum quod *nocturno tempore non poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum*; ubi dictio *maxime* vel abundat, & tunc perinde eſt, ac ſi in diſpoſitione non haberetur, ſive ſtat taxative pro dictione *Tantum*, quemadmodum non ſemel in legibus uſitari docet Barboſa *diſt.* 197. Senſus itaque eſt, quod nocturno tempore non poſſunt excipi confeſſiones mulierum, non autem, quod inhibitæ item ſint confeſſiones virorum, quemadmodum abunde eruitur ex iis, quæ ſubdit Decretum ipſum: *Sed expectandum eſt, ut illuceſcat aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus.* Sole enim clarius apparet, quod diſpoſitio lucem Auroræ poſtulat dumtaxat pro excipiendis confeſſionibus mulierum, quarum tantum meminit, pro viris vero, & mulieribus tantummodo quoad communionem, *Quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus*, & reapſe neque plus expoſcit ratio, quia a confeſſione virorum, maxime adultorum, omnis abeſt occaſio ſcandali, non ſic a confeſſione mulierum, quarum conſortium ſemper eſt periculoſum. *Cap. Definimus 18. quæſt. 21 cap. mulieres 2. de Judiciis in 6.* Quantum ad communionem autem inter alias ea ratio militat communis etiam viris, quod vix alias ſatis occurri poteſt collectioni fragmentorum pro omni caſu, qui in diſtributione Euchariſtiæ poteſt accidere.

V. Non aliter pleræque cavent particulares Synodi, quæ ut plurimum mulierum confeſſiones ante ſolis ortum, & poſt occaſum excipi diſtricte prohibent, & quidem in reſpectivis locis ſervandæ ſunt, ſed ubi deſint ejuſmodi municipales leges, volo, advertas, quod Sacra Congregatio contenta eſt, quod *illuceſcat aurora*; tunc autem dicitur ad rem ſatis illuceſcere; non quando prima lux per terram diffundi incipit, ſed quando ita diffuſa eſt, ut objecta facile diſcerni valeant. Si dixeris id præſtari item poſſe, ubi particulares Synodi ortum expoſcunt Solem, ego non refragabor admodum, a D. Thoma 3. *par. qu.* 53. *art.* 2. edoctus, quod quando aurora apparere incipit, quodammodo dicitur Sol ortus, in quantum apparet claritas radiorum ejus. Proportionaliter loquere de occaſu ſolis quoad non excipiendas confeſſiones mulierum; quantum enim ad communionem etſi expreſſa non habeatur inhibitio pro tempore pomeridiano, & ideo plures Auctores doceant, etiam poſt meridiem fieri poſſe a fidelibus, dummodo jejuni ſint, nos credimus, pro fidelibus utriuſque ſexus eam militare legem, quæ, & prout Sacerdotibus poſt meridiem celebrare vetat, quemadmodum iidem fideles communiter cenſentur adſtringi pro non communicando bis in die illa Sacerdotum lege, quæ hos a bina celebratione prohibet.

DECRETUM VI. CAP. IN ORDINE LIX.

In Miſſis Defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non miniſtretur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum ſacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur communio cum particulis intra eandem miſſam conſecratis S. R. C. 2. Sept. 1741.

I. FIdelium communionem in miſſis defunctorum admittit Caſtaldus *lib. 2. cap.* 34. *nu.* 8. rejicit Gavantus *part. 2. tit. 10. lit. n.*, Abbas Benvenuti diſtinguit, & illam concedit cum particulis in eadem miſſa conſecratis, & negat ex præconſecratis, ſed noviſſime inſurrexit Meratus, qui contra morem Gavantum deſerens, & Benvenuti diſtinctionem tamquam novam rejiciens, prædictam communionem declarat licitam, ſive fiat ex particulis in eodem Sacrificio conſecratis, aut ex præconſecratis, & Merati opinionem adoptat Benedictus XIV. *Annot. tom. 2. part. 4. ſect. 2. n.* 161. Quoad particulas in eadem miſſa conſecratas, nititur primo in Concilio Trident. quod *ſeſſ. 22. cap. 6.* generaliter ſe optare declarat, *ut in ſingulis miſſis*, adeoque etiam in iis Defunctorum, *fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione, & non ſolum ſpirituali affectu communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior proveniret.* 2. Quoniam etiam in Defunctorum miſſis dicitur Antiphona *communio*, & oratio *poſtcommunio*; illa vero cantabatur, quando fideles communicabant, hæc completa fidelium communione. 3. In iis verbis canonis: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacroſanctum Filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus &c. Hæc commixtio, & conſecratio fiat nobis accipientibus in vitam æternam &c.* 4. Denique in Rubrica ſub Pontificatu Urbani VIII. in Miſſale Defunctorum invecta. *Si qui ſunt communicandi, eos communicat, antequam ſe purificet.*

II. Qui in oppoſitum ſentiunt, hæc producunt argumenta. 1. Propoſito dubio S. R. C. *An in Miſſis de Requiem ſacram liceat diſtribuere Euchariſtiam*, eadem Congreg. 22. Junii 1701. reſpondit *negative*. 2. Quod in Miſſis Defunctorum antiquitus non adminiſtraretur Sacra Synaxis, unde Guilelmus Abbas loci vulgo Hirſaug *vet. diſcipl. Monaſ. fol.* 457. ſcribit: *Si miſſas defunctorum cantat, nemo, niſi ipſe ſolus communicat.* 3. Quia in miſſis Defunctorum licita non eſt benedictio in fine Miſſæ, quare communicati abſque benedictione ulla deberent dimitti. Ad hæc reponit Meratus *part. 2. tit. 10. nu.* 28. & ad primum, quod quidem præfatum prodiit Decretum; ſed cum ob rationes validas ab eadem Congregatione 21. Martii 1711. ſuſpenſum fuerit, atque inhibitum, ejuſdem copiam extra dari, non eſſe attendendum, & maxime cum in Urbe ipſa Romæ non fuerit uſu receptum. Ad 2. ita quidem, ſed non præciſe, quia eſſent miſſæ defunctorum, ſed quia tales miſſæ erant privatæ, uti diſerte eruitur ex canone 4. Concilii Vaſenſis anni 529. in privatis autem miſſis, ſive vivorum forent, vel mortuorum, non adminiſtrabatur Euchariſtia, ſed in ſolis ſacris ſolemnibus, ſicuti ex Albaſp. *de vet. ritib. lib. 1. obſerv.* 17. notat Gavantus *part. 2. tit. 10. nu. 4. lit. i.* At cum modo vetus diſciplina deſierit, & nova ſucceſſerit, quæ indiſcriminatim in miſſis omnibus, ne quidem excluſis iis defunctorum, admittit fidelium communionem, quemadmodum ſuperius tradita ubertim evincunt, dubitandum nullatenus eſt ſuper licita fidelium communione in miſſis de Requiem. Ad 3. Carentiam benedictionis in fine miſſæ non officere communioni fidelium, qui media Euchariſtia recipiunt benedictionum omnium fontem ipſum, & auctorem.

III. Hæc

III. Hæc plurima quidem ſunt, & adeo validis innixa rationibus, ut recedendo a deciſis per S. Congregationem probata fuerint, quæ propterea in præſenti Decreto in Defunctorum miſſis probat fidelium communionem ex particulis in eadem miſſa conſecratis. Momenta promamus modo, quibus idem Auctor utitur ad probandam communionem item licitam ex particulis præconſecratis, & ex tabernaculo extractis. Sunt autem primo. Quia argumenta cuncta, quibus comprobatur licita adminiſtratio Euchariſtiæ intra Defunctorum miſſam, loquuntur generaliter, non limitate de ſolis particulis in eadem miſſa conſecratis. 2. Quoniam ſi ut ſupra limitate accipienda forent, idipſum eſſet de miſſis vivorum, in quibus tamen nullus Auctor edocet Euchariſtiam diſtribui non poſſe cum particulis præconſecratis. 3. Quia differentia illa, quam nonnulli faciunt particulas in eadem miſſa conſecratas inter & præconſecratas, quod nempe communio cum illis facta, eſt participatio ſacrificii, non ſic facta cum præconſecratis, ex eo nulla noſcitur, quod fideles ſacrificio aſtantes vere dici non poſſunt ſacrificantes, ſed magis participes de altari, ſeu victima oblata, unde in illa canonis oratione *ſupplices te rogamus*, quam Sacerdos peracta conſecratione recitat, dicitur: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur.* 4. Nam Tridentinum *loc. cit.* optat fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicent, *ut ad eos fructus uberior proveniat*; fructus autem, qui ex perceptione Euchariſtiæ derivat, idem omnino eſt, ſive communio fiat cum particulis in eadem miſſa conſecratis, vel præconſecratis, & in pyxide contentis.

IV. Sacra tamen Rituum Congregatio ſatis diſcrimen indicat, dum adminiſtrationem Euchariſtiæ ex particulis præconſecratis, adminiſtrationem nuncupat *per modum Sacramenti*, eam vero, quæ fit ex conſecratis in eadem miſſa, *per modum Sacrificii*. Quæ fit ex præconſecratis, eſt per modum Sacramenti, quia nullatenus ſpectat ad ſacrificium miſſæ, quæ celebratur, ſed perinde ſe habet, ac adminiſtratio, quæ fit extra miſſam, quare cum hæc adminiſtratio juxta Rituale Romanum fieri non poſſit, neque congruat in paramentis nigris, ſed fieri debeat in colore convenienti officio, idcirco rite deciſum extitit, eamdem haberi non poſſe intra Defunctorum miſſam, non quidem univerſim, ſed *quæ celebratur in paramentis nigris*, ut hinc ediſcas, quod ſi forte celebretur in violaceis, non eſt, quod vetet eamdem adminiſtrationem fieri nedum intra, ſed etiam immediate ante, vel poſt mortualem miſſam. Quæ ex eo libentius dedimus, quia etſi proceſſioni SS. Sacramenti aſſignatus ſit color albus, adhuc ab Inſtructione Romana facienda decernitur in colore miſſæ, quæ immediate antea celebrata extitit, quæcumque miſſa, etiam votiva, & ſub quocumque vivorum colore, licet violaceo, celebrata fuerit; hinc autem habes, ad quos trahas limites laudatam Ritualis Rubricam, ita ut Euchariſtia ſemper adminiſtrari debeat in colore, qui officio congruit, dummodo adminiſtratio non fiat intra, vel immediate ante, aut poſt miſſam, aliamve functionem ſacram, in qua adhibeatur vivorum color alter.

V. Hinc deprehenditur errare Baruffaldum, atque Meratum, dum hic *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 31. pronunciat pro libertate coloris albi, vel convenientis officio, ille vero *tit.* 24. *num.* 25. determinate pro colore albo, exponitque prædictam Ritualis Rubricam de caſu communionis intra miſſam; nimis enim præciſa eſt Rubrica, quæ exigit colorem officio convenientem, ut extorqueri rite valeat ad colorem album pro caſu communionis extra occaſionem miſſæ, aliæve functionis ſacræ, de qua ſolo ipſa procedit, cum Sacerdotem induat ſuperpelliceo, & ſtola, eumque ad altare faciat incedere ſolius Euchariſtiæ adminiſtrandæ gratia.

VI. Communionem autem ex particulis in eadem miſſa conſecratis adminiſtrationem Euchariſtiæ *per modum Sacrificii* Congregatio rite nuncupat, inſimulque Meratum carpit, cujus primum propterea argumentum negamus liquido: Tridentino enim loquitur de fidelibus miſſæ aſtantibus, eoſque quidem optat, ut communicent, quoad eos uberior Sacrificii, non quod jam peractum fuit, ſed cui ipſi aſſiſtunt, & ſuo modo concurrunt, fructus deveniat. Antiphona *Communio*, & ſubſequens oratio *Poſtcommunio* dicebantur olim communicante populo ex particulis in eadem miſſa conſecratis, & dubium non eſt, quod etiamnunc reſpiciunt populum ſic communicantem, ſi attendantur verba, ex quibus conſtant Poſtcommuniones pluriinæ. Particula *hac* ſatis deſignat participationem Sacrificii, quod in miſſa agitur, ut non mirari non poſſim, quomodo Meratus verba illa Canonis *ut quotquot ex hac altaris participatione &c.*, *Hæc communio, &c.*, trahere unquam potuerit ad communionem ex particulis præconſecratis. Rubrica autem Miſſalis admittit quidem communionem, nec diſtinguit, ſed ex loco, in quo eſt poſita, poſt communionem ſcilicet Sacerdotis, fallor, ſi non idipſum inferas. Jam vides itaque, quod quæ producta ut ſupra ſunt pro communione in Defunctorum miſſis, duntaxat militant de particulis ſpectantibus ad idem, & non ad alterum Sacrificium.

VII. Ad 2. de miſſis vivorum, & defunctorum diſpar admodum apparet ratio, nam in illis ſemper adminiſtratur ſub colore vivorum, ubi in his adminiſtraretur ſub colore nigro, qui tamquam mortis proprius, & defunctis attributus, minus Chriſto convenit ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſub quibus latet glorioſus. Ad 3. dicimus adſtantes ſuo modo concurrere ad Sacrificium, uti præ cæteris denotant frequentia illa verba Canonis *Offerimus*; quæ autem ex Canone in oppoſitum adducuntur, jam advertimus importare participationem ejuſdem Sacrificii. Ad 4. quidquid ſit de æquali fructu communionis habitæ ex particulis tunc conſecratis, vel præconſecratis jam diximus Tridentinum loqui de uberiori fructu Sacrificii, quod agitur; uberior autem eſt relate ad fructum ex communione duntaxat habitum ſpirituali affectu, ad quem reſpective ille uberior dicitur.

VIII. Num communio cum particulis conſecratis in eadem Miſſa, adſtantibus præberi valeat in fine Miſſæ defunctorum, quæ celebrata fuit in paramentis nigris, inſurgit quæſtio, quam nos ex eo affirmative dirimendam ducimus, quod adhuc eſt per modum Sacrificii, in cujus ratione conſtituitur, non quia fiat intra Miſſam poſt communionem Sacerdotis, ſed quia fit ex particulis ad idem Sacrificium ſpectantibus, quare etſi reapſe eamdem fieri congruat poſt communionem Sacerdotis, tamquam in propriori loco, ſi tamen adſit rationabilis cauſa aliqua eam protrahendi ad finem Miſſæ, optime fieri poterit, nec Sacerdos exuet paramenta nigra, in quibus ſicuti Sacerdos ipſa communicavit, ita in iiſdem communionem fidelibus præbere poteſt, qui ſuo modo ad idem concurrunt Sacrificium.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE LX.

Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur ſacra Euchariſtia clericis, vel laicis, reliqui de clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maii 1741. *in Catanien.*

I. QUod intra Miſſam primis Eccleſiæ ſæculis fideles communicare ſolerent, non eſt, quod vocetur in dubium, cum id edoceant fere innumera antiquitatis monumenta, & intra Miſſam adhuc reliqua teſtis ſit antiphona *Communio*, quæ cantabatur, dum poſt Sacerdotis communionem communicabat populus. Ex ordine Romano III. n. 15. diſcimus, & refert etiam Card. Thomaſius *antiq. lib. Miſſ. præf.*, quod cantabatur intercalari cantu, cum ejuſdem ſcilicet repetitione poſt quemlibet verſum pſalmi, ex quo erat deprompta, & verſus communionis finem cantabat chorus verſum *Gloria Patri*, poſt quem, repetita antiphona, ſubdebat celebrans orationem ad complendum, quæ in noſtris Miſſalibus *Poſtcommunio* reperitur dicta, *quia poſt communionem ſive in ſignum, quod communicatio expleta eſt, concinitur*, ait Durandus *lib.* 4. *cap.* 56.

II. An ita intra Miſſam communicarent, ut numquam communio fieret poſt Miſſam, aut extra Sacrificii actionem, credit Morinus *de Pœn. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 2., qui conſuetudinem communicandi poſt, vel extra Miſſam a Mendicantibus Ordinibus primum cenſet invectam; Cardinalis vero Bona *Rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 6., cumprimum permittere Eccleſia cœpit, ut fideles accepta myſteria domum deferrent. Berlendi *de oblationib.* §. 4. antiquitatem prædicti ritus repetit a primis Eccleſiæ ſæculis, & ſatis valido hoc argumento utitur, D. Hieronymus *tum epiſt.* 28. *ad Licinium*, *tum* 50. *ad Pammachium* indubiam reddit fidem ſuper conſuetudine, quæ vigebat Romæ accipiendi quotidie Chriſti corpus, ſed ex Socrate *hiſt. lib.* 5. *cap.* 21. Romæ diebus Sabbatis divina non fiebant myſteria, quinimmo nec in feriis quintis ante Gregorium II. teſte Bocquillot *Traité hiſt. de la Meſſ. lib.* 2. *c.* 3., & fortaſſe neque in feriis ſextis, ut nonnulli eruunt ex epiſtola Innocentii I. ad Decentium; ergo neceſſe eſt, quod Romæ communicarent fideles etiam extra Sacrificii actionem. Ex Patre Mabillon *Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 26. prædicti iſtitum uſus ad S. Cyrilli refert tempora Benedictus XIV. *Annot. to.* 2. *par.* 4. *ſect.* 2. *num.* 165., cum enim ad Hieroſolymitanam Eccleſiam prope innumerus conflueret peregrinorum numerus, qui communicare volebant, & ſemper in promptu non haberetur Miſſa, ſatius exiſtimatum extitit extra Miſſam eorumdem votis ſatisfacere, quam eos incommunicatos dimittere, aut in caſu Miſſæ eoſdem ad ſacram admittere menſam in fine Miſſæ, ne adſtantibus reliquis, qui expectant Miſſæ finem, ut ad proprias divertant curas, ingeneraretur tædium.

III. Verum ſi conſuetudo ejuſmodi a Mendicantibus Ordinibus non fuit primum invecta; certe reſtituta creditur, cum enim ſacra communio negligeretur adeo, ut ne in deſuetudinem abiret omnimodam, Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. eamdem ſaltem ſemel in anno indicendam putaverit, ſolerti opera Mendicantium Ordinum brevi adeo a fidelibus frequentari cœpit, ut allegatis de cauſis neceſſe fuerit innovare ritum communionis in fine Miſſæ, aut extra Sacrificii actionem. Quæ conſuetudo quantum ad communionem extra Sacrificii actionem, utpote quæ conſulit fidelium commodis, qui alias vel ob deficientiam Sacrificantium, aut quia adeo expectare non poſſunt a domeſticis alio vocati curis, non ſemel incommunicati recederent, cum a Rituali Romano expreſſe approbata fuerit, tum tit. *de ord. miniſtr. Sacr. commun.*, ubi exaratus habetur ritus illam adminiſtrandi extra Miſſam, tum tit. *de Euch. Sacram.*, ubi de Parocho dicitur: *curare porro debet, ut perpetuo aliquæ particulæ conſecratæ eo numero, qui uſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſſint, conſerventur in pyxide*, profecto fallor, ſi quis ſit, qui eam in ſolido non arbitretur ſtatu.

IV. Non diſſimiliter eſt de communione in fine Miſſæ, pro qua communiter Auctores hanc probant regulam, ut omnino facienda illa ſit intra Miſſam poſt communionem Sacerdotis; & duntaxat differenda ad finem Miſſæ, quando habetur rationabilis cauſa aliqua. Et quidem quod facienda ſit intra Miſſam,

ſam : quid nunquam clarius haberi poteſt Rubrica Miſſalis Romani: *Sumit*, ſcilicet celebrans, *totum ſanguinem cum particula, quo ſumpto, ſi qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet?* Concordat Rituale Romanum *tit. de ord. miniſtr. Sacr. commun.*, ubi & rationem inſinuat: *Communio autem populi intra Miſſam, ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda) cum orationes, quæ poſt communionem in Miſſa dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent.*

V. In rationabilem cauſam, quam Rituale poſtulat ad differendam communionem ad Miſſæ finem, Auctores unice aſſignant tædium expectantium finem Miſſæ, quod cum dumtaxat evenire valeat, quando multi communicant, non quando pauci, aut unus, vel alter idcirco intra Miſſam facienda erit communio, & ſolum ut ſupra differenda, quando ob multitudinem communicantium ingenerari poſſet tædium in adſtantibus. Baruffaldus *tit. 24. n. 81.* addit caſum alterum, quando nempe parata non ſunt omnia, quæ ad Euchariſtiæ diſtributionem pertinent, ego vero excuſandum crederem Sacerdotem illum, qui ad finem Miſſæ differt fidelium communionem, quando hanc adminiſtrat ex particulis præconſecratis; quia orationes, quæ *Secretæ*, & *Poſtcommuniones* dicuntur, ſi excogitentur ſerio, ad communicantes per modum Sacrificii, & non per modum Sacramenti pertinere noſcuntur. Abſit tamen ut ſupra differre conſulam, quia etſi prædictæ orationes reapſe attineant ad communicantes per modum Sacrificii, adaptari facile etiam poſſunt ad communicantes per modum Sacramenti, hique earumdem fructu reddi participes.

VI. Ad Decretum quod attinet, hoc eos de choro ſtare jubet, & numquam ſedere, dum intra Miſſam ſolemnem ſacra adminiſtratur Euchariſtia; & id conſonanter ad cæremoniale Epiſc., quod *lib. 2. cap. 23.* in pari ferme caſu, de SS. nempe Sacramento expoſito, in hunc modum diſponit: *conveniens, eſſet, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Epiſcopus, quam Canonici, & omnes præſentes, & in choro aſſiſtentes, ſemper, durante officio, ſtarent capite detecto, & numquam ſederent.* Nedum itaque ſtare debent, ſed inſuper ſtare capite detecto, & caput ſemper detectum habere debent, quando etiam ob longitudinem communionis ſtare non poſſent, ſicuti idem ſubdit cæremoniale: *quod ſi ob longitudinem officii præſtare non poterunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ detecto capite, exiſtente SS. Sacramento ſuper altare, divinis officiis aſſiſtere.*

VII. Quod igitur a cæremoniali ſtatutum eſt de caſu Sacramenti expoſiti, tu idipſum applica communionis caſui intra Miſſam ſolemnem, ad quodcumque altare fiat, quinimmo & cantatam, ſive conventualem, cui cum cantu aſſiſtat chorus; ſi vero Conventuali aſſiſtat Clerus ſine cantu, ut nonnullæ Religiones uſitant, quæ non incumbunt cantui, tunc Clerus non aſſiſtet ſtans, ſed genuflexus. Equidem ad altare, retro quod Chorus ſtatutus eſt, Miſſam privatam, aut fidelium communionem non decet fieri officiorum tempore, ſed ſi nihilominus fiat, Clerus ut ſupra ſtare debebit detecto capite, dum fit fidelium communio; ſecus vero, ſi fiat ad aliud altare, quia Chorus non tenetur advertere ad ea, quæ fiunt per Eccleſiam, bene vero ad divina officia, ad quæ ſpectat ſolemnis Miſſa, & ad ea, quæ fiunt circa Chorum, cujuſmodi eſt communio, quæ fit ad altare Chori, quæque apta haud eſt ſubterfugere Cleri advertentiam.

DECRETUM VIII. CAPITIS, IN ORDINE LXI.

Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem cotta indutum in Communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt S. R. C. 3. Sept. 1661. *in Andrien.*

I. N*Ec a Miniſtris ſub mento illorum, qui communicaturi ſunt, ſupponi debet patena, niſi quando Epiſcopus communionem miniſtrat, quod ſit ratione majeſtatis adminiſtrantis*, verba Macrii ſunt verb. *Patena*, ſed id fieri præſens ſanctio declarat licitum, etiam quando adminiſtratur ſolemniter ſacra Euchariſtia in communione generali per Dignitates, quæ vicem ſupplent, & Epiſcoporum officium. *In communione generali* ait Decretum, & per hæc verba nos ita ſuam diſpoſitionem limitare credimus, ut quidem, dum Dignitates ſolemniter celebrantes communioni generali incumbunt, liceat ſupponi patenam eorum mento, qui ſacram communionem ſuſcipiunt, ſecus vero extra prædictam occaſionem, etſi ſolemne ſacrum agant. Diſcedendum namque non eſt a communi Eccleſiæ ritu per cæremonialia præſcripto, niſi ſecus diſponant ſpecialia jura, aut privilegia indulgeant, unde nobis non arridet admodum ſententia Merati, qui *par. 2. tit. 10. num. 54.* in miſſa ſolemni patenæ ſuppoſitionem per hæc verba facit licitam: *vel etiam Diaconus patenam ſub mento communicandorum tenere poterit; experientia enim neceſſitatem ejuſmodi ritus evidenter probat, præſertim quando magnus eſt numerus communicandorum.* Nos enim non videmus ejuſmodi neceſſitatem, & aliunde aperte reſiſtit Rubrica Miſſalis, quæ ante communicandos linteum extendi mandat, & iiſdem Diaconum purificationem miniſtrare.

II. Quod linteum cum ante communicandos extendi item mandet tum Rubrica Miſſalis, tum Ritualis in communione extra ſolemnem Miſſam, cauſa eſt, ob quam non probemus ſententiam Quarti, qui *par. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. diffic. 4.* ait de Sacerdote: *ſupponat pyxidem, vel patenam, ne caſu aliquid ſpecierum cadat in terram*; & quidem, etſi fiat per Sacerdotem ipſum, non per Miniſtrum paratum, quod ſolemnitatem indicat. Uti namque dicebamus, Rubricæ linteum ſupponi mandant, & prædicto incommodo, atque periculo ſatis conſuluiſſe credunt, unde itaque nobis licitum eſſe poterit deſerto linteo adhibere patenam? Addo, quod per ſuppoſitionem pyxidis, aut patenæ periculum majus aliud facile incurri poteſt, & eſt, quod communicandorum halitus avolare faciat particulas in patena, vel pyxide contentas. Si dixeris hanc eſſe cauſam, ob quam Rubricæ præſcribunt uſum lintei, abſit, quod ego refrager, qui probe novi, ſuppoſitionem patenæ admitti in communione generali, quia tunc omne abeſt periculum, cum patena vacua ſit particulis.

III. *Accedens ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubjicias dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti, dicens, Amen*, inquit Cyrillus Hieroſ. *Myſtagog. ult.*, ſi nobis indicans, quod communicaturis tunc in parte manus concava dabatur Chriſti Corpus, quod poſtea ipſi proprio apponebant ori. An ritus ejuſmodi indiſtinctim ſervaretur erga fœminas viroſque, Auctores diſſident, & Benedictus XIV. *Annot. to. 2. par. 4. ſect. 1. nu.* 338. ſenſit pro ſolis viris, mulieribus vero datum fuiſſe in linteo nitido, quod *Dominicale* vocabatur, quod & edocent Gavantus *par. 2. tit. 10. num. 6. lit. e.*, atque Baronius *an. 57. n. 48.* Quatenus ſermo 52. de Temp., in quo habetur: *Omnes viri, quando ad altare acceſſuri ſunt, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ut Corpus Chriſti accipiant*, inter genuina Auguſtini opera recenſendus foret, noſmetipſos prædictis lubentes adderemus Auctoribus, ſed quoniam inter dubios rejectus, a nonnullis adſcribitur Cæſario Arelatenſi, qui e vivis exceſſit anno 544., ſua non caret probabilitate, quod etiam fœminæ in manibus ſuſceperint Chriſti Corpus uſque ad ſæculum ſextum, in quo id fœminis reperitur inhibitum per Concilium Antiſſiodorenſe de anno 578. can. 36. *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere*, quæ prohibitio inſequenti ſæculo per Concilium Rotomag. *c. 2. p.* 8. ad viros item extenſa legitur: *Nulli autem laico, aut fœminæ Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os ejus.*

IV. Quæ licet ita ſint, in orientali adhuc Eccleſia non continuo ritus iſte receptus fuit, quinimmo in Concilio Trullano anni 692. Euchariſtia in communicantium manibus poni mandatur, & Damaſcenus idipſum fieri ſupponit in ſæculo octavo, in quo priſci uſus reliquiam quamdam adhuc ſuperſtitem, & quidem etiam quoad fœminas, in latina ipſa Eccleſia, non obſcure ſuggerit Mabillon *to. 3. ſæcul. Bened.* in vita S. Odiliæ, ad quam anno 720. ad extremum vitæ deductam, cum ſacra Euchariſtia delata eſſet, ipſa ſe communicavit *propriis manibus eam accipiendo*. Extincta autem praxi ponendi ſacram Euchariſtiam in laicorum manibus, perduravit adhuc quoad Sacerdotes, & Diacanos, quare Ordo Romanus ſextus: *Presbyteri vero, & Diaconi oſculando Epiſcopum, Corpus Chriſti ab eo manibus accipiant*, ſed quando poſtea diſciplina ejuſmodi ceſſaverit, ne a me quæras.

V. Linteum, quo mulieres accipiebant Chriſti Corpus, *Dominicale* dictum fuiſſe præfati Auctores comprobant ex can. 42. laudati Concilii Antiſſiodorenſis: *ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale ſuum habeat: quod ſi qua non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet.* At cum Concilium *can. 36.* prohibeat, ne mulieres nuda manu Euchariſtiam ſuſcipiant, opus eſſe Meratus *par. 2. tit. 10. num. 23.* infert, Dominicale, cujus meminit *can. 42.*, ab eo linteolo, quo mulieres Sacramentum Dominicum accipiebant, fuiſſe omnino diſtinctum, alias Concilium unam eamdemque rem diverſis Canonibus imperaſſet, ubi utrumque Canonem hoc pacto copulare debuiſſet: *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere, ſed unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale ſuum habeat; quod ſi quæ non habuerit; uſque ad alium diem Dominicum non communicet.* Credit itaque Dominicale fuiſſe integumentum capitis, quo mulieres operiri debebant, cum accepturæ erant Euchariſtiam, ac conſequenter a Concilio duo hæc fuiſſe prohibita, ne ſcilicet mulieres nuda manu, neve aperto capite ad Euchariſtiam accederent. Sententiam hanc item tenet Boldettus *lib. 1. obſerv. in Cœmet. cap. 10.*, atque confirmat antiqui codicis lectio a Baluzio relata in notis ad Gratianum cauſa 33. quæſt. 5. cap. mulier; *ſi mulier communicans, Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem Dominicum non communicet.* Grancolas autem *de antiq. liturg. tom. 2. pag. 320.* utramque opinionem conciliare nititur, aſſerens, quod Dominicale erat velum album oblongum, quod pendebat ſub mentum, deſerviebatque mulieribus, & ad caput tegendum, & veluti mappa manibus apprehenſa ad Euchariſtiam recipiendam.

VI. Deſiit modo diſciplina accipiendi in linteo Corpus Chriſti, ſed perſtat integra quoad velum, quo in capite mulieres tectæ eſſe debent, quando ad ſacram menſam propinquant. Celebre eſt caput 11. Epiſt. 1. ad Corinthios, in quo Paulus totus eſt in præcipiendo mulieribus, ut velatæ ſint, præſertim in templo, & addit *propter Angelos*, quod ſi litteraliter accipiatur, non ſenſus eſt, quaſi illi corpus habeant, & ad libidinem incitentur, ut perperam ſenſerunt nonnulli, ſed quatenus mulieres in Eccleſia Angelos teſtes habent honeſti pudoris, aut impudentiæ, item obedientiæ, & inobedientiæ ſuæ. Præſtat expoſitio Clementis *lib. 2. hypotyp.*, qui Angelorum nomine accipit viros bonos, & ſanctos, aut Ambroſii, vel Thomæ Aquinatis,

qui

qui Sacerdotes, & Epiſcopos vetare ſtatuunt, ne ſcilicet eos mulieres non velatæ forma ſua ad libidinem provocent. Quod ſi ita eſt de fœminis intra Eccleſiam, multo utique magis de iiſdem, quæ ulterius procedunt ad Angelorum eſcam, tum ob maximam irreverentiam, quam irrogant puriſſimo intemeratæ virginis filio, tum propter periculum caſtitatis, cui exponunt Sacerdotes altaris Miniſtros, quorum oculis adeo e propinquo intra ſacroſancta ipſa myſteria pudorem ſuum quaſi venalem objiciunt.

VII. Hinc habes, quam merito Innocentius XI. apud Pitonellum *de Sacram. Euch. quæſt.* 2. *art.* 2. *num.* 10. Sacerdotibus diſtricte prohibuiſſe fertur, ne ſacram Euchariſtiam diſtribuant mulieribus geſtantibus, aut ſinum magna ex parte patentem, aut brachia denudata uſque ad medietatem, & ſolis cooperta chirothecis, neve iiſdem Sacramentalem abſolutionem impendant, ſi ſemel admonitæ non reſipiſcant. Clemens *lib.* 2. *Pædag. cap.* 10. in producta Pauli Epiſtola velamen etiam ejuſmodi præcipi putat, & dignus eſt, videatur Tertullianus lib. 6. de velandis virginibus, in cujus capite ſecundo non minus rite culpantur illæ, quæ tenui, & ſubtili velo utuntur, quod illud irritamentum magis ſit libidinis, quam tegumentum pudoris; *Quia illex eſt libidinis, & acuit curioſitatem proprius videndi ſubcandicantem ſub eo cutem.*

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE LXII.

In communione Monialium habentium feneſtrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet deſcendere per gradus anteriores, & non laterales altaris. S. C. R. 15. Sept. 1737. *in Toletana*:

I. MOniales cum perpetua clauſura teneantur, ſi altari ſiſtere nequeunt pro communione ſuſcipienda, & ideo circa altare e lateribus, vel alibi intra Eccleſiam feneſtrellam ſolent habere, per quam a Sacerdote cœleſtis pabuli redduntur participes. Admodum laudabiliter idipſum præſtant nonnullæ aliæ Religioſæ fœminæ, quæ licet clauſuræ addictæ non ſint, a mundi ſtrepitu vivunt ſecretæ, & certe optandum maxime foret, conſimilis ſervaretur uſus apud puellas, aliaſque fœminas in conſervatoriis incluſas, quæ dum hoc pacto e curioſis, & libidinoſis ſe hominum ſubtrahunt aſpectibus, haud ambigo, quod libentior ipſis appropinquet Deus, quam ſi eædem ſe Deo ſiſterent ad altare.

II. Generalem peccatorum confeſſionem medio *Confiteor* Monialium Chorus facere ſolet, & quæritur, an recte? Inficiantur communiter Auctores, tum Miſſalis, tum Ritualis Rubricis innixi, quæ cum miniſtro id muneris committunt, adeo privative id illi adjudicant, ut Meratus *par.* 2. *tit.* 10. *num.* 26. communicandos neque ſibi percutere poſſe pectus ad verba *mea culpa*, ſed id a ſolo miniſtro omnium nomine præſtari debere ſtatuat. Rigidiores, quam par ſit, nobis illi videntur Auctores, quibus præmonitionem præmittimus, quod confeſſio antiquitus a communicantibus legitur facta in Sacerdotali Romano anno 1588. Venetiis impreſſo: *& admoniti omnibus, quod ſe ſignent, faciat eos dicere* Confiteor, *ſicut in miſſa dicitur*, etiam nunc Rituale infirmis eamdem dicere, facit liberum: *Poſtea facta de more confeſſione generali, ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio*, ut hinc inferre ſciant, quod ſi etiam impræſentiarum a ſanis communicaturis fieret, non grande peccatum patraretur in Rubricam, quæ dum eam Miniſtro faciendam committit, ſed *communicantium nomine*, non obſcure indicat, etiam a communicantibus fieri poſſe, ſi probe eamdem ſciant facere, & dummodo abſit confuſio quæque, & diſſonantia vocum. Nos namque putamus, quod Miniſtro facienda commiſſa fuerit, quia non omnes eamdem ſciunt facere, vel ſi eam faciunt, eamdem aliqui trunce, & male pronunciant, vel celerius, aut tardius aliis cum diſſonantia, & confuſione: quæ cum abſint, dum ſolus infirmus communicat, idcirco eam facere, ejuſdem arbitrio relictum extitit, dummodo illam ſciat probe facere.

III. Hanc igitur regulam pro ſanis communicaturis approbari poſſe credimus, ut ſi unus, vel alter, qui rite confeſſionem ſciant facere, dumtaxat communicant, per ſeipſos eamdem facere valeant, ſecus, ſi plurimi, a quibus vix abeſſe queunt rationum momenta, ob quæ miniſtro facienda commiſſa fuit, niſi communicaret chorus aliquis Religioſorum, aut Monialium, aliorumve, qui cum inter divina officia eamdem ſoleat, & ſine diſſonantia facere inſtructus ſit, videre non eſt, cur eam etiam facere non valeat in præſenti caſu; opus namque non eſt miniſtri opera, vel ſubſtituti, quando principalis ipſe æque bene, immo melius per ſeipſum eam facere valeat. Ad id, quod additur de percuſſione pectoris, haud abnuimus, quod ſufficiat ea miniſtri, qui omnium nomine confeſſionem facit, ſed poſtea nec communicaturis denegare poſſumus facultatem comitandi percuſſione pectoris ea verba *mea culpa*, & *Domine, non ſum Dignus* ad oſtendendam humilitatem ſuam, & deſignandas in particulari perſonas, in quarum nomine verba illa dicuntur.

IV. Dum communicant, Gavantus *par.* 2. *lib.* 2. *tit.* 10. *nu.* 6. *lit. h.* Monialium reprobat uſum alterum, quæ Sacerdote tacente, dicunt *Domine, non ſum digna*, tamquam ritum, qui continet errata duo, quorum unum eſt, quod a Sacerdote, cui a Rubrica committitur, ea minime verba dicuntur, alterum, quod mutatur to *Dignus* in *Digna* contra Bullas Pii V., & Pauli V., diſtricte proſcribentes mutationem quamlibet, & ſpeciatim in præſenti caſu, in quo inſuper prædicta verba, uti ſtant, a Rituali etiam pro fœminis expreſſe dici jubentur: *Quæ formula etiam tenenda eſt, cum fœminis communio miniſtratur*. Ad mutationem quod attinet, abſit, quod ego refrager, qui etiam in to. 1. cap. 36. Decr. 1. a Monialibus eadem de cauſa ad Confeſſionem dici debere ſtatui *Tibi, Pater*, & *Vobis, Fratres* ſine variatione ulla, quia maſculinum in ſe continet fœmininum, quare & recte, & abſque ulla diſcordantia dicere rite quoque poterunt *Domine, non ſum dignus*. Addunt alii, prædicta verba utpote depromptæ ex evangelio *Mat.* 8., haud apta eſſe, ſubire mutationem aliquam, vel ſaltem non ultra eam, quam ipſis Eccleſia adhibet, quæ, ut rei quadrent, appoſuit *Anima mea*, ubi textus habet *Puer meus*, ſicuti conſimili de cauſa inter exequias non ſuſcipiunt variationem verba illa, *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, etſi cadaver ſit fœminæ, qua de re to. 2. cap. 15. Decr. 62.

V. At ſi non mutentur verba, ſed dicatur *Domine, non ſum dignus*, an verba iſta neceſſario a Sacerdote dici debeant, vel hoc tacente, a Monialibus dici valeant, eſt quæſtio altera, in qua nos Moniales in ſua conſuetudine turbandas non eſſe credimus, quam communem habent cum plerique Regularibus viris, dum horum chorus communicat in feria V. Cœnæ Domini. Potiſſimum ea ratione ducimur, quod conſuetudo ejuſmodi ea ſa difformis non eſt, cum jam Sacerdos ea verba proferat, communicantium nomine, ut tolli poſſit, & debeat non obſtantibus radicibus altis, quas prævias habet ad Bullam Pii V., qua antiquiores laudabiles quæque conſuetudines ab allegatis Bullis non recipiunt offenſionem ullam, ſed in omnino valido, ac ſolido perſtant ſtatu, ut non ſemel alibi ſtatutum fuit, & præcipue in cap. 41. to. 1.

VI. Sed quid de iis, quibus non aſſiſtit immemorabilis conſuetudo, aut Prævia ad Bullam Pii V.? Tria præmittenda credimus, & primo, quod prædicta verba *per ſe dici ad Sacerdotem non ſpectant, ſed ad communicantes*, quorum indubie nomine a Sacerdote dicuntur. 2. Quod a Rituali Romano *ſimul cum ſacerdote ab infirmis ſubmiſſa voce* dici mandatur. 3. *ſimul cum Sacerdote a communicantibus olim dicta fuiſſe*, una vice in latino, duabus aliis in vulgari ſermone, laudatum Sacerdotale nos edocet perſequentem Rubricam: *Sacerdos unam particulam in manibus accipiens, oſtendat omnibus, dicens*: Dicatis omnes, ſicut ego dico: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea. *Et repetat ſecundo, & tertio eadem verba in vulgari*. Ex his ſatis erui poſſe videtur, quod ſimul cum Sacerdote, a communicantibus ea verba dici valeant, & fortaſſe congruit, dummodo dicantur ſubmiſſa voce, & ſic item eſt de miniſtro, ſi ipſe fecerit confeſſionem illorum nomine; an autem itidem alta voce, & tacente Sacerdote, quas pro confeſſione dedimus, rationes non minus militant, nempe quia etiam iſta ad communicantes ſpectant, & nonniſi horum nomine a Sacerdote dicuntur, & fortaſſe, ne a rudibus ex communicantibus dici ignorentur, aut trunce, vel male pronuncientur; quæ forte fuit cauſa, ob quam olim a communicantibus dicebantur Sacerdote duce, & prius pronunciante, quare ſi communicet Regularium Chorus, aut unus, vel alter, qui probe ſit inſtructus, non apparet diſſonum, quod ea verba, quæ Sacerdos dicit ſuo nomine, ipſe per ſe, & ſolus non poſſit dicere.

VII. Hæc quidem ſunt plurima, ſed quoniam numquam miniſtro, qui communicantium perſonam gerit, & horum nomine aperiora dicit confeſſionis verba, dici commiſſa leguntur, ſed magis Sacerdoti, etſi fortaſſe non omnino congrua adminiſtrantis ſimul & communicantis perſonam induat, nos laudamus, quod ii ex communicantibus, quibus non ſuffragatur conſuetudo immemorabilis, aut prævia ad Bullam Pii V., contenti eſſe debeant, ut ipſi, aut miniſter eorumdem nomine, prædicta verba dicant ſimul cum Sacerdote ſubmiſſa voce, quemadmodum infirmos facere laudat Rituale Romanum, & fortaſſe olim etiam præſtabant fideles, cum memoratum Sacerdotale non explicet, num alta, vel ſubmiſſa voce dicerent. Si etiam expoſcis, fortaſſe dicet aliquis, quia verba Evangelii ſunt, quæ propterea intra Eccleſiam minus conveniat a quoque alta voce dici, ſed hæc ratio, & forte non incongrue, Sacerdotes in exceptis collocat, ſi ſoli communicent, aut ſimul cum Diaconibus.

VIII. Nunc ad Decretum, & nos edocet, quod dum Sacerdos, ab altari pergit ad feneſtrellam pro communicandis Monialibus, non debet deſcendere, nec a communione reverti per gradus laterales, ſed anteriores altaris; etſi enim illa ſit brevior via, hæc tamen, quamvis longior, ab Auctoribus concordiuer qualificatur tamquam proprior, devotior, & honoratior, adeoque indubie tenenda a Sacerdote deferente Chriſti Corpus, quidquid ſit de eodem Sacerdote, dum intra miſſam ad ſedendum pergit, vel ad altare a ſeſſione revertitur. Quæ via, cum tamquam proprius teneri præſcripta ſit, nos ſequendam eſſe credimus, etſi feneſtrella ſit ex parte Epiſtolæ, malentes credere, quod to *Habentium feneſtrellam ex parte Evangelii* ſolius ratione petitionis in Decretum irrepſerit, non quia alia via teneri debeat, quando feneſtrella eſt ex parte Evangelii, alia, quando eſt ex parte Epiſtolæ; etſi enim communionem ex parte Epiſtolæ Rubrica incipi mandet, non tamen explicat, quamnam viam Sacerdos tenere debeat ad petendam partem Epiſtolæ, & ideo nos etiam in hoc caſu per gradus anteriores Sacerdotem deſcendere debere putamus, ſicuti etſi communio deſinat ex parte Evangelii, Sacerdos per gradus laterales aſcendere non debere ad altare, præſens ſanctio non obſcure indicat, dum tum in acceſſu, tum in receſſu a communione Monialium habentium feneſtrellam ex parte Evangelii, eumdem ad altare per gradus anteriores reverti præcipit. Si autem feneſtrella poſita ſit extra presbyterium, dum illuc Sacramentum defertur, non deſit umbella, honoris tegumen.

IX. Quo

IX. Quo tempore Sacra Euchariſtia ad feneſtrellam aſportanda ſit, nunc lubet quærere, & a nonnullis eam deferri vidi, quando Sacerdos, jam ad Altare dixit *miſereatur &c. Indulgentiam &c.*, & mox ut detulit, ſubdit *Ecce Agnus Dei*, Monialibus ſacram oſtendens particulam, ſed ritus ejuſmodi aliis non arridet admodum, quia cum præfatas deprecationes converſus ad communicandos Sacerdos debeat dicere, quinimmo *ad Indulgentiam* ſuper eos ſignum crucis ducere, quomodo unquam id Sacerdos rite præſtare valet, perſiſtens adhuc ad altare? Probant magis itaque, quod confeſſionis tempore Sacerdos cum pyxide cooperta deſcendat, hanc ſuper feneſtrellam collocet ſuppoſito Corporali, mox eam referet, & deinde converſus ad moniales dicat *Miſereatur &c.*, *Indulgentiam &c.*, ſuo loco ſuper eas manu dextera ducens crucis ſignum, & denique conſueto ritu iiſdem Sacramentum porrigat. Prior modus minus quidem ſed in eo in Rubricas peccat, quod *Ecce Agnus Dei*, ad feneſtrellam facit Sacrdotem dicere, magis vero poſteriorem, cum inſuper & *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, quando hæc omnia juxta Rubricas a Sacerdote dici debent ſtante ad altare, & nonniſi poſtmodum ad communicandum procedere. Quinam autem ritus reapſe teneri debeat, infra reſervamus dicere.

X. Non levem modo ſumimus examinare quæſtionem ſuper benedictione Monialibus danda, poſtquam cæleſti eſu paſtæ fuerint. Communior uſus benedictionem cum pyxide iiſdem impertit, arbitratus minus convenire eam dari cum Sacerdotis manu ad præſentiam Chriſti, qui eſt omnium benedictionum auctor, & hac fortaſſe de cauſa, quando poſt communionem infirmi particula ſupereſt, cum hac a Rituali benedici mandatur. Corſettus *tr. 2. part. 2. cap. 4. lect. 3. n. 1.*, Tonellius *lib. 2. tit. 10. Rubr. 6. in adnot. n. 6.*, Biſſus *lit. B. n. 66.* §. 3. atque Meratus *par. 2. tit. 10. n. 33.* præfatum uſum reprobant, tamquam Rubricis contrarium, quæ ſolis infirmis benedictionem reſervant cum ſacra pyxide, ſanos vero quoſcumque, ſi communicaverint intra Miſſam, contentos volunt benedictione, quæ in fine miſſæ dari ſolet, ſi extra miſſam, benedictione cum Sacerdotis manu, non obſtante præſentia Sacramenti, ſicut hac non obſtante Sacerdos communicaturis benedicit cum manu ad *Indulgentiam*, item populo in fine miſſæ celebratæ coram Sacramento expoſito, & adhuc benediceret communicatis, ſi Euchariſtiam diſtribuiſſet ad altare, in quo expoſitum idem Sacramentum pateret. Ad id, quod de infirmis additur, reponunt hos benedici cum ſacra pyxide, non quia præſens ſit Sacramentum, ſed quia etiam ſanis infra Eccleſiam benedictio cum pyxide dari debet. Hoc itaque pacto a Sacerdote procedendum foret, videlicet ut ſtatim ac communicavit moniales, reponat pyxidem ſuper corporale, eamque tegat, & poſtea adhuc ſtans ad feneſtrellam, dextera manu benedicat monialibus, quo facto ad reponendum de more Sacramentum incedat.

XI. Verum qui Rubricis obſequium indicunt, admodum in eaſdem ipſi peccant, dum benedictionem imponunt adhuc præſente Sacramento, quod tunc temporis in tabernaculo Rubricæ volunt reconditum, quare ſatius fore ego crederem, ſi Sacerdos ſtatim ac communicavit Moniales, cum Sacramento ad altare pergat, & conſuetis recitatis precibus in tabernaculo illud recondat, & minime ad feneſtrellam deſcendens iterum pro impertienda Monialibus benedictione, hanc ex altari conſueto ritu det converſus ad populum. Indubie ita debet fieri, quando Monialibus miniſtratur Euchariſtia intra miſſam, quo in caſu juxta Rubricas communicatis nulla benedictio dari debet, ſed ſolum conſueta in fine miſſæ; quidni igitur etiam ſimiliter, dum miniſtratur extra miſſam, quo in caſu benedictio quidem dari debet, ſed nonniſi Sacramento recondito? ſi namque in priori caſu Sacerdos, etſi benedictionem impertiat verſus populum, adhuc benedictio cenſetur ad moniales pertingere, & Sacerdos ad has ſufficienter converſus, cur non etiam, quando eam dat extra miſſam? Sane in diſtributione Euchariſtiæ, etiam extra miſſam, Sacerdos converſus ad Eccleſiæ portam, benedictionem rite impertit, etſi qui communicati fuerint, poſt communionem ſe ſtatuiſſent a lateribus altaris.

XII. Tutior hæc eſt, atque Rubricis conformior agendi ratio, ſed quatenus alterutra ex laudatis ſententiis adoptanda foret, nos probaremus magis, quæ cum pyxide benedictionem impertit, exemplo ducto ab eo, quod in ſimili caſu Rituale præſcribit de infirmis; quæ enim producitur diſparitatis ratio, eſt mere arbitraria, ubi cum alias caſus ſit fere ſimilis, ſimile quoque expoſcit judicium. At neque multum relevat, quoniam cum media communione infirmi in ſe ſuſceperint benedictionum fontem, de his par non eſt ratio, ac de populo, ut ſi hic benedicitur cum Sacramento, etiam illi ſic benedici debeant, & non magis formula ſanis communi, quoties communicaverint. Certe ubi benedictio ejuſmodi firmata eſt conſuetudine immemorabili, & prævia ad allegatas Bullas, in valido poteſt eſſe ſtatu, cum non ſit ex conſuetudinibus ex ſe difformibus, ceterum erit corrigenda, ubi tam antiquum fulcimen non habet, nec noviter inducenda, cum diſſonet a ritu per Rubricas præſcripto.

XIII. Quam indeciſam ſuperius reliquimus, quæſtionem arripimus, & dubium non eſt, quod quatenus juxta Rubricas plene decidenda foret, Sacerdos ad Altare ſtans deberet dicere *Miſereatur*, *Indulgentiam*, & *Ecce Agnus Dei*, & ſolum poſtmodum ad feneſtrellam deſcendere pro communicandis Monialibus, & ex ſuperius dictis apparet, quod adhuc prædicta diceret ſufficienter ad Moniales converſus, ſed quoniam idem Sacerdos jam ad feneſtrellam debet deſcendere ad Moniales communicandas, cum hæ ſe altari ſiſtere nequeant, idcirco conſultius eſſe crederem, quod deſcendat confeſſionis tempore, & ſtans ad feneſtrellam, dicat deprecationes præfatas verſus Moniales, eas ſuo loco benedicens manu dextera, & iiſdem oſtendens particulam conſecratam, dum dicit *Ecce Agnus Dei*. Hæc namque ratio conformior eſt menti, ſi non Rubricarum verbis, quibus non mordicus adhærendum eſt, quando agitur de communione Monialium, quia illa exarata noſcuntur pro communione populi, ſive eorum, qui ad altare accedere valent pro communione ſuſcipienda.

XIV. Si dum Monialibus adminiſtratur communio, intra clauſuram caſu decidat particula conſecrata, ex Auctoribus nonnulli ſentiunt, Sacerdotem debere clauſuram ingredi pro ea ſuſcipienda, Monialibus interim eamdem adorantibus, ſed probabilius loquuntur Quartus *part. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. diffic. 4.*, Pellizarius *de Monialib. cap. 10. ſect. 3.*, atque Tonellius *l. c.*, qui promptius remedium putant, præcipere Moniali, cui particulam porrigebat, vel alteri, ut eam accipiat lingua, & ita communicet. Quod ſi ex Monialibus, quæ id præſtet, non habeatur, conſulunt, quod earumdem aliqua hoſtiam reverenter cum fragmentis, ſi quæ deciderint, elevet ſuper patenam mediante palla, aut carta munda, & aliter non poteſt, manu accipiat, & per feneſtram Sacerdoti porrigat, quo facto ſignetur locus, ne pedibus conteratur, & finita communione, ab iiſdem Monialibus terra radatur, & in ſacrarii piſcinam projiciatur. Etſi namque in ejuſmodi caſu Sacerdoti licitus eſſe poſſet ingreſſus intra clauſuram abſque licentia, eligi tamen debet medium illud, quod minus irreverentiæ continet; nam alias toto illo tempore, quo opus eſt, ut Sacerdos a loco communionis ſe conferat ad locum, in quo jacet hoſtia, hæc remanere deberet in terra, loco admodum indecenti auguſtiſſimo Sacramento. Non obſtat autem prohibitio tangendi ſacram hoſtiam, quia ut rite ponderat Caſtaldus *in praxi lib. 2. ſect. 14. cap. 7. num. 15.*, in neceſſitatis caſu, & ne Sacramentum maneat in loco indecenti, non ſolum permittitur, ſed etiam præcipitur.

XV. Idipſum faciendum eſſe Doctores edocent, ſi inter communicandum cadat particula, ſeu fragmentum in ſinum mulieris; tunc enim ipſa mulier, vel alia debet illam extrahere, non Sacerdos propter indecentiam, & tentationis periculum. Inventam ipſa propriis manibus eamdem ſumat, & ſimiliter præſtet, ſi reperiat domi, dummodo ſit jejuna, ſin minus, eam reverenter conſervet, ut per Sacerdotem ſecreto ad Eccleſiam deportetur. Ita Tonellius *l. c.* allegans Auctores alios, quibus noviſſime acceſſit Benedictus XIV. *Annot. to. 2. part. 4. ſect. 2. n. 174.*

DECRETUM X. CAPITIS, IN ORDIME LXIII.

Avanti di cominciare la Meſſa non ſi faccia la Communione ſenza gran neceſſità, ed in queſto caſo s'accenda il Cereo dell' Elevazione. Sacra Congregat. Viſit. Apoſtol. ſub Urbano VIII. apud Meratum *part. 2. tit. 10. num. 29.*

I. LOcum, in quo communio populi fieri debet, Rubrica Miſſalis aperte deſignat, *poſt communionem* nempe *Sacerdotis intra Miſſam*, nec nobis adeo ineſt otii, ut hic repetamus rationum momenta, quæ in id jam ſuperius dedimus; quoniam tamen Rubrica eadem ad finem miſſæ etiam illam differri permittit, *ſi rationabilis adſit cauſa*, quam Auctores explicant de adſtantium tædio expectantium finem miſſæ, ideo *neceſſitatem magnam*, quam præſens Decretum exigit ad communionem miſſę præmittendam, nobis explicare liceat de caſu, in quo communicaturi uſque ad communionem Sacerdotis expectare nequeunt, vel a propriis alio vocati curis, aut quia adeo non valent permanere jejuni. Quod additur de accendendo elevationis cereo, ad honorem Sacramenti fit, & favorabilem habet Rubricam VIII. *n. 6. & 8.* quæ, dum communio fit, prædictum debere ardere cereum, diſerte ſtatuit, & licet reapſe loquatur de communione intra miſſam, præſens tamen ſanctio diſpoſitionem rite extendit etiam ad communionem, quæ immediate fit ante miſſam, tamquam actum, qui ſi non continuus, contiguus ſaltem eſt eidem miſſæ, qua de cauſa Decr. 12. cap. idipſum ſtatutum voluit de communione, quæ fit immediate poſt miſſam: *Nè il Chierico eſtingua il cereo dell' Elevazione, ſino che ſia finita la Communione.*

II. Communionis ritum, quæ fit ante miſſam, ponderare ſumimus, & eſt. Sacerdos indutus paramentis, quæ conveniunt miſſæ celebrandæ (dummodo facturus miſſam de requiem, non veſtiverit indumenta nigra, in quibus communio ex particulis præconſecratis adminiſtrari non poteſt) conſueto modo una cum miniſtro pergit ad altare, ſuper quod depoſito calice extra corporale ex parte Evangelii, & burſa in loco ſolito, explicat corporale; miniſter vero depoſito de more celebrantis birreto, & collocato Miſſali ſuper pulvinum, extendit linteum ante communicandos, accendit elevationis cereum, & poſtea facit confeſſionem genuflexus a parte epiſtolæ, celebrante ut alias extrahente pyxidem e tabernaculo, & procedente ad communionem populi, qua peracta, pyxidem reponit in tabernaculo, & ſolum dubium remanet, num communicatis danda ſit benedictio?

III. Ad hoc dicendum videtur, quod non, quia benedictio jam danda eſt in fine miſſæ, quare ſicuti hac unica de cauſa Sacerdos abſtinet a benedictione danda communicatis intra miſſam; unde Rubrica X. n. 6. *Et non dat eis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ*, ita abſtinendum eſſe videtur in præſenti caſu, in quo cum eadem militet ratio, eadem & eſſe debet juris diſpoſitio. Meratus *part. 2. tit. 10. n. 33.* dari debere ſtatuit, & idipſum evincit cauſa, quam tamquam legitimam nos ipſi produximus anticipandi communionem ante miſ-

ſam, quia nempe ex adſtantibus eſſe poſſent, qui miſſæ adſiſtere nequeant. Nos rem ita definiri poſſe credimus, ut ſi qui ex iis, qui communicarunt ante miſſam, abſiſtere non debeant miſſæ, tunc benedictio danda ſit, ne abſque benedictione diſcedant; ſi vero miſſæ adſiſtere debeant, puta quia ante miſſam communicaverint, cum adeo jejuni expectare non poſſent, tunc benedictio impertienda minime ſit, cum jam eam ſuſcepturi ſint in fine miſſæ. Hæc autem erit regula, ut quoties poſt communionem datur benedictio, dicenda item ſit Antiphona *O Sacrum Convivium* cum reſpectiva oratione, ſecus, ſi benedictio danda reſervetur in fine miſſæ.

DECRETUM XI. CAP. IN ORDINE LXIV.

La comunione dentro la Meſſa è deſcritta nel Meſſale minutamente: nel fine non ſi dia la benedizione, ſe non in fine della Meſſa. Eadem Congregat. in eod. Decret.

I. ARripimus illico Miſſalis verba *tit.* 10. *nu.* 6. in quibus minutatim deſcriptus dicitur ritus communionis intra miſſam: *Si qui ſunt communicandi in Miſſa, Sacerdos poſt ſumptionem ſanguinis, antequam ſe purificet &c.* & per hæc verba deſignatur locus communionis faciendæ, de quo cum jam *late* diximus, rem ab oblatione repetendam ducimus. Si facienda ſit itaque communio populi, oblationis tempore particulæ in promptu eſſe debent, & quatenus paucæ ſint, puta quinque, aut ſex, ponantur ſuper patenam, & ſimul cum hoſtia offerantur, & poſt oblationem collocentur ſupra corporale, ſeparatim ab hoſtia, ita tamen ut omnino poſitæ ſint, ac collocatæ, non extra, ſed ſuper petram ſacram e parte Evangelii, aliquantulum ab hoſtia diſtantes, ne tangantur a Manipulo in conſecratione calicis. E patena deponatur primo hoſtia in loco ſolito, & poſtea particulæ, quæ convenit in oblatione ſint ſubtus, non ſuper hoſtiam, nec neceſſe ceteroquin eſt, ponantur ſuper patenam, etſi paucæ ſint, ſed adhuc ut ſupra ſeparatim poſitæ ſuper corporale, a Sacerdote offerri queunt, intentione etiam ad eas directa, ſicuti reapſe fieri debet, ſi particulæ ſint in magna quantitate, nec poſitæ ſint in pyxide, aut alio vaſe.

II. Quod ſi particulæ ſint in pyxide, calice, aut alio vaſe, tunc Sacerdos, antequam amoveat parvam pallam e calice miſſæ pro offerenda hoſtia, prædictum particularum vas collocat poſt locum, in quo poni ſolet miſſæ calix, (niſi ibidem jam præcedenter fuerit poſitum) ita ut ſit inter prædictum calicem, & tabellam ſecretarum ſuper petram Sacram, illudque diſcooperit patena, palla, vel ſolito pyxidis operculo, quo erat contectum. Tum e calice miſſæ pallam amovet, & offert hoſtiam, & inſimul prædictas particulas, nec tamen has elevat, intentione tantummodo ad eas directa. Ubi autem de mora patenam ſui calicis poſuit aliquantulum ſubtus corporale, prædictum mox cooperit particularum vas, ut erat antea; non cooperiuntur tamen particulæ, ſive ſint in parva, aut magna quantitate, quæ ſuper corporale ponuntur, ſed remaneat diſcopertæ inſtar hoſtiæ magnæ.

III. Hic locus eſt offerendi particulas pro communicandis, in quo jam offertur hoſtia ipſa pro Sacerdote; quod ſi particulæ conſecrandæ poſt oblationem afferantur ad altara, poterunt ex gravi cauſa conſecrari, facta prius earum oblatione mente tantum, ſed non ſufficere pro hac oblatione mentali commoditatem communicare volentium, tradit Paſqualigus *de ſacrif. nov. leg. quæſt.* 30., & 35., ubi tamen *num.* 6., & 10. dicit eſſe ſolum veniale peccatum, ſi ante inceptum Canonem offerantur. Poſt Canonem vero inceptum non poſſe admitti, etiam ad dandum Viaticum, ſed ſatius eſſe conſervare partem hoſtiæ majoris, ſtatuit Quartus *part.* 2. *tit.* 7. *ſect.* 1. *dub.* 3. Rigidiores, quam par ſit, apparent opiniones iſtæ; quare nos dicimus, quod prædictæ particulæ offerri quidem debent, ne conſecretur materia per oblationem non *rite* diſpoſita, & offerri oblatione dumtaxat mentali, ne perturbetur debitus ordo miſſæ, & connexio, quam ad invicem habent ejuſdem partes, non enim ſufficit oblatio hoſtiæ, ad quam particulæ attineant tamquam acceſſoriæ, ut nonnulli autumant, quia id ad ſummum procedere poſſet, quando particulæ ſunt præſentes, non, quando ſunt abſentes, ſicuti in caſu noſtro. Etſi autem oblatio, quæ ab Eccleſia præcipitur, vocalis ſit, mente ſolum fieri poſſe, quando fit extra proprium locum, eruitur ex Rubricis *de defectibus tit.* 3., & 4., quæ ſi eam mente dumtaxat fieri admittunt de hoſtia magna, multo utique magis idipſum indulgent de particulis. Hæc igitur erit regula, ut poſt oblationem hoſtiæ, regulariter particulæ admittendæ non ſint, ſi nulla adſit rationabilis cauſa, bene vero, & abſque ullo peccato admitti valeant, & ut ſupra oblatæ conſecrari, ſi adſit rationabilis cauſa, quam cum Quarto *loc. cit.* ſufficientem agnoſcimus in commoditate communicari cupientia intra miſſam.

IV. Quo uſque admitti valeant, certum eſt, non ultra conſecrationem hoſtiæ, nam unum Sacrificium capax non eſt novæ conſecrationis, & novæ formæ ſubſtantialis. Gavantus *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 19. cenſet utile eſſe poſſe tempus uſque ad Præfationem excluſive, ad quam uſque durat moraliter oblatio, & reapſe ad hanc pertinent orationes omnes, quæ uſque ad initium Præfationis dicuntur. Quartus ut ſupra tempus prorogat uſque ad Canonem, in quo vult moraliter incipi Sacrificium, ſed Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 7. includit & Canonem, dummodo particulæ deferantur ante conſecrationem, ut poſſint ſimul conſecrari cum hoſtia principali, & id probat ex Rubricis *de defectib. tit.* 3. & 4. a quibus, quoties intervenit defectus, admittitur nova hoſtia offerenda, & conſecranda. At ratio iſta nimis probat, nam interveniente defectu nova materia offerenda, & conſecranda admittitur, etiam poſt conſecrationem, & adhuc ſumptionem hoſtiæ præcedentis, & id ob perfectionem Sacrificii; quis autem idipſum diceret de particulis? Nonne Diana ipſe particulas dumtaxat admitti ante conſecrationem hoſtiæ principalis? Et forſitan perfectum, & integrum non eſt Sacrificium, etſi particulæ non admittantur? Hanc igitur ſententiam ad praxim non ego ducerem pro communicandis populis ex ſola devotione, quam ob cauſam incepto canone particulæ non admittantur, bene vero, ſi gravis cauſa urgeat, vel neceſſitas, puta pro communicando graviter ægrotante, aut conſecranda hoſtia, quæ in ſolemnitate aliqua publicæ venerationi exponi debeat, ſive ſi alias omitti neceſſe foret publicam, & conſuetam communionem aliquam, ut ſi in feria V. Cœnæ Domini opportuno tempore ex oblivione allatæ non fuiſſent particulæ pro communione Cleri.

V. Conſecrationis tempore, antequam Sacerdos accipiat hoſtiam conſecrandam, pyxidem particularum retrahit ad latus calicis ex parte epiſtolæ, & eam diſcooperit, vel ſaltem eam detegit, ſi eam relinquat, ubi erat; ſi autem particulæ fuerint ſuper corporale, nullatenus amoventur e ſuo loco, ſed ibi relinquuntur. Dein ſuo tempore unica formæ prolatione Sacerdos conſecrat ſimul cum magna hoſtia, quam præ manibus Sacerdos tenet, particulas, quas habet præſentes, ſuper corporale poſitas, vel in vaſe contentas. Facta conſecratione non eſt deponenda hoſtia, ut vas particularum collocetur retro calicem, & cooperiatur, ſed hoſtia elevatur, & poſt elevationem ea depoſita, ſtatim celebrans cooperit pyxidem, & reſtituit ſuo loco, ſi ab hoc eam amovet, & poſtea procedit ad conſuetam calicis conſecrationem. Cooperitur autem particularum vas, præſertim ne muſca, aut quod ſimile introeat in illud, quod Sacramentales ſpecies commaculare poſſit; non cooperiuntur vero grandior hoſtia, neque particulæ ſuper corporale exiſtentes, quia ut advertit Quartus *part.* 2. *tit.* 8. *Rub.* 6. *num.* 1., facilius a Sacerdote cuſtodiri valent.

VI. Quæ cum per Miſſalis Rubricas expreſſe definita ſint, rite Card. de Lugo *de Euch. diſp.* 20. *n.* 69. reprehendit illos, qui peracta conſecratione recondunt pyxidem intra tabernaculum, vel eam extra aram ſuper aliud corporale collocant. Multo autem magis reprehendendi veniunt, qui nulla urgente neceſſitate, ſtatim poſt conſecrationem diſtribuunt populo particulas conſecratas, quæ cum pertineant ad id Sacrificium, non licet eas diſpenſare fidelibus, niſi peracto eodem Sacrificio. Quod ſi urgente aliqua neceſſitate, ſtatim poſt conſecrationem pyxidis ad aliud altara, vel ad infirmos deportari debeat, id præſtet Sacerdos alter, & celebrans retrahat ſe interim ad cornu Evangelii, ubi genuflexus utroque genu ſuper ſuppedaneum Sacramentum adoret.

VII. Hora eſt, revertamur, unde diſceſſimus, & repetentes ea Miſſalis verba *Sacerdos poſt ſumptionem ſanguinis, antequam ſe purificet*; dicimus, quod ſtatim ac Sacerdos hauſit Chriſti ſanguinem, miſſæ calicem palla cooperit, & licet Caſtaldus collocandum eumdem afferat aliquantulum e cornu Epiſtolæ ſuper corporale, nos tamen cum a Portu magis collocari probamus ex parte Evangelii, ut celebrans expeditior ſit in adhibenda pyxide, vel vaſe altero. At ſi particulæ fuerint ſuper corporale, miſſæ calicem ut ſupra tectum collocet de more in altaris medio paulumper verſus tabernaculum, ut commodius fiat locus patenæ, quæ ante eum poni debet cum particulis.

VIII. *Facta genuflexione ponet particulas conſecratas in pyxide, vel ſi pauci ſint communicandi, ſuper patenam, niſi a principio poſitæ fuerint in pyxide, ſeu alio calice.* Statim ac calix ut ſupra collocatus fuerit, Sacerdos genuflectit unico genu, & mox ſurgens ponit particulas conſecratas in pyxide & ſolum quatenus communicandi pauci ſint, ſuper patenam niſi in hoc adhuc caſu a principio poſitæ fuerint in pyxide, ſeu alio vaſe, a quo tunc extrahendæ non ſunt, ut ſuper patenam collocentur. Fideles olim communicabantur media patena intra miſſam, ſed non cum ea, quam Sacerdos intra miſſam adhibet, ſed cum aliis grandioribus, quæ dicebantur *communicales*, & adhuc *majores*, quia admodum magnæ erant, & capacitatis plurimæ, quam ſint ordinariæ, unde Anaſtaſius in vita S. Silveſtri: *Fecit Conſtantinus patenam argenteam auro clauſam cum gemmis penſantem libras quinquaginta.* Patenæ ejuſmodi utpote valde incommodæ, & adhuc periculo, de quo ſtatim dicemus, obnoxiæ, in totalem abiere deſuetudinem, & ideo Rubrica ut ſupra jubet particulas poni in pyxide, & ſolum ſuper patenam Miſſæ, quoties pauci ſint communicandi.

IX. Poſſevinus *de off. curat. cap.* 8. *n.* 4., & 5. conſultum non eſſe notat adminiſtrare Euchariſtiam cum pyxide multum repleta particulis, & multo minus cum particulis ſuper patenam poſitis, propter periculum, ne in eis tractandis labantur. Periculum non ſemel probavit eventus, quinimmo non raro factum eſt, ut ſola reſpiratione celebrantis, vel communicantis particulæ e pyxide, vel patena ejectæ fuerint. Hæc igitur eſt cauſa, ob quam Rubrica per laudata verba cum pyxide, vel alio vaſe Euchariſtiam adminiſtrari probat, & nonniſi cum patena, quoties pauci communicandi ſunt, quia tunc minus adeſt periculi, quod per ſedulam adminiſtrantis operam, & advertentiam facile evitari poteſt. Quod ſi communio exhiben-

exhibenda ſit intra Miſſam cum particulis præconſecratis, tunc Sacerdos ut ſupra tecto, & collocato Miſſæ calice ex parte Evangelii, tabernaculum aperit, genuflectit unico genu, erectus extrahit pyxidem, eamque collocat in medio ſuper corporale, & mox eamdem aperit, tum iterum genuflectit unico genu, & poſtea ſtat verſa facie ad altare, manibus junctis ante pectus, pollicibus, & indicibus nondum disjunctis.

X. *Interim*, dum videlicet prædicta a Sacerdote reſpective præſtantur, *Miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album*, de quo infra reſervamus agere in Decr. 13., *& pro eis facit confeſſionem dicens: Confiteor Deo &c.* Omnium communicandorum nomine Miniſter, qui inſervit Miſſæ, facit confeſſionem (pro qua vide, quæ in Decr. 8. ſuperius dedimus) & cum Rubrica deſignet, per quæ verba fieri debet, nempe per *Confiteor Deo*, ut in initio Miſſæ, ſicuti concordes Auctores explicant, noſtrum eſſe non poteſt, per alia verba eamdem facere. Dictio *Interim* eamdem faciendam eſſe denotat, poſtquam Sacerdos hauſit Chriſti ſanguinem; fit autem a Miniſtro capite inclinato verſus Sacerdotem, & genuflexo in plano Cappellæ, vel ſupra infimum altaris gradum a latere Epiſtolæ, quæ eſt pœnitentium pars. Gavanto teſte *par. 2. tit. 10. lit. r.* apud antiquiores non fiebat hoc loco confeſſio, & ſi credimus Patri Le Brun. *to. 1. pag. 641.*, ipſa antiquior non eſt ſæculo decimo tertio, in quod opera Mendicantium Ordinum fuit invecta ſimul cum ſequentibus deprecationibus *Miſereatur*, & *Indulgentiam*; quæ tamen omnia adhuc omittuntur ab Epiſcopo, quando in ordinationem novos Sacerdotes communicat, *quia hi concelebrant Pontifici*, ait Pontificale Romanum, quod inſuper rite addit, quod dicenda ſunt, ſi ſint alii a Presbyteris ordinati, qui communicent.

XI. *Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis vertens ſe ad populum, dicit: Miſereatur veſtri &c.* A Miniſtro confeſſione facta, genuflectit Sacerdos unico genu, deinde ſurgit, & ſtans manibus junctis ante pectus, ſtatim ſe vertit ad populum a cornu Evangelii obliqua, nempe humeris ita converſis ad prædictam altaris partem, ut facies ſimul convertatur ad populum, & ad latus Epiſtolæ, ne terga vertat Sacramento; tum dicit *Miſereatur veſtri*, & quidem *veſtri*, & non *tui*, etſi unus tantum communicaturus ſit, ſicuti dicitur in Miſſa uno tantum præſente; hanc vero rationem reddit Gavantus *loc. cit.*, quia prædicta verba cadunt etiam ſuper alios præſentes, ſpirituali communione communicaturos.

XII. *Et Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum &c., & manu dextera facit ſignum crucis ſuper eos.* Eadem de cauſa in *veſtrorum* dici jubetur, & dum hæc deprecatio dicitur, Sacerdos manu dextera facit ſignum crucis ſuper communicaturos, ſiniſtra infra pectus poſita, ſed Biſſus *lit. c. num. 384. §. 2.* Sacerdotem monet, ut advertat, ne pollices, & indices adhuc conjuncti planetam tangant. Præfatum autem crucis ſignum fit per lineam rectam pluſquam palmarem, & per tranſverſalem ejus fere longitudinis cum recta linea.

XIII. *Poſtea genuflectens, accipit manu ſiniſtra pyxidem, ſeu patenam cum Sacramento, dextera vero ſumit unam particulam, quam inter pollicem, & indicem tenet aliquantulum elevatam ſuper pyxidem, ſeu patenam, & converſus ad communicandos, in medio altaris dicit: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Dicto *Indulgentiam*, ſe celebrans ad altare vertit, & facta genuflexione unico genu, ſiniſtra manu accipit pyxidem, capiens inter indicem unitum pollici, & reliquos digitos nodum ejuſdem pyxidis firmiter, ne decidat, vel accipit patenam (quando nempe cum hac Sacramentum miniſtrare debeat) iiſdem digitis, & modo, quo eam capit ad Miſſam, quando dicturus eſt *Domine non ſum dignus*. Dextera vero manu accipit unam particulam inter pollicem, & indicem, & eamdem tenens parumper elevatam ſupra patenam, vel ſuper labrum pyxidis, vertit ſe ad populum, & huic eam oſtendens dicit: *Ecce Agnus Dei* voce clara, & oculis ad Sacramentum ſemper intentis. Quæ dum dicit, erit humeris directe verſis ad medium altaris, etiamſi Sacramentum foret in altari expoſitum, aut communicandi eſſent ex parte Epiſtolæ, aut Evangelii, & id ratione Sacramenti, quod præ manibus tenet. Verba *Ecce Agnus Dei* deprompta quidem ſunt ex Joan. *cap. 1.*, ſed ut monet Gavantus *loc. cit. lit. h.*, ritu non eſt antiquus, & reapſe ejuſmodi verba deſiderantur in quodam Sacerdotali Romano anni 1588.

XIV. *Deinde dicit; Domine non, ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Quæ ſpectant ad verba illa, jam ſatis ponderata ſuperius ſunt in Decr. 8., nunc ulteriora ſubdimus Rubricæ verba: *Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc eſt, ad latus Epiſtolæ.* Ter itaque repetitis præfatis verbis, mox Sacerdos communicare eos incipit, qui ſunt ad partem Epiſtolæ, inquit Baruffaldus *tit. 24. num. 56.*, quia hæc pars commodior eſt ad miniſtrandum, nam cum ſiniſtra manu pyxidem Sacerdos teneat, remanet dexterum latus apertum, & ſpatioſum ad miniſtrationem, nec ſibi Miniſter impedit viſionem, & acceſſum ad illos, qui in circulo communicaturi ſunt; ubi ſi communio inciperetur a parte dextera, deberet celebrans diſtantem a proprio pectore tenere pyxidem, ut commodius miniſtraret. Si qui de clero communicandi ſunt, hos primo communicat ad altare genuflexos, & Sacerdotes cum ſtola communicant, qua de re jam ſatis egimus in cap. 1. occaſione communionis feriæ V. in Cœna Domini; Laici vero communicantur ad altaris cancellos genuflexi, non ad altare, nec intra presbyterium, ſi demas Miniſtrum Miſſæ, ut magis dicemus infra in Decr. 12.

XV. *Et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo ſignum crucis ſuper pyxidem, vel patenam.* Sacerdos tenens digitis particulam, quam elevavit, pergit communicare fideles, ſed neceſſe non eſt, quod illam particulam, quam præ manibus tenet, primo miniſtret, & præcipue tempore æſtivo, in quo ob nimium tactum digitis ſudore madidis quandoque adhærere ſolet; quod ſi contingat, convenienter eam deponit, & cum alia communionem incipit. Unam particulam cuique porrigit, eam non amplius in manibus, aut in linteis dando, ut olim praxis erat, ſed eam immittendo in os cujuſcumque, qui dum eam recipit, quinimo a tempore, quo Sacerdos ad ſe converſus dicit *Ecce Agnus Dei*, componere debet manus in modum crucis juxta Synod. Trull. can. 101. Antequam particulam in os fidelium immittat, cum ea facit crucis ſignum ſuper patenam, vel pyxidem, ita tamen, ut crucis ſignum non excedat labia pyxidis, vel patenæ, ne fragmenta, ſi quæ ſunt, cadant extra eaſdem; fit autem hoc ſignum eo modo, quo Sacerdos cum Sacramento ſe ſignat, antequam illud ſumat.

XVI. *Simul dicens: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.* Intra temporis ſpatium, quo Sacerdos prædictum format crucis ſignum, & Sacramentum in os cujuſcumque communicantis immittit, ita debet dicere præfata verba *Corpus Domini &c.*, ut finita ſint, ſtatim ac particula immiſſa eſt in os communicantis, nec ſub eadem formula duæ, aut plures perſonæ communicari debent. Verba ejuſmodi in diſtributione Euchariſtiæ admodum antiqui uſus eſſe, uberrim deſignat apud Joannem Diaconum in vita S. Gregorii mulier illa, quæ cum communicaretur a D. Gregorio, a riſu ſe cohibere non potuit, quod ipſe Corpus Chriſti Domini diceret panem illum, quem illa propriis manibus confecerat, atque obtulerat; in ſæpe tamen laudato Sacerdotali Romano habentur cum materiali variatione aliqua, videlicet: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat, & perducat te in vitam æternam*; Pontificale vero Romanum in communicandis recens ordinatis, Epiſcopum facit dicere: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.*

XVII. *Omnibus communicatis revertitur ad altare, nihil dicens.* Reverſio Sacerdotis ad altare per gradus anteriores, non laterales fieri debet, in quocumque latere communio deſinat, quemadmodum dicebamus in Decr. 8., Sacerdos autem nec in reverſione, nec poſtquam jam reverſus eſt, aliquid debet dicere, & in hoc diſcrepat communio intra Miſſam a ſeipſa extra Miſſam, quod in hujus fine Sacerdos dicit Antiphonam *O ſacrum Convivium* cum competenti oratione, nihil vero in illa. Eſt item diſcrimen aliud, quod in communione extra Miſſam datur communicatis benedictio, ubi de iis, qui ſe communicant intra Miſſam, eadem Miſſalis Rubrica ſtatuit: *Et non dat eis benedictionem*, & rationem addit: *Quia illam daturus eſt in fine Miſſæ.* At quid in communione intra Defunctorum Miſſas, in quarum fine nulla datur benedictio? Si dictio *Quia* cauſative, & ſtrictim ſumi deberet, equidem legitima illatio foret, quod benedictio communicatis danda eſſet, cum non detur in fine Miſſæ; ſed huic intelligentiæ aperte reſiſtit ſequens Decretum, quod de communione intra Miſſam de Requiem diſerte ſtatuit: *Nè ſi dia alcuna benedizione.* Satis apparet itaque, quod dictio *Quia* non ſumitur ſtricte, & cauſative, ſed magis pro dictione *cum*, ita ut ſenſus ſit, *cum illam daturus ſit in fine Miſſæ*, & adhuc mere expoſitive, quatenus nempe regulariter communio miniſtratur in vivorum Miſſis, non autem ut danda ea ſit, ſi communio diſtribuatur intra Miſſas, quæ non patiuntur fidelium benedictionem in fine.

XVIII. *Si particula poſita erant ſuper corporale, extergit illud cum patena*, Rubrica inquit, & cum rationem ſubdat: *& ſi quæ in eo fuerint fragmenta, in calicem immittit*, nobis non ſuppetunt, quæ addamus. Monet Gavantus *loco citato lit.* quod ſi in fundo calicis unitæ vini ſpecies reperiantur, ſumi poterunt ante vini infuſionem in calicem; ſed quoniam ſubdit, quod *eſt ritus congruentior*, ſatis deſignat, quod iiſdem non obſtantibus poteſt Sacerdos procedere ad infuſionem vini, & cum hoc ſumere ſpecies ſanguinis, quæ in fundo calicis reperiantur reliquæ, unde Rubrica, diſtinctionem nullam faciens, Sacerdotem facit ſtatim progredi ad purificationem: *Deinde dicit ſecret. quod ore ſumpſimus Domine &c. & ſe purificat, dicens: Corpus tuum, Domine, quod ſumpſi, & alia facit ut ſupra*, ſcilicet ſicut in aliis miſſis, in quibus fidelibus non diſtribuit Euchariſtiam. Ultra vero fragmenta corporalis, in calicem debet Sacerdos excutere etiam illa, ſi quæ iiſdem digitis inter communicandum abhæſerint, eaque ſumere ſimul cum vino, quod pro purificatione infunditur, ſive Euchariſtiam miniſtraverit media patena, ſive pyxide; nam in hanc non immittuntur, niſi cum communio fit extra Miſſam, quo in caſu a Sacerdote abſumi non debent. Quid autem faciendum ſit, quoties Euchariſtia diſpenſata fuit media pyxide, aut ſi media patena, reliquæ adhuc ſunt particulæ, in ſequenti Decreto reſervamus dicere.

XIX. Quarum modo Rubrica meminit, orationes ad quærendum nos pertrahunt, cur ubi prior, ſcilicet *Quod ore ſumpſimus*, expreſſa eſt in plurali numero, poſterior, nempe *corpus tuum, quod ſumpſi*, in ſingulari reperitur, concepta, cum tamen olim non minus iſta fidelium communionem item reſpiceret, & pluralem præſeferret numerum; tracta enim erat a quadam Poſtcommunione Miſſalis Gothorum Carolo Magno antiquioris, uti eruitur ex codice a Cardinali Thomaſio publici juris facto, atque cantabat: *Corpus tuum, Domine, quod accepimus, & calicem tuum, quem potavimus, hæreat viſceribus noſtris, præſta Deus omnipotens; ut non*

remaneat macula, ubi pura, & ſancta intraverunt Sacramenta. At cum priſca deſierit, & interdicta ſit communio fidelium ſub utraque ſpecie, oratio, quæ calicis participationem memorat, rite adaptata extitit Sacerdoti, qui ſolus bibit Chriſti ſanguinem.

XX. *Miniſter autem dextera manu tenens vas cum vino, & aqua, ſiniſtra vero mappulam, aliquanto poſt Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abſtergendum*, ſunt poſtrema Rubricæ verba, & credit Vert *tom. 4. pag. 269.* vinum, quod communicatis porrigendum dicitur, reliquiam quamdam eſſe communionis olim populo dari conſuetæ, etiam ſub ſpecie vini. At eum diſerte Rubrica carpit, dum *pro purificatione* deſervire definit, ad abluendum os nempe, & in ſtomachum ejicienda fragmenta, ſi quæ ſacræ hoſtiæ vel palato adhærerent, vel inter dentes remanſiſſent, atque ad impediendum, ne expueretur eorumdem aliquod. Hanc ad rem hic nobis tranſcribere liceat, quod habet Baronius *an.* 403. de Joanne Chryſoſtomo, adverſus quem nonnulli libelli dati fuerunt, *nihil veri* (ait ipſe) *continentes præter id ſolum, quod monere ille conſueverat, ut poſt communionem aut aquam, aut paſtillum deguſtarent, ne contra voluntatem una cum ſaliva, ſive pituita quidquam Sacramenti excrearent, ipſe prius id faciens, religionemque pie ſentientibus augens.* Eo modo, quæ ſubdit: *certe quidem in occidentali Eccleſia antiquo uſu in more receptum eſt, ut poſt ſumptam ſacram Euchariſtiam ea de cauſa vinum aqua mixtum fideles accipiant, vel aquam puram arbitratu cujuſque, ut ex hoc minime reprehendendus Joannes eſſet.*

XXI. Jam itaque vides antiquum uſum, & rationabilem cauſam, ſed ubi Rubrica Miſſalis per Miſſæ miniſtrum vas cum vino aqua mixto porrigendum ſtatuit, modum alterum Rituale ſuggerit, ut nempe exponantur in loco decenti, & commodo unum, vel plura vaſa cum aqua, & vino, ut illuc accedens communicatus quilibet, & tempore ſibi bene viſo, & arbitratu ſuo de iiſdem bibere valeat; hinc Baruffaldus *tit.* 24. *num.* 24. habet: *Duo vaſa præparanda præcipit Rubrica ad purificationem fidelium poſt ſumptam Euchariſtiam: unum vino, alterum aqua plenum, non eo quia ex ambobus ſumere debeant fideles, ſed ad hoc, ut cui magis libeat, accedant, ſunt enim, qui a vino abſtinere ſolent.* Uterque modus teneri valet, ſive communio fiat intra, vel extra Miſſam.

XXII. *Iſta purificatio poſt communionem calicibus non eſt præbenda, ſed vaſculis diverſis habendis in ſacriſtia, ad hunc, & non ad alium uſum adhibendis, & ſervandis*, nos ibidem pergit monere Baruffaldus, & quidem (dummodo id intelligas cum excluſione Diaconi, & Subdiaconi, ac Sacerdotum communicantium in Miſſa ſolemni, de quibus jam egimus in cap. 1. Decr. 4.) conſonanter ad Concilium Bituricenſe anni 1524., quod *can.* 12. ſtatutum voluit: *In exhibenda laicis ſacra communione paratum ſit vas, quod formam calicis non præſeferat, ex quo ſumatur ablutio poſt communionem Euchariſtiæ.* Rationem ſuggerit Benedictus XIV. *Annot. tom. 2. part. 4. ſect. 1. num.* 338., ita nempe ſtatutum eſſe, ne communicantes crederent, ſe ſub ſpecie vini Euchariſtiam ſumere, dum vinum purificationis e calice bibunt. Ad complementum eorum, quæ ad purificationem attinent, liceat nobis addere, quæ habet Quartus par. 2. tit. 10. ſect. 3. dub. 3. difficult. 5. *Quoad purificationem vero dicendum eſt, eam eſſe neceſſario adhibendam, quando periculum eſt, ne fragmentum expuatur, alias minime; ſemper tamen adhiberi decens eſt ad cautelam, & in Rituali ſupra præcipitur.*

DECRETUM XII. CAP. IN ORD. LXV.

Communicando fra la Meſſa de Requiem, ſi faccia l'iſteſſo; nè ſi dia alcuna benedizione, nè ſi ſcordi di coprire fra tanto il calice con la ſolita palla. Ead. Congr. in eod. Decr.

I. Hinc patet licita inter Miſſas de Requiem communio fidelium, prout tamen diximus in Decr. 5., ex particulis nempe conſecratis in eiſdem Miſſis, non ex præconſecratis. In ea adminiſtranda *ſi faccia l'iſteſſo*, videlicet plene ſervandus ritus eſt, quem in præcedenti Decreto deſcripſimus, ſed *non ſi dia alcuna benedizione*, ideſt nec immediate poſt communionem, quo loco neque datur communicatis intra Miſſam, neque in fine Miſſæ, quo tempore quidem datur in vivorum Miſſis, non autem in iis Defunctorum, quæ cum jam careant fidelium benedictione, in eas inducenda non eſt, ne communicati, qui jam media Euchariſtia in ſe receperunt benedictionum auctorem, ſine benedictione diſcedant. Ita quidem quoad benedictionem; ſed quod ſanctio habet de cooperiendo cum palla calice tempore communionis, cum ſtatutum ſit, ne muſca, aut aliquid aliud in calicem incidat, dubio procul commune & eſſe debet Miſſis vivorum, quibus communis eſt ratio, atque periculum, quare & Gavantus *part. 2. tit.* 10. *lit. d.* generaliter habet: *Celebrans autem poſt ſumptionem ſanguinis calicem palla tegat, antequam alios communicet.*

II. Ad completam communionis notionem cum adhuc nonnulla deſint, volumus, quod id, quod præſcribit laudata Rubrica *n.* 7. nobis occaſio ſit ad ea tradenda: *Si in altari remaneant particulæ in calice, ſeu in alio vaſe uſque ad finem Miſſæ, ſerventur ea, quæ in feria V. Cœnæ Domini præſcribuntur circa finem Miſſæ.* Finita fidelium communione Sacerdos reddit ad altare, unitos adhuc tenens pollices, & indices, manu dextera ſuper pyxidis labia, ſeu patenæ adhærente, ita ut reliqui digiti complicentur, pollex vero, & index manus dexteræ ſupra pyxidem, vel patenam extendantur. Si miniſtravit cum pyxide, & particulæ remaneant, deponit pyxidem ſuper altare, genuflectit unico genu, deinde erectus pyxidem cooperit, & intra tabernaculum reponit, ubi ea repoſita, genuflectit unico genu, & ſurgens claudit oſtiolum tabernaculi. Quod ſi quidem aliquæ particulæ remanſerint ſive ſuper corporale, vel ſuper patenam, vel in pyxide, quæ aſſervandæ non ſint, illas reverenter ſumit celebrans, & poſtea collectis de more fragmentis, & in calicem immiſſis, conſueto modo reliquum Miſſæ perficit; quatenus vero Euchariſtiam miniſtraverit media pyxide, hanc purificat modo, quem ſtatim dabimus. At ſi particulæ conſecratæ aſſervari debeant, & ex defectu tabernaculi recondi non valeant, ſed in altari remanere debeant uſque ad finem Miſſæ, tunc ad altare, in quo eſt tabernaculum, commode aſportandæ, jam adducta Rubrica ea ſervari mandat, quæ præſcribuntur in feria V. Cœnæ Domini circa finem Miſſæ; nos autem eadem dedimus cap. 8. §. 30., ubi de ritu ſervando tum in Miſſa ſolemni, tum privata coram SS. Sacramento.

III. Purificandæ pyxidis triplex aſſignatur modus, primus a Gavanto *par. 2. tit.* 10. *Rubr. 7. lit. b.*, nimirum ut colligantur diligentiſſime in ejus fundo fragmenta cum indice manus dexteræ, & cum eodem indice ſumantur, indicem admovendo linguæ, vel ad labium pyxidis fragmenta deducendo, & eidem os admovendo. Quo facto infundatur in pyxidem paululum vini, quo circumacto, & tergente indice tota pars interior pyxidis abſtergatur, & eo ex pyxide hauſto, exſiccetur interior pyxidis undequaque purificatorio. Ejuſmodi ritus hæc poteſt eſſe ratio, quod cum fragmenta ad præſens non attineant, ſed ad præteritum Sacrificium (eſt ſermo de caſu communionis adminiſtratæ cum particulis præconſecratis) in omni rigore ſumi non poſſunt, niſi a Sacerdote jejuno, & ideo opus eſt, vel cum indice ut ſupra ſumantur, vel ad labium pyxidis deducta, ore abſorbeantur, ne ſi ponatur vinum in Pyxide, in ſtommachum prius hoc intret, quam fragmenta.

IV. Tanquam indecens, & effuſionis, vel diſperſionis periculo obnoxius, communiter rejicitur modus iſte, & quidem a Merato ipſo *par. 2. tit.* 10. *num.* 32., ubi adhærens Quarto *par. 2. tit.* 10. *ſect. 2. dub.* 8., hunc alterum aſſignat modum, & eſt, quod Sacerdos diligenter quidem fragmentum quodvis colligat, faciens illud cadere in calicem indice manus dexteræ, & poſtea pyxidem purificet vino, hoc exinde infudendo in calicem, ex quo, & non ex pyxide haurit fragmenta ſimul cum vino. Et quidem dubium non eſt, quod calix eſt vas magis aptum ad tutius ſumenda tum fragmenta, tum oblationem, ubi pyxis cum habeat labrum valde patens, vix ex ea fragmenta ſumi, aut ablutio bibi poteſt ſine periculo effuſionis, & diſperſionis, cui propterea tanquam obnoxius, rite damnatur Gavanti ritus. Indecens vero ex eo apparet, quatenus medio digito facit Sacerdotem fragmenta ſumere; cum enim fragmenta tuto non adhæreant digito, niſi madefacto ſaliva, in eo conſiſtit modus iſte, ut mediante ſaliva colligantur ſacra fragmenta, & in os immittantur; hic autem modus etiam in ſumptione cibi profani, & inter convivas mediocris conditionis certe incivilis, & indecens reputaretur, & nec dubito, quod hac de cauſa teneri indictus non fuit in ſumptione fragmentorum intra Miſſam, ſed hæc magis in calicem mittenda juſſa ſunt, & cum vino ſumenda.

V. Tertius modus eorum eſt, qui nec fragmenta ſcrutantes indice, nec colligentes, aut ſeparatim immittentes in calicem, ſtatim vinum in pyxidem infundunt, & bene per eam circumactum, poſtea in calicem mittunt, atque ex eo illud bibunt, & idipſum præſtant de ablutione, quatenus opus ſit. Fortaſſe præcedens eſt aptior agendi ratio, ſed nec nobis ſuppetunt, unde hanc damnemus; quæcumque autem ſervetur, ſtatim ac pyxis purificata eſt, abſtergitur cum purificatorio, & exterſa tegitur cum ſuo operculo, & reponitur ſuper altare extra corporale. At quoniam duplici huic agendi modo obſtare videtur ratio ex jejunio ut ſupra petita, duplex reſponſio adhiberi ſolet, quarum prima eſt, quod non minus præexigitur jejunium ad perceptionem fragmentorum ſacrificii præteriti, quam præſentis, cum æque utraque Chriſtum contineant, quare ſi nihilominus fragmenta ſacrificii præſentis ſimul cum vino ſumi poſſunt, quidni & ea præteriti? Altera eſt, quia uter ex poſterioribus ritibus moraliter neceſſarius eſt ad fragmenta ſumenda cum ſecuritate, & decentia, unde præceptum jejunii, quod præciſe inductum eſt in reverentiam Sacramenti, obligare non poteſt contra reverentiam Sacramento debitam. Diximus, *uter ex poſterioribus ritibus*, quia illorum ritus, qui purificant quidem pyxidem, ſed nec digitis, nec vino, ſed ſolo utuntur purificatorio, cum fragmenta enormiter diſperdat, dignus nec eſt, qui afferatur in medium, ſed corruit enormitate ſua.

VI. At ſi Sacerdos mutare debeat particulas recens conſecratas cum aliis, quæ conſervantur in tabernaculo, facta ſumptione, ſanguinis, & palla cooperto Miſſæ calice, & parumper ex parte Evangelii ſuper corporale poſito, aperit cuſtodiam, genuflectit unico genu, extrahit pyxidem, collocat in medio ſuper corporale, illam aperit, & poſtea iterum genuflectit unico genu. Surgens abſumet particulas veteres, purificat pyxidem, in hanc immittit novas particulas, claudit mox eamdem, & reponit in tabernaculo, & antequam illud claudat, genuflectit unico genu. Quod ſi novæ particulæ erant in

vaſe

vaſe aliquo, vel altera pyxide, etiam hæc purificari debet, & tunc idem quidem vinum deſervire poteſt ad purificationem utriuſque pyxidis, & calicis; ſed ſatius erit, quod etiam adbibeatur ablutio pro tutiori fragmentorum collectione, ne eorum aliquid adhæreat pyxidi, cum tunc habeantur fragmenta trium vaſorum, nempe calicis Miſſæ, & duarum pyxidum. In caſu autem, quod vinum, quod deſerviit pro purificatione primæ pyxidis, adhibeatur etiam pro ſecunda, vinum e prima pyxide infundetur in calice, e calice in ſecundam pyxidem, & ab hac iterum in calicem, ut ex hoc tutiori modo illud ebibere valeat. Præſtat tamen, ut vinum deſerviat ad purificationem ſecundæ, & quatenus opus ſit, nihil impedit aliud vinum adhiberi, vel aquam.

VII. Pyxis, ut purificata fuit, ponitur ſuper altare extra corporale, & per aliquem clericum aſportatur in ſacriſtiam, at ſi minime purificetur, & in ea nullæ reliquæ ſint particulæ, ut non ſemel evenit in adminiſtratione Euchariſtiæ extra Miſſam, tunc ſuper altare extra corporale reponenda ea non eſt, ſed intra tabernaculum eſt recondenda, & tunc non genuflectit celebrans, antequam claudat tabernaculum, niſi in hoc jam haberetur Sacramentum in alio vaſe aſſervatum, quo in caſu genuflecteret, ſtatim ac illud operit, & iterum, antequam illud claudat. Quod ſi in altari non haberetur tabernaculum, in quo recondi poſſit, pyxis ponatur ſuper corporale, & aram, vel ſaltem in altari ſuppoſita palla; Id enim honoris exigunt fragmenta, quæ intra pyxidem latere poſſunt, atque præiiatur eadem de cauſa erga calicem in duabus primis Miſſis Nativitatis Domini. Harum Miſſarum opportune admodum ſe nobis offert exemplum, ex ritu namque, qui teneri præſcriptus eſt erga calicem non purificatum, in quo certius reliquæ ſunt guttæ ſanguinis, quam ſint fragmenta in pyxide non purificata, ad rem noſtram duo inferuntur, & quod nempe non obſtante præſentia prædictæ pyxidis reliquum Miſſæ a Sacerdote de more peragitur ſine genuflexionibus, uti ſit in Miſſis celebratis in altari, in quo non eſt Sacramentum, & quod qui aſportat ad tabernaculum prædictam pyxidem, ſufficit, quod ſit in ſacris, nec neceſſe eſt, quod aſportetur cum ſtipatione luminum, nec quod hæc ardeant ante altare, in quo illa aſſervatur.

DECRETUM XIII. CAP. IN ORD. LXVI.

Chi comunica finita la Meſſa, ſi tenga la pianeta, ed il manipolo, come preſcrive il Rituale Romano; nè il Chierico eſtingua il cereo dell'elevazione, ſino che ſia finita la comunione. Ead. Congreg. in eod. Decreto.

I. Q*Uod ſi contingat, abſoluta Miſſa, ſtatim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc planeta indutus, ſacram communionem eo modo quo ſupra dictum eſt, miniſtrabit*, diſpoſitio eſt Ritualis Romani, per quam ſtatuit, communionem, quæ nonnunquam ſit immediate poſt Miſſam, adminiſtrandam eſſe a Sacerdote induto planeta, cujuſcumque coloris ſit, in qua Miſſam celebravit, ac conſequenter retentis etiam manipulo, aliiſque Miſſæ veſtibus, quæ propterea deponendæ non erunt, ut ſumantur ſuperpelliceum, & ſtola, quæ a Rituali aſſignantur tanquam veſtes propriæ pro communiono extra Miſſam, etſi enim actus iſte non ſit continuus, eſt tamen contiguus Miſſæ, ut ex Sarnel. *comment. de ritu Miſſæ* notat Baruffaldus *tit.* 24. *num.* 24., ego vero eum etiam contiguum lubens dicerem, quoties communio fit ex particulis in eadem Miſſa conſecratis, quia tunc communio quodammodo pertinet ad complementum Sacrificii, licet rationabili de cauſa ad finem Miſſæ dilata fuerit. Quod addit ſanctio de non extinguendo elevationis cereo, jam examinatum extitit in Decr. 9. cap., & ſolidum fundamentum habet in Rubrica VIII. *num. 6.*, quæ prædictum cereum non eſſe extinguendum, diſerte docet, niſi poſt communionem Sacerdotis, & aliorum, ſi qui ſunt communicandi, ut tamen, quoad præſens attinet, diſtinguens dicito, quod ſi communio in fine Miſſæ facienda ſit ex particulis in eadem Miſſa conſecratis, tunc quidem cereus extinguendus non eſt, cum in altari præſens ſit Sacramentum, in cujus honorem ardere præcipitur, ſed ſi communio miniſtranda ſit ex particulis in tabernaculo contentis, & ab eo extractis, tunc poſt communionem Sacerdotis extingui quidem poteſt, dummodo ad Miſſæ finem iterum accendatur, antequam ſacra pyxis e tabernaculo extrahatur.

II. Quoties itaque communicandum eſt in fine Miſſæ, terminato ultimo Evangelio celebrans accedit ad medium altaris, removet, & deponit calicem a cornu Evangelii extra corporale, aperit tabernaculum, & cetera cuncta tam ipſe, quam miniſter præſtat ritu conſueto communionis extra Miſſam. Hanc fidelium communionem cum non ſubſequatur Miſſa, in cujus fine communicati benedictionem recipiunt, crederem more conſueto benedictionem communicatis dandam eſſe, licet adſtiterint Miſſæ; & in hujus fine illam receperint, quemadmodum ſentit Meratus *loc. cit.* Rituale Romanum habet de Sacerdote communicante abſoluta Miſſa, *Sacram communionem eo modo, quo ſupra dictum eſt, miniſtrabit*, & quatenus to *ſupra* referri debeat ad id, quod immediate antea dixerat, benedictio impertienda non eſſet, cum immediate antea agat de communione intra Miſſam, quo in caſu non datur benedictio, niſi in fine Miſſæ; abſit tamen, ego refrager, ſi to *ut ſupra* tu referendum putes ad modum, quem antecedenter idem Rituale præſcribit pro communione extra Miſſam cujuſmodi reapſe eſt, de qua agimus, & conſequenter benedictionem iiſdem impertiendam denuo eſſe, etſi eam receperint in fine Miſſæ, quia hæc dumtaxat cecidit ſuper communicaturis, *non ſuper iis, qui communicarunt*, ſicut Rituale mandat, nec in hoc contradicit Miſſalis Rubricæ, quæ quidem communicatis intra Miſſam non illico benedicit, ſed ubertim ſe explicat, quia in fine Miſſæ communicati benedicendi ſunt.

III. Si communio adminiſtretur per modum ſacrificii, & ex particulis in eadem Miſſa conſecratis, rationabili de cauſa ad finem Miſſæ Defunctorum differri poſſe diximus, & quærimus, nom in tali caſu benedictio communicatis impertienda ſit? Dicendum videtur, quod non, tum quia communicatis intra Miſſas de Requiem, nec benedicitur intra Miſſam, neque in fine Miſſæ; tum etiam quia Sacerdos eſt in paramentis nigris, in quibus fortaſſe minus congruit, vivis benedictionem fieri. Hæc tamen ex eo ruit ratio, quod Sacerdos, etſi in veſtibus nigris, benedicit communicaturis ad *Indulgentiam*, illa vero, quia benedictio, quæ juxta Rubricas communicatis intra Miſſam danda eſt in fine miſſæ, dari non poteſt in fine Miſſæ Defunctorum, quæ vivorum benedictionem non patitur, ſed ut advertit Marcellus Cavalieri Epiſcopus Gravinenſis, & meus Patruus *ſtatera ſacra pag.* 516., B. Alberti auctoritati nixus, quidquid in Miſſis Defunctorum dicitur, debet dirigi ad remedium in purgatorio exiſtentium; quare cum communio, de qua impræſentiarum ſermo eſt, reapſe ſit extra Miſſam, non eſt, quod vetare queat, ne in ejuſdem fine communicatis benedictio danda ſit ad Rubricarum tramites, quæ univerſim communicatis extra Miſſam benedictionem dandam eſſe ſtatuunt.

IV. Æquum eſt, nunc ſuſcipiamus agere de communione, quæ fit extra Miſſam & occaſionem Miſſæ, Ritualis Romani perſequentes Rubricam, quæ de ea in primis *Sacerdos igitur Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus*. In Sacramentis aliis cum non diſtinguatur uſus a confectione, ſemper eſt idem miniſter conficiens, & miniſtrans, ſeu applicans ſubjecto Sacramentum, quod conficit, ſed cum in Euchariſtiæ Sacramento uſus diſtinguatur a confectione, poteſt unus conficere, & alter miniſtrare, ſeu diſpenſare. Dubium non eſt, quod ſolus Sacerdos eſt Miniſter conficiens, quinimmo etiam miniſter diſpenſans, ſi ſermo ſit de miniſtro proprio, & ordinario, cui id per ſe competit ex officio, unde cap. *Perveniat* de conſecr. diſt. 2. *In Sacramentali tamen ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes, ſeipſos communicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure, & merito retineri debet*; & Eccleſia in hymno, qui opus creditur D. Thomæ Aquinatis: *Cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic convenit, ut ſumant, & dent ceteris.*

V. Non ita tamen diſpenſatio Sacræ Euchariſtiæ propria eſt Sacerdotum, ut ex cauſa neceſſitatis officium ejuſmodi committi non poſſit Diacono, qui ex vi ſuæ ordinationis eſt miniſter extraordinarius, non proprie & per ſe, ſed in defectu Sacerdotis, & nonniſi ex commiſſione, unde Can. 38. Concilii Carthaginenſis: *ut Diaconus præſente presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*; & Clem. 1. lib. 8. conſt. Apoſt. Can. 28. *Diaconus oblationem a Presbytero factam dat populo, non tamquam Sacerdos, ſed tamquam qui Sacerdoti miniſtrat.* Tempus inaniter tererem, ſi evolvere vellem antiquitatis monumenta, ex quibus diſpenſatio Euchariſtiæ Diaconis evincitur fuiſſe commiſſa, & præſertim Dominici ſanguinis, unde Laurentius ad Xyſtum: *Experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.*

VI. Quænam cauſa, aut neceſſitas requiratur, ut Diacono fiat ejuſmodi commiſſio, frequenter Doctores neque extremam, expoſcunt, nec admodum gravem, edocentque ſufficere communem prudenti judicio taxandam, puta ſi Sacerdos occupatus ſit in audiendis confeſſionibus, aut ſit nimis debilis, vel infirmus, ſeu ſi inſtet annui præcepti adimpletio, ſive conſecutio Jubilæi, aut adſit multitudo magna communicantium, etiam ex ſola devotione, dummodo præſto non ſit Sacerdotum copia, qui id officii commode valeant præſtare. Inſurgunt Auctores alii dicentes id quidem in primordiis Eccleſiæ, quia deficiebat Sacerdotum copia, & exuberabat communicantium numerus, ſed non in præſenti ſtatu, in quo plurimi ſunt Sacerdotes, & pauci communicantes; & quando adhuc ſecus foret, a deputatione Diaconorum abſtinendum eſſet ratione ſcandali, & admirationis, quæ in populo poſſent excitari ratione contrariæ conſuetudinis. Verum quod ad ſcandalum attinet admirationemque, hæc prævia populi inſtructione facile tolluntur, quare ſi in productis caſibus, aliiſque ſimilibus alicubi deſit Sacerdotum copia, videre non eſt, cur etiam modo non debeat eſſe licitum, quod in primitiva Eccleſia fiebat.

VII. Cujus Sacerdotis ſit prædictam licentiam facere, & commiſſionem, dubium inſurgit, ſed Parochis, quibus onus incumbit Sacramentis paſcere proprias oves, id muneris ſententia communis attribuit. Quod ſi Parochus eam injuſte denegaret, ait Suarez, poſſe Diaconum ſine peccato Euchariſtiam miniſtrare ex licentia interpretativa Epiſcopi, aut ſummi Pontificis, ſuppoſito tamen, quod neceſſitas ſit gravis, & cauſa urgens, & non communis, cui aliis mediis occurri poſſit, & quæ ſpatium permittat recurrendi ad ſuperiorem, quo ſolo in caſu licentia interpretativa, & præſumpta

haberi intelligitur. Juriſdictionis poteſtas, quam alias neceſſariam fecimus ad paſcendas Chriſti oves cœleſti pabulo, ea utique eſt, quæ prædictam commiſſionem adjudicat Parochis, quæ adhuc ſtat integra, quia communis conſuetudo poſtmodum introducta, ob quam quilibet Sacerdos abſque ulla licentia procedit ad communicandos fideles, non militat in favorem Diaconorum, ſed dumtaxat Sacerdotum, & horum adhuc pro ſola adminiſtratione ab ipſis habenda, non pro commiſſione facienda Diaconis, qui propterea ſe abſtinere omnino debebunt, etiam interveniente communium Sacerdotum commiſſione, niſi in caſibus, in quibus Parochorum licentia rite præſumi poteſt. Secus tamen eſt de Regularibus, qui cum ſuper diſtributione Euchariſtiæ Apoſtolicis gaudeant privilegiis, haud dubitarem, etiam gaudere facultate delegandi Diaconos in caſibus neceſſitatis ut ſupra.

VIII. In hoc Sacramento neceſſe non eſt, miniſter ſit perſona diſtincta a ſuſcipiente, & ideo etſi Sacerdos, quando communicat extra Miſſam, tenetur de manu alterius Euchariſtiam ſuſcipere, quia communicat laicorum more, qui juxta univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem communicant de manu alterius, ſi tamen deſit alterius Sacerdotis copia, haud dubita, poſſe licite ſeipſum communicare, nedum in caſu neceſſitatis, puta in articulo mortis, ſed etiam cauſa ſolius devotionis. Tuto hæc ſcribere poſſe credimus, cum idipſum Diacono, nulla mentione facta de mortis articulo, a Concilio Nicœno primo *can.* 14. per hæc verba conceſſum fuiſſe referatur: *Accipiant* (Diaconi) *Euchariſtiam ſecundum ordinem poſt Presbyteros ab Epiſcopo, vel a Presbytero. Quod ſi non fuerit in præſenti vel Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi proferant, & edant.*

IX. Cum Sacerdotes, & Diaconi facultate ut ſupra gaudeant miniſtrandi aliis Sacroſanctam Euchariſtiam, diſſonum utique eſſe non poteſt, quod eam & ſibi miniſtrare valeant, ſi deſint, qui eamdem ipſis diſtribuant. Quod notatu nobis dignum apparet, mos ille eſt, quem nobis inſinuant antiquitatis monumenta plurima, ut videlicet etiam laici incolentes eremos, domum Euchariſtiam deferrent, eamque in Sacerdotum defectu a ſeipſis ſumerent, ut de Baſilii ævo apud Anaſtaſium Nicænum quæſt. 7. in ſcripturam: *Neceſſe habere aliquem, ſi non adſit Sacerdos, communionem propria manu ſumere: omnes enim, qui ſunt in deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem, ex ſeipſis eam ſumunt, Alexandriæ autem, & in Ægypto unuſquiſque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habet communionem domi ſuæ. Nam cum Sacerdos ſemel confecerit hoſtiam, & dederit, eam accipiens, & communicans, tanquam a Sacerdote ſumptam participare ſe debet credere: etenim in Eccleſia tradit Sacerdos particulam, & cum omni poteſtate eam tenet, qui accipit, & ſic ſua manu ad os eam deducit.* Baſilius ad Cæſarem Patritium idipſum factum fuiſſe ſcribit tempora perſecutorum Eccleſiæ, quo priſcis fidelibus cum tutus non eſſet, nec ad Sacerdotes acceſſus, permiſſum eiſdem extitit in propriis domibus retinere particulas conſecratas, ad collum eaſdem deferre, & propriis ſe communicare manibus, præſertim cum trahebantur ad martyrium, quamvis laici, & fœminæ eſſent.

X. At non ſolum ſibi, ſed etiam aliis laicos Euchariſtiam adminiſtraſſe, non leve argumentum eſt hiſtoria, quam *lib.* 5. *c.* 24., & *lib.* 6. *c.* 36. refert Euſebius de Serapione ſene, qui cum ægrotaret, per puerum accerſebat ſibi Presbyterum, ſed cum hic ſimiliter impeditus, & ægrotus, ire non poſſet, *eidem puero exiguam quandam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens, ut eam madefactam in os ſenis infunderet.* Exemplum aliud narrat Baronius *anno* 902. de Theoctiſte Virgine Lesbia, quæ per annos 37. morata in ſolitudine Inſulæ Paros, a venatore reperta, flagitavit, & obtinuit, ut ſibi Euchariſtiam deferret, ut fecit anno ſequenti; qua reverenter ſuſcepta, expiravit. Recentius haberemus exemplum in Maria Stuarda Regina Scotiæ, quæ Martyrium ſubitura de mandato Eliſabettæ, propriis manibus ſumpſit Euchariſtiam, quam apud ſe conſervabat, neque a catholicis ejuſmodi factum reprobatum fuit, ſed quoniam Cauſinus id ex ſpeciali diſpenſatione Pii V. eveniſſe refert, rem claudat Balſamon in Can. 58. Gratiani. *Latini autem azyma aſſidue in ſinu ferentes, etiamſi ſint Laici, ea non ſolum ſibi ut Sacramenta impertiunt, ſed etiam aliis*; qua de re recoli item poteſt Tertullianus *lib.* 2. *ad uxor.*

XI. Hic meminiſſe juvat Ordinis Romani octavi, ex quo diſcimus, quod in Ordinatione *ſacculum ſuper planetam* ab Epiſcopo recipiebant acolythi; in cujus autem uſum deſerviret ejuſmodi ſacculus, ſatis explicat Mabillon muſ. Ital. to. 2. fol. 85. *Ejuſmodi ſacculus erat ad recipiendam, & deferendam Euchariſtiam.* Rem penitus enucleat Martyrologium Romanum, dum ad diem 15. Auguſti ſcribit: *Romæ via Appia Sancti Tharſitii Acolythi, quem Pagani cum inveniſſent Corporis Domini Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere, quid gereret, ille indignum judicans porcis prodere margaritas, ab illis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum.*

XII. Plurima hæc adeo ſunt, ut non tamquam omnino improbabilis rejicienda videatur eorum Auctorum ſententia, qui dummodo præcedat admonitio populi ad præcavendum ſcandalum ratione contrariæ conſuetudinis, antiquum Eccleſiæ uſum pro mortis articulo innovari poſſe cenſent, non obſtantibus poſterioribus Eccleſiæ legibus, & ne quidem cap. *Pervenit* de conſecr. diſt. 2., a quarum omnium diſpoſitione per Epichejam articulum mortis eripiunt; quare Gobat *Theol. exper. tract.* 4. *num.* 454. concludit: *Cum igitur certum ſit nihil agi contra legem Chriſti, ſi laicus deferat viaticum; certum quoque, fuiſſe olim poſitive permiſſum, ut laici deferrent, deficientibus ſacris perſonis, ad moribundos Panem Angelicum, leges vero Eccleſiaſticæ, quæ poſt mirifice auctum numerum Sacerdotum interdixerunt laicis ejuſmodi miniſterium, non videantur complecti caſum tantæ neceſſitatis, atque inſuper urgeat per ſe lex Chriſti de Euchariſtia ſumenda per modum viatici, ac denique leges poſteriores correctivæ antiquiorum, ac limitativæ poteſtatis, conſuetudiniſque legitimæ, debeant reſtringi potius, quam ampliari, puto doctrinam, quam deſcudimus, niſi ſolida fundamenta.* His unum ego addo, quod ubi cap. *Pervenit*, quod rigidiori ſermone loquitur, habet: *Sed omnimodis Presbyter per ſeipſum communicet infirmum*, ad ea *Per ſeipſum* ſubdit Gloſſa: *vel per Diaconum, ſi neceſſe eſt, ut 93. diſt. præſenti: vel per laicum catholicum. 29. qu. 1. capit.*

XIII. *Hoſtiis, ſeu particulis pro populi multitudine conſecratis*, Rituale proſequitur, his deſignans verbis, quod in conſecrandis particulis habenda eſt ratio multitudinis populi, ſolemnitatis itidem, & concurſus, ne particulæ fortaſſe deſint, & aliqui incommunicati cogantur recedere. At quoniam iſta ad unguem metiri non poſſunt, conſultum erit in particularum conſecratione magis abundare, quam deficere, recondendo eas, quæ ſuperſunt, intra tabernaculum, in quo jam aſſidue aſſervari debent particulæ conſecratæ pro communione infirmorum, quatenus vero communio fiat apud Eccleſias, quæ jus non habent aſſervandi SS. Sacramentum, a Sacerdote abſumi eæ debebunt intra Miſſam, ſi quæ poſtmodum celebretur, ſin, in ſequenti die. Ita quidem, quando adminiſtratur Euchariſtia ex præconſecratis, & extra Miſſam, at ſi ex conſecratis in eadem Miſſa, Sacerdos, ſi quæ particulæ poſt fidelium communionem ſuperſint, poterit vel eas ipſe ſumere, vel ut ſupra intra tabernaculum recondere.

XIV. *Vaſculoque uno, vel pluribus, decenti, & commodo loco expoſitis, cum vino, & aqua ad purificationem eorum, qui communionem ſumpſerint*, ſunt alia Ritualis verba, de quibus jam ſatis egimus in Decr. 10., & ideo continuo arripimus, quæ idem Rituale ſubdit: *& ante eos linteo mundo extenſo*, ſed de hoc tanquam in opportuniori loco in ſequenti Decreto reſervamus agere.

XV. *Lotis prius manibus*. Manuum lotio etiam exigitur a Rubrica Miſſalis in Sacerdote celebraturo, & in utroque caſu eamdem utique ob cauſam, propter reverentiam nempe Sacramenti, quod debet tangere, & contrectare ipſis manibus, quæ propterea ſi notabiliter fuerint ſordidæ, ob magnam irreverentiam Sacerdotes Auctores damnant mortalis culpæ, venialis vero, ſi ſordes modica ſit, & levis. Sunt tamen, qui ſi contemptus deſit, ſolum veniali peccato in priori caſu Sacerdotem plectant, nullo in poſteriori, & nulli etiam nos illum obnoxium facimus, qui cum habeat manus mundas, Rubricæ haudquaquam obſequitur lavando manus; finem namque Rubricæ ſervat, ſi non verba, licet undequaque congruat, quod materialibus adhuc verbis ipſis pareat.

XVI. Munditiem animæ a mortali labe in adminiſtrante Euchariſtiam communior ſententia potiori jure videtur expoſcere, ita ut ſi adminiſtrans conſcientiam habeat culpæ lethalis, mortaliter peccet, quidquid alii cenſeant, qui quia in hoc Sacramento Miniſter Sacramentum non conficit, a gravi culpa adminiſtrantem abſolvunt. Eſt namque de jure naturali, ait D. Thomas in 4. *diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 5. *ad* 2., ut homo ſancta ſancte tractet, unde Iſaiæ 52. 11. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* An autem tot peccata committat, quot perſones ſucceſſive, & non interrupte communicat, ſunt, qui unicum peccatum patrare ſentiunt, quia actiones illæ omnes continuatæ ſunt, & homogeneæ, alii vero peccata multiplicant, quia actiones etſi continuatæ ſint, & homogeneæ, earum quæque ſuum complementum integre habet, fornicatoris inſtar, qui etſi continuatim cum eadem perſona ter, aut bis fornicetur, totidem item peccata cenſetur committere, & non unum dumtaxat.

XVII. An peccet, & quali peccato Sacerdos, qui in peccato mortali exiſtens, hoc quidem Sacramentum haudquaquam diſpenſat, ſed ſolummodo tangit, aut ab uno ad aliud aſportat altare, vel illud per proceſſionem geſtat, quæſtio alia eſt, in qua ex capite irreverentiæ Sacerdos gravis culpæ videtur damnandus, ſed in hoc caſu benignior ſententia Vaſquez *diſp.* 136. *num.* 38., Cardinalis de Lugo *de Sacram. diſp.* 8. *ſect.* 9. *num.* 155., Averiæ *de Euch. quæſt.* 10. *ſect.* 6. §. 5., aliorumque Auctorum fortaſſe eſt amplectenda, quidquid ſit de eodem, prout Sacerdotem adminiſtrantem a peccato mortali liberat, in hoc quippe caſu Sacerdos Miniſter eſt, & ad ſanctificationem communicantis quodammodo concurrit, non in illo.

XVIII. *Et ſuperpelliceo indutus, ac deſuper ſtola coloris officio illius diei convenientis.* Quod de colore ſtolæ ſtatuitur, ſua alibi ponderatione non caruit; quantum vero ad ſuperpelliceum, & ſtolam, veſtes iſtæ ſunt, quas adeo neceſſe eſt adhiberi, ut Quartus *par.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 2. ſecus agentem peccati mortalis accuſet, quia veſtes prædictæ, ait ipſe, ſupra communes clericales diſtricte præcipiuntur, tanquam ritus gravis ad reverentem tractationem tanto Sacramento debitam juxta cap. *ſane* de celebr. Miſſar., & univerſalem Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ conſuetudinem, & acceptionem; & in hac parte item concordant Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 4., Graſſius *lib.* 2. *cap.* 40., Fagundez *præcepto* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 9., Bonacina *de Sacram. diſp.* 4. *quæſt.* 5. *punct.* 2. *num.* 8. Averſa *de Euch. quæſt.* 10. *ſect.* 5. §. 2. Quemadmodum vero idem Quarti *loc. cit.*, Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 34., Bordonus, & alii Sacerdotem, qui ab uno altari ad aliud ſine ſuperpelliceo, & ſtola aſportat, a gravi peccato abſolvunt, ita nos camiſiam pro cotta abſque ullo peccato in omni caſu ſupplere poſſe credimus.

XIX. *Præcedente Clerico, ſeu alio Miniſtro.* Plurima, quæ Miniſter ut infra debet præſtare, ejuſdem neceſſitatem aperte commonſtrant; decet autem, Clericus ſit ſuperpelliceo mundo indutus, ſed ob Clericorum penuriam, qui non ita promptu ſemper haberi poſſunt, Rituale contentum etiam eſt *alio Miniſtro*, qui quidem Clericus non ſit, ſed Laicus, nunquam tamen femina. Baruffaldus *tit.* 24. *num.* 30. Miniſtro, ſi Laicus eſt, ſuperpelliceum contendit, tanquam veſtem clericalem, ſed contrariam fere communem habet conſuetudinem, quæ cum vigeat tacentibus ſupremis Eccleſiæ Prælatis, & ad decentem divinorum celebrationem valde conferat, eamdem damnare non audemus.

XX. *Procedit ad altare manibus junctis*, in quo nempe adeſt tabernaculum cum pyxide particularum conſecratarum; junguntur autem manus humilitatis, & devotionis gratia, ſicuti inquit Gavantus *par.* 2. *tit.* 3. *lit. e.* Modum jungendi manus Meratus *ibidem num.* 1. ita deſcribit, ut videlicet abſque ulla geſticulatione manus manui approximetur, ita ut quilibet digitus ſuum ſimilem tangat, v. g. index manus ſiniſtræ indicem manus dexteræ, medius medium, & palma palmam, qui nec directa faciem celebrantis, neque terram reſpiciant, ſed manus ut ſupra junctæ, extenſæ ſint ante pectus. Ita quidem, quoties Miniſter, ut decens eſt, corporale deferat cum clave tabernaculi, quoniam ſi hæc Sacerdos deferret, eo quod Miniſter Laicus ſit, juxta Baruffaldi monitum, tunc Miniſter incedat junctis manibus, Sacerdos vero corporale deferat ante pectus manibus ſuppoſitis.

XXI. *Et accenſis Cereis*, adeoque non ſufficiunt lampades, etſi plures ardeant ante Sacramentum, in cujus ut in tabernaculo incluſi venerationem deſtinatæ illæ ſunt, & quidem ſufficiunt, non tamen pro Sacramento ſuper altare poſito, pro quo ulterius in altari Cerei exiguntur accenſi, ſufficiunt vero duo, qui & ſatis reputantur pro Miſſa. De intortitio extra altare ſupereſt difficultas, & videtur, quod debeat item ardere; de mandato enim Rubricæ ſemper ardet in altari, quoties Sacramentum eſt ſuper aram, neque extinguitur, donec completa eſt communio populi. Decretum 9. cap. accendi præcipit ad communionem ante Miſſam, & præſens non extingui, ſi communio differatur poſt Miſſam. Cum itaque undique pateat, quod prædictus Cæreus accendi jubetur in venerationem SS. Sacramenti, quoties ſuper altare habetur detectum, rite infert Quartus *part.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 3. etiam in præſenti caſu inflammari debere, licet cum eodem omiſſionem gravi culpæ non putamus obnoxiam.

XXII. *Facta prius, & poſtea genuflexione, extrahit pyxidem, & illa ſuper corporale depoſitam diſcooperit*, proſequitur Rituale, ſed cum rem penitus non enucleet, hic erit ritus. Ut Sacerdos ad altare devenit, depoſito birreto, quod Miniſtro conſignat, genuflectit unico genu ante gradum altaris infimum, mox aſcendit altare, & ſuper hoc explicat corporale, aperit tabernaculum, genuflectit unico genu, extrahit pyxidem, & illam ſuper corporale collocat. Continuo illam aperit, ejuſdem operculo ſuper corporale, non extra poſito, & ſtatim iterum genuflectit unico genu.

XXIII. *Miniſter genibus flexis, nomine populi ad cornu Epiſtolæ facit confeſſionem, dicens Confiteor Deo Omnipotenti &c.* Miniſter accepto birreto a celebrante, illud deponit, mox ex parte Epiſtolæ burſam, ſi eam ipſe detulit, ſuper altare collocat, & alia omnino præſtat, quæ, & prout deſcripſimus in præcedenti Decreto, ubi cum & uberi expoſitione proſecuti fuerimus, quæ Sacerdos præſtare debeat in communicandis populis, attinentia Ritualis verba nos hic miſſa facimus, ad ibi dicta remittentes lectorem.

XXIV. *Sed primo ſi Sacerdotibus, vel aliis ex clero danda ſit communio, iis ad gradus altaris genuflexis præbeatur: vel ſi commode fieri poteſt, inter ſepimentum altaris ſint a laicis diſtincti.* Præ laicis duplex honos decernitur Sacerdotibus, aliiſque de clero, videlicet & quod primo communicentur, ad gradus altaris genuflexi, vel intra ſepimentum altaris. Quod divinorum officiorum tempore, vel cujuſvis functionis ſacræ laicis diſtricte inhibitum maneat intra presbyteriorum, altariumque ſepta ingredi, jam ſtatuerunt Decreta plurima, quæ in §. 25. cap. 8. ab Inſtructione Romana jam innovata vidimus, & adhuc noviſſime confirmata per Concilium Romanum anno 1725. ſub Benedicto XIII. celebratum, in quo *tit.* 28. *cap.* 4. idipſum expreſſe cavetur ſub pœna interdicti Romano Pontifici reſervata. Id quoque eſt conſonum can. *Pervenit.* & can. *Sacerdotum* de conſecr. diſt. 2., cap. ut *Laici* de vita, & honeſt. Clericor., & cap. *Inhibendum* de cohabit. Clericor., & Mulier., nec aliter profecto expoſcit ipſum *Presbyterii* nomen quod deſignat locum Presbyteris, ſeu Eccleſiaſticis reſervatum. Docet nos Macrius verb. *cancelli*, quod *cancelli erant in Eccleſia ante altare, quibus Presbyteri a Laicis dividebantur*, quare jam vides, quod Presbyterium ſolis Presbyteris, ſeu Eccleſiaſticis ſemper pervium extitit, aliis omnibus inacceſſum.

XXV. Quæ cum ita ſint, nos pudet ulterius inſiſtere, quod Laici nullo modo ad altare, vel intra Presbyterium ad communionem admitti queunt, ſed extra Presbyterium ad cancellos omnino communicandi ſunt, & quatenus ad altare, in quo communio diſtribuitur, cancelli deſint, in loco extra altare genuflexi, in quo cancelli poni ſolent; Sacerdotes vero, aliive de clero genuflexi ad altaris gradus, cui inſerviunt, vel ſaltem intra Presbyterium, quod locus eſt eorum dignitati reſervatus. Hinc ubertim habes intellectum illorum verborum; *vel ſi commode fieri poteſt, intra ſepimentum altaris ſit a Laicis diſtincti*; non enim ſenſus eſt, quod etiam Laici, licet in loco ſeparato, communicare valeant intra ſepimentum altaris, quod ipſis eſt inacceſſum, ſed quod Clerici, quatenus non communicent ad altare, hanc ſaltem diſtinctionem a Laicis habere debent, ut communicent intra ſepimentum altaris. Quæ omnia ſugellet Concilium Toletanum III., quod *cap.* 17. in ſpecie definit, communionem Cleri faciendam eſſe intra Presbyterium, Laicorum extra.

XXVI. Ad rem, qui recolatur, dignus eſt §. 27. cap. 8., in cujus expoſitione traduntur plurima, quæ ad præſens faciunt admodum; ibi autem a ſtatuta lege excluſi apparent Reges, quibus, volumus, addas quoſcumque alios Principes, vel Magiſtratus, quibus permittitur ingreſſus in Presbyterium officiorum tempore, ita ut hi ſimiliter ad gradus altaris, vel intra ſepimentum communicare valeant. Idipſum dicimus de Miniſtro, qui *Sacerdoti* inſervit; cum enim, etſi Laicus ſit, admittatur intra Presbyterium, inſimul etiam intra Presbyterium admitti poterit ad communionem inſtar Clericorum, quorum officium gerit, etſi dignitate careat.

XXVII. *Sacerdos vero cum ſtola communicet.* Quoniam quod ad præſentem diſpoſitionem attinet, uberi ponderatione examinatum extitit in Decr. 5. cap. 1., ea ſummus digerere Ritualis verba, per quæ cavetur, ut *viri communicent, quantum fieri poteſt, a mulieribus ſeparati*. Separatio ejuſmodi quam utilis ſit, & neceſſaria, ubertim oſtendunt inconvenientia plurima, quæ via alias caveri poſſunt. Eidem inducendæ, atque fovendæ adeo ſemper ſtuduit antiquitas, ut ſanctiora quoque prohibere non dubitaverit, quæ a conventu promiſcuo, & conſequentibus incommodis expurgare poſſe diffidit. Non adeo nobis ineſt otii, ut hic congerere valimus, quæ ad rem tradunt fere omnes Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, ſed unum producimus D. Carolum Borromæum, qui in actis Eccl. Mediol. totus eſt in præcipienda prædicta ſeparatione, & modum itidem ſuggerit ſervandum in adminiſtratione Euchariſtiæ, parando ſcilicet diverſas menſas ad altaria diverſe, vel aſſignando diem, vel horam unam pro maſculis, aliam pro feminis. Baruffaldus *tit.* 23. *num.* 44. laudat ſeparationem fieri mediis diverſis altaribus in diverſis Eccleſiæ partibus, ita ut viri, & mulieres procedentes ad communionem, aut redeuntes, ſibi invicem non occurrant. Dignus utique eſt, ubivis teneatur modus iſte, ſed ubi foret incommodus, ſaltem viri eodem tempore cum mulieribus ad communionem non procedant, ſed diverſo, nunquam vero promiſcue altari ſe ſiſtant, aliis repellendi, ſed ſaltem viri unam altaris partem occupent, mulieres alteram.

XXVIII. *Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reverſus ad altare, dicere poterit: O Sacrum convivium &c.* Peracta communione, Sacerdos ad altare revertitur, & ſuper corporali depoſita pyxide, genuflectit unico genu, deinde ſurgit, & pyxidem ſuo operculo claudit, tunc, & non prius dicens antiphonam *O Sacrum convivium*; non ait quippe Rituale *Sacerdos revertens*, ſed *reverſus ad altare*, & concordat idem Rituale *de commun. Infirmor.*, dum habet, non de Antiphona *O Sacrum convivium*, quæ in ea circumſtantia omittitur, ſed de ℣. *Panem de Cœlo*, qui una cum oratione dici præcipitur: *Cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper altare, adorat, deinde dicit ℣. Panem de Cœlo*, quare manifeſte carpitur illorum uſus, qui eamdem Antiphonam dicere incipiunt in itineri ad altare. Rite autem advertit Baruffaldus *tit.* 24. *n.* 66., quod hæc Antiphona in præcepto non eſt, ſed ſolum in conſilio, habet namque Rituale *dicere poterit*, quod conſilium importat, non *dicit*, quod præceptum faceret.

XXIX. ℣. *Panem de Cœlo.* Poſt prædictam Antiphonam ℣. *Panem de Cœlo* dici notatur, & an una cum ſequentibus verſibus, & oratione in conſilio dumtaxat ſint, vel in præcepto, inſurgit dubium, quod de ſolo conſilio definiendum videtur, tum quia to *dicere poterit* videtur non minus ſuper prædicta cadere; tum etiam quia ſubſequentes verſus, & oratio non ſunt, niſi ſequelæ quædam, & acceſſoria ad Antiphonam, quam dicebamus eſſe de puro conſilio. Verum ejuſmodi intellectui obſtat admodum idem Rituale *de commun. Infirmor.*, quod omiſſa Antiphona, de præfatis verſibus, & oratione ſubdit: *Deinde dicit*, quod præceptum importare dicebamus, non conſilium. Non leve itaque hinc fit argumentum, quod to *dicere poterit* ſuper Antiphonam dumtaxat appellet, & non ſuper ſequentes verſus, & orationem, & maxima cum Rituale ipſum de oratione, & antecedentibus verſibus habeat: *Mox Sacerdos dicit ℣. Domine, exaudi &c.*

XXX. *Tempore Paſchali additur Alleluja*, Rituale quidem notat poſt ℣. *Panem de Cœlo*, ſed dubio procul idipſum eſt de Antiphona *O Sacrum convivium*, in cujus propterea fine non minus addi debebit Paſchali tempore. In Antiphonarum omnium, & Verſiculorum fine, quæ intra divinum officium dicuntur, juxta Rubricas additur ℣. *Alleluja* toto Paſchali tem-

li tempore; cur vero modo contra generalem regulam, quam firmavimus tom. 1. cap. 46. Decr. 3., in caſu, licet ſimus extra divinum officium, nihilominus mandetur dici, jam cauſam dedimus in Decr. 2. cap. 9., ubi inſuper dicendus apparet in fine prædicti verſiculi infra octavam Corporis Chriſti, etſi Rituale temporis Paſchalis tantum meminerit. Hinc, volumus, inferas, quod etiam addi debet in fine Antiphonæ *O Sacrum convivium* nedum Paſchali tempore, ſed etiam infra octavam ejuſdem Corporis Chriſti, ſicut reapſe habetur in fine ejuſdem Antiphonæ, quæ recitatur in officio præfatæ octavæ.

XXXI. *Mox Sacerdos dicit* ℣. *Domine, exaudi &c.*, ℣. *Dominus vobiſcum &c.* Quod verſus *Dominus vobiſcum*, nunc taceri debeat, Baruffaldus ſtatuit *tit.* 24. *num.* 70. & idipſum ſentit Meratus *par.* 2, *tit.* 10. *num.* 33., & favorabilia habere videntur Decreta, atque Inſtructionem Romanam, quæ prædictum verſum taceri mandant, quando continuo fidelibus benedictio eſt impertienda. Quam autem infeliciter arguant Auctores iſti, & Meratus adhuc omnino inconſonanter ad doctrinam, quam tradit *par.* 4. *tit.* 12. *num.* 19.; jam nos late ſcripſimus in Decret. 3. cap. 9., ubi lector uberiori pabulo saginari poterit, dum nos eumdem monemus, quod in præſenti caſu præfati verſus omnino dici debent, & non ſileri.

XXXII. *Tempore Paſchali dicitur oratio Spiritum nobis &c.* Oratio, quæ per annum in hac circumſtantia dici præcipitur, eſt communis illa *Deus qui nobis ſub Sacramento*, quæ etiam jam dicitur in officio SS. Sacramenti, nunc huic in Paſchali tempore alia ſubroganda ſtatuitur, nempe *Spiritum nobis*, quæ cum de Sacramentis Paſchalibus agat, congruentior viſa eſt pro currenti tempore. An ſimiliter hoc tempore dici debeat, aut poſſit in repoſitione SS. Sacramenti, dubium eſt, quod negative decidendum apparet ex iis ejuſdem orationis verbis; *ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti*; id enim bene dici conſtat ſuper iis, qui recens communicarunt, non in circumſtantia repoſitionis SS. Sacramenti, in qua nullus communicat. Hæc utique eſt cauſa, ob quam in reditu proceſſionis a communione infirmi, orationem *Deus qui nobis ſub Sacramento* Rituale determinate dici mandat, neque aliam ſubſtituit pro Paſchali tempore, quia illam Sacerdos non dicit ſuper infirmo, qui communicavit, ſed intra Eccleſiam ſuper iis, qui proceſſioni interceſſere.

XXXIII. *Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in pyxidem deponat.* Ob longam tractationem facile dari poteſt caſus, quod fragmentum aliquod digitis adhæreat, & ideo cum vel in minimo fragmento conſecrato integrum adſit Chriſti Corpus, rite Sacerdos digitos diligenter ſcrutari monetur, ut ſi quod repererit, in pyxidem cum aliis particulis illud deponat. Ita quidem in communione extra Miſſam, de qua Rituale ſancit; at in communione intra Miſſam, ſatius erit illud deponere in Miſſæ calicem, & cum purificatione illud bibere, quia iſte tutior modus eſt, ne fragmenta diſpereant, nam in pyxidem depoſita, facilius eſt, eleventur una cum particulis, & dum hæ diſpenſantur, illa vel in terram, vel in linteum concidant, abſque eo quod advertatur eorum lapſus, & diſcerni, aut inde colligi facile valeant.

XXXIV. Quartus *part.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 4. Sacerdotes admonet, ne dum Euchariſtiam diſtribuunt, tangant digitis os communicantis, ne madefiant digiti, & his adhæreat alia formula, ad quod cavendum, formulam, ait ipſe, accipiant in extremitate, & non in medio. Bene quidem, ſed quid ſi ob tactum, vel ſudore madefiant? Sunt, qui quando ad communicandum procedant, cum pyxide etiam purificatorium accipiunt, & cum eo abſtergunt digitos, ſed uſum ejuſmodi aperte reprobat periculum, ne fragmentum aliquod, quod forte adhærebat digitis, diſpereat, & in terram decidat. Huic incommodo occurrere volens La-Croix, Sacerdoti præcipit, ut prius diligenter revideat ſuos digitos, & ſi deprehenderit, iiſdem aliquod adhærere fragmentum, tunc eos fricando, fragmentum excutiat in pyxidem antequam purificatorio abſtergat digitos. Ab eodem periculo, ſaltem loquendo de minutiſſimis fragmentis, quæ difficillime diſcernuntur, & maxime ab iis, qui viſus debilitate laborant, vix expurgari poteſt modus iſte, quando etiam novam non induceret Rubricam, quam eſto ſine ullo ſcrupulo introduci poſſe Meratus aſſerat *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 27. ea ratione ductus, quod vix aliter inconvenientia vitari valent; in promptu tamen eſt, & indubie præſtat modus, quem idem Auctor ex D. Carolo Borromæo *in inſtruct. de ſacr. comun. par.* 4. *Act. Mediol.* ibidem refert, videlicet ut Sacerdos ad altare redeat, & ſemel, vel bis digitos abluat in vaſculo ad id ibi præparato, vel iſtud a Miniſtro ad Sacerdotem deferri poterit, ſi ad altare aſcendere nolit. In caſu itaque humectationis digitorum Sacerdos ſcrutatis digitis, ab his in pyxidem fragmenta excutiat, ſi quæ iiſdem adhærere repererit, & poſtea eoſdem digitos ut ſupra abluat, quod licet Rubrica id ad communionis finem reſervet fieri, idipſum implicite faciendum edocet, quotieſcumque neceſſitas exegerit.

XXXV. *Et eoſdem digitos, quibus tetigit Sacramentum abluat, & abſtergat purificatorio.* Ut Sacerdos fragmenta, ſi quæ invenerit, injecit in pyxidem, pollicem, & indicem, quibus uſus eſt in diſtributione Euchariſtiæ, abluit in vaſe aqua pleno, quod hac de cauſa parari ſolet ſuper menſam altaris cum ſuo purificatorio prope tabellam ſecretarum, & poſtea cum eodem purificatorio extergit digitos. Ablutio digitorum, quidquid nonnulli ſcripſerint, debet fieri, antequam Sacerdos pyxidem ſuo tegat operculo, ut expeditior ipſe ſit ad eam tegendam, ſicuti eamdem ob cauſam, dicemus infra, ablutionem faciendam eſſe, priuſquam pyxidem in tabernaculum inferat.

XXXVI. *Ablutionem vero ſumat, ſi celebraverit.* Cum in præſentiarum ſermo ſit de communione extra Miſſam, to *ſi celebraverit* certe non poteſt accipi de communione, quæ intra Miſſam diſtributa ſit, ita ut quoties Sacerdos adminiſtrat communionem intra Miſſam, digitorum ablutionem ipſe debeat ſumere. Ita quidem eſt, ſed tunc ablutio non debet fieri in vaſe ut ſupra præparato, ſed in Miſſæ calice, ex quo poſtea bibit prædictam ablutionem, ut facit etiam intra Miſſam, in qua ſacram non diſtribuit Euchariſtiam. Senſus itaque Rubricæ eſt, quod ſi Sacerdos adminiſtrans Euchariſtiam, jam Miſſam fecerit, ipſe ablutionem ſumat in vaſe ut ſupra præparato, ſecus vero, ſi nondum ſacrum celebraverit, ne ablutionis ſumptio jejunium frangat, & conſequenter impediat celebrationem Miſſæ. Quæ ablutio ſi fiat in aqua munda, quæ aliis non deſervierit ad ſimilem ablutionem, ſed ſoli ipſi Sacerdoti ad abluendos ſuos digitos, non video, quomodo ejuſdem ſumptio gravis, & oneroſa, qualem Meratus facit, Sacerdoti eſſe poſſit, qui jam ſimilem ſemper in Miſſa bibit.

XXXVII. *Aut iis, qui tunc communicarunt, ſumendam tradat.* Ablutionis ſumptio non ſic Sacerdoti, etſi celebraverit, committitur, ut quatenus velit, abſtinere non poſſit, ſed integrum eidem ſit, eam ſumendam tradere, non quidem quibuſcumque, ſed *iis, qui tunc communicarunt* purificationis loco, cujus propterea vice eamdem Miniſter illis adminiſtrare poterit. Una ex cauſis, ob quas uſus communionis, ſub utraque ſpecie, antequam interdiceretur Laicis, paulatim deſierat, Cardinali Perone teſte fuit, quia horrebant plurimi, præcipue contagii tempore, labia approximare calici, aut fiſtulæ, ex qua præcedenter alii biberant; conſimili autem de cauſa, etſi Eccleſia magis probet ablutionem ut ſupra ſumi a Sacerdote, vel a communicatis, ex his tamen nullos obligandos eſſe cenſuit, ſed tertium adjecit agendi modum, quam per dictionem *ſaltem* vocavit in ſubſidium, quatenus duo priores minus arrideant; *Aut ſaltem in ſacrarium injiciat*: Sacerdos enim facile nauſeare poteſt ablutionem illam, quatenus deſervit ad abluendos digitos, qui communicantium ſaliva madefacti eſſe poſſunt, fideles vero reliqui, & quatenus ea ablutio deſerviit ad abluendos eoſdem Sacerdotis digitos, & quatenus hi a communicantium ſaliva madefacti eſſe poterant.

XXXVIII. Hinc volumus, inferas, quod etſi communicans intra Miſſam, debeat juxta ſuperius dicta in Miſſæ calice purificare digitos, & purificationem ipſe ſumere, ſi tamen eamdem nauſeet accipere, ab hoc onere eum abſolvimus, hac ſolummodo conditione adiecta, ut dumtaxat pollicem, & indicem manus dexteræ, quibus uſus eſt in adminiſtranda Euchariſtia, abluat in vaſe in altari præparato, eos vero manus ſiniſtræ in Miſſæ calice purificare reſervet. Sane Rituale ipſum, ubi agit de infirmorum communione, Sacerdotem, quantumvis jam celebraverit, haudquaquam obligat ad ſumendam ablutionem, ſed eamdem infirmo tradendam eſſe mandat, non alia certe de cauſa, niſi ob faſtidium, quod Sacerdoti ingenerare poteſt timor ſalivæ labentis, putris, & venenoſæ.

XXXIX. Num quoties Parochum bis in die in diverſis locis neceſſitas celebrare cogit, per infuſionem vini calicem primæ Miſſæ purificare queat, & purificationem ejuſmodi præbere Laicis, qui intra Miſſam communicaverunt, negat de Lugo *in reſp. mor. lib.* 1. *dub.* 10., & reapſe inhibitum videtur a ſanctionibus illis, quæ Laicos prohibent a communione ſub ſpecie ſanguinis, cujus guttæ aliquæ ſemper reliquæ ſunt in calice. In partem affirmantem propendit Gobat *tract.* 4. *num.* 23., eo quod per purificationem non poteſt Laicus vulgari loquendi modo, qui maxime ſpectandus eſt *L. Labeo, ff. de ſup. leg.*, communicans vere dici ſub ſpecie ſanguinis; & præſertim attenta opinione Halenſis *in* 4., & D. Thomæ *q.* 77. *a.* 8. arbitrantium, quando multum vini non conſecrati miſcetur exiguæ quantitati conſecrati, Chriſtum Dominum deſinere eſſe ſub ſpeciebus conſecrati. Quæ opinio ab antiquo more projiciendi ſecundam ablutionem in locum mundum (qui memoratur a Gavanto *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 5. *lit.* z. poſt Durandum *in Ration. lib.* 4. *cap.* 55., & alias vix defendi valet) cum multum ſibi probabilitatis arceſſat, videtur purificatio illa bene laicis tribui poſſe, dummodo non detur ex calice, licet plurimas ob cauſas, & contentiones, quæ inter fideles exorirentur facile, ab ea præbenda omnino abſtinendum eſſe credamus.

XL. *Poſtea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo, & clave obſerat.* Dictio *Poſtea* dicit actuum ſucceſſionem, quare in Rubricam certe peccant Fantonus, atque Ramerius, dum ille *in Cærem. Carmel. lib.* 2. *Rubr.* 55. *n.* 7., hic in Rituali Cœleſtinor. *lib.* 5. *cap.* 7. digitorum ablutionem faciendam eſſe ſtatuunt, pyxide jam repoſita, & in tabernaculo clauſa; multo autem adhuc magis Cœremoniale Monaſticum, quod *lib.* 3. *cap.* 15. §. 9. *n.* 15. ulterius eamdem protrahit poſt datam benedictionem. E contra conſequenter ad Rubricam loquitur Paulus a S. Joanne *lib.* 3. *Cærem. Auguſt. Diſcalceator. cap.* 16., ubi eamdem ablutionem fieri mandat, antequam Sacramentum recondatur in tabernaculo; an autem latius ſit, ſoli Sacramenti reconditioni eam præmitti, vel etiam opertioni pyxidis, ex Rubrica, quæ ſuper pyxidis opertionem omnino tacet, definiri non valet, ſed ratio, ob quam præmittitur reconditioni (ut nempe Sacerdos ſecurius, & firmius

accipe-

accipere poſſit clavem tabernaculi, eamque obvolvere digitis, & pyxidem in cuſtodiam invehere, & hanc obſerrare, profecto commonſtrat, prædictam ablutionem præmittendam item eſſe opertioni pyxidis, ut ſcilicet Sacerdos ſecurius, & firmius operculum accipere valeat, & cum eo pyxidem tegere, cum in hac tegenda non ſemel occurrat immodica difficultas ratione pollicis, & indicis manus dexteræ, qui juncti teneri debent, quouſque purificati fuerint.

XL. Ablutis itaque, & extarſis ut ſupra digitis, Sacerdos accipit operculum, & cum eo pyxidem cooperit, mox accipit clavem, & tabernaculum (aperit (quoties relictum non fuerit apertum), in quo pyxidem reponit, & aperto tabernaculo non genuflectit ante introductionem pyxidis. Ita quidem quatenus in tabernaculo non ſit vas aliud Sacram Euchariſtiam continens, quod ſi in eo fuerit, Sacerdos genuflectet unico genu, ſtatim ac tabernaculum apertum fuit, & poſtea in illud pyxidem invehet. Poſita pyxide in tabernaculo, genuflectit illico unico genu, & ſurgens tabernaculum clave obſerat, & clavem ipſam amovet; ne cuicumque pateat aditus ad tabernaculum.

XLI. *Deinde extenta manu dextera, benedicit eis, qui communicaverunt, dicens: Benedictio Dei omnipotentis &c. ℟. Amen.* Clauſa pyxide in tabernaculo, ſtans Sacerdos verſus altare, elevat oculos verſus crucem, atque extendens, & jungens manus, capurque inclinans cruci inclinatione minimarum minima, dicit voce clara ordinaria: *Benedictio Dei omnipotentis*, & poſtea junctis manibus convertens ſe ad communicatos, his benedicit manu dextera extenta, poſita ſiniſtra infra pectus, dicens *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut in Miſſa fieri ſolet, & poſtea concludit his verbis: *Deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*, & miniſter genuflexus reſpondet: *Amen*. Qui ritus in Rituali Romano adeo manet expreſſus, ut non mirari non valeam, quomodo Cæremoniale Cappuccinorum *lib. 3. c. 27.* benedictionem præteribere unquam potuerit, ſtatim ac pyxis repoſita eſt ſuper corporale, ac ſuo operculo tecta.

XLII. Sacerdos data benedictione, per eamdem viam convertit ſe ad altare, plicat corporale, illud reponit in burſa ſimul cum purificatorio, & burſam collocat ſuper altare a latere Epiſtolæ. Interim miniſter extinguit cereos, linteum removet, illud ſuo loco collocans, deinde aſcendit ad ſuppedaneum, & reverenter accipit burſam de altari, factaque genuflexione, dum Sacerdos inclinabit ſe cruci, deſcendet in planum, præcedens aliquantulum ipſum Sacerdotem, ubi ſimul genuflectunt, ſicuti in acceſſu, & porrecto Sacerdoti birreto, quo tunc tegit caput ſuum, ipſo vero miniſtro præcedente nudo capite, ambo revertuntur in ſacriſtiam. Quod ſi miniſter fuerit laicus, tunc Sacerdos ad ſacriſtiam rediens, burſam deferre poterit, ſicuti dicebamus loquentes de acceſſu.

DECRETUM XIV. CAP. IN ORDINE LXVII.

Il pannicello, che ſi dà per la communione, ſia deſtinato a queſt' uſo; nè mai ſi dia il velo del calice, e molto meno il fazzoletto dell' ampollette d' aſciugare le mani al Sacerdote. Ead. Congr. in eod. Decr.

I. Hora eſt, ſumamus agere de linteo, quod ante, & ſub mentum communicantes tenere debent, ut ſi particula, vel fragmentum aliquod inter communicandum decidat, non labatur in terram, ſed ſuper illud incidens, facile inde valeat colligi. Refert Baronius *an. 57. num. 145.*, quod ſumpturis Sacram Euchariſtiam, apponebantur olim tabellæ quædam, velut menſulæ, ſicut hodie ſacramina. De his tabellis *hom. 61. ad Populum Antioch.* habet Chryſoſtomus: *Nonne vides miniſtrum ſpongia menſam circumlinientem & expurgantem domum, & tabellas ponentem?* Ad eaſdem alludit quoque Athanaſius, dum *Epiſt. ad ſolitar.* de facinoribus Arianorum agit: *Subſellia, thronum, menſam ligneam, tabulas Eccleſiæ, & cetera, quæ poterant, foras elata combuſſerunt.* Earumdem tabularum Cardinalis Bona *lib. 2. Rer. liturg. cap. 17. num. 3.* item meminit, ſubditque, quod iiſdem *hodie linteamina ſucceſſerunt, ut ſi quid forte decidat, his excipiatur*; hinc Rubrica Miſſalis X. num. 6. *Miniſter ante eos extendit linteum, ſeu velum album*, & Rituale Romanum ut ſupra: *& ante eos linteo mundo extenſo.*

II. Hiſce Rubricis quique ſuum ſuffragium Auctores addunt, quare quoties clerus in Miſſa ſolemni communicat ad altare genuflexus, duo acolythi jubentur ante eum extendere tobaleam, ſive mappam mundam, & eamdem hinc inde a lateribus quaſi jacentem ſuſtinere ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta ſit communio. Pro laicis vero, qui non ad altare, ſed ad cancellos communicant, ſuper cancellos linteum extendendum eſſe monent, quod quiſque reſpective propriis manibus approximabit mento, dum conſecratam particulam a Sacerdote ſuſcipit. Quod ſi cancelli deſint, aut unus, vel alter de clero ad altare communicare debeat, tunc Miniſter, ſtatim ac generalem peccatorum confeſſionem fecit, communicandis præbebit linteolum quoddam, quod communicantes ſibi invicem mutuare poterunt, & quoties id commode præſtare nequeant, illud miniſter recipiet, & alteri communicaturo porriget.

III. Lex tamen iſta non ita ad linteum reſtricta eſt, ut Miſſale *ſuper velum album* libertatem non faciat, quod tamen eſſe non poteſt velum calicis, unde Decretum: *Nè mai ſi dia*

il velo del calice. Id volo extendas, ad burſam ejuſdem calicis, purificatorium, & quæcumque alia, quæ ſervitio Miſſæ ſunt deſtinata; hæc enim juxta alibi dicta ad uſum alterum deſervire non poſſunt, quando etiam a Decreto in velo calicis implicite non comprehenderentur, & adhuc explicite in iis verbis: *Il pannicello*, ac per conſequens etiam quæcumque res altera, quæ ejuſdem loco ſubrogatur, *deve eſſere deſtinato a queſt' uſo*, ad quam deſtinata non ſunt inſtrumenta Miſſæ, ſed ad alium, ad quem, & nimis vilem cum item deſerviat manutergium manuum Sacerdotis, propterea de eodem bene Decretum: *e molto meno il fazzoletto dell' ampolette d' aſciugare le mani al Sacerdote.* Verum cum hoc remote admodum ad Miſſam deſerviat, fortaſſe etiam ad communionem tolerari valet, aut deſtinari, dummodo recens e lixivio exierit, nec poſtmodum una ne quidem vice deſervierit pro lotione manuum.

IV. Ex his omnino eliminandus apparet nonnullorum abuſus, qui dum communicant, accipiunt extremitatem ſuperpellicei, caſulæ, manipuli, aut ſtolæ Sacerdotis adminiſtrantis, & ſuo mento ſupponunt; præſertim ſi feminæ communicent, in quibus ſpecialis militat deformitatis ratio. Secus eſt de tabella lignea, vel papyracea inſtar burſæ, quæ in nonnullis Eccleſiis adhibetur, & quoties linteolo mundo deſuper tecta eſt, nedum non habet, unde carpatur, ſed ad rem ſi non eſt aptior, certe non eſt minus accomoda, & præſertim quando unus dumtaxat, vel alter communicat, qui eamdem ſibi mutuare poterunt, vel cuivis a miniſtro exhiberi, prout majus feret commodum.

V. Nunquam finis foret, ſi quæ ad Euchariſtiæ miniſtrationem ſpectant, & ſuſceptionem, cuncta exarare vellemus, quare brevem ſermonem ſolummodo inſtituendum eſſe credimus ſuper iis, qui a communione repelluntur a Rituali Romano. Quantum ad pueros attinet, non habemus, quæ addamus late traditis in Decr. 1. cap. 2. ubi etiam in Decr. 4. jam ſatis actum eſt de amentibus, atque phreneticis; quoad ſurdos vero, & ſemifatuos deciſio pendet ex cognitione, & diſcretione, quam deprehenduntur habere. Energumeni per ſe loquendo generatim arcendi non ſunt a divina menſa, quia obſeſſio per ſe non repugnat reverentiæ Sacramenti, & ſicuti indulgendum non eſt malitiæ hominum *c. plerumque de reſcr.* ita nec Dæmonum, qui illos a tam ſalubri pharmaco ſtudent excludere. Videndum tamen, ne in aliquibus ſit morale periculum, ne hoſtiam irreverenter tractent lacerando, aut ſpuendo; quod ſi abſit periculum, & adſit honeſta vita, detur energumenis is, in cujus nomine dæmonia ejiciuntur, & compeſcuntur. Et quidem crebro, ſi ad ipſorum ſolatium ſpirituale faciat, & præſertim in ſuprema lucta. Quod nonnulli Auctores edocent de iiſdem prius danda hoſtia non ſacra ad explorandos illorum actus, nos probare non poſſumus ob periculum idololatriæ, licet materialis, ob quod unice Doctores unanimes modo reprobant idipſum fieri erga ſanos, ſive peccatores ſint, ſeu juſti, & crebrius, quam par judicetur, ad Euchariſtiam accedentes; quam ad rem digna eſt, recolatur Decretalis Innocentii III. *cap. de homine de celeb. miſſar.* & D. Thomas *par. 3. quæſt. 80. art. 6. ad 2.*, & *in quodlib. 5. quæſt. 6. art. 2. ad 3.*

VI. Ad peccatores quod attinet, hæc communiter firmatur regula, ut peccatores publici omnino arcendi ſint, ſive publice, ſeu privatim petant; ii autem cenſentur peccatores publici, quorum peccata notoria ſunt vel per ſententiam judicis, aut per confeſſionem factam in judicio, vel adeo manifeſta, ut nulla tergiverſatione celari valeant. Peccatores vero occulti ſi publice petant, depellendi non ſunt, ne lædatur fama proximi, cujus delictum eſt occultum, & ſi petant privatim, ad ſacram menſam admittendi non ſunt, immo debet admoneri, ne publice petant. Ita quidem, quatenus peccatum Sacerdoti aliunde ſit notum, quam a Sacramentali confeſſione; nam ſi hac tantummodo mediante eidem innoteſceret, nec illum poſſet repellere, neque ut ſupra monere, quia, ut habet Decretalis *in cap. 51. Sacerdos tit. de offic. Judicis Ord.* tunc illud ut homo non ſcit, ſed ut Deus. Qui autem eſt peccator publicus in uno loco, ſi petat communionem in loco, in quo eſt occultus perinde ac de peccatore occulto dicendum eſſe videtur, ita ut danda ei ſit, ſi illam publice petat, ſecus, ſi privatim. Et per hæc expoſitum maneat Decretum (erit 15. cap. in ord. 68.) quod ſubdimus: *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non eſt denegandum peccatori occulto publice petenti, maxime quando notitia, quæ de illius peccato habetur, non eſt certa.* Congr. Epiſc. 18. Sept. 1618. Dictio enim *maxime* dumtaxat denotat majorem non denegandi rationem adeſſe in caſu peccati, de quo certa non habetur notitia, ſed eamdem eſſe juris diſpoſitionem etiam in caſu oppoſito, quando nempe habetur certa notitia peccati. Alia plurima ad rem dedimus in cap. 2. Decr. 4., ſed ea ibidem lector recolat, ne quæ jam fuſe diximus, nos cogamur repetere.

CAPUT QUINTUM

De Communione Infirmorum.

Viaticum plures habet ſignificationes, & omnes reſpectum quemdam tenent ad iter, ſeu viam, a qua nomen illud derivat, hinc ad corporalem viam quod attinet, pro pecunia neceſſaria ad iter agendum, legitur ſumptum *l. cum,*

quem 29. ff. de judiciis; pro eo, quod in cibariis, vel nomnis a Patre datur ſcholari proficiſcenti in alienam civitatem ſtudiorum cauſa, *l. cum filiusfamilias 12. ff. de reb. creditis*; & pro altari portatili, quod in itinere ſecum deſerunt Epiſcopi gratia commode celebrandi in quocumque honeſto loco, *cap. Quoniam 12. de Privil. in 6.* Quoad Spiritualem vero viam Sacramentum quodvis, vel reconciliationis, baptiſmi, Euchariſtiæ, aut extremæ unctionis, quod adminiſtrabatur fidelibus, qui cum eſſent ad extrema vitæ deducti, ſuſcepturi erant iter ad æternitatem, eo quidem apud Sanctos Patres appellatum reperitur nomine, quod nunc per antonomaſiam reliquum factum eſt ſoli Euchariſtiæ, quæ graviter ægrotantibus ſolet diſtribui, *cap. qui recedunt 26. q. 6. c. Quod in te, 11. de Pœnit. & Remiſſ.* Et quidem cum Sacra Synaxis ſpirituale animæ maximum munimen ſit contra diabolicos aſſus, & cibus ille, quo confortata aſcendit ad montem ſanctum Dei, arduumque iter feliciter peragit in æternitatem, viatici vocabulum eidem apte quadrare dignoſcitur.

Hæc cum ita ſint, ſi a nobis quæras, cur caput *De communione Infirmorum* inſcripſimus, & non magis *De Sacro viatico*, ecce nihilominus, quam faciles damus cauſam, ut nempe inde nobis non eriperetur locus identidem nonnulla inſerendi de communione eorum infirmorum, qui cum graviter non ægrotent, non communicantur per modum viatici. Etſi autem modo viaticum adminiſtretur ægrotis ante extremam unctionem, olim tamen poſt adminiſtratum fuiſſe, non leve argumentum ſuppeditat Surius in vita S. Gulielmi Archiepiſcopi: *Fratribus convocatis, extremæ unctionis Sacramentum humiliter, & devote ſuſcepit, eo percepto, etiam Sacram Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit, ut tanto itineris duce munitus, poſſet ſecutus hoſtium cuneos penetrare.*

DECRETUM I. CAP. IN ORD. LIX.

Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat hoc Sacramentum non poſſe recipi a non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a Jure, vel ab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Concil. Conſtanſ. Seſſ. 13.

I. NUM viaticum in præcepto divino ſit, vel Eccleſiaſtico, jurgium eſt inter Auctores, ſed eorum tum numero, tum pondere ſententia præſtat, quæ illud cenſet juris divini. *Cum his, qui vita creduntur diſceſſuri, antiqua lex ſervetur, nempe ut ultimo, & neceſſario viatico non priventur*, verba ſunt *cap. de iis q. 6.*, ſuper quæ Cacheranus ponderat, quod to *antiqua lex* legem denotat longe antea ſancitam, & cum non appareat, quando alias lata fuerit ab Eccleſia, debet intelligi de lege divina Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et quidem cum Euchariſtia inſtituta ſit ad nutriendam, & roborandam animam, ſi illius ſumptio tempore aliquo debet cenſeri in præcepto, certe in mortis periculo, in quo magis, quam in quolibet alio tempore, eadem neceſſaria eſt contra inſidias diaboli.

II. Hinc merito Rituale: *Viaticum Sacratiſſimi Corporis D. N. J. C. ſummo ſtudio, & diligentia ægrotantibus, opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi incuria privatos decedere*. Spirituales effectus plurimi, quos ingenerat Euchariſtiæ perceptio, ſummi ejuſmodi ſtudii validum argumentum eſt, ſed validius adhuc petitur ex maxima ſolicitudine, quæ uſque a primordiis in id ſtetit Eccleſiæ, ut ne fideles tanto præſidio immuniti decederent, haud dubitaverit, graſſante præſertim perſecutione, ſacram hoſtiam iiſdem concedere apud ſe detinendam, & in itinere ſecum deducendam. Tempus autem opportunum, quod textum exigit, eſt, dum æger eſt mentis compos, ſenſibus integer, vel ſaltem non plene fractus & ſpiritualibus viribus adhuc bene pollens, ut reverenter, & devote hoc Sacramentum ſuſcipiens, repleatur ubertate fructuum. Quæ ſi ex incuria Parochi ſecus eveniant, haud dubita, eum lethalis culpæ reum facere, utpote ex cujus negligentia loco ſpiritualium commodorum, quæ ſuis ſubditis procurare ex officio tenetur Parochus, adeo grave damnum perſentiunt infirmi.

III. At nedum Parochorum ſtudium eſſe debet erga graviter ægrotantes, ſed etiam erga infirmos omnes, qui cum in extremis non laborent, non adeo quidem ſacro egent epulo, ſed cum Eccleſiam, in qua eo reficiantur, non poſſint petere, cogerentur alias diutius abſtinere a tam ſalubri pharmaco, & ab antidoto, *quo* juxta Tridentinum *liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur*. Hinc Rituale: *Hortetur Parochus infirmum, ut ſacram communionem ſumat, etiamſi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime ſi feſti alicujus celebritas id ſuadeat, neque ipſe illam miniſtrare recuſabit*. Exhortatoria itaque Parochus adhibebit verba, & adhuc admodum caute, ne ejuſmodi infirmi, ut ſæpe evenit, deterreantur, quaſi gravi detineantur morbo, & occaſionem capiet ab occurrenti ſolemnitate aliqua, aut illis inſinuabit invocationem interceſſionis alicujus Sancti, vel denique ſuggeret Euchariſtiæ utilitates maximas.

IV. *Viatico autem miniſtrabit, cum probabile eſt, quod eam amplius ſumere non poterit*, ejuſdem Ritualis verba ſunt, per quæ inſtruimur, nonniſi in probabili mortis periculo Euchariſtiam per modum viatici adminiſtrandam eſſe, nempe per illa verba *Accipe Frater viaticum*, extra vero tale periculum ſemper per conſueta *Corpus Domini &c.* Officium erit periti medici indicare, quandonam immineat mortis periculum, & in defectu medici, vel alterius periti prudens judicabit Parochus, qui ſine ullo ſcrupulo juxta peritiam ſuam audacter procedet ad miniſtrandum viaticum neque deterreatur a præcepto jejunii, quod cum mere eccleſiaſticum ſit, non obligat in prudentiali mortis diſcrimine, aut a conſtanti aſſertione infirmi, quod non graviter ægrotet; perſæpe enim ejuſmodi infirmi continuo moriuntur, & quantum ad Sacramenta attinet, melius eſt, quod præmittantur, quam exponantur prætermiſſionis periculo.

V. An qui non longe ante periculum mortis, puta pridie vel duobus, aut tribus diebus ſuſcepit Euchariſtiam, conſtitutus in mortis periculo teneatur iterum illam ſuſcipere, cum aliis affirmat Vaſquez, quia obligatio ſpecialiter inſtat pro mortis articulo, in quo propterea ſi Euchariſtia non ſuſcipiatur, non ſatisfit præcepto, ſicut præceptum non implet, qui jejunat ante vigiliam, vel Miſſam audit pridie diei feſtivi. Negant Suarez, Bonacina, aliique plures, & ducuntur, quia cum divinum præceptum ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo non habeat formam expreſſam in ſcriptura, vel in aliquo Concilio, explicandum eſt juxta finem ad quem ordinatur; hic autem eſt, ne homines aggrediantur viam æternitatis abſque illo ſubſidio, ſine quo prædicti eam non aggrediuntur, tum quia infirmus habere poteſt a præcedenti communione eaſdem ſpirituales vires, quas ſi illam ſuſciperet in eo articulo; tum etiam quia articulus ille non debet ſumi mathematice, ſed cum aliqua latitudine morali, alias ſi prædictum præceptum mathematice alligatum eſſet mortis articulo, a nova communione neque excuſaretur, qui eadem die, vel una, aut duabus horis, ſeu minori adhuc tempore prius communicaſſet, ſi ex violentia infirmitatis, vel ex vulnere incideret in mortis periculum, quod abſurdum indubie eſt, & contra Eccleſiæ conſuetudinem.

VI. Hinc eum, qui communicavit in mane, ſi veſpere conſtituatur in mortis periculo, nec teneri, nec poſſe eadem die communicare per modum viatici, tuentur Doctores plurimi, quia ex una parte ab Eccleſia prohibitum eſt bis eadem die communicare, ex altera vero ſatisfecit ille obligationi ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis moraliter accepto, & præparavit ſe ad exitum ab hac vita, licet periculum ignoraverit, quia quilibet homo prudens facit ſua opera, ut ſatisfaciat ſuis obligationibus, quamvis ad eas non advertat; & hæc eſt cauſa, ob quam in communi Doctorum ſententia præcepto Miſſæ ſatisfeciſſe cenſetur, qui die feſto Miſſam audivit, licet ignoraverit eſſe diem feſtum. Cacheranus, aliique poſſe, ſed non teneri ſentiunt, poteſtatem tribuente Ritualis lege, ab obligatione eum eximente legis fine, quem jam eſt aſſecutus. Diſtinguit Tamburinus *opuſc. de expedita commun. cap. 5. §. 6.* & eum, qui ſanus communicavit, conſtitutum in mortis periculo, iterum communicare poſſe, & teneri ſentit; ſecus, qui communicavit in periculoſo morbo, licet talis non judicaretur, qui ad extrema poſſet illum deducere. Ratio primi eſt, quia ille non communicavit in periculo mortis, pro quo inſtat obligatio, ſecundi vero, quia hic communicavit in mortis periculo, licet tali non judicato. Diana *to. 3. reſ. 74.* teneri, & poſſe affirmat, quia pro mortis articulo inſtat divinum præceptum, cui cum cedant omnia Eccleſiaſtica, idcirco non officit præceptum de bis non communicando eadem die, ſicuti eadem de cauſa tuit præceptum de non communicando, niſi a jejunis.

VII. In tanta Doctorum varietate nihil certi ſtatui poſſe videtur, crederem tamen omnino ſequendam eſſe communiorem Eccleſiæ praxim, quæ abſtinet a communicando per modum viatici eo, qui paucis horis antea communicavit ex devotione, & libens idipſum extendo ad illum, qui communicavit eadem die, non vero ad eum, qui in præcedentibus, licet vicinioribus diebus, ad quos non extendi cenſerem mortis articulum moraliter ſumptum, ſed eumdem teneri, & poſſe iterum communicare per modum viatici. At quid, ſi quis eadem die quidem communicaſſet, ſed poſtmodum incidiſſet in lethale peccatum? Illum, qui in mortis articulo viaticum ſumpſit, & poſtea mortaliter peccat, etſi nonnulli obligent ad iterum communicandum in eodem articulo, ſanior tamen ſententia ab hoc onere eumdem abſolvit, quia infirmus ejuſmodi jam divinum adimplevit præceptum, cujus obligationem conſequens peccatum innovare non poteſt, præſertim quia per Sacramentum Pœnitentiæ, aliaque media reparari valent vires ſpirituales & meritum præcedentis communionis, quæ per ſubſequens peccatum fuerunt ſuſpenſæ. Quæ cum ita ſimiliter eveniant in communicante paululum ante mortis periculum, & poſtmodum peccante, idem judicium habendum eſſe videtur, niſi ſatius dixeris peccatum mortale tollere moralem continuationem communionis cum mortis periculo, adeoque communionem eſſe iterandam, quia prior non cenſetur facta neque in morali mortis periculo. Omittens autem communicare in periculo mortis, mortaliter quidem peccat ob tranſgreſſionem præcepti, ſed tranſacto eodem periculo, non tenetur Euchariſtiam ſuſcipere, quia ceſſavit tempus, & finis obligationis.

VIII. *Quod ſi æger ſumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit*. Infirmus, quoties jejunus valeat communicare, dubium eſſe non poteſt, quod quo-

tidie

tidie ſacro refici poteſt viatico; quis enim, niſi omnino bardus, rite excogitare umquam poteſt, quod infirmum in extrema luĉta conſtitutum, in qua admodum indiget pane cæleſti contra diabolicos aſtus, Euchariſticæ quotidie aſſidere menſæ Eccleſia prohibeat, quam neque ſanos ab ea interdicere vidimus in cap. 3.? Cur itaque pro infirmis Rituale exigit, quod aliquot intercedant dies inter unam communionem & alteram? Obvia eſt reſponſio, ſi dicatur hoc ideo, quia inibi ſermo eſt de infirmis graviter ægrotantibus, qui regulariter jejuni a cibo, potuve, aut medicamentis permanere non poſſunt, ac per conſequens, quod inter unam communionem & alteram, naturali non ſervato jejunio, aliquot debent mediare dies, ſecus inter communiones, quæ ab ægrotis fierent jejuno ſtomacho. Communior hæc eſt intelligentia Rubricæ, & propterea Navarrus expoſcit ſpatium intermedium triginta dierum, Nugnus octo vel decem, Sylvius ſeptem, Poſſevinus ſex, Paſqualigus ſaltem quatuor. Ludovicus a S. Joanne trium, & Diana duorum, quia pluralis numerus, ſcilicet *dies aliquot*, duorum dierum ſpatio ad ſui veritatem contentus eſt. *Cap. Pluraliſ. 40. Regul. jur. de in 6.*

IX. His tamen non obſtantibus non deeſt ſententia valde probabilis, & pia quod altera die a ſacro viatico per non jejunum infirmum recepto, ſi duret idem mortis periculum, poſſit idem infirmus, etiam non jejunus, Sacram Euchariſtiam ſuſcipere; & ſic quod licet Parocho etiam quotidie infirmum prædictum, licet non jujunum, per viaticum communicare. Ita Clericatus *deciſ. 19. numer.* 12., & apud hunc Cardin. Brancatius *de ſacr. viat. pag.* 156., De Lugo *de Euchariſt. diſp.16. numer.* 42., Layman *lib. 5. tract. 4. c. 6. n.* 20., Caſtropalaus *tom. 4. tract. 21. diſp. un. punct.* 13. *num.* 14. Hurtadus, Baunius, Leander, Eſcobar, Baſſeus, Serra, Quintanadvennas, Tamburinus, Gobat, Decaſtillus, & noviſſime Phillipinus *de privil. Ignor. to. 2. Append. ad cap.* 23., qui in eo dumtaxat diſcordant, quod horum plurimi id edocent abſolute, & ſimpliciter fieri poſſe, aliqui vero limitant ad caſum, in quo infirmus frequentiori ſumptione egeat ad ſuperandas tentationes, aut ægre ſe abſtineat, ſive vehementer eamdem peroptet. Infirmorum namque votis, qui in anguſtiis mortis conſtituti ſunt, indulgeri poſſe demonſtrat neceſſitas ejuſdem Sacramenti, quæ cum in eo articulo maxima ſit, ſecus ſentiendum non eſſe videtur de bonitate Eccleſiæ, quæ a quotidiana communione neque ſanos abſolute depellit. Et reapſe præſens Decretum ſuper jejunii præcepto ſimpliciter, & abſolute in ſavorem infirmorum diſpenſat, unde indicare videtur, toties poſſe ab infirmis non jejunis ſum Euchariſtiam, quoties a ſanis jejunis.

X. Ad Rubricam, quæ aliquot dierum ſpatium exquirit, reponit Brancatius, quod eſt directiva, non præceptiva, & conſequenter non obligat ad expectandum tranſitum duorum, vel plurium dierum, ut æger in periculo mortis perſiſtens, non jejunus iterum communicetur. Putat Clericatus inibi agi de communione danda ægro jejuno, & non de ægro non jejuno, de quo diſponit ſequens Rubrica per ea verba *poteſt quidem viaticum &c.* at aperte fallitur, quia Rubrica ibi agit de communione abſolute, & ſimpliciter abſtrahendo a jejunio, a quo in ſequentibus verbis poſtea liberat brevi moriturum, & ad illud teneri decernit communicantem ex devotione. Deinde videre non eſt, unde expectandi ſint aliquot dies pro communicandis iterum infirmis jejunis, cum nec expectentur pro ſanis. Audivi, qui aſſerunt to *aliquot dies* etiam verificari poſſe de una die, ita ut ſenſus ſit, quod ſi in eodem periculo infirmus vixerit, ſive unam poſtea diem, aut plures, poſſit iterum communicari, abſque eo quod neceſſe ſit plurimorum dierum lapſum præſtolari; & id videtur erui ex eo, quod modo dicebamus, quia videlicet Rubrica abſtrahit a communicante præmiſſo, vel non præmiſſo jejunio, cum tamen certum ſit, quod etiam inſequenti die poteſt infirmus iterum communicare jejunus. Prædictam Rubricam *regulariter* accipiendam eſſe putant alii, ita ut eidem infirmo non jejuno Euchariſtia iterum regulariter adminiſtranda non ſit, niſi poſt aliquot dierum ſpatium, ſecus vero, ſi aliquæ circumſtantiæ concurrant, quales ſunt neceſſitas ad ſuperandas tentationes, aliæve, quarum ſuperius meminimus. Nos vero cenſemus, quod inhibitum minime ſit, infirmum in mortis periculo conſtitutum, etiam quotidie communicare, licet jejunus non ſit, & quod in iis Rubricæ verbis *aliquot dies* reſpectum magis fuerit ad incommodum Eccleſiæ, ex qua Euchariſtia debet deportari; quare quatenus infirmus oratorium habeat, ex quo ad ipſum Euchariſtia deferatur, haud abnuimus, quotidie adminiſtrari poſſe, quinimmo idipſum faciendum eſſe cum Sacramento deportato ab Eccleſia, ſi neceſſitas frequentioris ſumptionis urgeat ad ſuperandas diabolicas tentationes, aut infirmus anxietur maxime, ſi privetur in illis anguſtiis cæleſti convivio. Etſi autem dixerimus, quod conſtitutos in mortis periculo, ſi ſumpto ſacro viatico in peccatum mortale labatur, neceſſe non eſt, iterum communicet ad adimplendum divinum præceptum; abſit tamen, id intelligas, ut ſequenti die communicare non poſſit, immo id fieri nos maxime collaudamus.

XI. Periculi mortis evaſio eſt caſus alter, in quo ſi infirmus communicare voluerit, ejus pio deſiderio annuendum decernitur. Sunt, qui hanc Rubricam ita intelligunt, ut in ea ſermo ſit de infirmo, qui cum periculum mortis evaſerit, iterum in eodem periculo conſtituitur, & de hoc dubium non eſt, quod iterum per modum viatici, licet non jejunus, communicare poteſt, atque tenetur. Verum Rubrica nihil habet de relucidentia in mortis periculum, & ideo eadem procedere dignoſcitur de infirmo, qui cum prædictum periculum evaſerit, ex devotione communicare peroptat, & pio hujus quidem deſiderio Parochus deeſſe non debet, ſed eumdem communicare non poteſt, niſi jejunum naturali abſtinentia, ſicuti Rituale inferius ſe dilucide explicat.

XII. *Poteſt quidem viaticum brevi morituris dari non jejunis*; & ecce quod dicebamus, nempe quod ſimpliciter, & abſolute, adeoque non pro una, aut altera vice, ſed pro omnibus indiſtinctim infirmi non jejuni communicari valent; quod & præſens firmat aperte Decretum, & conſonum nuncupat ſacrorum canonum auctoritati, & approbatæ conſuetudini Eccleſiæ. Sunt qui infirmum, quoties commode poſſit, obligant communicare jejunum; ſed licet bonum id ſit, & collaudandum, id oneris eidem non poſſumus imponere, ne aperiatur, aditus ad plures ſcrupoloſitates, certe, & maxime præcavendas in hac materia. Ad id conſtanter aſſerendum movemur plurimum ab abſoluta diſpenſatione Decreti ſuper jejunii præcepto, quod licet limitationes, quas pati poterat, probe noverit, adhuc nullam appoſuit, nec apponendam putavit. Non eſt itaque de nocte deferendum SS. viaticum, ut miniſtretur infirmo jejuno, neque hic tenetur medicamenta differre, aut cibi ſumptionem potuſve, ſed Parocho, quando crediderit, communicandus eſt ad ejuſmodi nullo habito reſpectu.

XIII. *Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ, ante aliquod ſumere licet.* Opus non eſt, coner oſtendere, quod to *Ceteris autem infirmis* comprehendit infirmos omnes, iis ſolum exceptis, quorum præcedenter meminerat, & ſunt *infirmi brevi morituri*, quales reputantur in mortis periculo conſtituti. Intellectum hinc habes præſentis Decreti, quod licet abſolute caſum infirmitatis excipiat, accipiendum apparet de ſolis infirmis, qui brevi morituri creduntur; unde D. Thomas *q.* 80. *art.* 8. *in o.* habet de præcepto jejunii: *Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant.* Qui itaque infirmi quidem ſunt, ſed non in mortis periculo, ſi ex devotione communicare voluerint, tenentur ad jejunium, perinde ac ſani ex devotione communicantes.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE LXX.

Ne Sacratiſſima Euchariſtia denegetur condemnatis per Judicem ad ultimum ſubeundum ſupplicium, conſtituit Concilium Moguntinum anno 847. *Cap.* 27.

I. Antiquitus, præcipue in Hiſpania, mos erat, ac conſuetudo denegandi communionem damnatis capite, tamquam nimis crudelem conſuetudinem reprobavit Concilium Moguntinum apud Baronium *ad an.* 847. *num.* 57. & poſtmodum motu proprio abrogavit Pius V. anno 1569. ſicuti teſtantur Salmanticenſes *de Euch. tit.* 23. *diſp.* 11. *dub.* 4. *num.* 42. ac regia pietate, & auctoritate confirmavit Philippus II. *leg. 9. lib. 1. tit. 2. novæ Recollect.* Per ſe loquendo, id fieri debere ſapienter ſenſit Suarez *diſp. 69. ſect.* 3. & reapſe, quænam major probabilitas, quod ejuſmodi homines non ſint amplius Euchariſtiam ſumpturi, aut ſint brevi morituri, ac per conſequens, quod ſacro refici debeant viatico, quod juxta Rituale adminiſtrari debet *iis, qui probabiliter illud ſumere amplius non poterunt*, vel ſunt *brevi morituri*.

II. Divus Carolus *Act. part. 4. Inſtruct. Euch.* hanc cautelam ſervari mandat: Reis *capite damnatis, in tempore miniſtrabit Euchariſtiam, aget vero cum Judice, magiſtratuve, ut quo die illi corpus Domini ſumpſerint, ne eo die ob reverentiam afficiantur ultimo ſupplicio*, & pridie quam ad ſupplicium ducantur, communione reficiendos eſſe, item ſtatuit Concilium Limanum I. ſub S. Turribio anno 1582. celebratum, & a S. Sede approbatum: *Iis, qui propter facinora commiſſa capitis damnati ſunt, pridie quam ad patibula a Magiſtratu ducantur, communione Chriſti Corporis muniantur, quo patienter, & cum ſalute animæ pœnas corpori debitas ferant.* Ita quidem bene, ſed ubi una tantum dies damnatis ejuſmodi ſolet concedi, non propterea abſtinendum eſt ab iiſdem communicandis, quemadmodum apud Gavantum *in man. Epiſc. verb. Euch. n.* 49. in Decreto ſequenti (quod erit 3. cap. in ordin. 71.) Congregatio Epiſc. definiit 16. Junii 1590. *Reis capitali ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda eſt, poteſt dari Euchariſtia.* Quod ſi reus intra aſſignatum ſibi tempus noluerit eam ſuſcipere, poteſt Judex licite ad mortem ejus procedere, ne alias detur ejuſmodi hominibus occaſio non ſumendi Euchariſtiam, ut ſe a morte eripiant eludendo publicam poteſtatem, ſicuti optime tradit Sotus *lib. 5. de Juſt. & jur. q. 1. art.* 2. Exemplum autem primorum Eccleſiæ ſeculorum, in quibus perſecutione graſſante fidelibus concedebatur Euchariſtia apud ſe retinenda, ut ea ſe munire poſſent ſi forte trahebantur ad martyrium, ubertim oſtendit, etiam paulo ante ſententiæ executionem damnatos capite poſſe refici ſacro viatico.

III. Diximus *ſacro viatico*, quia per modum viatici communicandos eſſe, ac per conſequens per ea verba *accipe Frater viaticum*, Auctores omnes edocent, nec aliter expoſcunt ea Ritualis verba: *Viatico autem miniſtrabit, cum probabile eſt, quod eam amplius ſumere non poterit.* An autem jejuni

commu-

communicari debeant, affirmat Coninck, ſed Communis ſententia eſt, eamdem regulam de iiſdem procedere, quæ ſuperius ſtatuta fuit de infirmis morti proximis; difficillime enim in illis anguſtiis poſſunt illi miſeri ſe abſtinere a ſumenda ſaltem aliqua potione corroborante, & ex peritorum experientia compertum eſt, quod ſtatim ac ſententia mortis illis intimata eſt, febre ſaltem interna, & malo mortis corripiuntur ob animi, & ſanguinis commotionem; quod dictum eſſe volumus, ut inde intelligas, etiam caſum ejuſmodi comprehenſum eſſe in Rituali Romano, & præſenti Decreto.

IV. Apud Gallos autem prædictis damnatis etiamnunc denegari, tradit Gamachæus 3. *part. q.* 79. *cap.* 2. *concl. ult.* & pro ejuſmodi uſu videri poſſunt, quæ ſcribit Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 11. Juvenin *de Euch. diſſert.* 4. *q.* 6. & Contenſon. *diſſert.* 4. *cap.* 1. *in ſpecul.* 1. ubi obſervat non eſſe obligationem miniſtrandi Euchariſtiam ſingulis reis ad mortem damnatis, licet hi eam ſibi oblatam teneantur ſuſcipere; Chriſtum enim Eccleſiæ paſtoribus permiſiſſe ſentiunt, aſſignare modum, rationem, & tempus Euchariſtiæ diſpenſandæ. A cenſuranda ejuſmodi praxi abſtinet Benedictus XIV. *Annot. par.* 4. *ſect.* 2. *num.* 173. ſed nobis non arridet admodum, ſicuti nec doctrina, cui innititur.

V. *Cavendum autem in primis eſt, ne ad indignos cum aliorum ſcandalo deferatur, quales ſunt publici uſurarii, concubinarii, notorie crimino ſi, nominatim excommunicati, aut denunciati, niſi ſe ſe prius ſacra confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de iure, ſatisfecerint*, ſunt Ritualis verba, per quæ a communione arcentur publici peccatores, niſi prius pœnitentiam egerint, & publicæ ſatisfecerint offenſioni, & ſicuti dubium non eſt, quod conditionem ejuſmodi tenentur præmittere damnati ad mortem, utpote publice, & notorie peccatores, ita certum eſt, quod tota Ritualis inhibitio ſiſtit in publicis peccatoribus, ac per conſequens adhuc perſtat lex illa de peccatoribus occultis, ita ut ſi privatim petant, ſint repellendi, admittendi vero, ſi publice; tunc autem infirmus in articulo mortis conſtitutus, publice petere dicitur, quando pluribus præſentibus petit.

VI. Ad concubinarium quod attinet, citato Clericato *deciſ.* 28. *num.* 5. ſcribit Baruſfaldus *tit.* 26. *n.* 13. quod *concubinarius ſive publicus, ſive ſecretus, non dimiſſa, ejectaque concubina, reperitur in ſtatu peccati mortalis, & per conſequens non poteſt admitti ad ſacram Euchariſtiam percipiendam, neque in articulo mortis; & id, quantumvis concubinarius profiteatur, ſe non amplius tangere concubinam, ſed pro domus gubernio eam tenere, quia opinio ejuſmodi damnata fuit ab Alexandro VII. die* 2. *Dec.* 1666. Indubium id eſt de publico concubinario, etſi concubinam non amplius tangat, quia publicæ offenſionis ſatisfacere prius tenetur per effectivam, & non tantum affectivam concubinæ ejectionem, & idipſum pariter eſt de concubinario ſecreto quoad confeſſionem, de qua procedit propoſitio damnata, ſi ægre ſe abſtineat ab amplexibus concubinæ ratione periculi proximi, in quo voluntarie verſatur, & ſolum dubitari poteſt, an item propoſitio damnata comprehendat illum concubinarium ſecretum, quem plurium annorum experientia docuit, ac fecit immunem ab omnibus omnino inhoneſtis actibus, & effectibus erga concubinam; qua de re cum loci hujus non ſit inquirere, dumtaxat dicere pergimus, quod prædicta non obſtante propoſitione damnata, quæ præciſe ſiſtit in denegatione Sacramentalis abſolutionis, quoad concubinarios in integrum adhuc præſtat lex illa Ritualis, ut ſi publici ſint, & notorii, ad communionem admittendi non ſint, etſi eam publice petant, niſi prius publicæ offenſioni ſatisfecerit cum effectiva concubinæ ejectione; quatenus vero ſint occulti, & privatim petant, blandis verbis admoneri debeant, ut prius concubinam ejiciant, & hanc niſi prius ejecerint, communione privari, muniri vero nihilominus, ſi eam publice petant. En diſparitatis ratio confeſſionem inter, & communionem, quod hæc publice denegari nequit ſine læſione famæ, ad quam jus habet peccator occultus, bene vero Sacramentalis abſolutio, quæ cum ſit occulta, contingit ſine ulla læſione famæ.

DECRETUM IV. CAP. IN ORDINE LXXII.

Non licet ſanctam Euchariſtiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti, ſumere eam non poſſunt, ſed venerationis gratia ſolent eam deoſculari. Et ſi forte aliquo in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda, quod Pius V. prohibuit. Congreg. Concil. apud Benedictum XIV. *Annot. tom.* 2. *part.* 4. *ſect.* 2. *num.* 367.

I. QUamvis pueri capaces ſemper cenſiti ſint ſuſcipiendi cum fructu ſacram Euchariſtiam, & hæc iiſdem de facto olim miniſtraretur, in reverentiam adhuc tanti Sacramenti in Eccleſia, ſaltem latina, contraria conſuetudine introductum eſt, ut nedum infantibus non amplius diſpenſetur, ſed inſuper quod pueri prius admittantur, & cenſeantur adſtricti ad confeſſionem ſacramentalem, ubi ſcilicet primum devenerunt ad annos diſcretionis, quam ad communionem Euchariſticam, quæ poſt annos diſcretionis iiſdem differtur, uſquedum *ejuſmodi ſacramenti cognitionem, & guſtum habeant*, ſicuti Rituale loquitur, & nos late explicuimus in Decr. 1. cap. 2. Pariformiter Navarrus, aliique ſentiunt de pueris moribundis, quos propterea non obligant ad ſacrum viaticum, niſi quando in ætate, & cognitione conſtituti ſunt, in quibus ad Eccleſiaſticum communionis præceptum obligantur. Communior tamen ſententia citius admittit, vel obligat ad ſacrum viaticum pueros moribundos, quam eoſdem ſanos ad communionem paſchalem, & in eo diſparitatem aſſignat, quod communionis præceptum extra mortis articulum determinari relictum fuit judicio Eccleſiæ, non ſic præceptum divinum de ſacro viatico, quod non oportuit relinqui determinandum, cum jam determinatum ſit ad mortis articulum pro omni adulto, qui ſive plurium, vel paucorum annorum ſit, dummodo ſit capax doli, capax item eſt prædicti viatici, & hujus confortatione, & munimine indigus ad ſuperandas inſidias, & tentationes, quibus in articulo mortis conſtituti a diabolo non minus agitari ſolent, ac ceteri adulti. Pueri itaque ſeptennes, vel juxta eorum capacitatem ubi primum cenſentur doli capaces, & tales, qui ad Sacramentum pœnitentiæ admitti valeant, juxta prædictam ſententiam tenentur ad ſacrum viaticum, nos vero diceremus, quod ſaltem abſque ullo ſcrupulo communicari poſſunt, præmiſſa brevi inſtructione, & eorumdem excitata devotione. Ea verba, quæ D. Thomas de pueris univerſim habet apud Gobat *tract.* 4. *num.* 96. ſaltem de iiſdem in articulo mortis conſtitutis nos procedere poſſe credimus: *Quando pueri incipiunt aliquem rationis uſum habere, ut poſſint devotionem concipere huius Sacramenti, poteſt eis illud conferri;* quod ſi autem prædicti pueri inſuper communicari petant, eorumdem votis omnino indulgendum eſſe, diſerte ſtatuit cap. 26. q. 6. *Si quis de corpore exiens noviſſimum, & neceſſarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur.*

II. Amentibus, atque phreneticis, ex defectu item uſus rationis communicare non licet, niſi forte habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, nam tunc, dum in eo ſtatu manent, communicare poſſunt, ſicuti aperte ſtatuit Rituale Romanum *tit.* 23. §. 10. & nos tradidimus in Decr. 4. cap. 2. Ita quidem de communione in vita, at quoad communionem in mortis articulo, res diſtinctione indiget, & quatenus prædicti ſint ex perpetuo amentibus, vel phreneticis, dubium non eſt, quod neque per modum viatici communicari poſſunt, niſi in caſu lucidorum ut ſupra intervallorum. Verum ſi perpetuo amentes non fuerint, aut phrenetici, ſed poſt rationis uſum in amentiam, vel phreneſim inciderint, communicari illi poterunt in mortis articulo, dummodo quodvis abſit irreverentiæ periculum, quemadmodum expreſſe per hęc verba idem Rituale decernit: *Id diligenter curandum eſt, ne iis tribuatur, quibus ob phreneſim, ſive ob aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt.*

III. Non eſt itaque dubium, quod in communione ejuſmodi hominum diligenter curandum eſt, ne ſequatur irreverentia aliqua, aut tanti Sacramenti injuria, & quoties hujus timor, aut periculum habeatur, abſtinendum magis eſt a communione eorundem, quam Sacramentum indecentiæ exponendum, ſed quoties nullus fundatus adſit timor, puta quia cibum, potumve pacifice ſumit, & deglutit, procedendum indubie erit ad communionem illorum. Quod enim Baruſfaldus inquit de iiſdem omnino depellendis ratione periculi, quod ſemper ineſt, falſitatis experientia incuſat, & manifeſte eſt contra laudatam Ritualis Rubricam, quæ ſupponit quandoque eos communicari poſſe ſine præfato periculo. Accedit auctoritas Catechiſmi Pii V. quod eoſdem amentes communicari ſtatuit, ſed quoniam hanc conditionem ſubdit, dummodo antequam inciderint in inſaniam, *piam & religioſam animi voluntatem præſetulerint*, prædictorum communicandorum hæc ſit regula, ut ſi in peccato mortali in inſaniam, vel furorem inciderint, deneganda iiſdem ſit Euchariſtia, quia non oportet panem filiorum mittere canibus *Marc.* 7. ſi id neſcis, & ipſi crimino ſe ſolebant vivere, & non dederunt ante inſaniam vel furorem ſigna pœnitentiæ, iiſdem abſtineto, procede vero ad eorum communionem, ſi piam, & honeſtam ducebant vitam, quia quiſque præſumitur naturaliter bonus. *Cap. dudum de præſumpt.* nec unquam capitur præſumptio delicti. 1. *merito ff. pro ſocio.* A quo præſtando, nollem, te terreant blaſphemiæ, quas illi horrende nonnumquam evomunt; non ſunt enim ipſi, ſed vis inſaniæ, furoris, aut morbi, quam ne moreris; & maxime quia urget neceſſitas ſpiritualis eorumdem, qui per Euchariſtiam cum attritione præmiſſa ante amentiam, vel furorem, poſſunt gratiam obtinere, & conſequenter ſalvari, ſi in peccato mortali fortaſſe fuerint.

IV. Ad tuſſim quod attinet, alioſque morbos, qui impediunt deglutionem ſacræ particulæ, aut ejuſdem vomitum cauſare poſſunt, aut alteram Sacramenti irreverentiam, jam Rituale ſtatuit, quod ad horum infirmorum communionem procedendum non eſt; præſens autem ſanctio, quod ad eoſdem neque deferenda eſt Euchariſtia, ut eam adorent, ſive deoſculentur, unde & Rituale: *Sed alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu ad oſtendendum, non deferatur.* Rationem Baruſfaldus *tit.* 26. §. 7. per hæc verba ſuggerit: *Ad hoc ſervatur Euchariſtia in tabernaculo Eccleſiæ, ut adoretur; & ut infirmis per viaticum miniſtretur; hinc eſt, quod noſter textus præcipit, ne hic ordo invertatur; inverteretur enim, ſi ad adorandum deferretur infirmo, non ad ſumendum Sacramentum.*

V. De omnino fatuis idem judicium facito, ac de amentibus; at ſi in iiſdem aliqua vel debilis cognitio inſit, per quam cibum Euchariſticum diſcernant a communi cibo, in mortis periculo muniendi erunt ſacro viatico, etſi in vita ad com-

munio-

munionem non admitterentur. De ebriis ſuccedit dicere, & ſi ebrietas fuerit voluntaria, non eſt dandum viaticum, miniſtrandum vero erit, ſi ebrietas plane inculpabiliter contracta fuerit; puta vel quia combibones ejus vino immiſerunt ſalem, aut vinum generoſum affunderunt putanti affundi ordinarium, vel quia in æſtu, & jejunus bibit, ſeu hauſit vinum meracum, cujus vires ignorabat. At quid in dubio? Ebrietas præſumitur involuntaria, quando accidit illi, qui numquam, aut vix unquam fuit vino deditus, voluntaria vero, quando corripuit illum, qui ſolitus eſt mentem exturbare vino, ex vita namque præterita præſumitur de præſente.

DECRETUM V. CAP. IN ORDINE LXXIII.

Ægrotis morti proximis, cujuſcumque ſint conditionis, quamvis in ſordido, ac vili degant loco, aut tugurio. Sacrum Euchariſtiæ viaticum deferatur, cum apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec crucis ignominiam exhorruerit. Alex. VII. Conſt. *Sacri Apoſtolatus* 18. Jan. 1658. & Clemens IX. Conſt. *in Eccleſia* 13. Sept. 1669.

I. DEcretum ſe ſatis explicat, & validas rationes affert, quare Ritualis verba illa; *Deferri autem debet hoc ſanctum Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos*, patet eſſe accipienda de quocumque omnino loco, in quo jacet infirmus, fœnile licet foret, vel ſtabulum, aut ſordidior locus alter. *Præmoneant, ut ægri cubiculum mundetur.* Rituale ſubdit, & Baruffaldus rite addit quod non tantum cubiculum, ſed etiam cubile, in quo jacet ægrotus, mundandum eſt a quibuſcumque ſordibus; ſic enim exigit dignitas tanti Sacramenti, & magnitudo Regis Regum, pro cujus acceſſu munda deberent eſſe omnia, & nitida.

II. *Et in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua ſanctiſſimum Sacramentum deponatur.* In cubiculo infirmi parari mandatur menſa cooperta linteo mundo ad effectum collocandi ſuper eamdem SS. Sacramentum, ut antequam ægrotum Sacerdos communicet, præſtare valeat illa, quæ Rituale præmitti demandat. Quod ſi cohabitantes id præſtare non poſſint, Parochus ſecus menſam deferat, & linteum mundum, quemadmodum de mandato Innocentii XII. ſecum etiam deferre tenetur baldachinum parvum portatile plicandum pro commoditate, & explicandum in domo ægroti ſuper prædictam menſam, ut ſub eo, ſuppoſito ſemper tamen parvo corporali, Sacramentum ut ſupra collocetur.

III. *Parentur luminaria*, & hæc ſint candelæ ſaltem binæ, quæ ſuper prælatam menſam parari debent, ut ardeant ante Sacramentum. *Ac duo vaſcula, alterum cum vino, alterum cum aqua*, & iſta vaſcula erunt parva, & vitrea, & ſufficit, tantum humoris capiant, quantum ſufficit ad purificandos Sacerdotis digitos. Utraque vaſcula neceſſaria non ſunt, ſed ſufficit unum, & cum ablutio ab infirmo ut infra ſumi debeat, implendum potius videtur aqua, non vino, cujus ſumptio ut plurimum infirmis nocet; ſed nihil vetat adimpleri etiam vino, ſi hujus ſumptionem non refugiat morbi qualitas, aut quoties infirmus ablutionem non debeat ſumere. *Præterea linteum mundum* parandum item erit, quod *ante pectus communicandi ponatur*, & ejuſdem ſupponatur mento ad effectum colligendi fragmenta, vel particulam ipſam, ſi inter communicandum e Sacerdotis manibus fortaſſe decidat, vel erumpat ex ore ægroti in caſu tuſſis impetuoſæ, aut repentini vomitus, aliave qualibet de cauſa. Quæ omnia, vel eorum aliquod, quoties apud communicandum deſiderentur, ea ſubminiſtret ſodalitas SS. Sacramenti, vel ipſe Parochus. Quæ autem Rituale addit *de parandis aliis ad ornatum loci pro cujuſque facultate*, in conſilio dumtaxat ſunt, & ad honorem Sacramenti deſerviunt, ſed quatenus non habeantur, neceſſe non eſt, ab aliis ſuppeditentur.

IV. Deferri autem debet hoc Sacramentum a Sacerdote in *decenti habitu*, & haud dubitarem, hic ſermonem non eſſe de veſtibus ſacris, de quibus infra Rituale diſponit, ſed magis de veſtibus non ſacris; & Parochi, præſertim rurales, ne ægro ferant animo, ſi dixero, quod induere debent veſtem clericalem oblongam, atque talarem, quam indubie exigit magnitudo excellentiſſimi Sacramenti, quod deferre debent; non enim talis ego ſum, qui veſtem brevem ipſis velim contendere, quando extra civitates, & villas viaticum longe deferunt, & maxime ſi iter lutuoſum ſit, aut tempus pluvium, vel in anguſtiis, quæ celeritatem exigunt, ſed in his, ſimilibuſque caſibus quando aliter commode fieri non poteſt, lubens aſſentior, quod etiam in civitatibus ipſis, & villis cum veſte brevi deferatur.

DECRETUM VI. CAP. IN ORDINE LXXXIV.

Pyxis, in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R. C. 21. Martii 1699. *in Bergomen.*

I. S*Uperpoſito mundo velamine* Rituale inquit de Sacerdote ad infirmos deferente ſacrum viaticum, quare unaquæque Parochialis Eccleſia habere debet velum ſericum coloris albi, quo ſuper veſtes ſacras, de quibus infra, Sacerdos, qui ſacram hoſtiam delaturus eſt ſuos tegat humeros, e quibus ne decidat, ligabitur vitta aliqua ante pectus. Num hoc velo pyxis etiam cooperiri debeat, cum Rituale taceat, res relicta videtur conſueto ritui, qui quando Sacramentum in proceſſione defertur, cum prædicto velo dumtaxat Sacerdotis manus contegit, non vero ipſum oſtenſorium, aut cuſtodiam, & eo maxime, quia Rituale ſubdit, quod deferendum eſt *manifeſte*; id autem cum intelligi nequeat de hoſtia diſcooperta, quæ de mandato ejuſdem Ritualis deferri debet in pyxide, ſeu vaſe clauſa, quiſquis videt facile, opus eſſe, quod prælata dictio cadat ſuper ipſam pyxidem, ſeu vas quod conſequenter non videtur obtegendum humerali velo.

II. In oppoſitum adhuc cenſuit ſacra Congregatio, quæ propterea ultra velum proprium ipſius pixidis hanc inſuper tegendam eſſe mandat extremitatibus veli oblongi humeralis, quod præcedenter item præſcripſerant Acta Eccl. Med. *par.* 4. dum prædictum velum volunt longum ſex ſaltem pedibus, ut Parochi humeris aptatum, Sacramentum contegere valeat. Haud refragabor ego, quod cum Rituale taceat, res relicta videtur conſueto ritui, ſed hic poſtea non debet peti a ritu, qui ſervari ſolet in proceſſione, in qua defertur Sacramentum diſcoopertum, ſed in qua aſportatur velatum, ſeu in pyxide, vel alio vaſe contentum, a ſimilibus namque arguendum eſt, & non a diſſimilibus; in feria autem quinta cœnæ Domini, & in ſubſequenti feria VI. in quibus Sacramentum per proceſſionem defertur in vaſe contentum extremitatibus veli humeralis etiam contectum deferri mandatur. Adde, quod id expreſſe fortaſſe in caſu noſtro Rubrica præcipit, de qua dicemus infra.

III. Videamus modo, quam contectionis ejuſmodi Baruffaldus rationem proferat: *Operiri debet tota pyxis, non ut oculis humanis celatum remaneat Sacramentum* (huculque bene, cum jam Sacramentum ubertim humanis oculis celatum manet per ipſam pyxidem, & proprium ejuſdem velum) *ſed ut pulveris, & aeris injuriæ arceantur, atque ut magis veneratio augeatur in circumſtantibus: res enim, quæ ante oculos patent, facile viteſcunt.* Ita prædictus Auctor, ſed quam miſerrime, opus non eſt oſtendere, quaſi Sacramentum, quod circumgeſtatur detectum, injuriis pulveris, & aeris non foret magis expoſitum, & proceſſio ejuſdem Sacramenti abſque ullo velo in majorem venerationem non eſſet inſtituta, quamvis enim, quæ, licet pretioſa, oculos noſtros continuo obtendunt, quodammodo viteſcant, & minus venerationis, & pretii fortaſſe aſſequantur, ſecus quæ identidem, cum hæc potius pretium acquirant, venerationem foveant, & incendant. Crederem ego itaque, quod aliunde peti debeat ratio, & fortaſſe quam ſubdimus, ad rem non eſt incongrua, quia nempe in hac circumſtantia temporis non defertur Sacramentum in triumphum, ſed magis Chriſtus in eo quaſi oblitus divinitatis ſuæ præ maxima humilitate tamquam ſpiritualis medicus in ſubſidium ægrotantis dignatur accurrere.

IV. Dictio autem *manifeſte*, qua Rituale utitur, non reddit ſenſum, quaſi hoſtia palam deferri debeat, aut pyxis diſcooperta, ſed quod aperte videri debet locus, in quo pyxis eſt, quare dicitur: *manifeſte, & honorifice ante pectus cum omni reverentia, & timore; ſemper lumine præcedente*, to enim *Ante pectus* deſignat, quod pyxis ſeu Sacramentum deferri non debet in burſa, aut ſub veſtibus, ſed in loco patenti quantum patere poteſt pectus hominis, adeo ut quicumque adoraturi ſunt Sacramentum, oculos dirigendo ad pectus Sacerdotis, videant relevatam pyxidem, licet velatam, & humerali velo obductam.

V. Quod ſpectat ad honorificentiam, reverentiam, & timorem, quo juxta Rubricam Sacramentum deferri debet, id profecto exigit res, quam Sacerdos agit, & præ manibus geſtat, rite inquit Baruffaldus, qui ad honorificentiam reducit & ſtipationem luminum, de quibus nos dicemus infra, & inceſſum gravem, quo Sacerdos, dum Sacramentum defert, procedere debet, & numquam præcipiter currere. Non enim, ſubdit idem Auctor, viaticum tenetur deferre Parochus ad infirmum prope moriturum, ſi timeat fore, ut illud non poſſit miniſtrare, niſi valde feſtinanter currat, nam curſus nimis feſtinus repugnat reverentiæ, & honorificentiæ tanto Sacramento debitæ, & decentiæ, atque honeſtati Clericali, nec præceptum adminiſtrandi Euchariſtiam infirmo videtur jure divino, aut Eccleſiaſtico introductum cum periculo, ut Parochus fatuus videatur, & irrideatur. Secus ſentit de baptiſmo, & pœnitentia, ad quæ, cum ſint de neceſſitate medii, adminiſtranda adſtringit Parochum, etiam non integre veſtitum, & quocumque non obſtante periculo.

VI. Quoties infirmi ſacram particulam deglutire non valent, Euchariſtiam iiſdem adminiſtrandam eſſe ſub ſpecie vini, ſtatuiſſe fertur Concilium Toletanum II. celebratum anno 675. *Can. 11.* nec antiquitatis deſunt monumenta plurima apud Card. Bonam *lib.* 2. *Rer. litug. cap.* 18. *num.* 3. Euchariſtiæ tunc adminiſtratæ medio pane intincto in Chriſti ſanguine, & reapſe id videtur expoſcere præceptum divinum de ſumendo viatico, cui in caſu debet cedere Eccleſiaſticum de non communicandis laicis ſub ſpecie vini, ſicuti & eidem cedit præceptum Eccleſiaſticum non adminiſtrandi Euchariſtiam, niſi jejunis. In oppoſitum tamen ſtat Doctorum turba, qui præceptum divinum viatici non urgere cenſent, quoties gravibus de cauſis ab Eccleſia hoc denegatur; quare cum Eccleſia diſtricte inhibuerit laicis, & Sacerdotibus ipſis communicantibus laicorum more extra Miſſam, uſum calicis, tum ad vitandum effuſionis periculum aliaſque plurimas irreverentias, quæ in diem eveniebant, tum ad confu-

tandam

tandam eorum hæreſim, qui aſſerebant non contineri Chriſti ſanguinem ſub ſpecie panis, vel divinum eſſe præceptum communicandi ſub utraque ſpecie, idcirco nullatenus licitum eſſe poteſt communicare infirmum prædictum vel ſub ſpecie vini, aut cum pane intincto in Chriſti ſanguine. In hoc itaque caſu monet Pax Jordanus, quod infirmo præberi poterit particula conſecrata immixta aqua, vel vino ordinario, ut eam ſic poſſit deglutire; cum enim tenuis admodum ſit particula, & hujus vel minima pars ſufficiat ad communionem, dubium non eſt, quod eam abſorbere poterit cum aqua, vinove ordinario infirmus ille, qui vinum, aut aquam abſorbere poteſt. Quæ praxis cum ſua nec careat antiquitatis laude, ut evidenter demonſtrat exemplum illud, cujus ea Euſebio de Serapione ſene meminimus in Decr. 13. cap. 4. n. 10. utique nec eidem officit præceptum de jejunio naturali, quod non obligat communicantes per modum viatici.

DECRETUM VII. CAP. IN ORDINE LXXV.

Cœremonialis liber nec laicis, nec clericis prohibet, quo minus in Proceſſione SS. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas. S. R. C. 12. Aprilis 1603. *in Andrien.*

I. P*Arochus igitur proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot campanæ ictibus*. Quoties ad infirmos deferendum eſt ſacrum viaticum, campanæ pulſare jubentur, & cum Rituale diſerte cauſam aſſignet, inane foret alias effingere: *Jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem SS. Sacramenti (ubi fuerit inſtituta) ſeu alios pios Chriſtifideles*. Cauſa itaque eſt, ut audientes homines confugiant ad Eccleſiam; quod ut lubentiores, & celeriores præſtent, campanæ ſignum diſtincto modo, ſeu *aliquot ictibus* dari mandatur; invitantur enim ad præſtandum proximo ad extrema vitæ deducto, charitatis officium, quod etiam ipſis debet retribui, & ad exhibendum aſſociationis obſequium erga ſupremum rerum omnium Dominum, qui ut infirmo opituletur, perſonaliter nihilominus eidem non dedignatur accedere.

II. *Qui ſacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intortitiis comitentur*. Cum cœremoniale in proceſſione feriæ V. in Cœna Domini Canonicis paratis conſignet cereos, putarunt nonnulli ipſis, ſeu presbyteris in proceſſione SS. Sacramenti id muneris privative competere, & nullatenus laicis, aut aliis clericis; quam autem perperam præſens Decretum, & Rubrica ſatis deſignat, immo, & cœremoniale ipſum Epiſcopi, dum *lib. 2. cap. 33.* de proceſſione ipſa ſolemni, quæ fit in feſto corporis Chriſti, hæc expreſſa verba tenet: *Omnes enim tam religioſi, quam laici deberent, ſi fieri poſſet, in hac proceſſione, ſi non funalia, ſaltem candelas ceræ albæ accenſas manibus portare.* Hinc, ſeu per ea verba *ſi fieri poſſet*, ruit aliorum error, qui verborum cortici plus æquo adhærentes, laudatam Rubricam Ritualis ita exponebant, ut a comitando SS. Sacramento arcendi forent fidelium illi, qui ſine cereis, ſeu intortitiis accedebant, quaſi cereorum delatio in præcepto foret, & neceſſaria comitantibus SS. Sacramentum, & non de puro conſilio, & tamquam conſultior, & laudabilior dumtaxat commendata. Id evidentius redditur ex Bullis Pontificiis, quæ quidem uberiores indulgentias elargiuntur iis, qui accedunt cum cereis, ſed & ſuas concedunt accendentibus ſine cereis.

III. D. Carolus *Act. par.* 4. jubet, ut in caſu viatici familia ægrotantis obviam procedat cereis accenſis, omni pietatis cultu, & inſuper inſinuat Parochis, ut agant cum unoquoque Patreſamilias, ut ipſe, aut familiæ aliquis omnino ad Parochialem Eccleſiam conveniat ad comitandum tantum Sacramentum, quam ad cauſam domi teneat unam, pluresve candelas, aut funalia, quibus utatur in hoc chriſtianæ pietatis officio. Ita quidem bene, ſed quoniam ejuſmodi cuncta in præcepto non ſunt, ſed ex mera fiunt fidelium devotione, idcirco unaquæque parochialis Eccleſia ſuos cereos, ſeu intortitia habere tenetur, non quæ diſtribuat cuique ex intereſſentibus, ſed quæ deferri faciat ante SS. Sacramentum, quod ex præſcripto alias laudato Rubricæ deportari debet *ſemper lumine præcedente*. Quot eſſe debeant, definitum non eſt, & fortaſſe, quia ex Eccleſiis aliæ ditiores ſunt, quæ ſine ullo incommodo plura adhibere valent, ubi aliæ etiam a parvo numero gravamen perſentiunt. Id itaque magis relictum eſt Eccleſiarum devotioni, & conditioni, ita tamen ut abundare quidem valeant, numquam deficere in convenienti ſaltem numero, qui juxta dicta in Decret. 9. cap. erit duodenarius, quem ibidem præſcripſimus pro SS. Sacramento extra tabernaculum velate expoſito, numquam vero minor ſenario, quem Decreta expoſcunt pro Sacramento velate expoſito intra tabernaculum, ſed cum ibi nos alia duo funalia extra altare addiderimus, idcirco ut minimum octo erunt lumina, ſed horum duorum loco adhiberi poterunt laternæ, de quibus infra. Cujus autem materiæ intortitia ejuſmodi eſſe debeant, ſatis Rituale indicat, dum eadem appellat *cereos*, & Cœremoniale exigit *candelas ceræ albæ*; dummodo tamen ſint ex cera, quæ magis convenit nobilitati rei; quæ per proceſſionem defertur, tolerari poſſunt, quamvis ſint ex cera communi.

IV. *Et umbellam, ſeu baldachinum, ubi haberi poteſt, deferant*. Conſuetum honoris tegumen Sacramento Rubrica decrevit, ſive poſtea umbella ſit, vel baldachinum. Baruffaldus umbellam adhiberi laudat, tamquam quæ magis conſona eſt negotio viatorio, & commoda, cum ad eam portandam unus ſolum ſufficiat, ubi baldachinum majorem exquirit portantium numerum, & magis proprium eſt proceſſionum ſolemnium, cujuſmodi eſt ea, in qua ſacrum viaticum ad infirmos defertur, & quandoque etiam cum feſtinatione. Addit poſtea, quod Rubrica ideo etiam baldachini meminit, quia ſupponit non haberi umbellam, quæ ſi adeſſet, ceſſaret baldachini uſus. At certe Rubricæ verba hunc non reddunt ſenſum, ſed magis quod baldachinum, *ubi haberi poteſt*, adhiberi debeat, & umbellam nonniſi in defectu baldachini, quare ut minimum conſultius erit adhiberi baldachinum ſaltem in Civitatibus, & Oppidis, extra vero, & præſertim ſi longum, & difficile fuerit iter, opportunus erit umbellæ uſus, ſicuti & tempore pluvio.

V. *Ubi vero convenerint, qui Euchariſtiam comitaturi ſunt, Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola, & ſi haberi poteſt, pluviali albi coloris*. Sacræ aſſignantur veſtes, quas inducere debet Sacerdos, qui delaturus eſt ſacrum viaticum, & ſunt ſuperpelliceum, ſtola, & pluviale coloris albi. Pluvialis uſum his verbis, *ſi haberi poteſt*, Rituale afficit, unde deprehenditur non eſſe omnino neceſſarium, quinimmo Concilium Mediol. Prov. 3. contentum eſt, adhibeatur in locis inſignioribus. Non ſic eſt de ſuperpelliceo (niſi hujus loco ſubrogetur alba) & ſtola, quæ cum a Rituali in reverentiam Sacramenti abſolute demandentur, eorum omiſſionem Auctores damnant, aliqui venialis, alii communius mortalis culpæ, & magis infirmum abſolvunt a præcepto viatici, quando decenter adminiſtrari non poteſt, quam permittere, ut miniſtretur ſine prædictis veſtibus, quando haberi non poſſunt. Non deſunt tamen, qui in neceſſitatis caſu proxime moriturum abſque præfatis veſtibus communicari poſſe ſentiunt, & cum opinio ejuſmodi conſona ſit praxi Eccleſiæ veteris, quæ per laicos Euchariſtiæ miniſtrationem non ſemel permiſit in neceſſitatis caſu, ut diximus in Decr. 13. præcedentis capitis, non improbabile redditur, quod leges poſteriores non militent cum tanto rigore pro mortis articulo, quando aliter fieri non poteſt.

VI. *Acolythis, ſeu clericis, aut etiam Presbyteris (ſi locus feret) ſuperpelliceo pariter indutis, comitatus*. Inter officia devotionis, non obligationis connumeratur aſſociatio SS. Sacramenti, ad quam propterea Summi Pontifices non compellere comminatione pœnarum, ſed indulgentiarum propoſitione allicere ſoluere fideles. At quantum ſpectat ad clericos, cum altari dedicati ſint, & ejus miniſterio, ad quod reducitur miniſtratio viatici, compertum eſt, quam deceat maxime, id ipſi præſtare ſtudeant, & ceteros exemplo ſuo provocare, niſi dixeris ad id teneri, vel ſaltem obligari poſſe, quemadmodum reapſe eoſdem obligant D. Carolus in Actis Eccleſ. Mediol. & quamplures aliæ particulares Eccleſiæ in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus. Ad id officii vi Ritualis an Clerici univerſæ teneantur Eccleſiæ, ex iis verbis *ſi locus feret* deciſio pendet; ſi enim ea ita ſumpſeris, ut ſenſum redant, *ſi clerici fuerint in loco*, utique ubi adſunt, apparent obligati, ſecus vero, quoties eadem verba, *ſi ita ferat conſuetudo loci, vel municipalis lex*, duxeris accipienda; tunc namque obligatio incumbit quidem clericis reſpectivorum locorum, non ceterorum. Quomodocumque hæc tamen ſint, quoties clerici item convenerint, ſuperpelliceum, quæ veſtis clericalis eſt, comitaturi induant, non tamen ſtolam, quam neque deferre poſſunt, licet Sacerdotes ſint, quia ejuſdem delatio indicium juriſdictionis eſt, præſertim in proceſſionibus, cujuſmodi eſt, de qua ſermo procedit.

VII. *Decenter, & de more acceptas aliquot particulas conſecratas, vel unam tantum (ſi longius, aut difficilius iter ſit faciendum) ponat in pyxide, ſeu parva cuſtodia*. Particulæ *aliquot* in pyxide poni mandantur, ſed cum id ea ratione, ut adminiſtrato viatico proceſſio ut prius redire poſſit ad Eccleſiam, dubium non eſt, ſufficit, quod in ea duæ ponantur, una nempe adminiſtranda infirmo, altera pro reditu, unde D. Carolus Act. par. 4. *Particulas autem duas feret, niſi cum aliquando ob mortem inſtantem, vel noctu deferet; vel certus eſt Parochus, neceſſe eſſe, ut ſtatim poſt communionem, extremam etiam unctionem miniſtret*. Et ecce caſum, in quo una tantum particula poni debet, cum nempe ob enumeratas cauſas diſpenſatio ſit ſuper proceſſionis reditu, aut ob tempus pluvium, iter longum, vel difficile, aliaſve rationes ſimiles.

VIII. *Quam proprio ſuo operculo cooperit, & velum ſericum ſuperimponit*. Ubi itaque Sacerdos ut ſupra poſuit particulas in pyxide, eam illico ſuo cooperit operculo, at quodnam erit velum ſericum, quod ſuperimponi jubetur? Conſuetumne pyxidis, vel humerale? Pro humerali ego ſentio: conſuetum enim pyxidis, cum regulariter ejuſdem operculo adhæreat, una cum ipſo operculo ſuperimponitur pyxidi, ubi prædicta verba: *Et velum ſericum ſuperimponit*: in veriori ſenſu diſtinctam aliam actionem important.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORD. LXXVI.

Parocho reumate laboranti, & SS. Sacramentum infirmis deferenti, ſolet indulgeri uſus pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel Oppidum. S. R. C. 5. Martii 1633. *in Aſculana.*

I. I*Pſe vero Sacerdos, impoſito ſibi prius ab utroque humero, oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum*

Sacra-

Sacramento. Nollem, id intelligas, quaſi Sacerdos poſitis ut ſupra particulis in pyxide, ſtans adhuc ad altare, ſibi imponere debeat velum humerale, aut deſcendere, & genuflexus in ſuppedaneo, aut ſuper altaris gradus idem velum accipere; primus enim modus, qui Sacerdotem ſtantem ante Sacramentum, ad altare velo tegit, non ſatis conſulit reverentiæ Sacramenti ſecundum vero inutiliter facit Sacerdotem deſcendere, ut iterum aſcendat ad accipiendam ſacram pyxidem; in hoc quippe caſu non eſt uſus incenſi, ut extracto Sacramento, Sacerdos deſcendere debeat ad illud thurificandum, uti fit in aliis caſibus. Satius itaque dixeris, ſenſum eſſe, ut Sacerdos prius accipiat velum oblongum, poſtea accedat ad altare, ponat particulas in pyxide, hanc ſuo operculo claudat, & deinde utraque manu, ut firmius eam teneat, prædictam accipiat pyxidem, huic ſuperimponens extremitates veli humeralis. Si hanc Rubricam ſerio cogites, cum præcedenti eamdem comparans, profecto fallimur, niſi nobis rationem facias.

II. *Et deinde umbellam, ſeu baldachinum ſubeat*, ſe nempe vertens, & deſcendens ſupponit ſe umbellæ vel baldachino, horum ſcilicet illi, quod per proceſſionem deferri debet. Si umbellæ uſus ſit, intra presbyterium ad altare præſto erit eam deferens, & ſuper Sacerdotem eamdem porrigens, & quatenus baldachinum adhibendum ſit jam diximus in cap. 8. §. 19. quod mediis hallis exporrigi illud debet uſque ad altare, & quatenus presbyterium ſit valde ſpatioſum, laudabile ſaltem ſecimus, quod ſub umbella deſcendat Sacerdos ad baldachinum, ne Sacramentum in itinere ab altari ad baldachinum remaneat ſine honoris regmine. Idipſum modo repetimus, & tamquam magis decens, non neceſſarium collaudamus fieri; uſquequo namque Sacramentum intra presbyterium remanet, neceſſarium non eſt honoris tegmen; & hæc eſt cauſa, ob quam Eccleſia eo non utitur, dum adminiſtrat Sacramentum fidelibus ad cancellos, vel monialibus ad feneſtellam intra presbyterium poſitam. Quoniam tamen in hoc caſu ob maximum incommodum, quod alias deberet ſubire, ab eo dumtaxat abſtinet, ſane rite dixeris, ſi decentem ſaltem feceris umbellæ uſum in parvo prædicto itinere in caſu adminiſtrandi viatici, cum ſine plurimo contingat incommodo; & maxime quia umbellæ uſus neceſſarius jam item eſt ad infirmi domum, ut ſub ea deferri valeat intra ægrotantis cubiculum, ad quod uſque baldachinum aſportari non poteſt. Rite autem monet Baruffaldus, quod portitores baldachini, vel umbellæ, hanc ita deferre debent, ut ſemper perpendiculariter ſit ſupra caput deferentis Sacramentum, nec illam ad impediendos ſolis radios unquam adeo flectant, ut in tali actu Sacramentum detectum maneat.

III. *Nudo capite proceſſurus* Rituale ſubdit de Sacerdote, qui ad infirmos defert viaticum, & hinc manifeſte capitur Paſqualigus, dum *de Sacram. nov. leg. tom. 2. q.* 833. inquit: *Nihil in Eccleſia reperiri determinatum, quod deferens Euchariſtiam infirmis procedat detecto capite, & id ex ſola conſuetudine ſervari*. At quid, ſi Sacerdos reumate, vel alia infirmitate laborat? Implicite præſens reponit ſanctio, quod vel a deferendo Sacramento abſtineat, & id muneris committat alteri, aut aperto nihilominus incedat capite, niſi ipſi indultus fuerit uſus pileoli, qui concedi quidem ſolet in itinere, non tamen intra civitatem vel oppidum, tu vero adde multo minus intra Eccleſiam, vel ægrotantis domum, ubi minus nocent injuriæ aeris. Cujus ſit ejuſmodi facultatem facere, ſequens (erit 9. cap. in ord. 77.) Decretum ſatis indicat: *& ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum pileoli ad tenorem dicti Decreti*. Ead. Congr. 10. Janu. 1693. *in Treviren.* Si namque uſus pileoli remiſſus eſt arbitrio Epiſcopi, hic certe diſpenſare valet *ad tenorem* tamen dumtaxat *dicti Decreti*, in itinere nempe, non intra Civitatem, vel Oppidum, unde Decretum aliud (erit 10. cap. in ord. 78.) ſolummodo diſpenſationem per civitatem Apoſtolici juris facit: *Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum infirmis, non eſt licitum, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejuſdem per civitatem ſub prætextu alicujus infirmitatis abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia* S. R. C. 13. Aug. 1695. *in una urbis*.

IV. Equidem Nicolius *Lucubr. can. lib.* 3. *tit.* 41. *de celebr. miſſar. numer.* 18. hanc tradit doctrinam: *Epiſcopus diſpenſare non poteſt, ut Sacerdos accedat ad altare cum baculo, vel pileolo in celebratione, vel dum viaticum defert ad infirmos, utatur, quia talia cap. nullus* 57. *de conſec. diſt.* 1. *etiam Epiſcopo prohibet. Ergo neque ſecum, neque cum aliis diſpenſare poteſt, ſublata quacumque contraria conſuetudine*; at cap. *Nullus* præciſe ſiſtit in prohibitione intra Miſſam, unde non eſt, extendatur etiam ad caſum viatici, in quo cum Sacramentum in pyxide clauſum, & inſuper velatum maneat, minorem eidem exhibet reverentiam conſuetudo Romana. Quæ dicta ſunto, quatenus cit. Decretum 1693. putandum ſit univerſale indultum, non particulare, de quo valde dubito.

DECRETUM XI. CAP. IN ORDINE LXXIX.

In ſolemnibus SS. Sacramenti Proceſſionibus, præter conſueta lumina, quatuor ſaltem ſemper laternæ cum intus accenſis candelis circa celebrantem deferantur. Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. anno 1725. celebratum *tit.* 15. *c.* 7.

I. P*Ræcedat ſemper Acolythus vel alius miniſter deferens laternam*. Non ſemel contingit conſueta lumina, quæ in honorem SS. Sacramenti per proceſſionem deferuntur aperta, & aeri expoſita, vento aut pluvia ſimul omnia extingui, & Sacramentum remanere ſine honore luminis; quod cum incongruum eſſet admodum, & indecens, ut huic conſuleretur incommodo, una olim pariter deferebatur laterna, ut venti impetu extincti cerei, de novo accenderentur miniſterio luminis in laterna clauſi, & ne unquam Sacramentum ſine lumine remaneret. Reaccenſioni quidem luminum, ſed non honori Sacramentorum maximi ſatis proviſum judicans, D. Carolus prædictam ad cauſam quatuor laternas habere juſſit, & diſpoſitionem ejuſmodi confirmavit poſtmodum Benedictus XIII. in laudato Concilio, quod licet procedat de proceſſione ſolemni cum dictione *ſaltem*, quæ contenta quidem eſt numero expreſſo, ſed non excludit, immo majorem exoptat, tu nec parumper dubita idipſum extendere ad proceſſionem viatici, cui omnino convenit, quatuor ſaltem ardeant lumina pro omni caſu. Situm autem, in quo ſe delatores collocare debent, ubertim Decretum explicat, dum eoſdem ſtatuit hinc inde circa Sacerdotem, qui Sacramentum geſtat.

II. *Sequantur duo clerici, vel qui illorum vices ſuppleant, quorum alter aquam benedictam cum aſperſorio, & burſam cum corporali, quod ſupponendum erit vaſculo SS. Sacramenti ſuper menſa in cubiculo infirmi, & cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abſtergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, & campanulam jugiter pulſet*. Duos alios clericos textus exigit, ſed quia quandoque clerici haberi non poſſunt, præſertim in ruralibus Eccleſiis, concinne ſubſtituit alios Miniſtros, qui illorum vices ſuppleant. Conſignat illorum uni *aquam benedictam cum aſperſorio*, quibus ut infra Sacerdos uti debet in cubiculo infirmi, necnon *burſam cum corporali*, quod explicari debet ſuper menſam prope lectum infirmi, ut ſuper illud pyxidem deponere valeat, & *cum purificatorio*, quod inſervit pro digitorum abſterſione poſt communionem. Corporale autem, atque purificatorium deferentur contenta in burſa, & non in manibus.

III. Duo tradit alteri clerico, nimirum *librum Ritualem*, ut nempe ex eo legens, Sacerdos probe ſervet ritus, ac cœremonias in eo præſcriptas, atque *campanulam*, quam *jugiter pulſare* jubetur, ut ejus frequenti ſonitu admoneatur populus ad accurrendum, aut ad exercendos venerationis actus erga SS. Sacramentum, dum per vias tranſit, ſicuti in veteri Teſtamento Levitæ tempore Sacrificii tubis clangebant argenteis, quarum ſonitu provocabatur populus ad adorandum, ſicuti advertit Durandus *lib.* 4. *cap.* 41. *n.* 53. & Macrius verb. *Campana*, ubi inſtitutorem fuiſſe refert Abbatem Guidonem Cardinalem, dum Legati Appoſtolici munus fungebatur Coloniæ Agrippinæ pro confirmatione Othonis Imperatoris. Quod ſpectat ad locum incedendi, ille, qui campanulam geſtat, incedet primus omnium in hac proceſſione, habens a dexteris clericum aquæ benedictæ; hic enim ritus ab omnibus communiter approbatur, & conſonus eſt Rubricis; quare ſervari omnino debet, etſi fortaſſe Ritualis verbis non undequaque quadrare videatur. Prædictis clericis juxta Ritualis ordinem ſuccedunt deferentes intortitia, ſed horum qui locus ſit in proceſſione, jam dedimus in cap. 8. §. 20.

IV. *Poſtremo Sacerdos Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub umbella*, & jam de hoc actum eſt Decr. 6. & 7. quare ſtatim arripimus verba, quæ Rituale ſubdit: *Dicens pſalmum* Miſerere mei Deus, *& alios pſalmos, & cantica*. Pſalmus *Miſerere* dici præſcribitur, & congruit maxime ad impetrandam divinam miſerationem infirmo, ad quem Sacramentum defertur. Quem ad effectum cum itidem collineent alii pſalmi pœnitentiales, conſequenter optime dici poterunt quatenus pro longitudine itineris ille non ſufficiat. Quoniam tamen Rubrica diſtinctim non determinat pſalmos, qui poſt pſalmum *Miſerere* recitari debent, ſed abſolute aſſerit *& alios pſalmos, & cantica*, abſit, quod ego Rubricæ placitum limitem ad pſalmos pœnitentiales, ſed lubens libertatem facio pro aliis quibuſcumque pſalmis, & canticis, quæ rei quadrant, & circumſtantiæ. Num iſti pſalmi cantari debeant, vel abſque cantu recitari, cum Rituale taceat, Baruffaldus id relinquit locorum conſuetudini. Emergit potior difficultas alia, an ſcilicet Sacerdos in cantu; vel alta voce ſimul cum aliis prædictos pſalmos debeat dicere, ſed huc ſpectant, quæ dedimus in cap. 8. §. 19. ut videlicet ſubmiſſa voce eoſdem ipſe recitet cum Miniſtris, vel Clericis, qui ſi deſint, aut ejuſdem vox neceſſaria ſit, ut ſæpe evenit in ruralibus Eccleſiis, ad dirigendos ceteros, optime alta voce alternatim recitare poterit, & adhuc in cantu.

V. Eoſdem item pſalmos, & cantica recitabit, vel cantabit populus; ſed quoniam ut plurimum populus rudis eſt, occupari ipſe poterit in recitatione Roſarii B. Mariæ, aut Litaniarum ejuſdem, dum ceteri prædictos pſalmos recitant. Quod ſi non ſit, cum quo alternatim recitentur pſalmi, hos ſolus ſubmiſſa voce Sacerdos recitet, ceteri Roſarium, vel prædictas Litanias B. Mariæ, aliaſve preces, ſed in Litaniis dicant *ora pro eo*, & *non pro nobis*, uti a ſimili eruitur ex iis, quæ Rituale tradit in agone infirmorum, & nos dedimus in tom. 3. cap. 19. Decr. 2. quatenus vero ægrotans fuerit fœmina, latinitatis leges exigunt, quod reponatur *ora pro ea*.

VI. *Ingrediens vero locum, ubi jacet infirmus, dicat*; Pax huic domui. ℟. & omnibus habitantibus in ea. Commune id eſt commendationi animæ, & de eo jam diximus in laudato loco. Totum diſcrimen in eo ſiſtit, quod ibi omnia præfata verba a Sacerdote dici præſcribuntur, hic vero ſolum priora, ſcilicet *pax*

cet *pax huic domui*, cetera vero Miniſtro dici committuntur, cui cum committantur itidem tit. *de extrema unctione*, *& de viſitatione infirmorum*, ego crederem, quod a Miniſtro ut ſupra ſemper reſponderi debeat, & non verba omnia dici a Sacerdote, ne quidem in caſu commendationis animæ. Ratio eſſe poteſt, quod dumtaxat *pax huic domui* ſunt verba Chriſti, quæ *Luc.* 10. 5. ab intrantibus in domum aliquam dici mandantur, alia vero verba ſunt ex additione Eccleſiæ.

VII. *Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa, ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus.* Ut Sacerdos ingreſſus eſt cubiculum, deponit Sacramentum ſuper menſam ſuppoſito corporali, & ſtatim genuflexus illud adorat. An iſtud duplici genu, vel unico adorare debeat, Baruffaldus ſentit pro duplici, & rationem reddit, *quia manus habet liberas, non vero junctis pollice, & indice prout in in Miſſa, atque adeo facile ſurgere valet.* At admodum parvula eſt iſta ratio, quia etiam in expoſitione, & repoſitione SS. Sacramenti manus habet liberas, & tamen, ut promptior ſit in ſurgendo, eidem genuflexio indicitur cum unico tantum genu a moderniori, probabiliori, & communiori ſententia, cui nos adhærentes, contenti ſumus, etiamnunc Sacerdos unicum tantum genu flectat, quinimmo, ut expeditior ſit in agendo, ſtatim ac a genuflexione ſurrexit, exuere debet velum humerale, etſi ſuper hoc Rituale taceat. Fortaſſe id non obſcure Rituale ipſum indicat, dum de Sacerdote habet *genuflexus adorat*, de ceteris vero *omnibus in genua procumbentibus*; ex diverſo enim loquendi modo videtur, quod minus Sacerdoti impoſitum ſit, quam aliis, ac conſequenter ſufficiat, quod Sacerdos Sacramentum adoret unico genu, ceteri vero omnes tam intus, quam foris cum duplici, & quod ſic genuflexi permanere debeant, exceptis ſolis Miniſtris, qui ut promptiores ſint in inſerviendo Sacerdoti; huic eoſdem pares facimus.

VIII. *Et mox accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens antiphonam:* Aſperges me &c. Quæ Sacerdos præſtare, & dicere debet, in Rituali manent ſatis expreſſa, & ſolum addimus, quod cavere debet, ne in aſperſione cubiculi ſimul aſpergat, ac benedicat SS. Sacramentum, quod eſt omnium fons benedictionum, & quod omitti non debet ℣. *Dominus vobiſcum*, quia non ſtatim debet ſubſequi benedictio cum SS. Sacramento, ut alibi diximus; cauſam autem, & aſpergendi ritum vide in tom. 3. cap. 19. Decr. 2. num. 10. & 11.

IX. His dictis Parochus jubetur accedere ad infirmum, *ut cognoſcat, an ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum ſacrum viaticum;* etſi enim Parocho, priuſquam ad infirmum Sacramentum deferat, infirmi recta diſpoſitio debeat eſſe perſpecta, adhuc ſcrutinium rite renovari mandatur, quia poteſt dari caſus, quod tempore intermedio a confeſſione ad communionem a vi morbi, aut alias indiſpoſitus reditus ſit, vel etiam incapax hujus Sacramenti; & quando etiam in eadem bona voluntate, diſpoſitione, & ſana mente reperiatur, omittere non debet Parochus brevibus verbis in infirmo majorem præparationem excitare. Prælatus acceſſus aliam item habet cauſam, ad videndum ſcilicet, *utrum infirmus velit aliqua peccata confiteri*, quæ in præcedenti confeſſione oblitus ſit aperire, aut alias quomodocumque ægrotum reddant anxium, & in hoc caſu Sacerdos *illum audiat, atque abſolvat*, antequam pane Euchariſtico eumdem reficiat. At quid, ſi confeſſio futura ſit longa, Granadus ſentit, quod Parochus infirmum monere poteſt, ut eliceat actum contritionis, poſtea illum communicare, & poſt communionem redire ad illius confeſſionem excipiendam, ne adſtantes pigeat adeo præſtolari, & in populo ingeneretur ſcandalum. Hæc opinio diſplicet Baruffaldo, qui propterea aſſerit, quod obſtantes tædere non debet præſtolari in caſu tantæ neceſſitatis, & quod contritionis actus tantum peccatori imponi poteſt in defectu copiæ confeſſarii, aut in caſu impotentiæ confitendi peccata, eo quod infirmo deeſt loquela, aut aliter ſe exprimendi modus, vel tempus, quorum nullum ſupponitur in caſu evenire. Subdit eapropter, quod confeſſarius debet infirmi confeſſionem excipere, etiam prolixam, atque impoſita ſalutari pœnitentia, eumdem abſolvere, priuſquam ei ſacrum miniſtret viaticum.

X. Verum cum adeo prolixa confeſſio in tali circumſtantia fieri non poſſit ſine maxima populi admiratione, & ſcandalo, atque ſine gravi nota infirmi, ac infamia, & ſuſpicione, idcirco ſicuti in his, aliiſve ſimilibus caſibus non tenetur quis communioni confeſſionem præmittere, aut confeſſarium advocare, ſed optime valet cum ſola contritione ad ſacram ſynaxim accedere, ut patet in Sacerdote ad altare, aut laico ad communionis linteum, qui licet recordentur noxiæ alicujus lethalis, non tenentur inde recedere, ut confiteantur, vel illuc Sacerdotem advocare, qui eorum confeſſiones excipiat; ita in noſtro caſu videretur ſufficiens in infirmo contritio, licet quia adeſt copia confeſſarii, cui abſque ulla nota confiteri valet, arbitramur, quod idem infirmus, ut ſimul pareat Tridentino, quod confeſſionem præexigit communioni, & inſimul evitet quodvis ſcandalum, notam, & ſuſpicionem, teneatur peccata aliqua aperire, & ſtatum conſcientiæ ſuæ quoad generalia, & abſolutionem obtinere, & hac obtenta communicare, materialis confeſſionis integritate remiſſa ad tempus poſt communionem, & ad Sacerdotis reditum. Ad rem quæ ponderentur, digna ſunt, quæ ſubduntur, Ritualis verba: *Quamvis prius deberet eſſe rite confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat*; deſignat enim ob neceſſitatem quandoque procedi poſſe ad communionem infirmi, etſi integra haudquaquam confeſſio præceſſerit; caſus autem ſunt tum ille, de quo dicebamus, tum quando timetur alias, ne tempus deſit pro communicando ægroto, quo in caſu integritatem confeſſionis remitti poſſe, etiam Paſqualigus edocet *tom.* 1. *quæſt.* 453. *num.* 5.

XI. *Poſtea facta de more confeſſione generali, ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit:* Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Confeſſio iſta fieri debet medio *Confiteor Deo omnipotenti &c.* prout ad Miſſam: & eamdem facit vel infirmus ipſe, vel Miniſter ejus nomine, qua de re jam egimus in Decret. 8. præcedentis capitis. Rituale, quod præ manibus ego teneo, ſimpliciter notat *Miſereatur &c.* unde deprecatio illa videretur dicenda conſueto ritu cum *veſtri*, non *tui*, ſicuti reapſe dicitur in communione ſanorum, etiam quando unus ſolus communicat, ſed quoniam Baruffaldus tamquam Ritualis textum aſſignat *Miſereatur tui &c.* lubens aſſentior, quod *tui*, & non *veſtri* dici debeat, & conſequenter enim *tuorum* reſpective & *tibi* ad *Indulgentiam*. Gavantus, ut diximus in Decr. 10. præced. cap. in rationem aſſignat, quod in ſanorum communione, quamvis unus dumtaxat communicet, ideo adhuc dici debet *veſtri &c.* quia verba illa cadunt etiam ſuper alios præſentes, ſpirituali communione communicaturos, ſed non quadrat admodum illa ratio, quia adhuc ea verba dici debent, ſi Miniſter ipſe Miſſæ, aut inſerviens pro communione extra Miſſam ſolus communicet, & nullus alius in Eccleſia præſens ſit, & eo maxime, quia adhuc aſſignanda foret cauſa, ob quam in communione per modum viatici *tui*, & non *veſtri* dici debeat, præſertim quando alii præſentes ſunt. Crederem ego itaque, cauſam illam eſſe, cujus meminimus in tom. 3. cap. 397. agentes de precibus, quæ dicuntur agonis tempore, circumſtantiam nempe, & occaſionem, in quibus preces dicuntur, omnino expoſcere, quod oratio noſtra integra fiat pro æterna ſalute morientis, ſeu proximi ad extremas anguſtias deducti, & non aliis communes fiant; quare ſicuti eapropter in Litaniis ipſis diſpenſat Eccleſia, ut reponatur *ora pro eo*, & in ſtropha *Maria Mater gratiæ* mutetur *tu nos* in *tu me ab hoſte protege*, ubi a ſanis ſine mutatione ulla reſpective dici debet *ora pro nobis*, & *tu nos*, etſi unus ſolus ea pronuntiet, idcirco pro iiſdem infirmis communicantibus per modum viatici etiam *Miſereatur tui* rite dicendum indulſit. Diximus *communicantibus per modum viatici*, quia ſi quis infirmus communicaret ex mera devotione extra mortis periculum, haud dubitamus, tunc *veſtri* dicendum eſſe, & non *tui*, cum tunc non militet diſpenſationis ratio.

XII. *Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vaſculo, atque illud elevans, oſtendit infirmo, dicens:* Ecce Agnus Dei &c. *& more ſolito ter dicat*: Domine, non ſum dignus &c. *& infirmus cum Sacerdote dicat eadem verba ſaltem ſemel, ſubmiſſa voce.* Abſolutis præfatis verbis, ſe Sacerdos vertit ad Sacramentum, genuflectit unico genu, ſurgit, ſiniſtra manu accipit pyxidem, dextra vero ſumit unam particulam inter pollicem, & indicem, & eamdem tenens parumper elevatam ſuper labrum pyxidis, vertit ſe ad infirmum, & huic eam oſtendens dicit: *Ecce Agnus Dei* voce clara, & oculis ad Sacramentum ſemper intentis. Deinde more ſolito ter dicit? *Domine, non ſum dignus &c.* ſed præ ſanis verba ejuſmodi ab infirmis ſimul cum Sacerdote ſaltem ſemel ſubmiſſa voce dici mandantur ad majorem humilitatem demonſtrandam, & cordis compunctionem. Quod vero ſpectat ad hæc verba ſine mutatione ulla, etſi ægrotans foret fœmina, dicenda, & alia plurima, lector recolat tradita in Decr. 8. præced. cap. dum nos adnotare pergimus quod verba, quæ infirmus cum Sacerdote debet dicere, non ſunt *Ecce Agnus Dei*, quæ privative ad Sacerdotem pertinent, ſed *Domine, non ſum dignus*, & quod hæc verba nedum ſemel, ſed bis, aut ter dicere valet, dummodo ſubmiſſa voce, quia dictio *ſaltem* contenta quidem eſt numero expreſſo, ſed majorem non excludit, ſed magis exoptat numerum.

XIII. *Tum Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam dicat*: Accipe Frater (vel Soror) viaticum Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat &c. Appropinquat infirmo Parochus, & more ſolito cum particula faciens ſignum crucis ſuper pyxidem, illam infirmo porrigit dicens: *Accipe Frater, vel Soror* (pro qualitate reſpective communicantis) *viaticum &c.* & hæc verba clare, & diſtinctim debent proferri, ut infirmo innoteſcat, ſe eſſe in via ad æternitatem, ac conſequenter cum majori devotione ſuſcipere valeat hoc Sacramentum pro cuſtodia, & munimine ſui itineris. Infirmus autem, quatenus, valeat, ad mentum linteum, dum communionem ſuſcipit, & ſi ſit Sacerdos, ad collum ſtolam pendentem habeat.

XIV. *Si vero communio non detur per modum viatici, dicat modo ordinario*: Corpus Domini Noſtri &c. Putarunt nonnulli, tunc communionem miniſtrari per modum viatici, quando præbetur infirmis non jejunis, ſed certe perperam; nam ſive ægrotus jejunus ſit, vel non, ſemper communicat per modum viatici, quando ei adminiſtratur Euchariſtia in articulo mortis conſtituto; nomen enim *viatici* derivat a via, & Euchariſtiæ attribuitur, quatenus eſt præparatio pro via ad cæleſtem patriam brevi aggredienda. Quotieſcumque itaque Euchariſtia ab infirmis ſuſcipitur extra mortis articulum, illi haudquaquam communicant per modum viatici, & ideo non congruunt laudata ſuperius verba: *Accipe Frater viaticum &c.* ſed magis dici debent conſueta: *Corpus Domini Noſtri &c.* quæ dicuntur etiam in communione ſanorum. Hic ſolum adnotare ſupereſt, quod quando communicandi ſunt infirmi

extra

extra mortis articulum, conſueto item modo præcedenter dici debent *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, ſcilicet primum cum *veſtri*, ſecundum cum *noſtrorum*, & *nobis*, quia ceſſat ratio, ob quam juxta ſuperius dicta variatio inducta fuit.

XV. *Quod ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto* Miſereatur, &c. *prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim viaticum præbeatur.* Proviſio modo fit pro caſu, in quo mors immineat infirmo, aut periculum ſit in mora, & tunc ne infirmus decedat ſine tanto viæ munimine, illico communicandus decernitur *omiſſis precibus omnibus, vel ex parte*, etiam *Miſereatur*, a quo Rubrica incipiendum indicit, quatenus id credatur neceſſarium. Ad rem admodum facit can. *Is qui* 8. c. 26. q. 6. qui de eo, qui in infirmitate pœnitentiam petiit, & poſtea ægritudine oppreſſus obmutuit, vel in phreneſim incidit, antequam Sacerdos advenerit, in hunc modum diſponit: *Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Me minime præterit, non deeſſe ex Auctoribus, qui abſolute renuunt, continuo moriturum communicari poſſe, ne Sacramentales ſpecies conſumendæ remaneant in corpore mortuo, quod ipſi reputant inconveniens; id tamen inconveniens non eſſe, vel neceſſitatem, aut utilitatem tollere inconvenientiam, ſentiunt Quintannadvennas, & Joan. Sanch. quorum opinio cum probata ſit ab univerſali Eccleſiæ praxi, a Rituali Romano, & ſacris Canonibus, non eſt, qui videat, quod tuto ſequi poteſt, & reapſe in caſibus occurrentibus eſt amplectenda. In ſtomacho non ultra dimidiam horam Sacramentales ſpecies remanere inalteratas, autumant Cardinalis de Lugo *de Euch. diſ.* 10. *num.* 54. & Card. Brancatius *de potu chocolatis pag.* 100. aut ad ſummum non ultra ſpatium unius horæ, ut ſentit Sancius *in ſelect. diſp.* 38. *n.* 2.

XVI. *Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, & infirmo detur ablutio.* Communicato ut ſupra ægroto, Sacerdos pyxidem ſuper corporale reponit, genuflectit unico genu, & mox ſurgens abluit digitos in uno ex duobus vaſculis, quæ ad hunc effectum præparanda eſſe dicebamus, in eorum nempe illo ſive vini, aut aquæ cujus potus infirmo, qui ablutionem ſumere debet, nocere non poteſt. Infirmo ablutio danda decernitur, ut ſi forte ejuſdem palato aliquæ adhæreant Sacramenti particulæ, has valeat deglutire, ſed vas infirmo porrigere, Sacerdotis non erit officii, ſed infirmarii. Quod ſi ægrotus ex potione ablutionis aliquod vel minimum perſentire poteſt incommodum, aut eam quacumque de cauſa ſumere refugiat, cogendus non eſt ad eam ſumendam, ſed in caſu vel reportabitur ad Eccleſiam, in ſacrarium ponenda, vel in infirmi domo igni tradetur. Sacerdos autem abluit digitos *nihil dicens*, quare abſtinebit a recitatione illarum orationum, quæ in ablutione digitorum dici præſcribuntur in Miſſa.

XVII. *Deinde dicat*: Dominus vobiſcum &c. Oremus. Domine ſancte &c. Hauſta ab infirmo ablutione, juxta Ritualis Rubricam verſum *Dominus vobiſcum* Sacerdos dicere debet, ſed ob ea, quæ alibi nos dedimus, & præcipue in Decr. 3. cap. 9. rem ita definiendam eſſe putamus, ut quidem præfatus verſus dici debeat, quoties ex defectu alterius particulæ cum ſola manu Sacerdos infirmum benedicere debet, ſecus vero, ſi benedicendus ſit cum Sacramento. In nullo autem caſu debet omitti præſcripta oratio *Domine ſancte, &c.*

XVIII. *His expletis, ſi altera particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum crucis ſuper infirmum, nihil dicens.* Jam caſus dedimus, in quibus una tantum particula poni debet in pyxide, extra quos item diximus, quod ut minimum duæ in ea debent collocari, ut videlicet una ſuperſit ad effectum eam proceſſionaliter reportandi ad Eccleſiam, quemadmodum etiam præſtitum fuit in acceſſu ad infirmum. Quoties itaque iſta ſuperſit, Sacerdos completa oratione genuflectit unico genu verſus Sacramentum, mox ſurgens induitur velo humerali, & pyxidem accipit, eam cooperiens cum extremitatibus ejuſdem veli. Deinde converſus ad infirmum, hunc benedicit, faciens ſuper ipſum cum pyxide crucis ſignum, nihil tamen dicendo, ſicuti ſimiliter Sacerdos præſtat, quando in repoſitione cum SS. Sacramento benedicit populo.

XIX. *Et reverenter illud deferens, ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo pſalmum* Laudate Dominum de cælis, *& alios pſalmos, & hymnos, prout tempus feret.* Statim ac Sacerdos benedicit infirmo, eodem ordine, quo proceſſionaliter acceſſit ad domum infirmi, una cum ceteris revertitur ad Eccleſiam, ſed ubi in acceſſu dici præſcriptus eſt pſalmus *Miſerere* tamquam congruus ad impetrandam ægroto divinam miſericordiam, in receſſu dici mandatur pſalmus *Laudate Dominum de Cælis* utique cum duobus ſequentibus, quibus in Breviario reperitur conjunctus, & quidem convenienter admodum ad agendas Deo gratias, qui dignatus eſt ad infirmi domum accedere, ut cæleſti eum confortaret pane, ad iter æternitatis tuto agendum. Reliqui pſalmi, ſi aſſignatus non ſufficiat, recitantium arbitrio videntur relicti, & ideo ex pſalmis Baruffaldus in caſu eos dici laudat, qui dicuntur ad Laudes inter horas canonicas, & ex Hymnis illos, qui in officio Corporis Chriſti recitari ſolent. Libertatem, quam Rituale videtur facere, abſit, quod ego adimam, ſed quoniam proceſſio, de qua agitur, in gratiarum actionem videtur fieri, probarem magis, ea reſtricta maneat inter pſalmos, cantica, & hymnos, qui in proceſſione pro gratiarum actione a Rituali dici præſcribuntur. Sunt autem pſalmus 65. *Jubilate Deo omnis terra*, *pſalmum dicite*, pſal. 80. *Exultate Deo adjutori noſtro*, pſal. 95. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*, pſal. 99. *Jubilate Deo omnis terra, ſervite*, pſal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia*, pſal. 116. *Laudate Dominum omnes gentes*, pſalm. 148. *Laudate Dominum de cælis* cum duobus ſequentibus, canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*, canticum *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, & ex hymnis *Te Deum laudamus*, qui ſane præ ceteris ad rem eſt valde appoſitus. Dixi & *cantica*, quia licet Rituale ſolos *pſalmos* nominet, horum tamen nomine in caſu etiam *cantica* implicite venire cenſeo, quæ Rituale in acceſſu etiam exprimit, & in receſſu itidem dici poſſe concordes Auctores aſſerunt, & præcipue canticum *Benedicite omnia opera*, quod dubio procul ad rem quadrat admodum, & cum recenſitum a Rituali ſit inter preces dicendas in proceſſione pro gratiarum actione ſimul cum cantico *Benedictus*, hæc utique in caſu noſtro dici poſſe videntur.

DECRETUM XII. CAP. IN ORDINE LXXX.

In feria VI. Paraſceve Parochus, dum defert SS. Sacramentum ad domum infirmi pro miniſtrando ei viatico per vias publicas, recitat conſuetos pſalmos, & in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, & ingreſſus Eccleſiam, ſtatim deponit Sacram pyxidem, & dimittit populum abſque benedictione; quæritur, an ſit laudandus? Reſp. Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmis feria VI. in Paraſceve, dummodo private, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod defertur cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus; ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandus, ſi populus abſque benedictione dimittat, quia in publica Eccleſia non debet recondi. S. R. C. 15. Maji 1745. *in Lucana*.

I. PRiuſquam aggrediamur Decreti expoſitionem, operæ prætium eſſe ducimus, ritum proceſſionis proſequi, quem nobis Rituale per hæc verba deſcribit; *Cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper altare, deinde dicit* ℣. Panem de cælo. Ubi ad Eccleſiam, & ad altare regreſſi fuerint, Sacerdos deponit pyxidem ſuper corporale in medio altaris extenſum, & explicatum mox genuflectit unico genu, quo facto deſcendit (retento velo) e ſuppedaneo in planum ante infimum altaris gradum, ubi ſi jam omnes, qui comitabantur proceſſionem, Eccleſiam fuerint ingreſſi, præmiſſa genuflexione unico genu dicit verſum *Panem de cælo*. Si vero proceſſionem comitantes, nondum omnes Eccleſiam intraverint, Sacerdos utroque genu ſuper infimum altaris gradum genuflexus maneat, manibus junctis ante pectus Sacramentum adorans, ut interim Eccleſiam plane ingrediatur populus, quo ingreſſo ſurgit celebrans, & laudatum dicit verſum *Panem de Cælo*. Sunt, qui huic verſui præmittunt, atque conſueto ritu cantant *Tantum ergo Sacramentum*, ſed horum uſum aperte Rituale reprobat, dum verſum *Panem de Cælo* ſtatim dici mandat. Baruffaldus ſtropham *Tantum ergo Sacramentum* cum ſequenti ideo non præſcribi cenſet, quia jam dicta ſupponitur in itinere in hymno *Pange lingua glorioſi*, quem ipſe in proceſſionis reditu dici debere credit, ſed quoniam Rituale in proceſſione feſti Corporis Chriſti, quando Sacramentum depoſitum eſt in altari pro repoſitione, adhuc *Tantum ergo Sacramentum* dicere mandat, etſi in itinere in hymno *Pange lingua* dictum fuerit, evidens argumentum ſit, quam Baruffaldus allegat, non poſſe eſſe cauſam, ſed magis, quia in tali circumſtantia *Tantum ergo Sacramentum* dicendum non eſt.

II. *Deinde* ℣. Dominus vobiſcum, *& orationem* Deus qui nobis ſub Sacramento. Hæc quidem oratio ſemper dici debet, numquam vero ℣. *Dominus vobiſcum*, etſi eumdem Rubrica aſſignet; rationem autem lector videat in Decr. 3. cap. 9.

III. *Deinde annuntiat indulgentias a ſummis Pontificibus conceſſas Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus.* Abſoluta oratione genuflectit Sacerdos unico genu, & mox ſe vertit ad populum, ita tamen, ut terga minime vertat ad Sacramentum, & populo alta voce annuntiat indulgentias plurimas, quas Summi Pontifices benigne conceſſerunt iis, qui SS. Sacramentum ad infirmos comitantur; id autem ad effectum, ut fideles libentiores, & frequentiores concurrant ad præſtandum SS. Sacramento aſſociationis obſequium, licet putemus poſtea, quod ſufficiens ſit, ex publicentur generice, neque neceſſe ſit, recenſeantur in ſpecie.

IV. *Poſtea cum Sacramento in pyxide, velo cooperta, faciat ſignum crucis ſuper populum, nihil dicens. Poſtremo illud in loco ſuo reponat.* Annuntiatis ut ſupra indulgentiis, Sacerdos vertit ſe ad Sacramentum, genuflectit unico genu, & ſurgens aſcendit altare, iterum genuflectit unico genu, ſurgit, accipit pyxidem, humerali velo eam cooperiens, & cum eadem conſueto ritu benedicit populum, faciens ſuper eum crucis ſignum, & nihil dicens, & poſtea conſueto ritu eamdem pyxidem reponit intra tabernaculum, & in ſacriſtiam revertitur. Dum autem reponitur Sacramentum, a fidelibus nihil canendum eſſe diximus in Decreto 8. cap. 9. quod omnino debet

bet

bet conſuli, quia ibi dicta etiam procedunt in præſenti caſu. Scita advertit Baruffaldus pulſandam eſſe campanulam benedictionis tempore ad monendum populum; id autem fiet cum campanula, quam ut ſupra pulſandam, & deferendam diximus in proceſſione, & pulſatio fiet cum levibus nonnullis ictibus.

V. *Quod ſi ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione Sacramentum ad Eccleſiam commode reportari non poteſt, ſumpta fuerit una tantum particula conſecrata, ut dictum eſt, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos prædictis recitatis precibus, eum manu benedicit, & una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus umbella demiſſa, latente pyxide, ad Eccleſiam, vel domum quiſque ſuam revertatur.* Quoties rationabili de cauſa ſolummodo una ex particulis conſecratis ponitur in pyxidem, ea infirmo adminiſtrata, nulla alia amplius ſupereſt, cum qua benedicatur infirmus, qui propterea ne ſine benedictione dimittatur, benedicendus decernitur cum externa Sacerdotis manu moris inſtar, qui tenetur in communione ſanorum. An tunc Sacerdos benedictionem comitari debet cum iis verbis *Benedictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* Rituale quidem tacet, ſed quoniam ea adhibetur ex ejuſdem præcepto in benedictione ſanorum, dum poſt communionem benedicuntur Sacerdotis manu, quis dubitabit etiam in præſenti ſimili omnino caſu, in quo non amplius infirmus benedicitur cum Sacramento omnium benedictionum fonte, ſed ſola Sacerdotis manu ea eſſe uſurpanda? Cum autem tunc non amplius habeatur Sacramentum, quod ad Eccleſiam reportetur, idcirco ceſſat proceſſio, ſacris ſe ſacerdos exuit veſtibus, quas una cum umbella demiſſa, extinctis luminibus, & latente pyxide aſportant miniſtri ad Eccleſiam, & cæteri cuncti ad res ſuas recedunt.

VI. Non deſunt cultiora loca, & præcipue ubi iter breve eſt, aut ſacrum viaticum defertur ad Eccleſiaſticas, vel inſignes perſonas, in quibus ſolet etiam adhiberi thuribulum cum incenſo; id autem præter Rituale quidem eſt, quatenus nihil ejuſmodi fieri mandat, ſed abſit, quod exiſtimetur contra; eatenus namque abſtinuit a præſcriptione, ex miniſtrorum defectu, præſertim in caſibus ſubitaneis, & repentinis, delatio viatici redderetur difficilis; ceterum cum diſerte ab eodem præſcribetur in aliis proceſſionibus SS. Sacramenti, & ad hujus honorem admodum faciat, dubium eſſe non poteſt, quin Rituali ſit magis congruum, quod adhibeatur, & præſertim in delationibus ſolemnibus, cujuſmodi eſſe ſolet ea, aliæque ſimiles, in quibus tempore paſchali, aut in occurſu aliarum ſolemnitatum Sacramentum ad infirmos defertur. Quoties autem adhibetur incenſum, Sacerdos tum ante acceſſum, tum poſt proceſſionis reditum incenſabit Sacramentum, poſtquam ſuper altaris manſam fuerit depoſitum, & clericum Parochum præcedens frequenti agitatione thuribuli de more incenſabit itidem Sacram hoſtiam in acceſſu, & receſſu, & inſuper triplici ductu, dum cum ea benedicitur populus.

VII. Ad Decretum quod attinet, ab eo edocemur plurima, & primo quod in feria VI. Paraſceves (idem judicium ſit de toto tempore, quo Eccleſia in ſummo mœrore remanet ob doloroſam paſſionis, & mortis Chriſti recordationem, a Miſſa nempe feriæ V. uſque ad Miſſam ſequentis ſabbati) deferri poteſt infirmis Sacroſancta Euchariſtia, non quidem ex devotione, ſed ſolummodo per modum *viatici*; neceſſitati enim omnes quidem parent leges, ſed non devotioni privatæ, cui indulgendum non eſſe conſtat, quoties univerſalis Eccleſiæ leges obſtant; communioni autem ex devotione aggregamus etiam illam, quæ licet detur per modum viatici, ex mera tamen devotione in eadem infirmitate replicatur. Secundo, quod pſalmi in acceſſu, & proceſſionis reditu ſubmiſſa, immo ſubmiſſiſſima voce dici debeant, qua de re jam ſatis egimus in to. 3. cap. 15. Decr. 15., ſimilia exponentes Decretum, quod exequiales preces privatim, & ſubmiſſa voce dici mandat in ſecundo triduo majoris hebdomadæ. Tertio, quod in pſalmorum fine dici poteſt ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet aliæ cum functionibus Eccleſiæ illius diei, ut ex ſubditis ſancitur, ex qua curſim nobis inferri liceat, quod etiam ab eo, qui iiſdem diebus officium B. Mariæ, aliaſque preces extra divina officia privatim recitat, optime dici poteſt in pſalmorum fine laudatus verſus *Gloria Patri*. Quarto, quod paramentorum color adhuc debet eſſe albus, quia conformis eſſe debet, non officiis illius diei, cum quibus nihil commune habet, ſed qualem Sacramentum exigit, quod per proceſſionem defertur. Quinto, quod ſine benedictione dimittendus eſt populus, quia Sacramentum recondi non debet in publica Eccleſia, ſed in alio decenti loco extra Eccleſiam, ut magis diximus in Dec. 9. cap. 1.

DECRETUM XIII. CAP. IN ORD. LXXXI.

Non poteſt Epiſcopus prohibere Curato, ne adminiſtret Viaticum infirmis ſine ſua licentia. Congreg. Epiſc. 30. Octobr. 1640.

I. MOrerentur plurimi ſine ſacro viatico, ſi ad hujus adminiſtrationem licentia Epiſcopi neceſſaria foret; & hæc eſt cauſa, ob quam Epiſcopis, ne adminiſtrationem viatici ſuæ licentiæ alligent, Congregatio diſtricte prohibet. Ita quidem de die, ſed quid de nocte, in qua juxta Decreta neque cadavera deferri poſſunt ad Eccleſiam ſine licentia Ordinarii? Difficultatem dirimat Ritualis Rubrica: *Nocte hoc Sacramentum deferri non debet, niſi neceſſitas urgeat.* Proceſſiones nocturnæ quam merito proſcriptæ maneant, aut Ordinariorum licentiæ alligatæ, ubertim oſtendunt plurima, quæ fuſe dedimus in to. 3. cap. 15. Decr. 16., quare dubium non eſt, quod de nocte ad infirmos deferendum non eſt SS. Sacramentum, cujus adminiſtratio tunc temporis faciliorem item viam aperit diſperſioni parvulorum fragmentorum, quæ de nocte non ita facile diſcernuntur. At cum ſæpe ſæpius repentina detur occaſio morbi periculoſi, neceſſitati nihilominus Rubrica ſuccurrendum eſſe credidit, & ideo etſi proceſſiones reliquæ, etiam funereæ, quæ differri commode poſſunt, aut anticipari, præſertim pro nocturno tempore, Epiſcoporum arbitrio, atque prudentiæ commiſſæ fuerint, non ſic eſt de proceſſione viatici, quæ cum dilationem quandoque minime patiatur, neque anticipationem, Parochorum judicio relinqui debuit, qui cæteroquin peccati noxam haudquaquam effugient, ſi facultate ſibi facta abutentes, contra Rubricæ præceptum de nocte eam inſtituerint, aut ſacrum viaticum adminiſtraverint extra neceſſitatis caſum.

II. Quæ licet ita ſint, ea tamen, quæ tradidimus in laudato Decreto 16., aperte commonſtrant nedum Epiſcoporum juris adhuc eſſe, ſed inſuper congruere, a prædictis nocturnis proceſſionibus, præſertim quæ fiunt intempeſta nocte, prohibere fœminas, ne ſcandalorum detur occaſio, & ſpiritualium ruinarum, quæ ſi evitari minime valeant, haud dubitarem, ſolemnes ipſas proceſſiones interdicere poſſe, atque præſcribere, quod Sacramentum de nocte ad infirmos privatim, & ſine aſſociationis ſtrepitu deferatur, quemadmodum & Eccleſia ipſa nocturnas vigilias ſuſtulit, dum eas a ſcandalis expurgare poſſe deſperavit, ſatius arbitrata, bonos prædictis pietatis privare officiis, quam perditis hominibus nefariorum ſcelerum occaſionem ulterius permittere, & hanc ob cauſam conſultius ego cenſeo, quod de nocte nonniſi privatim, & ſine ſtrepitu Sacramentum ad infirmos deportetur.

DECRETUM XIV. CAP. IN ORDINE LXXXII.

Laicis, qui intra clauſtra Regularium habitant, & illis actu ſerviunt, poſſunt Regulares Sacramentum Euchariſtiæ & tempore Paſchæ, ac extremæ unctionis miniſtrare, necnon in eorum Eccleſiis iiſdem laicis ſepulturam dare. Congr. Concil. ſub menſem Junii 1587., & 25. Jann. 1738.

I. EN Decretum *in Mediolan.* editum, quod in Decr. 20. cap. 2. hic dari promiſimus, ſed cum in hoc uberem expoſitionem illud acceperit, morandum ulterius lectorem non eſſe putamus, qui ex ibi dictis facile eruere poteſt, laicos ſervos omnes, quos a præcepto communicandi in Paſchate apud Parochialem Eccleſiam immunes fecimus, ſacro item viatico, & extremæ unctionis oleo a Regularibus inconſulto Parocho refici poſſe. Quæ cum pariter ita ſint de famulis, & famulabus Monialium, idcirco ea, quæ ſubſequenter dedimus in expoſitione Decreti 22. ejuſdem capitis, ad ſequentis (erit 15. cap. in ord. 83.) Decreti explanationem item deſerviant: *An ad Parochos ſpectet in caſu ultimæ infirmitatis Sacramenta miniſtrare famulis, & famulabus monialium ſæcularibus, habitantibus in manſionibus ſitis in atriis monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contiguæ Monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur. Reſp. affirmative.* Congreg. Concil. 19. Sept. 1722. Quæ autem dicenda ſunt de ſacro viatico, aperta eſt Decretorum mens, quod æque currunt de Sacramento extremæ unctionis.

II. Regularium familiares, quos deſcripſimus in laudato Decret. 20., dubium eſſe non poteſt, quod ſicuti ibidem apud Regulares in paſchate communicare poſſe diximus, ita ſacro refici valebunt viatico, & ungi oleo. At quid ſi intra monaſterium quidem degant, ſed alimenta ſolvant? Sequens Decretum (erit 16. cap. in ord. 84.) difficultatem dirimat: *Non potuere licite Regulares, irrequiſito Parocho, Sacramenta adminiſtrare, & corpus tumulare in caſu.* Congreg. Concil. 29. Janu. 1718. Hic autem erat caſus: Comes Euſtachius Palſiu, conjuge defuncta, ſe contulerat ad Conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, & in eo, ſolutis Conventui alimentis, vitam indutus habitu ſæculari ducebat, & cum poſtmodum lethali morbo correptus fuerit, a Religioſis illius conventus irrequiſito Parocho, adminiſtrata eidem fuere Sacramenta viatici, & extremæ unctionis, atque deinde ejus cadaver ſepulturæ traditum. Sola itaque habitatio intra Monaſterii ſepta non ſufficit ad eximendos ſæculares a juriſdictione Parochorum, niſi inſuper victum gratis conſequantur. Ab hac tamen lege excipe puellas habitantes in Monaſteriis monialium educationis gratia, quæ etſi ſolvant Conventui alimenta, ex dictis citato ſuperius loco etiam in Paſchate a confeſſario monialium communionem recipiunt.

III. Pro coronide ſit Decretum, quod (erit 17. cap. in ord. 85.) editum quidem eſt in favorem Theatinorum, ſed cæteris Regularibus Ordinibus commune eſt per amplas communicationis Bullas: *Ut Patres Theatini Sacramenta Euchariſtiæ, etiam pro viatico, ac extremæ unctionis adminiſtrare valeant cæteris clericis, ac Fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam mercenariis famulis, operariis, & ſervis eorumdem, ac quibuſvis hoſpitibus, etiam ſecularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſ-*

modi

Digitized by Google

modi tunc reperiri contigerit etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum civitatibus, & Diœceſibus, Eccleſiarum Parochiis, reſpective Eccleſia, & loca ipſorum Congregationis, nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minime petita, nec obtenta, & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam, propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcumque aliis perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, collegia, domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa, aliis quibuſcumque infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis, ubique in caſu neceſſitatis ſupradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec ei conceſſa licentia cujuſvis Curati, concedit Pius V. in Conſtitut. *Ad Immarceſſibilem* 23. Februar. 1567.

IV. Ut itaque hujuſmodi conſtitutionis ſit Regularibus privilegium adminiſtrandi viaticum, & extremam unctionem mercenariis famulis, operariis, & hoſpitibus, qui in illorum domibus detinentur infirmi, abſque licentia Ordinarii, & Parochi, aliis vero quibuſcumque ægrotantibus vel intra, aut extra monaſteria, nonniſi in caſu neceſſitatis, & quatenus ob repentinam neceſſitatem non detur ſpatium petendi licentiam, & huc ſpectat præcedens Decretum, quod eatenus prædicto comiti Sacramenta a Regularibus adminiſtrari non potuiſſe declaravit, quia licentiam a proprio Parocho non petierant, etſi tale ſpatium habuerint, ut Ordinarius eiſdem inhibuerit prædicta præſtare. Hæc autem differentia eſt inter infirmos intra clauſtra, & extra, quod ad communicandos exiſtentes extra, quatenus tempus adſit, requiritur licentia petita, & obtenta, ad communicandos vero exiſtentes intra clauſtra, ſufficit, licentia petita, licet non obtenta, quia cum Parochorum juriſdictio exerceri non valeat in locis Regularibus, & immunibus, ad quorum propterea Eccleſiarum januam etiam cadavera ſuorum Parochianorum, dum ea ad ſepulturam deducunt, jubentur dimittere, omnino irrationabiliter illam denegarent, exponerentque infirmum manifeſto periculo immunitum decedendi ſine adeo utilibus, & neceſſariis Sacramentis.

V. Semel licentia ut ſupra petita, & communicato infirmo per modum viatici, quoties idem mortis periculum per aliquot dies perduret, prædictus infirmus, etiam non jejunus, & per modum viatici abſque alia licentia a Regularibus iterum communicari poteſt, quia tunc ille communicat, non ex præcepto, ſed ex mera devotione; & ſic nedum infirmus intra clauſtra, ſed etiam extra conſiſtens, quia quoad adminiſtrationem Euchariſtiæ ex devotione privilegia Regularium non ſunt limitata neque ad vices, neque ad loca. Quoniam tamen Regularibus fas eſſe non poteſt SS. Sacramentum per plateas deferre, idcirco quoad communionem prædictam laudata facultate extra clauſtra uti non poterunt, niſi quatenus ipſi celebraverint in oratorio domus, & ex hoc Sacramentum ad infirmum deportent.

VI. Periculoſam aſſumpturi navigationem, mulieres partui proximæ, milites contra inimicos pugnaturi, aliique ſimiles, qui mortis periculo ſe exponunt, etſi quandoque in eo periculo eſſe poſſint, in quo ex divino præcepto obligentur ad communicandum, ex univerſali praxi licite apud Regulares indiſcriminatim communicant; nec ex Auctoribus deſunt, qui idipſum afferunt de damnatis ad mortem, ſed cum horum periculum ſit nimis præciſum, imminens, & evidens, non crederem, id tuto ſuſtineri poſſe. Quos extra caſus, aliiſque ſimiles, prout particularium Ordinum privilegia ferunt, ſi qui ex Religioſis ſacrum viaticum ſæcularibus perſonis adminiſtraverint, vel extremam unctionem, incurrunt excommunicationem reſervatam, de qua in Clem. 1. de privil. Hæc tamen excommunicatio, ut incurratur, requiritur præſumptio, uti patet ex textu, qui cum pariter plectat *Religioſos* adminiſtrantes prædicta Sacramenta *perſonis ſæcularibus*, in ſua diſpoſitione minime comprehendit Novitios, qui in odioſis non veniunt Religioſorum nomine, neque caſum, in quo adminiſtrentur Sacramenta Religioſis alterius Ordinis. Diximus *Religioſis alterius Ordinis*, quia quod ſpectat ad Religioſos ſui Ordinis, dubium eſſe non poteſt, quod ſuorum correligioſorum privativi juris eſt, eoſdem communire extremis Sacramentis, in quocumque loco, etiam extra Monaſterium, detineantur infirmi, abſque eo quod impediri valeant a Parochis, aut neceſſe ſit, eorum licentiam exquirere, quibus propterea etiam inconſultis in 10. 3. cap. 14. Decr. 14. jam deciſum vidimus eorum item cadavera a Regularibus ad proprias Eccleſias deferri poſſe, etiamſi a Curatis Sacramenta recepiſſent in neceſſitatis caſu. Quoniam tamen non deſunt Parochi, qui irrationabiliter quidem offenduntur, & conqueruntur, dum intra proprias Parochias ſacramentum publice a Regularibus aſportare vident, idcirco Regulares, quibus ſummæ curæ eſt rixarum, & querimoniarum quamlibet occaſionem tollere, non ſemel vidi, qui benigne permittunt, a Parochis uſque ad infirmi domum Sacramentum deferri, & hoc ſumpto ipſi poſtea infirmum communicant, quando beneficio oratorii non poſſunt media celebratione Miſſæ infirmum privatim communicare, aut per aſportationem Sacramenti ab aliqua vicina Regulari Eccleſia.

DECRETUM XVIII. CAP. IN ORDINE LXXXVI.

Jus adminiſtrandi Sacramenta Canonicis, & Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis infirmis, & habitantibus in alienis Parochiis, ſpectat ad Parochum domicilii, ſeu habitationis, non vero ad Parochum Cathedralis. Congreg. Concil. 16. Martii 1680., 12. Maji 1685., 11. Septemb. 1694., 17. Septemb. 1695., & 26. Septemb. 1699.

I. PArochiarum diviſionem, quam S. Evariſtus Summus Eccleſiæ Pontifex inchoante ſæculo ſecundo demandavit, poſtmodum ſub Valeriani perſecutione ſuppreſſam, S. Dionyſius fine tertii ſæculi iterum explevit, ſeu verius reſtituit, ut ex ſua Epiſtola relata *in can. Eccleſias* 13. *qu.* 1., & denique Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* per generale Decretum ubique locorum fieri præſcripſit: *In iis Civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, ſed promiſcue petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat S. Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas, propriaſque parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo ſolo licite Sacramenta ſuſcipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ ſunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

II. In hujus executionem Decreti, ubi prædicta Parochiarum diviſio præcedenter facta non fuerat, inducta extitit vel per diſtinctionem locorum, aut familiarum, portione ſua itidem aſſignata Eccleſiæ Cathedrali, licet non deſint loca aliqua, quorum Cathedrales ſibi nullam reſervarunt portionem. Qui reſpectiva inhabitant loca, aut ſunt ex prædictis familiis, conſequenter reſpective aſſignato ita ſubſunt Parocho, ut *ab hoc ſolo licite Sacramenta ſuſcipiant*, quemadmodum Tridentinum ut ſupra definit, nec exceptionem ullam habet de Canonicis, aut Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis, qui propterea ſi alienas Parochias inhabitant, a Parocho domicilii, non Eccleſiæ Cathedralis Sacramentis communiri debeant, ſicuti diſerte ſtatuit præſens Decretum; quod verum eſſe etiam ubi Parochiarum diſtinctio facta reperitur per determinatas familias, ita ut adminiſtratio Sacramentorum ſpectet adhuc in caſu ad proprium dictarum familiarum Parochum, ſequens Decretum (erit 19. cap. in ord. 87.) dubitare non ſinit: *Ubi Parochiæ diſtincta ſunt per determinatas familias, adminiſtratio baptiſmi, aliorumque Sacramentorum ſpectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, & non ab Archipresbyterum Collegiatæ, ſeu matricis.* Congr. Concil. 24. Maji 1732. Id autem dictum eſſe volumus, ſive Cathedralis, aut Matrix ſibi portionem reſervaverit, vel non, quia inde non fit, quod tales familiæ, aut loca paſcenda aſſignata non ſint proprio Parocho, ad quem propterea nihilominus, opus eſt, privative ſpectet Sacramentorum adminiſtratio, ut reſpectiva loca, aut familias cognoſcere valeat.

III. Hinc cum in vim matricitatis, ac ſuperioritatis competentis Eccleſiæ Cathedrali tamquam univerſali Parochiæ totius Civitatis, & Diœceſis, Cathedralis Eccleſia Eugubina exercere poſſe contenderet nonnulla jura parochialia etiam in alienis Parochiis, & præcipue adminiſtrandi Sacramenta quibuſcumque clericis, & Sacerdotibus infirmis, quamvis in alienis Parochiis degentibus, ſequens (erit 20. cap. in ord. 88.) prodiit Decretum: *Parocho Cathedralis non licet miniſtrare Sacramenta quibuſcumque clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus, ſed id competit privative Parochis Domiciliariis.* Congr. Concil. 2. April. 1729. Quod item præcedenter ab eadem Congregatione ſtatutum fuerat die 30. Sept. 1628., & quidem non obſtante antiqua conſuetudine, quam prædicta Cathedralis contendebat habere, quia ſufficienter non probabatur, & ideo terminanda erat cauſa ſecundum jus commune, ut eadem Congregatio aſſerit in præcedenti alio Decreto contra eamdem Cathedralem, quod propterea hic adducendum eſſe puto, & erit 21. cap. in ord. 89. *Non eſt probata conſuetudo, & idcirco terminanda eſt cauſa ſecundum jus commune, videlicet, quod quando quis in una Parochia moritur, & in alia ſepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui ſtolam deferens a domo defuncti uſque ad Eccleſiam, in qua corpus ſepeliendum erit, aliis omnibus præcedere debet, in Eccleſia vero, in qua Corpus ſepelitur, officium faciat circa corpus, & aliis præcedat Parochus ipſius Eccleſiæ, & ita ut ſupra in Civitate Eugubina inter Curatum Eccleſiæ Cathedralis, & Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum ſervandum eſſe cenſuit, & declaravit, atque ſervari mandavit quibuſcumque non obſtantibus.* Ead. Congr. 5. Julii 1614. Uti autem quod ad exequias attinet, ſecus faciendum eſſe, quatenus probaretur conſuetudo, illa Decreti verba innuunt: *Non eſt probata conſuetudo, & ideo terminanda eſt cauſa ſecundum jus Commune*, ita non minus deſignant, licere Cathedralis Parocho in alienis Parochiis Sacramenta adminiſtrare, quoties eidem aſſiſtat legitima conſuetudo, quemadmodum in ſimili dicebamus in Dec. 8. cap. 2., quod conſulendum omnino eſt, ut habeantur limitationes, quibus itidem præſens ſubeſt Decretum principale.

DECRETUM XXII. CAP. IN ORDINE XC.

Servari debet dicta cæremonia thurificandi SS. Sacramentum incluſum in pyxide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipſo benedicitur populus. S. R. C. 21. Junii 1738. *in Ulixb. Orient.*

I. ÆQuum eſt, dentur preces, quæ in Sacram Congregationem fuerunt deductæ, ut inde tutiori calamo expoſitionem proferre valeamus: *Rappreſenta umilmente all' EE. VV. il Capitolo, e Canonici della Cattedrale di Lisbona Orientale, qualmente per uſo antichiſſimo, e ſenza memoria d' Uomini, quando il Parroco di detta Cattedrale porta il SS. Sacramento per Viatico agl' infermi, e dà la benedizione al popolo con il Santiſſimo chiuſo nella piſſide, l' incenſa uno, o due Canonici, o Sacerdoti, che ſono obligati, ed ordinariamente ſono due Canonici, che accompagnano il Santiſſimo per li ſtatuti di detta Cattedrale approvati dalla S. Sede Apoſtolica, e Coſtituzioni dell' Arciveſcovo in modo tale, che tanto li Sacerdoti, come li Canonici, che il Preſidente del Coro mandati ad accompagnare il SS. Viatico, ſono contati nel coro, quando in eſſo cantano il mattutino, ed altre ore dell' offizio divino. Ma perchè, Eminentiſſimi Signori, è ſtata riprovata dal Maeſtro di Ceremonie di detta Cattedrale quella d' incenſare il Santiſſimo rinchiuſo nella piſſide, quando il Parroco dà la benedizione, e non oſtante detta riprovazione, ha ordinato il Capitolo oratorè, ſi oſſervaſſe la detta cerimonia d' incenſare il ſantiſſimo nel ſuddetto atto per rendergli maggior culto: pertanto ſupplicano l' EE. VV. a degnarſi graziarli con dichiarare, ſe devono, o no oſſervare detta cerimonia, che laſciando di farla, ſeguirà ſcandalo al popolo.*

II. His præſuppoſitis, ex Decreto inferri volumus primo, idipſum ſervandum eſſe, ubicumque ſimilis haberetur conſuetudo, quæ cum cedat in maximum SS. Sacramenti honorem, cui numquam ſatis honoris, & laudis tribui poteſt, digna videtur, ut etiam induci valeat, ubi non eſſet inducta. 2. SS. Sacramentum, quod defertur ad infirmos, licet in pyxide clauſum, per viam incenſari poſſe, & dum cum eo in Eccleſia benedicitur populus, & quod id fiat, conveniens admodum ſaltem eſſe, licet poſtea non putemus neceſſarium ob ſilentium, quod ſuper incenſationem Rituale ſervat in tali circumſtantia; ea enim Decreti verba *ſervari debet*, abſolutam neceſſitatem incenſationis, aut præceptum nequaquam imponunt, ſed ſolum ſtante immemorabili conſuetudine, in cujus ſuppoſitionem Decretum procedit. Ex his uberem confirmationem accipiont ea, quæ ſuperius diximus de thuribulo, cujus uſum laudavimus in proceſſionibus præſertim ſolemnibus, in quibus defertur SS. Viaticum.

CAPUT SEXTUM.

De Aſſervatione SS. Sacramenti.

SAcroſanctam Euchariſtiam a primordiis uſque Eccleſiæ in templis aſſervari conſueviſſe, præſertim ut præſto haberetur pro communione infirmorum, pluribus Sanctorum Patrum, & Conciliorum teſtimoniis late comprobant Caſalius *de vet. Chriſtian. rit. cap.* 13., Bona *rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 6., atque Mabillon *liturg. Gall. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 9. Conſimili de cauſa *in cap. Presbyter* 93. *de conſecr. diſt.* 3. aſſervatio ejuſmodi reperitur indicta: *Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam; ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur*, & in cap. 3. de offic. Archipresb. præcipitur Archipresbytero curare, *ut in ſacrario Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit*. His noviſſime acceſſit Rituale Romanum, quod *de Euch. Sacram.* eadem quidem de cauſa Euchariſtiam cuſtodiri mandat; ſed quoniam tunc in Eccleſia inoleverat uſus communionis fidelium ſanorum extra Miſſam, ubi primitus ut plurimum communicabant intra Miſſam, in cauſam item producit communionem fidelium extra Miſſam, & particulas conſecratas aſſervandas rite præcipit in eo numero, *qui uſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſſit*.

Quæ licet ita ſint, præcipue tamen perſecutionum temporibus, in quibus fideles ad ſacram communionem una convenire nequibant, nec in publico loco Euchariſtia tuto ſervari poterat, tum ex defectu Eccleſiarum, tum ne Gentilium (quod etiam proximis temporibus Acatholicorum perfidia renovatum fuiſſe lugemus) irriſioni, & profanationi exponeretur, non ſemel diximus antiquis Chriſtianis fuiſſe permiſſum, particulas Euchariſtiæ ad proprios lares deferre, eaſque ibi privatim aſſervare, ut quoties opus fuiſſet, & præſertim quando ad martyrium trahebantur, iiſdem ſe poſſent reficere, ut commemorant S. Hieronymus *epiſt.* 50., S. Cyprianus *in lib. de lapſis n.* 92., *& in lib. de ſpectaculis*, Tertullianus *lib. de orat. ſub fine, & lib.* 2. *ad uxorem*, & innuitur in lectione, quæ legitur in Breviario 13. Auguſti: *Hyppolitus a S. Laurentio baptizatus domi ſuæ, dum Euchariſtiam ſumeret, comprehenſus*. Diximus *præcipue perſecutionum temporibus*, quia & Eremitis ſolitarie viventibus, aliiſque conceſſam item fuiſſe, atque a navigantibus in itinere ſecum delatam, non deſunt argumenta plurima, quæ recoli poſſunt apud Caſalium *loc. cit.*

Verum cum tepeſcente priſtina fidelium charitate, quandoque hoc venerabile Sacramentum non minori reverentia acceptum, quam conſervatum fuerit, præcipue reddita Eccleſiæ pace, mos illud aſſervandi in privatis domibus, abrogatus fuit, atque ſtatutum, in Eccleſiis tantum ſervari poſſe, ſicuti laudata jura non obſcure innuunt, & Concilium Cæſaraugnſtanum II. *can.* 3. per hæc verba expreſſe decrevit: *Si quis Euchariſtiæ gratiam acceptam in Eccleſia non conſumpſerit, anathema ſit*. Et erui item poteſt ex cap. *ſtatuimus* 1. de cuſtodia Euch., ubi præcipitur, quod in cunctis Eccleſiis Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſervetur, ne poſſit ad illam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda.

DECRETUM I. CAP. IN ORD. XCI.

Sanctiſſimum Sacramentum conſervandum eſt in qualibet Parochiali. Congr. Epiſc. 28. Janu. 1603.

I. POtiſſimam ex rationibus, ob quas aſſidue in Eccleſiis aſſervatur Euchariſtia, ex recenſitis monumentis eam eſſe conſtat, ne ex ejuſdem defectu quandoque infirmos ſine ſacro viatico ex hac vita contingat decedere, quare evidens fit, opus eſſe, quæcumque eam aſſervet Eccleſia, quæ cum ſubditum habeat populum, eadem indiget pro communione infirmorum. Hujuſmodi quælibet eſt Parochialis Eccleſia, & ideo quæcumque ad illam aſſidue aſſervandam rite obligatur, & quidem licet pauper ſit, ut ſequens (erit 2. cap., in ord. 92.) definit Decretum: *Quantumvis paupere; quod ſi redditus, & ſocietas non ſufficiat, inſtituatur quæſtor, vel eleemoſynarum collector*. Ead. Congr. 14. Martii 1614., & Congreg. Concil. 22. Martii 1594. Ubi vides ſimiliter iri proviſum pro caſu, in quod ad occurrentes ſumptus lampadis, aliarumque rerum non ſufficiant Eccleſiæ redditus, aut ſocietas SS. Sacramenti, quæ in qualibet Parochiali inſtituta ſupponitur; inſtituendus enim indicitur quæſtor, vel eleemoſynarum collector, quibus mediis neceſſarii ſumptus ſuppleantur.

II. Hinc expoſitum ſimul manet Decretum aliud (erit 3. cap., in ord. 93.) *& in Regularium Eccleſiis, quæ de hoc habent privilegium*. Ead. Congr. Epiſc. 25. Maji 1635. ut namque advertit Bordonus *var. reſol. par.* 1. *reſ.* 20. *num.* 29. Regularium utriuſque ſexus Monaſteria ſubditos fideles habent, ſuos nempe Religioſos, quos tanquam ab Ordinariorum, & Parochorum juriſdictione immunes, vi Apoſtolicorum indultorum, quibus late perfruuntur, independenter a Parochi interventu ubique locorum communicare aſſueſcunt. Naldus *verb. Euchariſtia num.* 19. privilegium aliud agnoſcit in Regularibus; cum enim, ait ipſe, Summi Pontifices iiſdem conceſſerint, ut quoties opus fuerit, poſſint adminiſtrare fidelibus SS. Euchariſtiam, per conſequens iiſdem impertiti ſimiliter ſunt facultatem aſſervandi continuo venerabile hoc Sacramentum, quod alias eiſdem miniſtrare minime poſſent, quoties fuerint requiſiti.

DECRETUM IV. CAP. IN ORDINE XCIV.

Extra Parochiales Eccleſias non conceditur retineri aſſidue Euchariſtia. Congr. Epiſc. 15. Janu. 1610.

I. ECcleſiis, quæ ſubditum non habent populum, ea, quam in Parochialium favorem dicebamus, non aſſiſtit ratio, ut propterea, uti Parochiales, ita & ipſæ ſacram Euchariſtiam aſſidue retinere valeant ad paſcendum populum. Hinc Benedictus XIV. *to.* 5. *notif.* 17. nos monet, rem jam eſſe apud Romanas Congregationes communiter receptam, in inferioribus nempe Eccleſiis SS. Sacramentum aſſervari non poſſe ſine expreſſo Apoſtolico indulto, unde apud Genuenſem *in Praxi cap.* 110. Congregatio Concilii definiiſſe refertur: *Eccleſiæ non Parochiali ab Ordinario concedi non poſſe, ut in ea retineatur SS. Sacramentum Euchariſtiæ ſolum pro adoratione, ſed requiri licentiam Sedis Apoſtolicæ. Quod ſi Epiſcopus talem licentiam conceſſerit, licentiam ipſam nullam eſſe*. Conſimiles deciſiones leguntur apud Ventriliam *Annot.* 2. *ad §. unic. num.* 16., ſed nobis placet, rem hanc authenticis, quæ ſubdimus, Decretis dato ere, & erunt 5. 6. 7. cap. in ord. 95. 96. 97. *Epiſcopus concedere non poteſt Eccleſiæ non Parochiali, ut in ea retineatur SS. Sacramentum Euchariſtiæ, ſed requiritur licentiam Sedis Apoſtolicæ*. Cong. Concil. 3. Martii 1608., & 3. Janu. 1633. *Confraternitates retinere non poſſunt in earum Oratoriis ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto SS. Euchariſtiæ Sacramentum*. Ead. Congr. 19. Aug. 1690., & 17. Novemb. 1691. *In Eccleſiis Confraternitatum, utque Parochialibus, neque Regularibus, retineri non poteſt SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ*. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XII. Januar. 1704.

II. Quæ Decreta de conſervatione aſſidua certe debent intelligi, non de temporanea, & pro aliquibus tantum diebus, quam ab Epiſcopo indulgeri poſſe, oſtendunt Decreta omnia, quæ licentiæ Ordinariorum adigant expoſitionem publicam SS. Sacramenti, quæ ſine hujus temporali conſervatione fieri non poteſt. Huc ſpectat dictio *Aſſidue*, quam principale tenet Decretum, in quod non caſualiter irrepſiſſe, ſed conſulto fuiſſe poſitam, nobis credere lubet, ut hinc daretur intelligi, inhibitionem ſiſtere in licentia pro conſervatione aſſidua, non temporali, pro qua ſi Epiſcopi diſpenſare non poſſent, non

ſatis,

ſatis, cum de facili in contingentiis Sedes Apoſtolica non valeat adiri, proviſum foret fidelium commodis, & devotioni, Eccleſiarum decori, & ingruentibus neceſſitatibus, quæ non ſemel poſtulant, ut SS. Euchariſtia in nonnullis Eccleſiis non Parochialibus, nec Regularibus ad tempus aſſervetur, vel pro expoſitione, vel proceſſione facienda, aut ad ſatisfaciendum votis populi, qui pro devotione in aliquibus ſolemnitatibus ad eaſdem confluit communicaturus, ſive pro communicando graviter ægrotante, ad quem alias a longe, vel cum magno incommodo, ſeu periculo Sacramentum deferri neceſſe foret.

III. Non ſic eſt de conſervatione aſſidua, pro qua cum tempus ſuppetat adeundi Sedem Apoſtolicam, Epiſcoporum eſſe non poteſt, ſuper ea facultatem facere. Equidem non deſunt Decreta aliqua, per quæ probatur, ut Epiſcopi indulgeant, quod in aliquibus Eccleſiis non Parochialibus aſſervari poſſit SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ſine tamen præjudicio Rectorum Eccleſiarum Parochialium, intra cujus limites ſitæ ſunt, uti habetur *in Savon.* 2. *Aug.* 1642., *in Ortana* 2. *Maji* 1648., *& in Januen.* 15. *Maji* 1655., ſed hæc Decreta prædictam facultatem Epiſcopis non univerſim, & ſimpliciter faciunt, ſed ſolum in particularibus caſibus, in quibus pro gratia apud Sedem Apoſtolicam ſupplicatum fuit, rem committunt prudentiæ, & Epiſcoporum arbitrio, ut quatenus expedire crediderint, ſuper prædicta facultate valeant indulgere, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium, & quandoque cum clauſulis, & reſtrictivis, quas ipſi apponendas putaverint, ſicuti noviſſime ſacra Congreg. Epiſc. præſtitit *in Lucen.* 16. *Nov.* 1708., unde haudquaquam Epiſcopi facultate inſtructi dici poſſunt concedendi Eccleſiis non Parochialibus retentionem aſſiduam SS. Euchariſtiæ.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORD. XCVIII.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum conſervari poteſt in Eccleſiis etiam non Parochialibus, ſi ab immemorabili fuerit in iiſdem aſſervatum. Cong. Concil. 27. Apr. 1709.

I. EN Eccleſias alias, quæ licet Parochiales non ſint, aſſidue Euchariſtiam valent aſſervare, quibus ſcilicet aſſiſtit immemorabilis conſuetudo, quam cum non reprobent laudatæ ſanctiones, non ſolum legitimum jus tribuit, ſed potis & eſt in eodem jure Eccleſias tueri, quemadmodum præſens definit Decretum, & prius ſtatuerat productum aliud S. R. C. 10. Dec. 1703., quod quidem ad aſſervandum SS. Sacramentum in Eccleſiis neque Parochialibus, neque Regularibus ſpeciale Sedis Apoſtolicæ indultum expoſcit, ſed excipit caſum conſuetudinis immemorabilis, vel centenariæ. Tres itaque ſunt tituli, quorum unus ſi aſſiſtat Eccleſiis, hæ valent aſſidue conſervare Euchariſtiam, non item, ſi nullus. Horum titulorum ſequens (erit 9. cap. in ord. 99.) meminit Decretum: *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum eſt uno tantum in loco cujuſcumque Eccleſiæ, in qua cuſtodiri debet, poteſt, aut ſolet.* Congr. Epiſc. 13. Oct. 1620. *Debet* namque deſignat Parochiales, aliaſque Eccleſias, quæ ſubditum habent populum, *poteſt*, quæ ſpeciale Apoſtolicæ Sedis indultum aſſecutæ ſunt, & denique *ſolet*, quæ immemorabili, vel centenaria conſuetudine gaudent.

II. Quæ lex etiam afficit hoſpitalia ipſa, atque collegia virorum, vel fœminarum conſervatoria, erga quæ etſi Sedes Apoſtolica ſe præbeat facilem in conceſſione, non inde tamen fit, quod apud eamdem pro gratia non debeant ſupplicare, eamque obtinere, niſi iiſdem ſuffragetur alter ex recenſitis titulis, Parochialitatis ſcilicet, vel conſuetudinis. Hinc cum conſervatorium mulierum ſub invocatione SS. Philippi, & Jacobi Civitatis Neapolitanæ pro conſervatione aſſidua ſacræ ſynaxis ſupplices preces exhibuiſſet apud ſacram Congregationem Concilii, hæc die 2. Julii 1707. annuendum non eſſe cenſuit, licet poſtmodum annuerit 17. Aprilis 1709. ad oſtenſionem Diplomatis Sixti V. prædictam facultatem ampliſſime concedentis. Celebris item eſt cauſa *in Toletana*, quæ apud eamdem Congregationem pluries fuit agitata inter Parochos, & Congregationem nonnullorum Sacerdotum, quæ cum erexiſſet quoddam hoſpitale, ſupplicabat tum pro confirmatione, tum pro facultate retinendi ſacram Euchariſtiam, & adminiſtrandi Sacramenta infirmis independenter a Parochis. Profecto autem fallor, ſi quis inde non inferat, quod opus eſt, etiam pro hoſpitalibus, aut conſervatoriis, aliiſque id genus piis locis, privilegio Apoſtolico pro conſervatione aſſidua SS. Euchariſtiæ, quoties ex prædictis alium legitimum non habent titulum.

III. Ad unum cujuſcumque Eccleſiæ locum quod attinet, in quo juxta Decretum tantummodo Euchariſtia conſervari debet, ſermo ibi eſt de aſſervatione continua, quæ quidem ad fines omnes, ob quos conſervatur, ſufficit, non autem de temporanea, quæ in alio etiam altari quandoque congruis de cauſis optime haberi poteſt, puta ad altare, in quo facienda eſt expoſitio, vel facta fuit repoſitio, donec conſummatur, aut ſi ibi Sacramentum deponatur cauſa illud adminiſtrandi cum majori commoditate tempore maximi concurſus, aut tempore, quo impeditum eſſe debet altare, in quo aſſidue cuſtoditur. Quam ex D. Carolo alias item produximus, ad rem admodum facit cauſa, ut videlicet in ſolemnioribus feſtivitatibus, in quibus frequens utriuſque ſexus communicat populus, viri communicent in diverſo altari ab eo, in quo fœminæ communicant; & id ad præcavenda complura incommoda, quæ ex promiſcuo acceſſu non ſemel exoriuntur.

DECRETUM X. CAP. IN ORDINE C.

Tabernaculum regulariter debet eſſe ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno ſerico decenter contectum. Cong. Epiſc. 26. Octob. 1575.

I. PRo tabernaculo deſervierunt olim columbæ quædam argenteæ, vel aureæ, ſuper altare pendentes, quarum meminit Baronius *an.* 57. *n.* 152., & Surius in vita S. Baſilii, a quo introductus creditur ritus hujuſmodi, qui ſuperſtes adhuc eſt in nonnullis Galliæ Eccleſiis. In baſe crucis ſuper altare item aſſervatum fuiſſe SS. Sacramentum, non leve argumentum ſuppeditat Concilium Turonenſe II. *cap.* 3., in foraminibus autem muri, ſicuti nunc conſervatur oleum ſanctum, tradit Macrus verb. *ciborium*, ubi teſtimonium prædicti uſus aſſerit perhiberi a plurimis foraminibus, quæ reliqua adhuc ſunt in multis Eccleſiis. Huc fortaſſe collineat dyſticon illud Paulini *ad Sever. epiſt.* 12., poſitum a dextera parte abſidis Eccleſiæ S. Felicis, ubi aſſervari ſolebat Euchariſtia.

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

II. In uſu modo eſt tabernaculum poſitum ſuper altare, cujus materiam, & ornamenta ſatis quidem Decretum deſcribit, ſed dum adhibet dictionem *Regulariter*, abſit, cenſeatur inhibitum, illud confici ex alia nobiliori materia ſolida, cujuſmodi ſunt marmora, aliique pretioſi lapides, ex quibus compactum, in inſignioribus plerumque eminet Eccleſiis. Præ locis ceteris in hoc effulſit admodum Belgium, ut patet in Eccleſiis, quæ hæreticorum furoribus ibi ſuperſunt; immo & in pleriſque per illos profanatis reliquiæ ſe oſtentant, ceu monumenta avitæ pietatis, & novitiæ improbitatis fructus, & teſtimonia. Unum non vulgare viſitur in Eccleſia Abbatiæ S. Gertrudis Lovanii, ſed apprime præſtat aliud excellens, & ſumptuoſum in Eccleſia Religioſorum Præmonſtratenſis Ordinis, ſita in Campania Brabantina vico vulgo *Tongerloo*, cui inſcripti ſunt hi verſus.

Quid ſtas, & lapides pulchros miraris, & artem?
Cerno, quod interius ſit Deus Omnipotens:
Hoc te non moveat, quod pulchra ædicula facta eſt,
Omnis nam pulchri hic conditor occluditur.
Auctor mundanæ hic fabricæ concluditur intus,
Flecte genu ſupplex, Numina ſancta colens.
Non hanc quis celebri Salomonis conferat ædi:
Non umbras, verum ſed capit ipſa Deum.

III. His autem in locis, ſeu tabernaculis non nude, & immediate reponebatur, uti neque modo retinetur SS. Euchariſtia, ſed in hierotheca, ſeu loculo argenteo, quem pyxidem Rituale nuncupat: *Conſerventur in pyxide ex ſolida decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, & quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obſerato.* Suum itaque velum, quo cooperitur, pyxis habere debet, & cum illud deſerviat ad tegendum vas, in quo immediate continetur Chriſti Corpus, propterea rite decernitur coloris albi, qui myſticis pluribus de cauſis ſacræ Euchariſtiæ tribuitur. Velum illud ut minimum debet eſſe ſericum, Divus vero Carolus illud exoptat auro, argentoque contextum cum ſuis fimbriis circumquaque ex eadem materia diſpoſitis.

IV. Formam, ſeu figuram pyxidum late deſcribit Marcellus Cavalieri Patruus meus in ſuo Libro *Rettore eccl. tit.* 5. *num.* 17., ubi denique artificum libito indulgens, hoc unum ſuadet, quod in operculo ex eadem materia elaborato, adſit crux eminenter ſurgens, vel imago Chriſti reſurgentis. Qua autem ex materia pyxis cum ſuo operculo eſſe debeat, laudata Rubrica minime definit, ſed contenta eſt, *ſit ex ſolida, decentique materia*; decens autem ſimul, & ſolida materia certe aurum eſt, vel argentum, ſicut idem ſtatuit S. Carolus *Act. par.* 4. *lib.* 2., licet ubi ob inopiam neque aurum, neque argentum adhiberi poſſunt, Epiſcopi judicio toleret, ut fieri poſſit ex auricalcho, aut ſtanno, ſed terſo, & perpolito. Quæ integra ſtare credimus, licet ſequens Decretum (erit 11. cap., in ord. 101.) pyxidem ex argento conflatam poſtulet: *Sanctiſſimum Sacramentum teneri non debet in vaſculis eburneis, ſed in pyxide argentea, intus inaurata.* Ead. Congreg. 26. Jul. 1588. Aurum namque, quod nobilior materia eſt, & quo argentum ipſum pyxidis intus circumliniri præcipitur, certe cenſeri non poteſt excluſum; cetera autem metalla neceſſitas, cui omnes parent leges, tolerari poſſe comprobat, dummodo ſit intus inaurata. Pyxidem demum vitreas, & ligneas, quales etiam olim calices fuiſſe noſcimus, certe Rituale non patitur, primas, quia non ſunt ex materia *ſolida*, ſed admodum fragili, ſecundas, quod non ſint ex *decenti*. Et ſane dum Decretum excludit *eburneas*, a fortiori utique ligneas, quæ minus adeo aptæ ſunt, & decentes, ut his magis eburneæ præferendæ forent, ubi neque ex metallis poſſent haberi.

DECRETUM XII. CAP. IN ORD. CII.

Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet eſſe in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt verſis renibus ad altare; in Parochialibus vero, & Regularibus debet regulariter eſſe in altari majori tanquam digniori. Congr. Epiſc. 10. Febr. 1579., & 29. Nov. 1549.

I. AD Cathedralem quod attinet, en quæ diſponit Cæremoniale Epiſc. lib. 1. cap. 12. *Licet Sacroſancto Domini Noſtri Jeſu Chriſti corpore, omnium Sacramentorum fonti, præcipuus, ac nobiliſſimus omnium locus in Eccleſia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari, & colere unquam valemus quantum decet, tenemurque, tamen valde opportunum eſt, ut illud non collocetur in majori, vel in alio altari, in quo Epiſcopus, vel alius ſolemniter eſt Miſſam, ſeu veſperas celebraturus, ſed in alio ſacello, vel loco ornatiſſimo, cum omni decentia, & reverentia ponatur. Quod ſi in altari majori vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino transferendum eſt, ne propterea ritus, & ordo cæremoniarum, qui in huiuſmodi miſſis, & officiis ſervandus eſt, turbetur.* Pontificales namque functiones, quæ fiunt renibus verſis ad altare, facile quiſque videt, quam dedeceat, habeantur ad altare, in quo actualiter aſſervatur SS. Sacramentum, quod propterea in alio altari ſtare collocari decernitur, vel quatenus in eo habeatur, removeri debere, quoties ad illud Epiſcopus pontificaliter debeat celebrare.

II. Quæ cum minime eveniant in Parochialibus, vel Regularibus Eccleſiis, in his per verbum *debere* altare majus *tanquam dignius* Sacramento decernitur, in quo propterea aſſervandum quidem erit, non tamen omnino in omnibus ex dictis Eccleſiis, ſed *regulariter*, ut ſuam diſpoſitionem ipſa limitat ſanctio, & quidem conſonanter ad Rituale Romanum, quod quidem tabernaculum laudat in altari majori, ſed quatenus inde divinis officiis aliquod obveniat impedimentum, vel incommodum, illud collocari mandat in alio altari: *Hoc autem tabernaculum in altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur, ſit collocatum, ita ut nullum aliis ſacris functionibus, aut Eccleſiaſticis officiis impedimentum afferatur.* Eapropter convenientius ego fore crederem, quod Regularium virorum Eccleſiæ, quæ retro ad altare majus habent chorum, Sacramentum conſervent in alio ſacello præ ceteris minoribus nobili, atque conſpicuo. In altari namque majori collocatum, non leve divinis officiis affert incommodum, & aliis ſacris functionibus impedimentum; tum ob Miſſam conventualem, in qua celebrans pluribus, opus eſt, incumbat genuflexionibus, quæque impedimentum eſt, ut fideles, qui ad prædictorum Regularium Eccleſias communicaturi frequentes accedunt, ejuſdem Miſſæ tempore ad altare majus pro communione propinquent, tum etiam quia vel iidem fideles pſalmodiæ item tempore pro communione ad prædictum altare prohibentur accedere, vel non leve incommodum cum periculo irreverentiæ infertur pſallentibus, qui ſi dum pſallitur in choro, ſacra e tabernaculo extrahitur pyxis pro communione fidelium, ſurgere obſtringuntur, & ſtare capite detecto. Quoddam circumfertur S. R. C. Decretum de die 5. Sept. 1664., in quo Miſſæ privatæ in altari majori fieri prohibentur, dum horæ canonicæ in choro cantantur; hujus autem Decreti non alia videtur ratio eſſe poſſe, niſi ne inde ad elevationem SS. Sacramenti clero exiſtenti in choro prædictum ingeneretur incommodum.

DECRETUM XIII. CAP. IN ORD. CIII.

In tabernaculo SS. Sacramenti eſſe non debent vaſa Sacrorum oleorum, vel Reliquiæ, vel aliud. Congreg. Epiſc. 3. Maii 1693.

I. T*Abernaculum ſit conopeo decenter ornatum, atque ab omni alia re vacuum*, ſunt verba Ritualis Romani, per quæ cum ab eo arceatur *omnis alia res*, utique & excluduntur vaſa Sacrorum Oleorum, Reliquiæ, & quæcumque res aliæ, licet ſacræ, quæ non ſunt Sacramentum, vel ad hujus uſum deſerviunt, cujuſmodi ſunt pyxides, Oſtenſorium, aliæque res ſimiles: quas in tabernaculo aſſervari poſſe credimus, tametſi Sacramento forent quandoque vacuæ; haud enim decens eſt, quod deſtinatum eſt in habitationem ipſius Dei, occupetur ab alia re, quæ Deus non ſit, niſi forte ad ipſius Dei, ſeu SS. Euchariſtiæ uſum deſerviat.

II. Ad conopeum quod attinet, Baruffaldus acriter propugnat, quod ejuſdem color mutari non debet juxta colorem feſtorum, ſed quod ſemper eſſe debet coloris albi, tanquam Sacramento proprii, quodcumque occurrat officium. Gavantus *par. 1. tit. 22. ℣. hactenus* eidem aſſignat colorem, qui congruit officio, & in eamdem ſententiam, quam fere omnes amplexi ſunt Auctores, nos ipſi ivimus *to.* 3. nec aliter nunc pronuntiamus. Ex paramenti namque eſt, quæ ſpectant ad altare, unde non eſt, cur ſequi non debeat colorem officii, cui neceſſe eſt, conformentur cetera altaris paramenta. Accedit, quod ſtola ipſa, quam induit Sacerdos Euchariſtiam adminiſtraturus, ex Ritualis præſcripto non debet eſſe determinate alba, ſed coloris, quem occurrens expoſcit officium.

III. His omnibus addi poteſt; quod præter nigrum colores alii omnes, quibus Eccleſia utitur, vivorum nuncupantur, & ſunt, quare neque dedecent Euchariſtiæ, licet ſub hac Chriſtus vivus ſit, atque glorioſus. Ambroſianus ritus adhibet colorem rubrum, & nullam indecentiam credit committere, & Romanus ipſe continuat colorem officii, & Miſſæ in ſubſequenti proceſſione SS. Sacramenti, & ut dicebamus, procedit in colore officii ad communicandos fideles, licet communio fiat extra Miſſæ, vel officii occaſionem, & Sacerdos abſque ullo incommodo ſtolam albam æque induere poſſet. Cujus vero coloris conopeum eſſe debeat, quando altare veſtitur paramentis nigris, potior eſt difficultas, quam jam diſſolvimus *in cit. to.* 3., aſſerentes, quod tunc in uſu erit color violaceus, tanquam qui nec multum diſcordat a paramentis altaris, nec ipſi tabernaculo, quod Regia eſt Chriſti viventis. Quod cum talis Regia item ſit, quoties eſt vacuum, coloris quoque erit violacei, niſi ejuſdem oſtiolum fuerit patenter apertum, ut magis diximus alibi.

IV. *Ante Oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti, in quo depicta, vel inſculpta eſt imago Domini Noſtri, non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile, ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco.* S. R. C. 22. Janu. 1701. Decretum hocce, quod erit 14. cap. in ord. 104., ante oſtiolum Tabernaculi vas florum, vel quid ſimile retineri abſolute non inhibet, ſed ſolum in tali ſitu collocari, ubi poſitum, videri prohibeat imaginem Domini Noſtri, quæ ut videatur, colatur, & indicet, in oſtiolo reperitur depicta, vel inſculpta. Eapropter collocari laudatur in humiliori loco, dummodo impedimenti ut ſupra non ſit, alias ponendum parumper e lateribus, nunquam ſuper ipſum tabernaculum, ubi magis certe dedeceret, quam ſi poneretur ante prædictum oſtiolum, ante quod poni cum ſolummodo inhibeatur ratione præfatæ imaginis, ſi hæc deſit, deeſt itidem prohibitio.

DECRETUM XV. CAP. IN ORDINE CV.

Lampas ardens omnino retinenda eſt ante altare SS. Sacramenti, non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum altare. S. R. C. 22. Aug. 1699. *in una Ord. Cappuccinor.*

I. L*Ampades coram eo plures, vel ſaltem una, die noctuque perpetuo colluceat*, per hæc verba plurium lampadarum, vel ſaltem unius indeficiens lumen ante SS. Sacramentum Rituale demandat, quod deſervit ad cultum, honorem, & ornatum, perbelle ingredientes Eccleſiam fideles advertit, ubi prius debeant adorare, atque deſignat, quod Chriſtus, ante quem indeſinenter collucet, candor eſt lucis æternæ, & inextinguibile lumen ejus. Quæ cum minus apte deſignata veniant per lampadem ſuper valvas ut ſupra poſitam, idcirco ante altare SS. Sacramenti rite collocari decernitur, ut non ſub modio poſita, ſed ſuper candelabrum, luceat omnibus, qui in domo ſunt, & hinc ediſcant homines, ut quemadmodum Chriſti lux eſt mundi, ita qui ſequitur eum, ambulare non debet in tenebris, ſed magis mediis vigilantia, & ſolicitudine in bonis, & ſanctis operibus; Chriſto Domino tamquam ſponſo, ſicut virgines prudentes cum lampadibus occurrere, ſicuti exponit Hieronymus *epiſt. 20. ad Marcellam*.

II. Oleum, quo nutritur ejuſmodi lumen, eſſe debet ex olivis expreſſum, nec alterius generis admittitur oleum, niſi ubi illud haberi non poteſt, unde idem D. Hieronymus ad Fabiolam de 42. manſionibus: *Luceat in tabernaculo oleum puriſſimum, quod de olivæ profertur amaritudine*, & ad rem digna ſunt, quæ recolantur, Act. Eccl. Med. *Act. 4. Inſtruct. Euch.* Cujus ſumptibus oleum illud parari debeat, jam Decretum 2. capitis per hæc verba definit: *Quod ſi redditus, vel ſocietas non ſufficiat, inſtituatur quæſtor, vel eleemoſynarum collector.* Ex redditibus itaque Eccleſiæ oleum debet comparari, in quorum defectu ſocietas SS. Sacramenti ſuccedit in onere, cui ſi ſocietas ſit impar, inſtitui debet quæſtor, vel eleemoſynarum collector. Quæ Parochum obligat, hæc potiſſima adducitur ratio, quod Parochus tenetur ex Parochiæ redditibus Sacramenta parare, & cuſtodire in ſua Eccleſia; utique autem ad rigorem Sacrorum rituum, qui cum exigant, ut lampas coram Euchariſtia continuo ardeat, oleum, quo illa nutritur, a Parocho de proprio comparandum eſſe videtur; non deeſt tamen & ratio, quæ communitatem, ſeu populum videtur adſtringere; nam Sacra Euchariſtia in populi commodum ſervatur, & beneficium, unde & olei onere gravandus eſſe videtur juxta illud commune adagium: *Qui ſentit commodum, ſentire & debet incommodum.* Cum itaque has ob rationes variæ admodum ſint locorum conſuetudines, quæſtio ejuſmodi non melius definiri poſſe videtur, quam ſtando loci conſuetudini, ſicuti concordes edocent Auctores.

III. Verum ab onere ſubminiſtrandi oleum eximuntur hi omnes, ſi aliquod adſit legatum, cui, etſi foret *de lampade ardente*, per ſolam ſubminiſtrationem olei ſatisfaciunt hæredes, neque ulterius tenentur vel per ſeipſos, aut per alios propriis ſumptibus curare, ut lampas perpetuo ardeat, quemadmodum ſequens (erit 16. in ord. 106.) definit Decretum: *Legato de Lampade ardente ante SS. Sacramentum ſatisfaciunt hæredes per ſubminiſtrationem olei, apud Eccleſiæ Rectorem remanente cura, ut continuo ardeat.* Congreg. Epiſc. 28. Ap. 1599. Parochorum igitur muneris eſt invigilare, ut lampas continuo ardeat, & ab hoc onere, ſaltem frequentis

viſita-

viſitationis, neque ſe eximere valet, ubi ſocet miniſter ad hoc ſpecialiter deſtinatus. *Parochus igitur ſummum ſtudium in eo ponat, ut ipſe hoc venerabile Sacramentum, qua decet, reverentia, debitoque cultu tractet, cuſtodiat, & adminiſtret*, ait Rituale Romanum, cujus verba illa *ſummum ſtudium* ſunt ſerio ponderanda, ut ex iiſdem intelligant Parochi, ut ſi negligentes fuerint in cuſtodiendo hoc Sacramento juxta rituum regulas, quæ exigunt lampadem continuo ardentem, haud poterint gravem culpam effugere ob gravem irreverentiam erga SS. Sacramentum, quod privant debito cultu.

DECRETUM XVII. CAP. IN ORDINE CVII.

Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. Ead. Congreg. 5. Apr. 1573.

I. QUilibet panis, ſive cum fermento ſit, ſive azimus, corruptioni manet obnoxius, ſi longo ſervetur tempore, præſertim in arca obſeratus, & ideo ne corrumpantur particulæ, quæ in pyxide, & tabernaculo clauſæ, pro infirmis reſervantur, Rituale Romanum eaſdem *frequenter renovandas* indicit. Fortaſſe quia Græci putarent, Eucharistiam in Cœna Domini conſecratam, majoris eſſe efficaciæ, eam uſque ad annum reſervare ſolebant, ut de illa communicarent infirmos. Innocentius IV. in ſua Bulla ad Legatum in Regno Cypri Pontif. ſui anno II. ſuper ritibus Græcorum num. 7. horum errorem, ſi quis erat, proſcripſit: & reſervationis licentiam ad quindecim dies compeſcuit: *Sed & Euchariſtiam in die Cœnæ Domini conſecratam, uſque ad annum prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent. Liceat tamen eis pro infirmis ipſis Corpus Chriſti conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis ſpatio, conſervare, ne per diuturnam ipſius reſervationem, alteratis forſitan ſpeciebus reddatur minus habile ad ſumendum*. Euchariſtiam itidem, quæ pro infirmis aſſervatur, ſingulis octo, aut quindecim diebus a Græcis renovandam eſſe demandat Clemens VIII. Conſt. *Sanctiſſimus* 31. Aug. 1595.

II. Non ſic eſt de Latinis, quibus ſpatium quindecim dierum minime indulgetur, ſed octavo quoquo die, ſeu ſemel in hebdomada renovatio præſcribitur, nedum a Clemente VIII. *in cit. Conſtit.* & a præſenti Decreto, ſed inſuper a cap. *Permittimus* 57. de ſent. excommun. quod propterea permittit *Eccleſiarum miniſtris ſemel in hebdomada tempore interdicti non pulſatis campanis, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa, miſſarum ſolemnia celebrare cauſa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur*. Sanctus Carolus idipſum præſcripſit *Act.* 4. & Concilium Turonenſe IV. quod circa annum Domini 798. eſt celebratum, *cap.* 4. ſtatuiſſe refertur, *ut omnis Presbyter* (hoc eſt, animarum Paſtor) *habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur in viaticum recedentibus a ſæculo, ſemperque ſit ſuper altare, obſerata propter mures, & nefarios homines: & de ſeptimo in ſeptimum diem ſemper mutetur. Illa a Presbytero ſumatur, & alia, quæ eodem die conſecrata eſt, in ejus locum ſubrogetur, ne forte diutius reſervata, mucida, quod abſit, fiat*.

III. Quo hebdomadæ die renovatio fieri debeat, ſi instituatur quæſtio, Sanctus Carolus fieri laudat quinta quaque feria, cum in ea Chriſtus Dominus hoc magnum Sacramentum inſtituerit; præſens Decretum præligit diem Dominicam, fortaſſe quia cum in ea frequentior communicet populus, ſic Sacerdos habet commodum diſtribuendi particulas veteres, abſque eo quod ipſe eas omnes conſumare cogatur; jura autem alia circa diem haudquaquam ſe exprimunt, ſed contenta ſunt, renovatio fiat in una die cujusvis hebdomadæ, per quam cum reapſe finis habeatur abunde, excluſio nempe corruptionis, idcirco cuique liberum ego crederem in una die magis altera pro ſui commoditate ad præſatam renovationem procedere, licet dies Dominica, vel alia concurſus populi videatur aptior pro diſtributione particularum veterum, & hac de cauſa a Decreto fortaſſe præelecta; ſed hæc ratio non cogit, quia Rituale relinquit in Celebrantis placito, vel eas primo diſtribuere, vel ſumere: *& ubi eas conſecraverit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat*.

IV. *Hoſtiæ vero ſeu particulæ conſecrandæ ſint recentes*, præſcriptum eſt Ritualis Romani, & nec dubito, id demandari ad effectum, ut poſtmodum conſecratæ, corruptioni minus ſubjectæ remaneant. Inſurgit Baruffaldus, & non obſtante prædicta Rubrica aſſerit, quod non adeo recentes eſſe oportet, ut in earum fractione multa fragmenta ſuboriantur, ut evenire ſolet; qua de cauſa hyemis tempore a viginti diebus vult eas eſſe confectas, æſtivo autem contentus eſt decem dierum ſpatio. Verum admodum allucinatus eſt Auctor iſte, quaſi hic ſermo foret de hoſtiis ſacrificii, quæ intra Miſſam dividuntur, non vero de hoſtiis parvis, vulgo particulis, quæ abſque ulla diviſione nedum fidelibus diſtribuuntur, ſed inſuper expreſſe inhibitum eſt, eaſdem diſpenſari ſectas in plures partes. Hoſtias namque etſi textus memoret, atque particulas, res tamen minime multiplicantur, ſed ſolum eadem res diverſo ſignificatur nomine, unde dictio *ſeu* ſtat pro *ideſt*, & reddit ſenſum, *hoſtiæ, ideſt particulæ conſecrandæ ſint recentes*; & reapſe hoſtiæ magnæ, ut alias diximus, neque conſecrari poſſunt pro communione fidelium, neque ipſis diſpenſari.

V. Quod ſi nimio tempore ſervatæ, putridæ factæ ſint particulæ, Fagundez *de præcep. Eccl. part.* 1. *lib.* 3. *n.* 15. hanc dat regulam, ut ſi quæ Sacramentales ſpecies in aliqua particula integræ ſint, hæ conſumendæ ſunt, cum ſub eis maneat Chriſtus, qui cum item maneat in parte incorrupta illius particulæ, quæ partim corrupta foret, & partim incorrupta, idcirco in hoc caſu pars incorrupta ſegreganda erit a parte corrupta media ablutione, atque ſumenda, & ablutionis aqua in Sacrarium projicienda. Pars vero corrupta, & quæcumque aliæ Sacramentales ſpecies, quæ putridæ factæ eſſent, comburentur, & in cineres redactæ, conjiciendæ erunt in Sacrarium, in quod projicietur itidem aqua, qua abluta pyxis extitit, in qua aſſervabantur prædictæ corruptæ Sacramentales ſpecies.

VI. A cuſtodiendo autem Sacratas particulas pyxis dicta reperitur item *cuſtodia*, quod nomen eadem de cauſa attributum quoque fuit ipſi tabernaculo, oſtenſorio aliiſque inſtrumentis, quibus aſſervari ſoluit, vel exponi SS. Euchariſtia, quæ cum ſit verus cibus ſpiritualis juxta illud Joan. *Caro mea vere eſt cibus*, idcirco mirum non eſt, ſi propter ejuſdem aſſervationem a Chryſoſtomo *homil.* 42. *in Acta Apoſt.* pyxis, & tabernaculum *Ciborium* ſimiliter nominantur. *Sacrarium* dicuntur itidem a S. Clemente *lib.* 8. *Conſt. Apoſt. cap.* 13. cum nil ſanctius, & magis ſacrum in eo poſſit includi, quam Chriſtus Dominus; quinimmo & *Paſtophorium*, qua voce a S. Hieronymo *c.* 40. *in Ezechiel.* ſignificatur habitatio Principum Sacerdotum, cujus rationis eſt Chriſtus, qui in Pſal. dicitur *Sacerdos in æternum*. Quadrat vero admodum nomen tabernaculi, cum ſe habeat inſtar domicilii, in quo includitur Sacratiſſimum Chriſti Corpus, tamquam tabernaculum Moyſis includens Arcam Teſtamenti, quæ fuit figura hujus Sacroſanctæ Euchariſtiæ, ut notarunt Hilarius *in pſalm.* 31. Cyrillus *tract.* 4. *in Joan. c.* 28. & Gregorius *in Ezech. homil.* 22.

CAPUT SEPTIMUM

De Expoſitione SS. Sacramenti.

QUoniam SS. Euchariſtia in cœnæ uſum a Chriſto fuit potiſſimum inſtituta, etſi ob realem Domini, quem in ſe continet, præſentiam ſummo latriæ cultu digna ſemper habita fuerit, & a fidelibus venerata, ejuſdem tamen expoſitio antiquitate multa non gaudet, ſed quidquid nonnulli ſcripſerint, Urbano IV. qui peculiare ejuſdem inſtituit feſtum, & admodum probabiliter etiam circumgeſtantionem ſolemnem, ſaltem in Eccleſia univerſali communiter modernior cenſetur. Congruebat priſcis Eccleſiæ ſæculis, quod Sacra Myſteria Gentium profanationi ſubtraherentur, & clanculum accederent ad illa fideles, nunc vero adverſus apoſtatas conſcios Sacramentorum noſtrorum, qui exierunt e nobis, palam colenda ſunt, & quanta impietate ab hæreticis conculcantur, tanta religione a catholicis ſunt proſequenda. Neque propterea tollitur priſtinus ejuſdem uſus, ſcilicet communio, aut ejus eluditur inſtitutio, nempe actio Cœnæ, immo ad Sacram Synaxim vehementius incitantur fideles, dum Sacramentum publice colitur, & ſolemniter exponitur adorandum. De expoſitione, quæ fit occaſione XL. horarum, in ſequenti quidem capite diſtinctim reſervamus agere, ubi Inſtructionem in tali circumſtantia ſervari evulgatam, uberi proſequemur calamo; ſed quoniam utraque expoſitio plura habet communia, in utroque capite promiſcuus non ſemel ſermo incidet, quare ad pleniorem notitiam utique neceſſe erit, utrumque caput recolere.

DECRETUM I. CAP. IN ORDINE CVIII.

Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper altari, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitatibus S. R. C. 4. Martii 1606. *in Placentina Provinciæ Caſtellanæ*.

I. NUM ſatius ſit ſacram Euchariſtiam publicæ venerationi frequenter, vel infrequenter exponere, Catholici non conveniunt Auctores. Lupus *de ſacris Proceſ. cap.* 12. *tom.* 11. *par.* 1. frequentem laudat, quod populum abſtrahat a ſpectaculis, otio, & confabulationibus, ad virtutum actus excitet, ad Eccleſiam convocet, & templis ipſis, veluti dum in aula Rex ſub throno palam conſpicitur, majorem conciliet venerationem. Thiers *lib.* 2. *cap.* 2. infrequentem probat, quia ex frequentiori ſacroſancta myſteria vileſcunt, & imminuitur Chriſtianæ plebis devotio. Raynaldus *Heter. tom.* 15. a judicio quidem abſtinet, re tamen vera pro infrequenti ſimiliter ſentire videtur: *Timendum eſt, ne maieſtas myſterii fidei tam crebra, vel etiam aſſidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium oculos, quam ſi infrequentius, & quod fere conſequens eſt, majori cum apparatu, & accuratione proponeretur. Viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re ſit e Dei gloria, & bono animarum; nam meum judicium interponere conſultum non foret*.

II. Præſens ſanctio medium iter incedit, probatque expoſitionem, quæ fit, non quidem ſingulis diebus, ne ob nimiam frequentiam vileſcat, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitati-

bus, ne ex ſimili infrequentia erga Sacramentorum præcipuum frigeſcat fidelium devotio, ſed magis identidem incendatur, dilatetur, & foveatur. Huc ſpectat cauſa publica, & gravis ab Ordinariis probanda, quam Decreta ad expoſitionem expoſcunt, ut videlicet Epiſcopi, prout viderint expedire, magis, minuſve ſuper illa indulgeant. Abſit vero, per præſens Decretum inhiberi cenſeas orationem XL. horarum cum expoſitione continua SS. Sacramenti, quam gravibus de cauſis per Summos Pontifices noſcimus inſtitutam, & per locorum Prælatos propagatam, quamque tamquam pietatis occaſionem plurimam experientia ſatis commendat. Quæ ſaltem dicta ſunto de oratione illa, quæ inſtitui ſolet in protenſis Civitatibus, & in diverſis earumdem ſucceſſive Eccleſiis; hæc enim velut diverſo ſemper proponitur populo, cujus propterea mentem nequaquam percellit, uti facile evenire ſolet in locis exiguis, & anguſtis, in quibus fere idem ſemper accurrit populus; quare ii, ad quos ſpectat, ſerio cogitent, an nihilominus permittenda ſit, quod idem eſt, ac dicere, an minuat, vel foveat pietatis ſtudia.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE CIX.

Non licet Regularibus, etiam in propriis eorum Eccleſiis, SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem privata poſſunt, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum, ita ut ipſa ſacra Hoſtia videri non poſſit. Congr. Epiſc. 10. Dec. 1602. & 17. Aug. 1630.

I. PAſſim, & levi de cauſa SS. Sacramentum publice exponendum non eſſe, ubertim præſens evincit ſanctio, dum in Regularium ipſis Eccleſiis, quæ ab Epiſcoporum juriſdictione immunes, a propriis Prælatis plenario jure reguntur, ad rem nedum *publicam* expoſcit *cauſam*, ſed etiam *quæ probata ſit ab Ordinario*. Fere idipſum definit ſequens Decretum, quod erit 3. cap. in ord. 110. *Non exponatur a Regularibus ſolemniter SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſine licentia Ordinarii*. Ead. Cong. 14. Jan. 1648. *Solemniter* quippe ſtat pro *publice*, & cauſæ ut ſupra probandæ æquipollet *licentia Ordinarii*.

II. Hiſce Decretis Brunus haudquaquam abſterritus, *de privil. Regul. par. 1. tract. 2. cap. 3. prop. 6.* Regularium cauſam late defendit; quoniam tamen in ſuis probationibus plurimum detrahit de Purpuratorum Patrum auctoritate, quam nobis fas non eſſe credimus in dubium revocare, ſed magis venerari, ultro fatemur, a productis Decretis recedendum non eſſe, & maxime cum his uniſona voce clament quælibet aliarum Congregationum Decreta, quorum quatuor addimus, & erunt 4. 5. 6. 7. cap. in ord. 111. 112. 113. 114. *A Regularibus publice exponi non poteſt SS. Sacramentum ſine licentia Ordinarii*. S. R. C. 26. Febr. 1628. *Licet Regularibus exponere in eorum Eccleſiis Ven. Euchariſtiæ Sacramentum, & populo benedicere, accedente conſenſu Ordinarii*. Congr. Concil. 16. Martii 1726. *Non poſſunt Regulares pro Confraternitatibus in eorum Eccleſiis erectis, exponere SS. Euchariſtiæ Sacramentum occaſione Novenæ SS. Natalis, & quadraginta horarum in diebus ſibi bene viſis ſine licentia Ordinarii*. Ead. Congr. 15. Martii 1708. *Immo nec eaſdem expoſitiones facere pro eorumdem Regularium devotione*. Ead. Cong. in eod. Decreto.

III. Ea autem dicitur expoſitio publica, non quæ præciſe fit reſeratis Eccleſiæ foribus, ſed detecto inſuper Sacramento; quare ſicuti, quamvis cuique pateant Eccleſiæ portæ, ex indolto præſentis ſanctionis Regulares non indigent licentia Ordinarii pro expoſitione Sacramenti velati, ita nec eadem egebunt ad exponendum illud detectum, dummodo clauſæ ſint Eccleſiæ januæ, aut expoſitio fiat in Oratoriis, in quibus ſæcularibus perſonis non patet aditus, ſed ſolum Regularibus, concionum inſtar, quas ut Regulares in propriis Eccleſiis ad laicos habeant, indigent benedictione Epiſcopi, ſecus ſi eaſdem habere debeant ad perſonas mere Regulares. Quæ ſi minus arrideant, utpote nimis anguſtis arctata limitibus, lubens & publicam Regularibus expoſitionem indulgeo irrequiſita licentia Ordinarii, dummodo iiſdem adſiſtat legitima præſcripta conſuetudo, quæ cum a productis ſanctionibus minime abrogetur, in valido perſtat robore. Clericatus *de Euch. Sacram.* alium refert caſum, in quo Regularibus licita eſt expoſitio ſine licentia Epiſcopi, cum nempe tempore viſitationum generalium pro felici harum progreſſu Regularis Superior orationem XL. horarum inſtituendam decreverit; id enim conceſſiſſe videtur Paulus V. ſua Conſt. *Romanus Pontifex* 23. Maji 1606. in qua Religioſis orantibus juxta ejuſdem mentem etiam indulgentiam plenariam impartit, ſi duarum horarum ſpatio eidem orationi interfuerint in diverſo tempore.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORDINE CV.

Expoſitio SS. Sacramenti facienda non eſt, niſi ob cauſam publicam, & gravem; & pro perſonis particularibus Infirmis, aut afflictis &c. quæ in ſui auxilium publicas preces ante SS. Sacramentum exoptant, non exponatur detectum, ſed oſtiolo tabernaculi aperto, aut ad ſummum in pyxide velata cum numero convenienti luminum, & aſſiſtentia Sacerdotum. Et ita Ordinarii fieri curabunt nedum in Eccleſiis ſæcularibus, ſed etiam Regularibus. Cong. Epiſc. 1. Sept. 1598.

I. GRavem publicamque cauſam ab Ordinario probandam, quam ad publicam Euchariſtiæ expoſitionem in Regularibus Eccleſiis præcedens Decretum expoſtulat, in Parochialibus, aliiſque quibuſvis ſæcularibus præſens non minus indicat neceſſariam: *& ita Ordinarii fieri curabunt nedum in Eccleſiis ſæcularibus, ſed etiam Regularibus*. Quandonam publica ad rem habeatur cauſa, perquirere immoraremur plurimum, niſi opportune nobis occurreret Decr. 33. hujuſce capitis, quod dum publicam expoſitionem haberi probat occaſione initii ſpiritualium exercitationum, ad quas non totus ſimul loci, ſed valde minimus accurrit populus, & nonnumquam iiſdem dumtaxat incumbit parva aliqua Congregatio, aut Collegium, nedum publicam ad rem agnoſcit cauſam; quæ totum tangit populum, vel hujus portionem plurimam, ſed adhuc, quæ ſolum partem aliquam, vel Congregationem. Conſuetudo ipſa conſentientibus Prælatis, ſi non latius, certe non ſtrictius eamdem interpretatur cauſam, dum ſine magno criterio cauſæ ad publicas procedit Euchariſtiæ expoſitiones, in quibus ceteroqui item publica latet cauſa, quatenus inde populus, qui ad eas accurrit, excitatur ad virtutum actus, a rebus profanis avertitur, & ad devotionem erga SS. Sacramentum accenditur. Hæ aliæve ſimiles quatenus adſint, & eveniant cauſæ, etſi nulla alia gravis occurrat & publica, utique Epiſcopi in conceſſione ſe poterunt præbere faciles, difficiles vero, ſi ex uberiori frequentia non exurgant congrui pietatis fructus.

II. Privatam, ſeu quæ fit pro particularibus perſonis, Euchariſtiæ expoſitionem examinare pergimus; publicis enim precibus ante SS. Sacramentum, quod unum in ſe continet mediatorem Dei, & Hominum Chriſtum Jeſum, particularium perſonarum indigentias deſtituendas non eſſe, Congregatio arbitrata, hoc ſolum diſcriminis eſſe voluit, quod expoſitio, quæ ex publica cauſa fit, publice item fiat, privatim vero, quæ ex cauſa privata, unde Decretum 2. *Dummodo* SS. *Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit*; præſens: *Non exponatur detectum, ſed oſtiolo tabernaculi aperto, aut ad ſummum in pyxide velata*, & ſubſequens: *A tabernaculo numquam extrahatur; ſed in pyxide velata in aperto ejuſdem tabernaculi oſtiolo collocetur*. Quoties itaque Sacramentum exponitur velatum, expoſitio dicitur privata, etſi cuique pateant Eccleſiæ januæ, publica vero, quando detectum.

III. Expoſitio privata, ſi modo laudata attendantur Decreta, ita debet fieri, ut numquam Sacramentum extrahendum ſit e tabernaculo, ſed media pyxide velata in oſtiolo tabernaculi aperto; præſens tamen ſanctio reapſe indulget eamdem etiam fieri in throno cum pyxide velata; cum enim ſtatuit expoſitionem privatam faciendam eſſe cum Sacramento velato in oſtiolo tabernaculi aperto, & mox ſubdat: *Aut ad ſummum pyxide velata*, profecto novam ponit diſpoſitionem, per quam cavetur, e tabernaculo ſacram Euchariſtiam extrahi item poſſe, & ſuper throno collocari, in pyxide tamen ſolummodo velata. An autem expoſitio in trono itidem fieri valeat medio oſtenſorio velato, quæſtio alia eſt, quam laudata dictio *Ad ſummum* negative dirimere videtur; deſignat enim conceſſionis limites, quos conſequenter noſtrum eſſe non poteſt tranſilire, vel ampliare. Verum licet Decreti verba ſolam pyxidem reapſe nominet, ratio idipſum fore oſtendit de oſtenſorio velato, cui nec refragatur Decretorum mens, quæ potiſſimum ſiſtit in prohibitione, ne exponatur detectum, quare dummodo exponatur velatum, parum referre credimus, ſive expoſitio fiat media pyxide, vel oſtenſorio tam intra, quam extra tabernaculum, quaſi nomine pyxidis non minus oſtenſorium aptum foret recipi.

IV. Hæc tuto ſcribimus calamo, cum primitus probata fuerint a Benedicto XIV. *lib. 2. notif.* 10. & innixa maneant Inſtructioni Romanæ, quæ §. 36. de expoſitione pro infirmis diſſerens, hæc tenet verba: *Si eſporrà il Venerabile in un Altare, o Cappella con un velo avanti*; ibi enim diſerte agitur de expoſitione extra tabernaculum, & medio oſtenſorio, ante quod conſequenter mandat poni velum, quod minime neceſſarium eſt, quando exponitur pyxis, in qua Sacramentum ubertim velatum eſt per ejuſdem pxyidis coopertorium, & conſuetum velum.

V. Ad privatam ejuſmodi expoſitionem in Regularibus Ordinariorum veniam Decreta non poſtulant, & tacet de ſæcularibus Eccleſiis, quæ cæteroquin cum plenariæ ſubſint Epiſcoporum juriſdictioni, in horum etiam ſitum erit arbitrio, eaſdem ad petendam licentiam obligare, id tamen fieri eſt fortaſſe minus opportunum, & magis convenit, quod in quibuſcumque ſaltem Eccleſiis, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum, libere fieri valeat, ne dum venia expoſcitur, aut aliqua excipitur Eccleſia, defraudata maneat infirmorum, & afflictorum vota, quæ non ſemel labente tempore cum vita, aut neceſſitate ſimul expirant, & nonnumquam feruntur ad particularem Eccleſiam, vel altare alicujus ſancti, in cujus interceſſione præ aliis maxime confidunt. Hæc autem dicta ſunto de Eccleſiis extra Romam, nam de iis intra urbem in ſequenti capite inſtituetur ſermo.

VI. Expoſitio, & repoſitio ejuſmodi, quamvis Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, fiet ritu ordinario, nempe cum incenſatione, genuflexionibus, aliiſque, de quibus ſuo loco, & poſt orationem conſuetam SS. Sacramenti addi poterit collecta de ingruenti neceſſitate. Abſque benedictione dimitti non debet populus, cum pyxide quidem velata, ſi hæc fuerit expoſita, cum oſtenſorio autem detecto, ſi hoc fuerit expoſitum. Sicut namque quando etiam in hac occaſione oſtenſorium exponitur, exponi debet detectum, & non cum velo

deſu-

deſuper poſito, ſed velum tantummodo ponitur ante oſtenſorium, ſtatim ac expoſitum eſt, unde laudata Inſtructio Romana: *ſi eſporrà il Venerabile con un velo avanti*, ita in repoſitione primitus removeri debet velum, poſtea cum Sacramento detecto populus benedici, & denique, conſueto ritu oſtenſorium in tabernaculo recondi. Dum autem Sacramentum manet expoſitum, erit omnino liberum, vel ſecreto orare, vel quamcumque ex approbatis precibus elata voce dicere, numquam tamen in repoſitione omiſſo conſueto hymno, qui & in repoſitione publica dici ſolet.

DECRETUM IX. CAP. IN ORDINE CXVI.

Si quandocumque privata ex cauſa Sacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, a tabernaculo numquam extrahatur, ſed in pyxide velata in aperto ejuſdem tabernaculi oſtiolo cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis ſtola, & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis collocetur. Congr. Epiſc. 9. Dec. 1602.

I. Dictio *Numquam*, quatenus preſſe in ſua univerſalitate accipienda foret, adeo excluderet privatam expoſitionem fieri modo in Decreto ſervari præſcripto, ut in nullo caſu, aut tempore modus alter teneri poſſet; quæ tamen in præcedenti Decreto dedimus, abunde commonſtrat, non ita ſtricta modo ſumi, ſed magis late pro *Non*, ſicuti non infrequens reperitur ejuſdem vocis uſus, ita ut unum quidem aſſignet modum, non tamen excludat alterum. Ubi vero præcedens ſanctio exigit *numerum convenientem luminum*, præſens eorumdam quantitatem, & qualitatem aſſignat. Qualitatem quidem, dum ea exquirit *cerea*, quæ nobilitati rei, quæ exponitur, magis congruunt; quantitatem vero, quia eadem *ſex* eſſe jubet cum dictione *ſaltem*, quæ quidem de ſui natura contenta eſt numero expreſſo, ſed uberiorem expreſſo non excludit, ſed magis exoptat numerum.

II. Hæc luminum reſtricta quantitas ut minimum quidem requiritur in caſu Sacramenti e tabernaculo non extracti, de quo præſens procedit ſanctio, ſed ſi pyxis, vel oſtenſorium ut ſupra velatum, in throno collocetur, ſplendidior exigitur apparatus luminum; & hanc putamus cauſam, ob quam præcedens Decretum, cujus diſpoſitio eſt de expoſitione intra, & extra tabernaculum, conſulto determinatum luminum non aſſignavit numerum, ſed *convenientem*, ut is nempe adhibeatur, qui circumſtantiæ, in qua Euchariſtia exponitur, magis convenit. Quinam autem pro omni caſu conveniens ſit iſte numerus, ſequens dabit Decretum, ſubſequens vero caput ea, quæ ad Sacerdotum aſſiſtentiam ſpectant.

DECRETUM X. CAP. IN ORD. CXVII.

Quantitas luminum pietati facientis expoſitionem remittitur. S. R. C. 15. Martii 1698.

I. Luminum quantitas, quæ Sacramento publice expoſito ardere debent, nullo generali Decreto definita reperitur. Inſtructio tamen Romana viginti continuo ardentes expoſcit cereos, ſed cum edita ipſa fuerit pro Eccleſiis Urbis, non exurgit inde generalis regula pro Eccleſiis extra Romam. Quoniam tamen ab ea non exuberans, ſed ſolum ſatis congruus aſſignatur cereorum numerus, qui abſque magno diſpendio fere ubique forſitan ſervari poteſt, conſultius profecto erit, licet non neceſſarium, ſi prædictæ Inſtructioni etiam extra Romam ceteræ conformentur Eccleſiæ. Si tamen generalis non adeſt lex, non deſunt ut plurimum particulares, locorum nempe Synodi, & piæ ab Epiſcopis probatæ conſuetudines, quæ cum credi nequeant alienæ a convenienti luminum ſtipatione honori Sacramenti debita, & aliunde locorum, & Eccleſiarum qualitati ſupponantur accomodatæ, a reſpectivis locis, & Eccleſiis toto ſervari poterunt. Hæc quippe in re nedum eſt habenda ratio ad Sacramentum, cui per qualemcumque cereorum numerum nunquam ſatis honoris deferri poteſt, ſed etiam ad Eccleſiarum, & locorum anguſtias, ne ob egeſtatem abſterreantur ab expoſitione, quæ eſt maxima occaſio pietatis.

II. Ut tamen quid certi generaliter habeatur, ante Sacramentum ſine velo publice expoſitum ſexdecim ardebunt lumina, certe nunquam minora duodecim, qui numerus eſt duplo major ſenario, quem ut minimum præcedens Decretum expoſcit pro Sacramento intra tabernaculum velate expoſito. Hanc dat regulam Benedictus XIV. *lib. 2. notif.* 10., ubi etiam duodecim rita expoſcit lumina pro Sacramento extra tabernaculum velata expoſito; quod conſonum quidem eſt Inſtructioni Romanæ, quæ §. 36. pro Sacramento velate expoſito extra tabernaculum, eum exquirit numerum, qui ut minimus adhiberi ſtatutus eſt pro eodem Sacramento publice expoſito. Quoties itaque intra tabernaculum Sacramentum velate exponitur, in altari ut minimum ſex ardebunt cerei, duodecim vero ſaltem nunquam deerunt, ſive Sacramentum publice exponatur detectum, ſive media pyxide, vel oſtenſorio in throno velatum collocetur, & ſolum uberior numerus remiſſus eſt pietati facientis expoſitionem, non parcior, ita ut quidem abundare valeat, non deficere. Diximus autem *in altari*, quia extra altare in qualibet ex dictis expoſitionibus duo ſaltem ſenalia ardere item debent.

DECRETUM XI. CAP. IN ORD. CXVIII.

Monialibus, etiam quæ ſubſunt regimini Regularium, abſque licentia Epiſcopi non licet in earum Eccleſiis exponere SS. Sacramentum. Congr. Concil. 16. Martii 1743.

I. Niſi minus, certe non magis exemptionis, quam competat Monaſteriis Regularium virorum, convenit iis feminarum, etſi non Epiſcopis pareant, ſed Regularibus; quare ſi privilegia, quæ in gratiam, & merita Regularium virorum potiſſimum data leguntur, his non ſuffragantur pro publica Euchariſtiæ expoſitione ſine licentia Epiſcopi, quomodo unquam feminis ſuffragari poterunt, quibus quaſi ſecundario competunt, & per communicationem? Scite autem *ſolemniter* ait Decretum, ut eas Regularium virorum inſtar excludat a petenda venia pro expoſitione privata, pro qua neque eadem indigent Moniales Ordinariis ſubjectæ, a quibus impediri non poſſunt in iis, quæ ipſis competunt ex indulto Apoſtolico, quod iiſdem non minus fit a Decreto ſecundo, cum veniant *Regularium* nomine in iis, quæ ſunt ipſis adaptabilia.

DECRETUM XII. CAP. IN ORD. CXIX.

Parochis, & Vicariis Abbatialibus non licet abſque licentia Epiſcopi publicæ venerationi exponere SS. Euchariſtiam. Congr. Concil. 30. Maji 1699., & 4. Febr. 1702.

I. Sermo eſt de iis Eccleſiis, quæ cum Regulares forent, erectæ ſunt in ſæculares Abbatias; quare cum Regulares ipſæ Eccleſiæ a licentia Epiſcopi quoad expoſitionem publicam SS. Sacramenti dependeant, utique & prædictæ Abbatiales Eccleſiæ, quæ omnino eadem, vel conſimili gaudent exemptione. Si ſecus cenſeas de expoſitione privata, abſit, quod ego refrager; Sacra enim ipſa Congregatio cum ſub die 30. Maji 1699. alia plurima in præjudicium Eccleſiæ Abbatialis decidiſſet, audito poſtmodum Promotore Fiſcali, die 4. Febr. 1702. putavit recedendum eſſe a deciſis, & ſolum in his inſiſtendum quoad ea, in quibus etiam Regulares Eccleſiæ ab Ordinariis dependant, nimirum *quoad concernentia curam animarum, expoſitionem Sanctiſſimi, & publicationem indulgentiarum*.

DECRETUM XIII. CAP. IN ORD. CXX.

An Decretum Sacræ Congregationis emanatum die 30. Maji 1699., & confirmatum die 4. Febr. 1702., ſit etiam ſervandum ſingulis tertiis Dominicis, & per totam octavam Feſtivitatis SS. Corporis Chriſti? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 4. Febr. 1719.

I. Non eſt, ut moneam, quod Decretum, de quo ut ſupra quæritur, non eſt, niſi præcedens, quare ſenſus quæſiti eſt, an ſit itidem neceſſaria licentia Epiſcopi pro publica expoſitione Sacramenti in ſingulis tertiis Dominicis cujuslibet menſis, & per octavam Corporis Chriſti. Dubitandi fuerunt cauſæ, quod Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 33. expoſitionem fieri laudat per octavam Corporis Chriſti: *Et quia ſolitum eſt per totam octavam ponere ſuper altare tabernaculum cum SS. Sacramento diſcooperto, dum veſpera, & divina officia recitantur, ad quæ magna populi frequentia ſolet accedere &c.*, expoſitionem autem ſemel in menſe in quibuslibet Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, ſi non aliquod Rituale, probat antiqua, pia, & laudabilis conſuetudo, quæ creditur invecta uſque ab anno 1539. ſub Paulo III., & ideo neutra Epiſcoporum veniæ videtur eſſe ſubjecta. Verum cum expoſitiones ejuſmodi nulli innitantur præcepto, ut inde argui poſſit, eiſdem adſtare Apoſtolicam facultatem: quinimmo a Cæremoniali non imponantur, ſed ſolum laudentur tanquam piæ conſuetudines, & reapſe tales ſolummodo ſint, & adhuc arbitrariæ, & non ubique receptæ, dignæ utique ſunt, pro quibus facultas ab Epiſcopis non denegetur, ſed non, pro quibus haudquaquam petatur.

DECRETUM XIV. CAP. IN ORD. CXXI.

Juxta Decreta generalia in Eccleſiis Confraternitatum exponi non poteſt SS. Sacramentum ſine expreſſa licentia, & conſenſu Ordinarii. Congr. Epiſc. 20. Auguſt. 1601., & 2. Aug. 1652.

I. Credidere nonnulli id Confraternitatibus eſſe prohibitum, quia carent facultate aſſervandi SS. Sacramentum, & ideo dubium ſequens (erit Decr. 15. cap. in ord. 122.) exhibuere decidendum: *An præſuppoſita facultate retinendi SS. Sacramentum, poſſint Eccleſiæ Confraternitatum infra annum illud publice exponere ſine licentia Ordinarii?* *Reſp. negative.* S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. 12. Janu. 1704. Et quidem miror, illi non viderint, quod præcipuæ ipſæ locorum Eccleſiæ, Regulares, & Sæculares, etſi gaudeant facultate retinendi SS. Sacramentum, non poſſunt nihilominus ad publicam ejuſdem expoſitionem procedere ſine licentia Ordinarii, ut inde noſcerent rite dubitare non potuiſſe ſuper gregalibus Confraternitatum Eccleſiis.

DECRETUM XVI. CAP. IN ORD. CXXIII.

Confraternitates ſine licentia Epiſcopi in ſuis Oratoriis Euchariſtiam exponere nequeunt infra annum, aliiſque diebus juxta ſuum inſtitutum. Congr. Concil. 13. Apr. 1726.

I. EX Confraternitatibus extant nonnullæ, ut eſt ea mortis, & orationis, quarum inſtitutum publicas expoſitiones quandoque demandat, unde cum in approbatione ipſius Confraternitatis approbari ſimul cenſeantur inſtitutum, & quæcumque ab eo ſunt præſtituta, prædictæ expoſitiones tanquam Apoſtolicæ licentiæ innixæ, Ordinariorum venia egere non poſſe videntur. In oppoſitum nihilominus cenſuit Congregatio, & deciſionis potem ecce rationem. Probatum quidem eſt inſtitutum, tanquam quod invehit exercitia pietatis, ſed reſervato cuique jure ſuo, cui nunquam Apoſtolica Diplomata præſumuntur derogare, niſi diſerte ſe exprimant. Et quidem eadem Congregatio interrogata ſimiliter fuit ſuper aliis generice inſtituti functionibus, an ſcilicet eas facere poſſent ſine licentia Epiſcopi, & qui putae illa reſponderit? Reſpondit: *explicentur functiones*, ut videlicet inſtituti illas, ſi quæ eſſent, in exceptis ſimiliter poneret, quæ ab Ordinarii venia dependent.

DECRETUM XVII. CAP. IN ORD. CXXIV.

An ad ſuperius recenſitas expoſitiones faciendas ſufficiat ſemel dictam licentiam petere, ſeu potius illa requiratur toties quoties? Reſp. ſervetur ſolitum. Ead. Congreg. in eod. Decreto.

I. COnfraternitas mortis, quæ ad expoſitiones, quas ſuum inſtitutum fieri demandat, juxta præcedens Decretum licentia indiget Ordinarii, hanc nunc obligatur petere juxta ſolitum; & hinc generalis exurgit regula pro ceteris Eccleſiis, ita ut vel toties quoties, aut ſemel duntaxat veniam ab Epiſcopis pro faciendis expoſitionibus petere teneantur, prout earumdem tulerit conſuetudo. Ita quidem eſt ex parte petentium, integra tamen adhuc manente apud Epiſcopos libertate ſubditas diſpenſandi Eccleſias ab onere petendi toties quoties, licet ſic ferret conſuetudo, taleque onus reducendi ad pauciores vices, vel ad unam in annum.

II. Quod ſi expoſitio de novo inducenda foret, & per longum tempus ſingulis diebus facienda, puta per totam Quadrageſimam, aut per novem, & adhuc tres dies, haud crederem, quod Epiſcopi rationabiliter exigere poſſent, quod ab ipſis peteretur venia ſingulis diebus pro ſingulis expoſitionibus; eſſet enim id onus nimis grave, & incommodum, quod a Sacra Congregatione credi nequit impoſitum, dum Eccleſias pro expoſitionibus ad petendam veniam adſtringit, utpote quod ſolummodo aptum eſt eaſdem absterrere ab expoſitionibus faciendis, & aliunde adhuc Epiſcopis jus perſtat integrum, atque honos, dum ſemel pro totis continuatis illis vicibus licentiam præſtant. Sane Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform.* Regulares, qui in Eccleſiis ſuorum Ordinum ad populum conciones debent habere, obligat ad petendam benedictionem ab Epiſcopis: *Et ab eis benedictionem petere teneantur*; & ſi continuate per multos, aut paucos dies iiſdem prædicare contigerit, non tenentur ſingulis diebus benedictionem petere, *ſed ſolum antequam prædicare incipiant*; quod & dictum intelligitur de licentia, quam ultra benedictionem petere tenentur, quoties prædicant in Eccleſiis non ſuorum Ordinum. Eccleſiæ itaque, quoties diſcontinuis expoſitionibus incumbunt, obligari quidem poterunt ad petendam veniam toties quoties, ſi talis eſt conſuetudo, ſecus ſi expoſitiones fiant continuatim per plurimos dies, quo in caſu ſatis erit licentiam petere, antequam Sacramentum exponere incipiant. Quod dictum eſſe volumus, tametſi conſuetudo foret petendi veniam toties quoties, quia conſuetudo ejuſmodi tanquam irrationabilis ſervanda non eſſet, nec a præſenti probatur Decreto, quod quidem ſtatuit ſervandum eſſe ſolitum, ſed ejus diſpoſitio verſatur circa expoſitiones diſcontinuas, e quibus dubium proceſſit.

III. Quinimmo in diſcontinuis ipſis expoſitionibus, ſi admodum frequentes ſint, & præcipue ſtatis diebus affixæ, puta diebus ſingulis feſtivis, quidquid ſit de jure Epiſcopi, ob recenſitas cauſas minus convenit & ſane non expedit, quod pro omnibus omnino ſingulis diſtincta exigatur petitio licentiæ, ſed magis, quod una, bina, aut trina pro toto anno ſufficiat, quando prædictæ frequentes expoſitiones in Domino expedire credantur.

DECRETUM XVIII. CAP. IN ORD. CXXV.

An petita, & non obtenta dicta licentia, habeatur pro conceſſa? Reſp. negativa. Ead. Congr. eodem die, menſe, & anno.

I. DEcretum eum ſenſum reddit, quod confraternitates, & ſic & reliquæ ſæculares Eccleſiæ, non poſſunt procedere ad publicam SS. Sacramenti expoſitionem, ſi licentiam quidem petierint, ſed ab Ordinario non obtinuerint. Particularis inſtitui poſſet quæſtio de Regularibus, qui etſi ut prædicent in ſuis Eccleſiis, benedictionem ab Epiſcopo tenentur petere, ſicuti tamen in iiſdem nihilominus prædicare poſſunt, dummodo benedictionem petierint, licet non obtinuerint, ſolo excepto caſu, in quo Epiſcopus non ſolum benedictionem non conceſſerit, ſed inſuper expreſſe contradixerit, ut ſtatuit Clemens X. in Conſt. *ſuperna*, ita dici poſſe videtur, quod Regulares ad exponendum SS. Sacramentum in ſuis Eccleſiis, debent quidem licentiam petere, ſed poſſint nihilominus ad expoſitionem procedere, ſi eam non obtinuerint, dummodo Epiſcopus expreſſe non contradixerit.

II. At ſatis diſpar eſt ratio de prædicatione, ad quam in Regularibus pro Eccleſiis ſuorum Ordinum duntaxat præexigit petitionem benedictionis, non hujus aſſecutionem: *Ab eis benedictionem petere teneantur*, quare ubi petierint, etſi non obtinuerint, ipſi paruerunt Tridentini mandatis, & ea ſe poſuerunt, quæ illud jubet præmitti. Non ſic eſt de expoſitione SS. Sacramenti, ad quam Decreta non præexigunt ſolam petitionem licentiæ, ſed indiſcriminatim pro Regularibus, aliiſque omnibus *cauſam publicam ab Ordinario probatam*, ut Decret. 2., *ejuſdem conſenſum*, ut Decr. 5. & 14., & denique adeo *licentiam*, ut cetera cuncta Decreta clament *ſine ea* a nemine expoſitionem poſſe tentari; hæc autem omnia, dubium non eſt, quod minime ſtant cum ſola licentia petita, niſi inſuper fuerint obtenta. Et quidem ut utamur eodem prædicationis exemplo, quia ad hanc habendam in Eccleſiis non ſuorum Ordinum, Tridentinum exigit, quod ultra benedictionem licentiam Regulares habeant: *etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur*, non eſt qui dixerit eoſdem in Eccleſiis non ſuorum Ordinum prædicare poſſe cum ſola licentia petita, & non obtenta; quare igitur & in noſtro caſu ſimiliter pronunciandum non erit? Quod autem Tridentinum ibidem ſubdit de licentia prædicationis: *Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant*, nec parumper dubito ad licentiam expoſitionis ſimiliter extendi.

DECRETUM XIX. CAP. IN ORD. CXXVI.

Epiſcopus Confraternitatibus permittere debet expoſitionem SS. Sacramenti juxta ſolitum, niſi quid relevans adſit in contrarium. Congreg. Epiſc. 16. Martii 1649.

I. TOllendæ non ſunt, ſed magis fovendæ, & inducendæ conſuetudines laudabiles, & cauſæ pietatis, quas inter cum principem teneat locum expoſitio SS. Sacramenti, hæc propterea Confraternitatibus, aliiſque Eccleſiis juxta ſolitum permittenda decernitur. Ita limitat ſanctio *Niſi quid relevans adſit in contrarium*, & tunc id contingit, quoties vel expoſitio non fit cum decenti ornatu, aut apparatu luminum, ſive ob aſſiduitatem viloſcit, ſeu occaſione ejuſmodi ad ebrietates, & ſcelera, ut non ſemel præſertim evenit in expoſitionibus, quæ fiunt in Eccleſiis a civitate parum diſſitis, poſitiſque in locis abditis, & ab hominum commercio remotis. Verum non eſt, immoremur in recenſendis hujuſmodi cauſis, quæ juxta circumſtantias, & loca variæ admodum eſſe poſſunt, quæque commiſſæ ſunt Epiſcoporum judicio, prudentiæ, & diſcretioni. Hos tamen adhuc vel inviti monere cogimur ſuper abuſu maximo, quem in nonnullis Italiæ urbibus (proh dolor!) non ſemel cum horrore ipſi vidimus, patere nempe SS. Sacramentum in quibuſdam ſolemnitatibus, & inter ſe ſa confabulantes ſtare homines, vel ſolummodo attendentes muſicæ, & non infrequenter etiam humeris ad Sacramentum verſis. Ubi ejuſmodi evenire noſcant, Epiſcopi ſerio cogitent, an nihilominus ſuper expoſitionibus indulgere valeant; nos enim credimus, quod diſtrictam rationem redditurí ſint Domino, a quo eam conſtituti ſint, ut promoveant, ſic ejuſdem honorem negligunt.

II. Quod ſi ea Decreti verba *Niſi quid relevans adſit in contrarium*, diſerte denotant, quod ſtante cauſa gravi nullatenus permittendæ ſunt expoſitiones, licet ſolitæ, ita aperte deſignant, quod inhibendæ non ſunt ob leves cauſas; abuterentur enim Epiſcopi facultate, quæ ipſis data eſt in ædificationem, non deſtructionem, ſi exiguis de cauſis, & quandoque emendicatis impedirent SS. Euchariſtiæ expoſitiones, præſertim ſolitas, ad quas non permittendas Congregatio expoſcit quid relevans in contrarium, ne ſimul inde potius tollatur occaſio pietatis.

DECRETUM XX. CAP. IN ORD. CXXVII.

Non poſſunt Confraternitates exponere SS. Sacramentum in ſua Cappella de licentia, & conſenſu Parochi, in cujus Eccleſia erectæ ſunt, ſed potius requiritur licentia Ordinarii. Congreg. Concil. 5. Auguſt. 1719.

I. LAicorum Confraternitates ſecernuntur in duplici claſſe, in illas nempe, quæ erectæ ſunt in Eccleſia parochiali, vel huic ſunt adnexæ, & has in ſuis explendis ſacris functionibus a Parocho dependere, ſequens (erit 21. cap. in ord. 128.) definit Decretum: *Confraternitates erectæ in Eccleſiis parochialibus, vel in cappellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus Eccleſiis, & ab iis dependentibus, habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis non parochialibus.* S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clement. XI. 12. Janu. 1704. Genus alterum efformant Confraternitates, quæ ſolum intra Parochiæ limites ſunt conſtitutæ, & has a Parocho non dependere tum generaliter quoad ſacras functiones, tum in ſpecie quantum ad expoſitionem SS. Sacramenti, eadem Congregatio pro-

Digitized by Google

pronuntiat. Generalitar quidem in ſeq. Decreto, quod erit 22. cap. in ordina 129. *Confraternitates erecta in Eccleſiis publicis, vel in Oratoriis tum publicis, tum privatis, ſejunctis ab Eccleſiis parochialibus, nullam dependentiam quoad explendas ſacras functiones non parochiales habent a Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſita ſunt Eccleſia*. Ead. Congr. in eod. Decr. In ſpecie autem in Decreto (erit 23. cap. in ord. 130. quod ſubdimus: *Expoſitio XL. horarum, & benedictio, quæ fit ſuper populo, non eſt de juribus mere parochialibus*. Ead. Congreg. in eod. Decr. Expoſitionem namque, & benedictionem non eſſe de juribus mere parochialibus, in Decreti ſenſu aliud non eſt, niſi fieri poſſe abſque licentia, & interventu Parochi, etiam in Eccleſiis Confraternitatum intra Parochiæ limites ſitis, uti advertit Benedictus XIV. *tom.* 5. *notif.* 17.

II. Non deſunt tamen nonnullæ limitationes, quas nobis ſuggerunt hæc verba ejuſdem 10. Dec. 1703. *Salvis conventionibus, & pactis in erectione confraternitatum forſan factis, concordiis inter Partes initis, & a Sancta Sede approbatis, indultis, conſtitutionibus ſynodalibus, & provincialibus, & conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis*; quare ſi quæ ex hiſce rationibus militet in favorem Parochorum, ultra licentiam Epiſcopi, quæ ſemper requiritur, neceſſarius erit conſenſus, & interventus Parochi, etiam in Confraternitatibus erectis extra Eccleſiam parochialem, nec huic adnexis. His ſub limitationibus intelligi debet ſequens Decretum (erit 24. cap., in ord. 131.) *A Confratribus SS. Euchariſtia exponi poteſt cum licentia Epiſcopi, licet ſine conſenſu Parochi*. Congreg. Concil. 24. Sept. 1718., & 15. Janu. 1720. In eo namque ſermo quidem eſt de Confraternitatibus, quæ in Eccleſiis, aut Oratoriis extra Eccleſiam Parochialem, ſed non extra Parochiæ limites erectæ ſunt; ſed nihilominus ſi aliquæ ex recenſitis rationibus ſuffragentur Parochis, haud putamus horum juribus eſſe derogatum, ac per conſequens ultra licentiam Epiſcopi expoſci conſenſum Parochi.

III. Secus tamen foret, ſi Epiſcopus conſcius juris, & diſſenſus Parochi, nihilominus licentiam faceret, quemadmodum fortaſſe indicat ſequens Decretum (erit 25. cap. in ord. 132. & inſimul rationem ſuggerit: *In proceſſionibus peragendis extra ambitum Eccleſiarum, expoſitione Euchariſtiæ, benedictione ſolemni ſuper populum, aliiſque ſimilibus, quoties intervenerat licentia Ordinariorum, Parochus non poteſt ſe opponere, ne a Cappellanis, & officialibus confraternitatum fiant; quia animarum cura, & populi directio principaliter incumbit Epiſcopo, qui eſt Parochus Parochorum*. Congr. Concil. 12. Feb. 1689. Diximus *Epiſcopus conſcius juris, & diſſenſus Parochi*; quia ſi conſcius non foret, tunc jure præſumitur, quod ipſe dumtaxat ſimpliciter, prout ad ipſum ſpectat, facultatem præſtet, non autem quod derogare velit Parochorum juri, & licentiam facere non obſtante diſſenſu Parochi.

IV. Quod verum item eſt in Confraternitatibus erectis in Eccleſia ipſa Parochiali, ita ut in expoſitione SS. Euchariſtiæ dependeant quidem a conſenſu Parochi, & a licentia Epiſcopi, ſed magis, & adeo a licentia Ordinarii, ut cum hujus, dummodo ut ſupra conſcius ſit, licentia procedere queant ad publicam Euchariſtiæ expoſitionem, etiamſi Parochus conſenſum minime præſtiterit; nunquam vero valeant cum ſola licentia, & conſenſu Parochi. Id proculdubio, indicat dictio *Potius*, quam Decretum principale, quod ſuſcepimus explanandum uſurpat; quare ad aliud gradimur Decretum, & erit 26. cap. in ord. 133. *An Confraternitas poſſit ſine licentia, & interventu Parochi exponere in ſuo oratorio SS. Euchariſtiam? Reſp. affirmative accedente licentia Epiſcopi*. Congr. Concil. 21. Febr. 1728. Hoc autem Decretum ita debet accipi, ut Confraternitates etiam diſſentiente Parocho poſſint publicam expoſitionem facere, dummodo accedat licentia Epiſcopi ut ſupra conſcii, loquendo de Confraternitatibus in Parochiali erectis, vel in oratoriis eidem adnexis, aut ſupra quas in favorem Parochorum militant memoratæ limitationes Decreti 10. Decemb. 1703. Si vero ſermo ſit de Confraternitatibus ſolummodo intra Parochiæ limites conſtitutis, de quibus reapſe Decretum loquitur, ſecius fit, quod iiſdem Confraternitatibus neceſſarium non eſt, Parochum admoneant, vel accerſant pro expoſitione Euchariſtiæ, ſed hæc æque bene fieri poteſt a Cappellano Confraternitatis, vel alio Sacerdote bene viſo, dummodo licentiam ab Epiſcopo obtinuerint ſuper expoſitione facienda.

DECRETUM XXVII. CAP. IN ORD. CXXXIV.

Expoſitio SS. Sacramenti fieri debet qualibet prima Dominica menſis in altari Confraternitatis, & non potius in altari majori Eccleſiæ S. Pauli, in caſu, & Epiſcopus provideat, ne ſequantur inconvenientia. Congr. Concil. 4. Febr. 1719.

I. CUm Epiſcopus Meleeitanus in actu viſitationis ſtatuiſſet in Parochiali Eccleſia S. Pauli Apoſtoli Civitatis Vallettæ expoſitionem eſſe faciendam in altari majori, & non altari Confraternitatis erecto in eadem Eccleſia, confratres adverſus hoc Decretum reclamarunt apud Sacram Congregationem Concilii, cui ab Epiſcopo in eorum fuit producta irreverentia, de qua maximopere timeri poterat, ingredientium, & egredientium, eo quod altare confraternitatis poſitum eſſet in veſtibulo, & primo ingreſſu Eccleſiæ.

II. Adverſus hæc primo excepere confratres hic, & nunc agi de expoſitione SS. Sacramenti, quæ fit prima Dominica menſis, & terminatur poſt Miſſam cantatam. 2. In pluribus urbis Eccleſiis Euchariſtiam exponi in altaribus minoribus, quando agitur de expoſitione minus ſolemni, & quæ per modicum tempus perdurat. 3. Non ſuffragari rationem deductam a periculo irreverentiæ, tum quia novum non eſt, nec in urbe Roma, nec in Diœceſi Melevitana, expoſitionem fieri in altaribus prope januam; tum quia in latere dextero Eccleſiæ S. Pauli, in qua eſt altare confraternitatis, nulla janua reperitur, cum pateat aditus a duabus aliis, quarum una eſt in medio, altera a latere ſiniſtro. 4. Quia confraternitati bona quædam dono data fuerunt ſub ea conditione, & cum pacto reſolutivo in caſu, quo in eodem altari expoſitio non fieret.

III. Qualis Congregationis fuerit deciſio, productum Decretum manifeſte prodit, cui addimus, quæ habet Inſtructio Romana §. 3. de expoſitione SS. Sacramenti occaſione XL. horarum: *Il SS. Sacramento dovrà eſporſi nell' altare maggiore, eccettuatone le Baſiliche Patriarcali, nelle quali ſi ſuol eſporre ſopra altro altare*, ut inde certa ab incertis ſeparantes, nonnulla inferamus, & primo, quod expoſitio XL. horarum in urbe Roma, cujus Eccleſiis afficit prædicta Inſtructio, omnino fieri debet in altari majori, & nonniſi in aliquo laterali in præfatis Baſilicis, quæ a lege excipiuntur, & in ſua relinquuntur conſuetudine. 2. Quod convenientius ſaltem eſt, quod tum expoſitio XL. horarum, tum quælibet alia ubivis fiat in altari majori, quod indubie eſt locus aptior, & honoratior Sacramento, quod exponitur, & inſimul experi inconvenientibus, & incommodis, ob quæ in altaribus lateralibus contenditur expoſitionem non eſſe faciendam. 3. Quod ex ſe inhibitum non eſt, in altaribus lateralibus expoſitionem fieri, ſed ſolum per accidens inhiberi poſſe ratione inconvenientium, quæ inde ſequi poſſent, nec valerent impediri, unde præſens Decretum expoſitionem probat in altari laterali cum commiſſione Epiſcopo, ut provideat, ne ſequantur inconvenientia. 4. Quod in eodem caſu vel ſimili, de quo præſens ſanctio diſponit, nedum in altari laterali expoſitio fieri poteſt, ſed debet, dummodo inconvenientia quæque ſint removibilia; par enim caſus parem reſolutionem exigit.

IV. Expoſitionum igitur univerſim hæc erit regula, ut ſolemniores, & ad quas frequentior accurrit populus, fieri non debeant in altaribus lateralibus, præcipue in cappellis introrſum protenſis, & a lateribus minus ſpatioſis; tunc enim fidelium plurimi defraudantur viſione SS. Sacramenti, quæ maxime devotionem conciliat, fovetque pietatem, quinimmo ut Sacramento ſe ſiſtant, adeo coit populus ante altare, ſive Cappellam, & quod pejus eſt, promiſcue viri, & feminæ, ut potior ipſa cauſa pietatis non ſemel fiat occaſio peccati. Huc ſpectat Inſtructio Romana, quæ propterea expoſitionem XL. horarum in altari laterali fieri non probat, ſed dum excipit Baſilicas urbis, nos docet, quod etiam expoſitiones ſolemnes, in altaribus lateralibus fieri poſſunt in Eccleſiis ſpatioſis, & amplis, quarum ſtructura prædictis eſt immunis incommodis, aut quoties Sacramentum in altari laterali expoſitum, æque, vel fere æque bene per totam Eccleſiam conſpicitur a populo, qui ſolet accurrere, perinde ac ſi foret expoſitum in altari majori.

V. Quibus incommodis cum immunes item ſint expoſitiones minus ſolemnes, & a populo minus frequentatæ, has nil vetat inſtitui in altaribus lateralibus, atque Cappellis; quare cum hujuſce rationis foret expoſitio, de qua præſens procedit Decretum, idcirco permiſſa fuit exemplo Eccleſiarum Urbis, quæ ſub oculis ſummi Pontificis & Sacrarum Congregationum in altaribus lateralibus, atque Cappellis conſimiles expoſitiones faciunt, ſicuti pro informatione ut ſupra excepere Confratres. Et quidem quoniam conſimilis eſt expoſitio privata, quæ fit pro infirmis, Inſtructio ipſa Romana §. 36. in altaribus, ſeu Cappellis faciendam edicit. In altaribus autem prope januam vel expoſitiones non fiant, vel januam claudatur, & populus ingrediatur per aliam, ne quis irreverentiæ pateat locus.

DECRETUM XXVIII. CAP. IN ORD. CXXXV.

Sanctorum Reliquiæ non ſunt collocandæ ſuper altare, in quo reipſa SS. Sacramentum publice venerationi eſt expoſitum. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

I. COnſimilem diſpoſitionem Inſtructionis Romanæ, de qua in ſeq. cap. §. 4., præſens confirmat Decretum, & inſimul declarat, illam ubique gentium eſſe ſervandam. Lector itaque recolat ibidem tradita, quibus modo dumtaxat addimus, quod nobis non arridet admodum uſus illarum Eccleſiarum, quæ in altari expoſitionum ſolemnium mediis figuris, licet ex ſacra ſcriptura depromptis, apponunt ſymbola SS. Euchariſtiæ; etſi enim ipſa ſacra ſint, & in aliis circumſtantiis fortaſſe probanda, in præſenti nos collaudare non poſſumus, quia dum ad ſe convertunt contuentium oculos, Fideles diſtrahunt ab attentione erga SS. Sacramentum, & ab ejuſdem veneratione. Hæc utique eſt cauſa, ob quam in §. 3. memoratæ Inſtructionis in telis, & periſtromatibus, quibus ornantur parietes tribunæ, nos haudquaquam probavimus inſertas eſſe hiſtorias ſacras licet prædicta Inſtructio dumtaxat expreſſe profanas ſubmoveat.

II. Hæc nobis ſanctio ſuggerit, quod in feſtis, quæ in honorem Sanctorum ſolemniter celebrantur, Sacramentum publice ex-

ce exponi non probat Benedictus XIV. *lib. 2. notif. 10.*, ubi Auctores refert, & rationum momenta, quorum illud urget admodum, quod cum Sacramentum ad ſe populi cultum pertrahat, defraudatur Eccleſiæ mens, quæ in feſtorum inſtitutione præcipue intendit, quod Chriſtianus populus ſerio recogitet mirabilia Sanctorum facinora, atque virtutum actus, ſe exerceat in gratiarum actione erga Deum tantorum bonorum largitorem, & in aſſiduis denique occupetur precibus, quibus illorum, quos noſtros ſequeſtres Deus conſtituit, interceſſionem ſtudeat promerere. Hæc quidem, etſi valde plurima, nos forſitan non plene morarentur, ſed ejus, quod præclariſſimus idem Summus Pontifex ibidem adjicit, impetu ſtare non poſſumus. Eſt autem, quod Sacramentum, dum in tali occaſione non exponitur, vindicatur ab irreverentiis plurimis, in quas populus frequens labitur, cum experientia compertum ſit, eumdem non ſemel occupari in vanis oblocutionibus, attendere muſico cantui, & inſtrumentorum ſono, & quandoque humeris etiam ad Sacramentum verſis.

III. Quod ſi expoſitionem in tali circumſtantia a prædictis abſurdis, & irreverentiis alicubi immunem praxis comprobet, abſit, quod ea putetur inhibita, licet ſatius ſit, eam fieri verſus finem functionis ſacræ, ad Hymnum videlicet, vel ad Magnificat; ſic enim populo tempus ſuppetit ſe exercendi in recenſitis operibus, & pro modico illo tempore plebs facile ſe colligit Sacramentum veneratura, atque admodum laudabiliter dimittitur cum pretioſa SS. Sacramenti benedictione. Verum cum pro expoſitione Epiſcoporum ſit licentiam facere, non putamus ſatius rem definiri poſſe, quam eorum prudentiæ, & curæ dimittere, ut pro circumſtantiarum contingentia id ſtatuant, quod magis ad honorem Sacramenti tendere, & ſalutem fidelium expedire judicaverint.

DECRETUM XXIX. CAP. IN ORD. CXXXVI.

Ante SS. Sacramentum publice expoſitum, non fiat concio capite tecto, non obſtante quacumque conſuetudine, & abuſus omnino eſt tollendus. S. R. C. 16. Febr. 1630. *in Belgica*, & antea 28. Nov. 1607. *in Ilerden.*, & 9. Dec. 1622. *in Giennen.*

I. ÆQuom eſt, in medium prodeat Inſtructio Romana, ut ſimul explanationem ſuſcipiat: *Nel tempo, che durerà l'orazione medeſima, ſi proibiſce eſpreſſamente il predicare, ma volendoſi fare dopo li Veſpri qualche breve Sermone per eccitare li Fedeli alla divozione verſo il SS. Sacramento, ſi dovrà prendere le licenze &c.* Expoſitionis tempore, quæ Romæ fit occaſione XL. horarum, conciones haberi Inſtructio inhibet, ſolumque admittit poſt Veſperas brevem aliquem ſermonem ad adhortandos Fideles ad devotionem erga SS. Sacramentum. Abſit, inhibitionem nos ceteris communem putemus locis, & expoſitionibus; nimis enim diſerte ſe præſens Decretum explicat, dum præciſe ſiſtit in proſcribendo concionem haberi tecto capite, non autem concionem ipſam, quare dummodo fiat operto capite non eſt, unde putetur inhibita.

II. Equidem ſermo de SS. Sacramento videtur aptior circumſtantiæ, & tempori, & hic profecto ſolummodo haberi poteſt præſtituto tempore in occaſione XL. horarum, ſicuti Inſtructio expreſſe mandat; ſed quoniam hac in re non tam penſari debet circumſtantia expoſitionis, quam cauſa, & finis ipſius expoſitionis, idcirco & Romæ extra dictam occaſionem XL. horarum, & ubicumque gentium in expoſitione qualibet etiam de re ad Sacramentum non attinente ſermo, vel adhuc concio inſtitui poterit. Quis enim aſſereret in expoſitione v. g. facta ad poſtulandum divinum auxilium contra Paganos, vel Hæreticos invadentes Catholicæ Eccleſiæ terras, adhortari non poſſe Fideles ad capienda arma pro defenſione Fidei, aut ad hoſtes depellendos? Quis perorari non poſſe contra vitia, quando fit expoſitio ad avertenda flagella, quæ propter peccata nobis Deus infligit? Quis Chriſtianum populum exſtimulari non poſſe ad ſuffragandas Defunctorum animas in expoſitione inſtituta ad earumdem ſuffragium? Captum ſit itaque, quod integrum cuique eſt, ſermonem facere juxta exigentiam caſuum, rerum, & circumſtantiarum, vel adhuc de re morali, ſi credatur magis profuture populo, & præſertim ubi jam viget devotio erga SS. Sacramentum.

III. *Si dovrà* (proſequitur Inſtructio) *prendere la licenze, e benedizione da noi, e da Monſignor noſtro Vicegerente, anche nelle Chieſe de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate, e non ſolo nell' Eſpoſizione di XL. ore, ma in qualunque altra Eſpoſizione; qual licenza ſi darà in ſcritto.* Ita quidem Romæ non obſtante quolibet privilegio, cui apta eſt derogare lex ejuſmodi, quæ lata noſcitur, & confirmata per Summos Pontifices, at quid extra Romam? Loco Summi Pontificis ſuccedunt Ordinarii Locorum, ſed ſtant integra privilegia, ſi quæ alicui reperiantur conceſſa; quoad Regulares vero res diſtinctione indiget, ita ut ſi extra Eccleſias ſuorum Ordinum concionem, vel ſermonem habere debeant, licentiam ab Epiſcopo debeant obtinere, non tamen, ſi in Eccleſiis ſuorum Ordinum, quo in caſu ſola benedictione indigent, quam ſi Epiſcopi iiſdem malitioſe elargiri neglexerint, puta ſe occultando, vel differendo, donec elabatur prædicandi tempus, ſine benedictione prædicare poterunt, ſicuti & in caſu, in quo eamdem dare negent, niſi expreſſe contradixerint, quemadmodum juxta Tridentinum definiit Clemens X. in Conſt. *Superna*. Licentiam autem, quæ, neceſſe non eſt, extra Romanam detur in ſcriptis, præſertim pro infrequentibus ejuſmodi prædicationibus, ab Epiſcopis omnino gratis dandam eſſe, jubet Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2.*, & concordat Taxa Innocentiana §. *ſi dichiara*.

IV. *Quello poi dovrà ſermoneggiare, ſarà almeno coſtituito nell' ordine Diaconale*; & quidem adeo quoad clerum ſæcularem, ut nec extra Romam Vicarium ipſum, ſi in ſacris non eſt, prædicare poſſe cautum ſit a Congr. Epiſc. 2. Apr. 1601. apud Nicolium *in Floſc. verb. Prædicator num. 9.* Sacra item Congr. Concilii *in una Caputaquen.* 14. Dec. 1696. annuendum non eſſe cenſuit Clerico Andreæ Sanſon. ætatis annorum 21. licentiato in Philoſophia, & Theologia, qui ad eamdem confugerat pro facultate, quam ei propterea denegabat Epiſcopus prædicandi tempore Quadrageſimæ in uno ex locis ſuæ Diœceſis. Quoniam tamen eadem Congr. Concil. 23. Junii 1580. apud Fagnanum *in cap. Reſponſio 43. de ſent. excom. num. 19.*, Barboſam *in ſumma Apoſt. Deciſ. verb. Prædicator num. 6.*, & Nicolium *loc. cit.* definiviſſe refertur, *ex permiſſione Epiſcopi etiam prædicare poſſe Clericum in ſacris Ordinibus non conſtitutum*, rem ego ſic concordari poſſe crederem, ut poſſit quidem illi permitti Sermones facere, & Panegyres in laudem Sanctorum, non vero annuntiare ſacroſanctum Evangelium, illudque populis explicare, quod muneris privative ſpectat ad Sacerdotes, & Diaconos ex vi Ordinationis. Hæc Regularibus communia item ſunt attento jure communi, ſed ex privilegio Gregorii XIII. *Conſt. 95.*, aliorumque Summorum Pontificum apud Lezanam *verb. concionator num. 5.* poſſunt ubique (excipe Romam, ſaltem in prædicta circumſtantia) prædicare, etiam Chriſti Evangelium, dummodo prima tonſura ſint inſigniti, & a Superioribus approbati.

V. *E ſermoneggierà con la cotta; benchè ſia Regolare*; extra Romam vero, ſi a Regulari concio, vel ſermo haberi debeat, hic quidem poteſt, ſed neceſſe non eſt, cottam induat, ſed ei integrum æque eſt in ſuæ Religionis habitu permanere, unde Cœrem. Epiſc. *lib. 1. cap. 22.* de Regulari ſermocinante intra Miſſam præſente Epiſcopo: *Si autem fuerit Clericus Regularis, erit in habitu ſuæ Religionis*, quem etiam in proceſſionibus deferre poſſe ſine cotta, alibi nos ipſi ſtatuimus.

VI. *Ma ſenza ſtola*; & id Urbis Romæ particulare eſt, ubi Orator non utitur ſtola ſuper cottam ob reverentiam Papæ, qui ſtola utitur extra Sacramenta, ſicuti advertit Gavantus *par. 2. tit. 6. lit. r.*, & poſtmodum etiam notavit Meratus *ibidem num. 58.*, ubi inſuper addit, quod ſi concionator eſt Regularis, indutus remanet ſolo ſuo Regulari habitu ſine ſtola, quam tamen extra Romam pro libito poteſt aſſumere. Cum itaque non prohibeatur uſus ſtolæ ratione SS. Sacramenti expoſiti, ſed ratione alia, quæ particularis eſt pro Urbe Roma, idcirco extra Romam etiam Sacramento expoſito uſus erit ſtolæ eodem prorſus modo, ac fit, quoties Sacramentum non proſtat expoſitum.

VII. *Ed a capo ſcoperto.* Commune id eſſe expoſitionibus cunctis, & locis, præſens Decretum ubertim edocet, & indubie expoſcit adeo reverentia tanto Sacramento debita, ut oppoſitum tueri non valeat conſuetudo, immemorabili quamvis firmata tempore, quæ propterea a Decreto rite declaratur *abuſus omnino tollendus*. Quæ habet Cœrem. Epiſc. *lib. 2. cap. 33.*, ad rem admodum verba faciunt: *& quia ſolitum eſt per totam octavam* (Corporis Chriſti) *poni ſuper altare tabernaculum cum SS. Sacramento diſcooperte, dum veſperæ, & officia divina recitentur, ad quæ magna populi frequentia ſolet accedere, conveniens eſſet, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Epiſcopus, quam Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſſiſtentes, durante officio, ſtarent ſemper capite detecto, & nunquam ſederent; quod ſi ob longitudinem officii præſtare non poterunt, non omittent ſaltem in ſignum reverentiæ detecto capite, exiſtente SS. Sacramento ſuper altari, divinis officiis aſſiſtere.* Ex quibus duo inferuntur, quorum primum eſt, tam concionatorem, quam auditores quoslibet detecto capite ſtare debere: alterum vero, quod iiſdem fas non eſt ſedere, niſi quatenus ob longitudinem concionis ſtare non poſſint, quo in caſu ſedere quidem poterunt, ſed nudo ſemper capite.

VIII. *Vicino all' altare, dove ſta eſpoſto il Santiſſimo, ed in un ſito, che non obblighi gli Aſcoltanti a fare atti d'irreverenza con voltare le ſpalle al Sacramento.* Scopus ſanctionis eſt ab actibus irreverentiæ Sacramentum vindicare, & ideo ubique gentium concio habenda erit prope altare expoſitionis, & in loco, ex quo non cogatur populus Sacramento terga vertere. Quæ irreverentiarum cauſæ, occaſioneſve ſi abſint, aut alias e medio tolli valeant, concio æque haberi poterit ex pulpito, cathedra, aliove juxta circumſtantias opportuniori loco, qui ſi deſit, concio ſatius fiet ex latere altaris expoſitionis, ubi concionandum eſſe a celebrante, quando intra Miſſam prædicari debet, Gavantus edocet *par. 2. tit. 14. num. 11.*, ubi & ritum declarat: *Si concionandum eſt a celebrante, fiat ab eo ſtante in cornu Evangelii, & aperto capite: Miniſtri ad dexteram ſtabunt extra cornu Evangelii.*

IX. Opportunus admodum eſt nonnullarum Eccleſiarum uſus, quæ ut irreverentias quaslibet amoveant, concionis tempore velum quoddam apponunt ante SS. Sacramentum; tunc enim eſt quodammodo quaſi reconditum, unde nonnulla admitti, ſeu tolerari poſſunt, quæ minus licent, dum patet diſcoopertum. Diximus *nonnulla*, quia cum reapſe adhuc Sacramentum in throno reſideat expoſitum, licet velatum, tanti

Sacra-

Sacramenti ſolemnis præſentia profecto exigit, ut non conſideretur plane reconditum, ſed abſtineatur ſaltem ab iis, quæ magnam irreverentiam involvunt, cujuſmodi ſunt eidem directe terga vertere, aut pileis, vel galeris caput tegere. Iiſdem igitur licitum erit ſedere, & tam concionator, vel clerus Sacerdotali birreto uti poterit, aut parvo pileolo, quem Regulares præſertim uſitant; & id dictum ſit etiam pro expoſitionibus, in quibus exponitur pyxis, aut Sacramentum ab initio velatum.

DECRETUM XXX. CAP. IN ORD. CXXXVII.

Miſſam in altari majori, ubi eſt expoſitum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſunt alia altaria, in quibus celebrari poſſit. S. R. C. 9. Aug. 1630. *in Bononien.*

I. CAvetur idipſum in Inſtructione Clementina, extenditurque ad quodvis altare, in quo SS. Sacramentum proſtat expoſitum, cum ſola exceptione Miſſarum ſolemnium pro exponendo, vel reponendo eodem Sacramento: *Nell' altare, ove ſta eſpoſto il SS. Sacramento, non ſi celebrerà altra Meſſa, che le ſolemni per l' eſpoſizione, e repoſizione*; & hanc conſequenter ad diſpoſitionem eadem Inſtructio Miſſam ipſam ſolemnem *pro Pace* una cum Miſſa Conventuali diei ad aliud altare faciendam eſſe mandat. Hos ad limites præſens trahi debet Decretum, ita ut quatenus expoſitio, aut repoſitio fiat media Miſſa, hæc quidem (licet dumtaxat legatur) ad altare expoſitionis fieri valeat, non autem quæcumque alia; nimis enim præciſa ſunt prædictæ Inſtructionis verba, licet a nobis etiam ad Miſſam lectam tracta fuerint, quia extra Romam, neceſſe non eſt, Miſſa expoſitionis vel repoſitionis ſolemniter celebretur. Dictio *Præſertim*, qua ipſum Decretum utitur, ut minimum quaslibet alias expellit Miſſas, deſignat namque majorem quidem eſſe rationem in caſu, in quo adſit alia altaria, in quibus celebrari poſſit, ſed nihilominus eamdem eſſe juris diſpoſitionem in caſu contrario, in quo nempe in Eccleſia altare expoſitionis dumtaxat habeatur.

II. Gavantus, cui adſtipulantur communiter Auctores, *par.* 2. *tit.* 14. *n.* 17. non ita rigoroſe ab altari expoſitionis Miſſas rejicit: *In Miſſa privata, quæ tamen quam parciſſime celebranda eſt in altari, in quo ſacra Euchariſtia eſt expoſita, ea obſervari debent, quæ ſupra diximus de Miſſa ſolemni, demptis iis, quæ ſunt propria ſolemni Miſſæ*, & ideo nobis liceat addere unum caſum, vel alterum, in quo nihilominus ad altare expoſitionis Miſſa fieri poteſt. Sunt autem præcipue, quando urget præceptum audiendi Miſſam, & in Eccleſia non eſt, niſi altare expoſitionis; tunc enim ſi nulla alia Eccleſia adſit in loco, non poteſt alias populus ſatisfacere præcepto, & quatenus alia adſit, cogeretur alio divertere, & Sacramento diminueretur admodum adoratorum copia, cum periculo remanendi ſine adoratoribus, præſertim in locis ruralibus, in quibus ſolummodo una, vel altera habetur Miſſa, & infrequens valde reperitur populus. Quod incommodum ſi in diebus etiam ferialibus timeatur evenire poſſe, haud dubitaverim in Eccleſiis prædictis, unam item, vel alteram Miſſam celebrari poſſe ad ſatisfaciendum devotioni & votis populi, & ad conſulendum honori Sacramenti.

III. Hæc autem lubentes ex eo dedimus, quod fere cuncta a ſequenti (erit 31. cap. in ord. 138.) Decreto confirmata veniunt: *Non debet cantari, neque celebrari Miſſa in altari, ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum, niſi ſit pro eo exponendo: at ſi ex neceſſitate opus eſſet, populus benedicendus eſt more conſueto, & non cum SS. Sacramento* S. R. C. 13. Jun. 1671. *in Angelopolitana*. Decretum diſerte loquitur de Miſſa ſive cantata, vel celebrata, & eam admittit pro exponendo Sacramento; quidni igitur etiam pro eodem reponendo? Miſſas item cantatas, ſeu lectas permittit, ſi neceſſitas eaſdem poſtulet; quæ autem major neceſſitas, quam caſus a nobis allegati, aliique ſimiles? Quod vero Decretum addit, ejuſdem ſenſus eſt, quod deponi non debet Sacramentum, ut cum eo benedicatur populus in fine Miſſæ, ſed benedicendus ille eſt *more conſueto*, ideſt per ſolita verba *Benedicat vos Omnipotes Deus* ut Auctores omnes, atque Rubricæ clamant. Quæ omnia ſequens (erit 32. cap. in ord. 139.) ſugillet Decretum: *Dum incenſatur altare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum Crux quoque incenſari*. S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthagenen. Hiſpan.* Sermo hic eſt de Sacrificii tempore, quo, ut dicemus in proprio capite, Crux juxta Eccleſiarum conſuetudinem permittitur in altari, licet in eo Sacramentum maneat expoſitum, ſed non propterea incenſanda illa erit poſt incenſationem Sacramenti, qua de re tamquam in opportuniori loco reſervamus agere in Decr. 10. cap. de cruce in altari, dumtaxat adſentes modo, quod hæc omnia procedunt itidem de Sacramento in pyxide, vel velate expoſito.

DECRETUM XXXIII. CAP. IN ORD. CXL.

Quando exponitur Sacramentum in altari pro initio XL. horarum, vel ſpiritualium exercitationum, ſi accidat in feſto 1., aut 2. claſſis, ſive in Dominica privilegiata 1., vel 2. claſſis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Miſſæ, una de feſto, ſeu de Dominica poſt Tertiam, altera votiva de Sacramento poſt Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti, S. R. C. 13. Febr. 1666. *in Romana*.

I. RItum, quem Eccleſiæ Urbis in expoſitione Sacramenti occaſione XL. horarum ſervare tenentur, Inſtructio Romana diſerte deſcribit, & nos uberi explanatione proſequimur in §§. 12. 13. 14. 15. ſequentis capitis. Dubium non eſt, quod eamdem methodum ſervare item poſſunt Eccleſiæ extra Romam, ſed cum has prædicta Inſtructio directive afficiat, non minus certum eſt, quod ad eam ſervandam minime adſtringuntur. Ubi itaque Urbis Eccleſiæ ſolum media Miſſa in tali occaſione Sacramentum exponere valent, congruum quidem eſt, id etiam præſtent Eccleſiæ extra Romam, ſed non minus illud exponere poſſunt ſine ulla Miſſa; præſens enim Decretum, quod in occaſione videtur Miſſam imponere, editum eſt *in Romana*, adeoque diſponit ſuper Miſſis, quibus mediis Romæ ſolet, & debet exponi, non autem generale ponit mandatum, quod univerſam afficiat Eccleſiam, pro quo decreto recolantur, quæ traduntur in §. 12. ejuſdem Inſtructionis.

II. Quatenus media Miſſa extra Romam Sacramentum exponatur, neceſſe non eſt, celebretur Miſſa de SS. Sacramento, ſed id fieri poteſt per Miſſam de die, aut quamcumque aliam votivam, hac tamen lege, ut votiva de SS. Sacramento agi non valeant diebus ſingulis, aut diebus indiſcriminatim omnibus, ut concedere videtur Decretum, ſed debent excipi dies omnes, quos excipit Inſtructio Romana, cum Eccleſiis extra Romam plus privilegii in occaſione expoſitionis non poſſit rite excogitari conceſſum, quam competat Eccleſiis Urbis pro ſolemni oratione XL. horarum. Sunt autem quæcumque feſta duplicia 1., vel 2. claſſis, quælibet Dominica privilegiata 1. item, & 2. claſſis, feriæ IV. Cinerum, II. III., & IV. majoris hebdomadæ, octavæ Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes, necnon Vigiliæ Pentecoſtes, & Nativitatis Dominicæ. His itaque diebus, aliiſque ſimilibus, ſi quæ habeantur, ut octava S. Auguſtini apud ejuſdem Regulares filios, in particulari Eccleſiarum Kalendario, Miſſa præciſe fiat de die cum commemoratione SS. Sacramenti ſub una concluſione cum oratione diei, ut ſervetur orationis unitas, quam expoſcunt ſolemnes Miſſæ, quæ pro re gravi celebrantur; in aliis vero diebus Miſſa votiva ſolemnis fieri poterit de Sacramento, aut de neceſſitate, pro qua fit expoſitio; & id nedum in die expoſitionis, ſed etiam in die medio, & repoſitionis. Dixi *Miſſa votiva ſolemnis*, ſcilicet in cantu, & cum Miniſtris ſacris, quia privatim, & ſine ſacris Miniſtris fieri non poſſe arbitror, niſi diebus illis, quæ Miſſas votivas univerſim non reſpuunt, tametſi habeatur circumſtantia expoſitionis. Fortaſſe tamen id poteſt fallere, ubi ex defectu Miniſtrorum ſolemniter fieri non poteſt.

III. Eccleſiæ non Collegiatæ, ſi Miſſam votivam faciant, non tenentur ad conventualem de die, bene vero Collegiatæ, & adhuc ad multiplicem, ſi forte plures ea die dicendæ occurrant, obligatione quidem petita, non ab Inſtructione Clementina, ſed a Romanis Rubricis, quæ indifferenter quaſcumque afficiunt Eccleſias. An autem quando faciunt ſolam Miſſam de die, teneantur eidem addere collectam de SS. Sacramento, quæſtio alia eſt, quam nedum Inſtructio prædicta, & præſens Decretum, ſed quas inferius dabimus, ſanctiones omnes affirmative reſolvunt. Quod verum ſaltem ſit de Miſſis expoſitionis, & repoſitionis; in die enim medio ſi dicetur Miſſa de die cum collecta de ingruenti neceſſitate, haud convenit addi alteram de Sacramento, quia Miſſæ ejuſmodi unam tantum poſcunt orationem, & minus decens eſt, collectas plures uni orationi jungi in Miſſis ſolemnibus. Quod ſi in die medio cantetur Miſſa de neceſſitate, ſive de re gravi, ob quam fit expoſitio, utique addenda erit oratio de Sacramento cum de hoc in tali caſu non cantetur Miſſa altera, & commemoratio SS. Sacramenti facienda ſit in Miſſis omnibus, quæ dicuntur occaſione expoſitionis. Cetera autem, quæ tradimus in laudatis §§. 12. 13. 14. 15. ſequentis capitis, lector ibi recolat, æque namque procedunt pro oratione XL. horarum, quæ extra Romam inſtituitur.

IV. Lex hæc eſt expoſitionis occaſione orationis XL. horarum extra Romam: num vero item locum habeat in expoſitionibus extra talem occaſionem, videtur, quod ſic, quia expoſitio quælibet SS. Sacramenti juxta producta Decreta rem gravem, & publicam expoſcit cauſam. Verum cum in favorem expoſitionis rem gravem, & cauſam publicam multum liberaliter hodierna conſuetudo explicet, nos non adeo liberales eſſe poſſumus, ut Miſſas votivas concedere velimus in occaſione cujuslibet expoſitionis, etſi occurrat officium eaſdem reſpuens. Experientia quidem compertum eſt, quod expoſitiones populum a vitiis avertunt, & ad virtutum actus excitant, & ideo vel unica hac de cauſa expoſitiones bene admitti valent; Non ſic autem eſt de Miſſa votiva, pro qua æque bene ſupplere poteſt Miſſa de die, unde occaſione cujuſis expoſi-

expoſitionis ſuper Miſſis votivis cenſeri non poteſt indultum, niſi ultra generalem illam cauſam interveniat res alia gravis, vel cauſa. Certe non aliud nobis innuit ſequens (erit 34. cap. in ord. 141.) Decretum, dum non obſtante generali illa cauſa, quæ item ineſt proceſſioni SS. Sacramenti in una ex Dominicis cujuslibet menſis fieri conſuetæ, adhuc Miſſam de Dominica, ſeu de officio currenti fieri demandat, & non de SS. Sacramento: *Ubi eſt confraternitas SS. Sacramenti, quando in una Dominica cujuslibet menſis fit proceſſio intra, vel extra Eccleſiam cum SS. Sacramento, debet dici Miſſa de Dominica*. S. R. C. 20. Januar. 1693. *in una Galliarum*.

V. Guyetus *lib. 4. cap. 21. qu. 4.* cauſam privatam, & particularem putat validam ad prædictas Miſſas votivas, ſed latius expoſcunt alii rem gravem, aut cauſam, quæ communitatem tangat, aut majorem ejus partem. Quoniam tamen præſens Decretum approbat Miſſam votivam fieri de SS. Sacramento, quoties exponitur pro initio ſpiritualium exercitationum, ad quas totus non accurrit ſimul populus, aut major ejuſdem pars, ſed valde minima, & quandoque dumtaxat aliqua congregatio, vel collegium, idcirco ubi circumſtantiæ expoſitionis unitur gravis cauſa aliqua, quæ non particularem perſonam præciſe tangat, ſed plures, aut congregationem, vel collegium, ſcrupulis inſiſtendum nimis non eſt in admittendis ut ſupra Miſſis votivis ſolemnibus SS. Sacramenti. Quæ dicta ſimiliter ſint de expoſitione SS. Sacramenti media pyxide, ita ut inſpiciendum ſit ad cauſam expoſitionis, & ex hac ſuper Miſſis ut ſupra judicandum.

DECRETUM XXXV. CAP. IN ORD. CXLII.

In Miſſa privata de feſto duplici vel ſemiduplici, de quo tali die fit officium, poteſt quidem fieri commemoratio occaſione XL. horarum, ſed omittenda in feſtis 1. & 2. claſſis. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. N*Elle meſſe private correnti ſi aggiungerà dopo le preſcritte dalla Rubrica l'orazione del Sacramento, così commandando la Santità di Noſtro Signore*, ad rem habet Inſtructio Clementina, cujus diſpoſitio ſicuti a præſenti Decreto limitationem recipit pro feſtis 1. & 2. claſſis, ita ejuſdem Decreti verbum *Poteſt* pro *Debet* intelligendum eſſe declarat, ita ut in Miſſis omnibus privatis de officio currenti facienda ſit commemoratio de SS. Sacramento expoſito occaſione XL. horarum, exceptis ſolummodo feſtis 1. & 2. claſſis, in quibus juxta Decretum S. R. C. 28. Aug. 1627. & Romanam ipſam praxim teſte Gavanto *par. 1. tit. 9. lit. 1.*, locum neque reperit oratio de mandato, ſeu collecta publicam ob cauſam dici juſſa.

II. Abſit vero, nomine feſtorum 1. & 2. claſſis in Decreti ſenſu etiam venire putemus Dominicas 1. & 2. claſſis, aut quæcumque alia officia privilegiata etiam contra duplicia ipſa primæ claſſis; horum enim privilegium unice ſiſtit in tuendo eorumdem officium, ne vacet, ceterum, ritu ſimplici, vel ſemiduplici, aut duplici ad ſummum majori ipſa peraguntur, quare ſicuti eorumdem Miſſa admittit commemorationes currentes, de mandato, & addititias, quidni & eam SS. Sacramenti? Ab hac tamen lege lubentes excipimus Dominicam Palmarum, atque Vigiliam Pentecoſtes, non ob privilegium contra feſta quæcumque, ſed quia earum Miſſa per Rubricas adeo donata eſt privilegio unicæ orationis, ut etiam occurrentium ſimplicium commemorationem expellat, non leve utique argumentum pro excluſione commemorationum aliarum omnium arbitrariarum, & de mandato, ac per conſequens etiam illius de SS. Sacramento.

III. Num commemoratio ejuſmodi facienda ſolummodo ſit in occaſione XL. horarum, de qua Decretum, & Inſtructio loquuntur, an vero in occaſione etiam aliarum expoſitionum, inſurgit modo quæſtio, quam quod ſubdimus (erit 36. cap. in ord. 143.) affirmative definit Decretum: *Commemorationem de SS. Sacramento tempore ſolemnis expoſitionis poſſe fieri in Miſſa de feſto duplici, non tamen primæ, vel ſecundæ claſſis, declaravit* S.R.C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.* Hoc namque Decretum abſolute, & ſimpliciter loquitur, neque limitat diſpoſitionem ſuam ad expoſitionem occaſione XL. horarum, Quibus addimus duo ſequentia Decreta; quæ licet loquantur de expoſitione extra orationem XL. horarum adhuc tamen eadem commemorationem præſcribunt, atque eam præſcribunt per verba denotantia præceptum; primum namque habet *facienda eſt*, ſecundum vero *debet fieri*, unde duo ſequuntur, unum nempe, quod prædicta commemoratio locum habet, etiam in expoſitionibus extra occaſionem XL. horarum, alterum vero, quod eadem commemoratio facienda omnino eſt in Miſſis omnibus, quæ non ſunt de feſto duplici 1. vel 2. claſſis.

DECRETUM XXXVII. CAP. IN ORD. CXLIV.

Dum Sacramentum eſt patenter expoſitum, in omnibus Miſſis facienda eſt commemoratio de eodem poſt omnes alias commemorationes de præcepto; in Miſſis tamen ſolemnibus Feſtorum 1. & 2. claſſis fit ſub unica concluſione. S. R. C. 16. Februar. 1737.

I. TE ne diutius morer ſuper Miſſis privatis, in quibus facienda eſt commemoratio SS. Sacramenti expoſiti, ſtatim arripio locum, in quo præſens Decretum præſcribit illam eſſe faciendam. *Poſt omnes alias commemorationes de præcepto*, & hæ nedum ſunt commemorationes Dominicæ, octavarum, feriarum, atque ſimplicium, ſi quæ occurrant, ſed etiam quæ juxta temporum contingentiam a Rubricis dici jubentur, unde Inſtructio Clementina: *Dopo le preſcritte dalla Rubrica*. Commemorationes hæ omnes juxta Romanum ritum integrant Miſſam diei, quare & nobiliorem aſſequi debent locum relate ad commemorationem Sacramenti, quæ reapſe eſt addititia, licet de mandato numquam omittenda, nec ſubroganda loco alterius a Rubrica præſcriptæ, & ne quidem tertiæ, quæ quandoque *ad libitum* a Rubricis aſſignatur. Sacra namque Congregatio 17. Auguſt. 1709. aperte ſtatuit loco tertiæ ad libitum ſubſtitui non poſſe orationem de ſuperiorum mandato, cujus rationis ſimiliter extat collecta SS. Sacramenti; inhibitionis autem cauſam recole tom. 3. cap. 11. Decret. 2. num. 9.

III. Verum ſi ex eo, quod oratio Sacramenti addititia eſt, nobiliorem cedit locum iis per Rubricam præſcriptis, ex eo quod ſimul eſt de ſuperiorum mandato, eamdem rite præferes pure addititiis, ſeu arbitrariis. At quid ſi de ſuperiorum mandato addenda ſit oratio alia? Quæſtionem dirimit Inſtructio Romana, quæ dum commemorationem Sacramenti faciendam indicit *dopo le orazioni preſcritte dalla Rubrica*, cuicumque alteri eam præferendam eſſe deſignat. Lex hæc eſt commemorationis de SS. Sacramento faciendæ in Miſſis privatis, expoſitum illud pateat occaſione XL. horarum, aut qualibet alia; quæ autem ſervanda ſit in Miſſis ſolemnibus, atque cantatis, in ſequenti Decreto dicemus.

DECRETUM XXXVIII. CAP. IN ORD. CXLV.

Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in altari expoſito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento poſt omnes alias commemorationes de præcepto, & in Miſſis ſolemnibus tantum feſtorum 1. & 2. claſſis eſt facienda ſub unica concluſione. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Brugen.*

I. COmmemorationem SS. Sacramenti, & locum ejuſdem faciendæ, prout præcedentia Decreta de Miſſis privatis diſponunt, præſens itidem cantatis attribuit, hoc ſolum diſcrimine, quod ubi in Miſſis privatis feſtorum 1. & 2. claſſis omittenda decernitur, in ſolemnibus adhuc facienda mandatur, ſed ſub unica concluſione cum oratione feſti. Decretum 37. cap. cum præſenti omnino convenit, dum *in Miſſis omnibus* prædictam commemorationem fieri mandat *poſt omnes alias commemorationes* de præcepto, & ab hac lege ſolum excipit feſta 1. & 2. claſſis, in quibus eam quidem adhuc faciendam eſſe decernit, ſed *ſub unica concluſione cum oratione feſti*. Decretum 33. item concordat, quod etiam in Miſſis ſolemnibus feſtorum 1. & 2. claſſis eadem præſcribit, ſed ſilet poſtea an facienda ea ſit ſub una, vel diverſa concluſione. Inſtructio denique Romana prædictam commemorationem pariter indicit in feſtis 1. & 2. claſſis, & ſub unica concluſione, ſed idipſum præſtandum eſſe aſſerit in Dominicis 1. & 2. claſſis, & aliis diebus quibuslibet, in quibus non admittitur Miſſa votiva de Sacramento; & in hoc differt a præſenti ſanctione, quæ per dictionem *Tantum* ſolummodo in feſtis 1. & 2. claſſis ſub unica concluſione terminandam eſſe ſtatuit cum oratione feſti.

II. Hæc admodum apparent varia, & quatenus conciliari debeant, aptior eo, quem ſubdimus, nobis non occurrit alter dicendi modus. Inſtructio Clementina agit de expoſitione Sacramenti occaſione XL. horarum, quod idem eſt, ac dicere de expoſitione, quæ fit pro re gravi, aut cauſa publica. Miſſæ, quæ pro re gravi aut publica cauſa ſolemniter celebrantur, adeo unam orationem expoſcunt, ut excludant quamcumque commemorationem, & quidem etiam de Dominica, ſimplicibus, octavis, & feriis quibuſcumque occurrentibus, idcirco ut prædicta orationis teneatur unitas, neceſſe eſt, commemoratio Sacramenti uniatur orationi diei, & ſub eadem concluſione abſolvatur; & hæc eſt cauſa, ob quam nedum in feſtis 1. & 2. claſſis, ſed diebus omnibus, licet ferialibus, in quibus Miſſa votiva Sacramenti locum non reperit, commemoratio SS. Sacramenti ſub eadem concluſione cum oratione diei terminanda decernitur. Etiam itaque extra Romam ſi Miſſa ſolemnis habeatur de die occaſione XL. horarum, vel quacumque alia, dummodo ſit pro re gravi, aut publica cauſa, in ea ſervari debebit orationis unitas, & commemoratio Sacramenti terminari ſub eadem concluſione, cum oratione feſti, quare Decretum 33. capitis, quod quidem præſcribit commemorationem de SS. Sacramento, ſed ſilet modum eamdem faciendi, hoc item pacto debet intelligi.

III. Decreta autem cetera, nimirum 37. & 38. capitis non diſponunt de Sacramento expoſito occaſione XL. horarum, aut pro re gravi, vel cauſa publica, ſed de communibus Euchariſtiæ expoſitionibus, in quibus rem gravem, & publicam cauſam, quam ad expoſitionem Decreta exigunt, Prælatorum praxis admodum liberaliter, & late explicat, & cum hæ miſſæ non gaudeant privilegio unicæ orationis, ſed in iiſdem faciendæ ſint commemorationes omnes, perinde ac quando celebrantur Sacramento minime expoſito, idcirco commemoratio Sacramenti facienda quidem decernitur, ſed non ſub eadem concluſione cum oratione feſti, ſed *poſt omnes alias commemorationes de præcepto*. Rem autem ita eſſe, evidenter de-

monſtrant

monſtrant Decreta ipſa, tum dum ſupponunt, Miſſam ſemper eſſe de die, tum dum aſſignant in eo commemorationes occurrentes, ubi ſi ſermo eſſet de Miſſa pro re gravi, ut plurimum votiva deberet fieri, & non de die, & ſemper in ea ceſſarent commemorationes prædictæ. Hinc generalis exurgit regula, quod expoſitio SS. Sacramenti ex ſe ſufficiens cauſa non eſt cantandi Miſſam votivam in duplicibus, aliiſque diebus generaliter inhibitis, aut omittendi in Miſſa, etiam ſolemni de die commemorationes occurrentes, & a Rubricis præſcriptas, niſi expoſitioni adjuncta ſit res gravis aliqua, aut cauſa publica.

IV. Hæc tamen Miſſa id adhuc particulare habet, quod ubi commemoratio Sacramenti generaliter in ea facienda eſt poſt omnes alias commemorationes de præcepto, in feſtis 1. & 2. claſſis facienda quidem eſt, non poſt dictas commemorationes, etſi minime ceſſent, ſed ſub eadem concluſione cum oratione diei, ſicuti præſens diſerte ſtatuit Decretum, ut hoc pacto neque negligatur oratio SS. Sacramenti publice expoſiti, neque per orationes de mandato minuatur ſolemnitas feſti occurrentis. Dictio autem *Tantum*, quam Decretum uſitat, faciendam non eſſe denotat orationum unionem in Dominicis 1. & 2. claſſis, aliiſque officiis, etiam privilegiatis contra feſta quæcumque, niſi fortaſſe in Dominica Palmarum, & vigilia Pentecoſtes, quarum Miſſæ cum per Rubricas factæ ſint immunes commemorationibus ipſis ſimplicium, atque orationibus, quæ juxta temporis contingentiam dici deberent, idcirco videntur item ineptæ ad ſuſtinendas diſtinctas orationes arbitrarias, & de mandato, unde in earum Miſſa ſolemni cum oratione diei unienda erit collecta Sacramenti.

DECRETUM XXXIX. CAP. IN ORD. CXLVI.

Quando frequenter fiunt expoſitiones Sanctiſſimi publice in majori altari, & præter Miſſam ſolemnem dicitur etiam Miſſæ privatæ ad idem altare majus, tam in illis Miſſis, quam in aliis, quæ celebrantur ad alia altaria minora, fieri poteſt commemoratio de SS. Sacramento durante expoſitione. S. R. C. 7. Maii 1646. *in Varſavien.*

I. HAc de re jam ſatis actum eſt, quare adnotamus dumtaxat, quod commemoratio SS. Sacramenti tam in Miſſis privatis, quæ fiunt ad altare expoſitionis, quam, quæ ad alia altaria, durante expoſitione fieri poſſe decernitur, etiam in expoſitionibus illis publicis, quæ *frequenter*, ideſt ſine ſolemnitate, nec pro re ſtricte gravi. An autem etiam quando Sacramentum exponitur in pyxide? Quæſtionem ſequens (erit 40. cap. in ord. 147.) Decretum dirimat: *Commemoratio de SS. Sacramento in Miſſis privatis poterit fieri, quando ejus expoſitio fiat pro publica cauſa, etiamſi Sacramentum expoſitum ſit in pyxide*. Ead. Cong. in eod. Decr. Si itaque, ut regulariter aſſuevit, expoſitio Sacramenti in pyxide, fiat ob cauſam particularem, atque privatam, puta ob infirmitatem, aut tribulationem alicujus particularis perſonæ, facienda non erit commemoratio Sacramenti, bene vero, ſi expoſitio fiat pro publica cauſa, etiam qualem deſcripſimus in Decreto 33. ut eam late accipit Prælatorum praxis

DECRETUM XLI. CAP. IN ORD. CXLVIII.

In Miſſis privatis de SS. Sacramento, & de officio duplici quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi adſit SS. Sacramentum expoſitum occaſione XL. horarum, non dicitur *Credo*, niſi alter competat Miſſæ officii duplicis de die. S. R. C. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. AD Miſſas SS. Sacramenti quod attinet, habet Inſtructio Clementina: *Le Meſſe del Santiſſimo, che ſi celebreranno nei giorni permeſſi dalla Rubrica, ſaranno meramente votive ſenza Gloria, e Credo*. Quod hujuſmodi Miſſæ ſint mere votivæ, omnimoda diſcordantia, quam habent ab officio, dubitare non ſinit; quare igitur in earumdem celebratione ſervandæ non erunt Rubricæ? Hæ autem nulli ex Miſſis privatis votivis indulgent *Credo*, & quoad *Gloria* liberales non ſunt, niſi erga Miſſas Angelorum, & de B. Maria. Quod ſi expoſitio ipſa ſolemnis, & pro re gravi, quæ fit occaſione XL. horarum, potis haud eſt invehere *Gloria*, *aut Credo* in Miſſas ſibi proprias, multo utique minus in Miſſas privatas de officio, quæ propterea dicendæ erunt eodem prorſus ritu, & pacto, ac ſi Sacramentum non eſſet expoſitum, cum ſola additione collectæ de Sacramento, qua Inſtructio, aliæque ſanctiones contentæ ſunt eaſdem qualificare Miſſas.

II. *Nei giorni permeſſi dalla Rubrica*, & hinc edocemur, quod ob expoſitionem SS. Sacramenti, licet pro re gravi factam, nulla fit Rubricarum relaxatio ſuper Miſſis privatis votivis, ſed hæ adhuc tantummodo dici valent iiſdem diebus, quibus a Rubrica minime interdicuntur. Haud tamen denegaverim, expoſitionem eſſe ſatis rationabilem cauſam, quam Rubrica IV. *num.* 3. expoſtulat, ut Miſſa SS. Sacramenti in tali circumſtantia paſſim fieri valeat, etſi cum officio minime conveniat. Quod ſaltem ſit dictum pro iis diebus, quibus fit officium de feria, & non eſt reſumenda miſſa Dominicæ, quæ fuerit impedita; in aliis enim diebus, in quibus Miſſa propria recurrit, conſultius erit incumbere, ut plurimum Miſſæ dici, quæ quoad fieri poteſt, debet cum officio convenire ob connexionem plurimam, quæ juxta ordinem ab Eccleſia ſapienter præſcriptum, Miſſam inter & officium apparet conſtituta.

III. Miſſa dicetur, non quæ aſſignatur in feſto Corporis Chriſti, ſed quæ inter votivas in fine Miſſalis recenſetur. Juxta communem Miſſarum votivarum legem ſecunda oratio erit de eo, de quo fit officium, tertia vero, ſi non occurrat facienda commemoratio aliqua, erit ea, quæ ſecundo loco dicenda aſſignatur juxta diverſitatem temporis, non vero, quæ ſecundo loco dici præſcripta eſt infra octavam corporis Chriſti, quemadmodum juxta Rubricam IX. *num.* 15. ſequens definit Decretum, quod erit 42. cap. in ord. 149. *In Miſſa votiva SS. Sacramenti tertia oratio dicenda eſt ea, quæ ſecundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ eſt aſſignata ſecundo loco infra octavam ejuſdem SS. Sacramenti* S. R. C. 4. Julii 1705. *in Lycien.* Id tamen fallit, ſi occurrat aliqua octava, quia tunc tertia oratio non erit, qualem tempus exigit, ſed octava, ut eadem Rubrica notat *num.* 7.

DECRETUM XLIII. CAP. IN ORD. CL.

Durante expoſitione SS. Sacramenti occaſione XL. horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa privata de Requiem, licet occurrat officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari poteſt Miſſas Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive anniverſario ſatisfaciendo. S. R. C. 2. Decemb. 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.*

I. IN *Eccleſiis* (erit Decr. 44. cap. in ord. 151.) *in quibus occaſione XL. horarum expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentius abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum Defunctorum, etiamſi ex præſcripto Teſtamentorum eſſent celebrandæ*. S. R. C. 27. Apr. 1697. *in Eugubina*. Quæ advertantur, dignæ ſunt dictiones *Regulariter*, & *convenientius*, quæ Miſſas de Requiem non abſolute inhibent, ſed earumdem prima dumtaxat regularem celebrationem damnat, ſecunda vero abſtinentiam tanquam convenientem laudat. Inſtructio Clementina rigidius procedit, nam eaſdem abſolute proſcribit: *Non ſi celebrino Meſſe di Requie nel tempo, che durerà l' orazione di quarant' ore*. Si rationem expoſcis, ultra inconvenientiam plurimam, quam habent lugubres Miſſæ ad SS. Sacramentum triumphaliter expoſitum, lubet adjicere, quod ipſæ aptæ non ſunt ſuſcipere commemorationem SS. Sacramenti, quam in Miſſis privatis omnibus eadem Inſtructio demandat.

II. Volo, probe ponderes, quod laudata Decreta reapſe ſiſtunt in inhibendis *Miſſis privatis*, & ſi etiam ad cantatas tranſeunt, non de cantatis univerſim, ſed *ad adimplendam Teſtatorum mentem, aut pro anniverſario ſatisfaciendo* diſponunt, ut hinc inhibitas minime cenſeas cantatas conventuales Miſſas illas, quæ de Rubricarum mandato quandoque occurrunt, ut prima die menſis non impedita, & in die commemorationis omnium fidelium defunctorum. Rubricæ namque V. *n.* 1., & XV. *n.* 3., quæ illas indicunt, præceptivæ ſunt, nec earumdem præceptum ſolvitur ab Inſtructione Romana, ſed magis per hæc verba ſervari mandatur: *oltre la conventuale ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del SS. Sacramento*.

II. At de quo erunt Miſſæ privatæ in memorata die commemorationis omnium fidelium defunctorum? Pro Miſſis de Requiem ex Roma noviſſime reſcripſit quidam in ſacris ritibus peritiſſimus, & præcipue nititur, tum quia ſic in Urbe ſervatur apud Eccleſiam S. Ignatii; tum quia Miſſæ Defunctorum ſunt Miſſæ eo die currentes, & quidem adeo, ut de Requiem dicendæ ſint, etſi duplex occurrat feſtum. Reapſe urgent admodum rationes iſtæ, & huc fortaſſe ſpectat dictio *Regulariter*, qua primum Decretum utitur, dum proſcribit Miſſas de Requiem; nos tamen urget admodum exemplum Eccleſiæ S. Ignatii, quæ dum in faciem Sacrarum Congregationum nullis reclamantibus ea die incumbit defunctorum Miſſis, non leve inditium eſt, prædictam diem in exceptis eſſe poſitam, nec ex comprehenſis in Inſtructione Romana, in hacque non minus atque in Decretis mandantibus commemorationem Sacramenti in Miſſis omnibus, dictionem *Regulariter* ſubintelligendam eſſe, ita ut prædicta commemoratio facienda ſit in miſſis omnibus, quæ aptæ ſunt ſuſcipere eamdem commemorationem, quales non ſunt defunctorum Miſſæ. Idem judicium facito de commemoratione omnium Defunctorum Regularium Ordinum quoad Miſſam ſolemnem, privataſque, quatenus pro iiſdem Defunctis applicentur, quo ſolo in caſu ſicut Miſſis de Requiem locum fecimus occurrente officio duplici, ita nunc pariformiter procedimus manente expoſito SS. Sacramento.

III. In prima autem die menſis, in qua celebrantur ſuffragia generalia, Miſſam ſolemnem, ſeu cantatam licita quidem ſuperius fecimus, & idipſum dicendum foret de privatis, quatenus eædem, ut nonnulli putant, conferentur ea die occurrentes, ſed quoniam nos aliter arbitrati ſumus *to.* 3. *cap.* 8. *Decr.* 1., ubi privatas Miſſas officio dedimus, idcirco ea die a Miſſis privatis de Requiem abſtinendum erit. Non ſecus dicimus de Miſſa Defunctorum, quam in nonnullis feriis ſecundis in principalem per verbum *Poteſt* Rubricæ aſſignant: cum enim ejuſmodi verbum eamdem non conſtituat in præcepto, ſed in arbitrio, huic renuntiari oportet in favorem Sacramenti, cujus alias collecta negligerentur, ſicuti placito, quod ſuper Miſſis de Requiem Rubricæ faciunt, utendum

non eſſe

non eſſe Decretum aſſerit, *licet occurrat officium hujuſmodi Miſſas admittens*. Idipſum non obſcure indicat dictio *congruentius* ſecundi Decreti, cui poſtquam acceſſit abſoluta diſpoſitio Inſtructionis Romanæ, quaſi præceptum videtur dicere.

IV. Ac de Miſſis, ſecus eſt de Defunctorum collectis, quæ cum in Miſſis de die ſimul compatiantur orationem SS. Sacramenti, nec inducant paramenta nigra, quæ minus congruunt Euchariſtiæ, quæ in ſe continet Chriſtum vivum, atque glorioſum, publice, & triumphaliter expoſitæ, eaſdem admittimus, quando a Rubricis indoltæ ſunt, vel demandatæ, qua de re in Decr. 1. cap. 8. to. 3., ſed etiam pro celebrantis arbitrio in Miſſis omnibus, quæ juxta tradita in eodem tom. 3. cap. 11. prædictas non reſpuunt collectas, licet id ultra præceptum non calſudemus fieri, aut in placito nimium abundare. Quotieſcumque vero additur, penultimo ſemper fiet loco, ut ibidem diximus, & rationem dedimus, unde præponenda erit collectæ de SS. Sacramento.

V. Opus denique non eſſe credimus, inſiſtamus plurimum in proſcribendis Miſſis ex Teſtatorum mente dicendis, cum cantatas ipſas, atque ſolemnes, quibus favorabiliora ſunt decreta, prudula Sanctio abſolute depellat: *Neque cantari poteſt Miſſa defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive anniverſario ſatisfacienda*. Solemnes itaque, atque cantatæ tanquam impeditæ, in diem alterum erunt transferendæ, cum privilegio ut celebrari valeant in prima die, etiam feſto duplici majori impedita; privatæ vero ſupplendæ erunt per Miſſam de die cum applicatione Sacrificii, quæ ſi celebrentur in altari privilegiato, æque ſuffragabuntur animabus Purgatorii, ac ſuffragentur Miſſæ de die, quoties Miſſæ de Requiem a feſto duplici impediuntur. Quantum autem attinet ad Miſſas diei obitus, alibi jam diximus, quod expoſitionis tempore cadavera inferenda non ſunt in Eccleſiam, & quando neceſſitas ea inferri cogeret, quod tumulari debent privatim, & abſque ſolemnitate ulla, adeoque & ſine Miſſa.

DECRETUM XLV. CAP. IN ORD. CLII.

Miſſæ de Requiem extra altare, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum etiam in pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non ſit pro publica cauſa. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

I. QUod duo præcedentia Decreta, quæ expoſitionis tempore Miſſas Defunctorum inhibent, non univerſim diſponant, ſed dumtaxat pro occaſione XL. horarum, nuo eſt, unde vocetur in dubium, cum utrumque hæc verba *occaſione XL. horarum* expreſſe teneat. Num id ad ceteras expoſitiones extendi debeat, inſurgit dubium, quod præſens ſanctio affirmative dirimit quantum ad expoſitiones illas SS. Sacramenti, etiam in pyxide, quæ pro publica cauſa inſtituuntur: *Dummodo tamen oratio coram Sacramento non ſit pro publica cauſa*. Dictiones namque *Dummodo*, & *tamen* contradictionem faciunt ad præcedentia, quare cum Decretum in præcedentibus ſuis verbis Miſſas de Requiem fieri poſſe declaret, ſenſus ſit, quod id nullatenus poteſt eſſe licitum, quando Sacramentum, licet in pyxide, expoſitum eſt pro publica cauſa. Reapſe idipſum innuunt duo memorata Decreta, quia expoſitio XL. horarum publicam item habet cauſam, unde identitatis expoſcit ratio, ut diſpoſitio pro occaſione XL. horarum trahatur ad expoſitiones quaslibet, quæ pro publica inſtituuntur cauſa; ſufficit autem, publica adſit cauſa, qualem deſcripſimus in Decreto 33. capitis, cum de ea, & de occaſione XL. horarum idem Decretum parem diſpoſitionem faciat. Limitationes itaque, quas in præcedenti Decreto fecimus pro occaſione XL. horarum, nec parumper dubita eaſdem communes facere expoſitioni pro cauſa publica.

II. Non ſic eſt de expoſitionibus reliquis, in quibus Miſſas de Requiem Decretum haberi poſſe ſtatuit extra altare, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum; & poteſt eſſe diſparitatis ratio, quod in illis intermittetur alias oratio Sacramenti, inſtituta pro cauſa publica, quæ digna eſt, a nemine prætereatur, ſed ad eam colliment omnium preces, uti ipſa omnes, vel eorumdem plurimam portionem tangit, ubi nihil ejuſmodi ſequitur in expoſitionibus, quæ pro particulari cauſa inſtituuntur. Hæ autem Miſſæ habendæ non erunt ad altare expoſitionis, in quo cum Chriſtus glorioſus ſpecialiter micet, ab eo abeſſe debent lugubria quæque, ſed magis in aliis altaribus, in quibus, licet & per Eccleſiam etiam pannos nigros, & ipſas mortuorum imagines apponi poſſe dicimus in §. 4. ſequentis capitis. Quod dictum eſſe volumus, tametſi Defunctorum Miſſæ celebrarentur in paramentis violaceis, quia adhuc Miſſa undequaque lugubris eſt, ut taceam, quod Decretum Miſſas ipſas de Requiem ad altare expoſitionis abſolute prohibet; non igitur ratione coloris, alias quippe cum Congregatio in colore violaceo probe noverit eaſdem celebrari poſſe, haud prætериiſſet diſpoſitionem ſuam limitare ad caſum, in quo celebrarentur in paramentis nigris.

III. Quæ Congregatio cum item doceat, quod defunctorum Miſſæ colorem nigrum tanquam ſibi proprium exigunt, dubium non eſt, quod in paramentis nigris celebrari illæ poterunt; licet ego arbitrer, quod circumſtantia Sacramenti expoſiti congrua poſſit item eſſe cauſa ad uſitandum colorem violaceum, quem per dictionem *ſaltem* factam Congregationem 21. Junii 1670. in ſubſidium vocare diximus in to. 3. cap. 12. Decr. 1. Hanc igitur ego collaudarem methodum, ut in expoſitionibus generaliter parcus admodum uſus ſit Miſſarum de Requiem; ne permatur oratio SS. Sacramenti, liberalior vero eſſe poſſit in expoſitionibus illis, quæ inſtituuntur in ſuffragium Animarum Purgatorii, pro quibus etiam fieri poſſe crederem ipſam ſolemnem Miſſam, cum Decreti diſpoſitio reſtricta non ſit ad Miſſas privatas, ſed ad Miſſas ſimpliciter, adjecta ſolummodo conditione, ut non fiant ad altare, ubi expoſitum eſt SS. Sacramentum.

DECRETUM XLVI. CAP. IN ORD. CLIII.

Expoſito SS. Sacramentum in altari majori, dum ſub *Magnificat* in veſperis idem altare majus incenſatur, an debeant etiam incenſari alia altaria ex eo quod incongruum eſſe videtur relinquere in altari expoſitum Sacramentum; & utrum thurificato altari majori, ubi eſt expoſitum Sanctiſſimum, debeat etiam fieri thurificatio illius altaris, in quo eſt reconditum Sanctiſſimum in ciborio? Reſponſum fuit, non eſſe thure adolenda alia altaria, licet alibi SS. Sacramentum aſſervetur. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

I. DEcretum expoſitione non eget, alias quippe deſereretur Sacramentum, quod pro adoratione ſolemniter in throno micat expoſitum, ut vel eidem Sacramento in tabernaculo recondito, thuris honor exhiberetur, aut ejuſdem ſervis, ſanctiſve, quorum imaginem altaris icon præfert. Hac de re non ſemel alibi conſimilis ſermo incidit, quare confeſtim pergimus exarare ritum, qui ſervari debet in exponendo SS. Sacramento. In Sacriſtia Clerici, ideſt thuriferarius, & navicularius, vel ſaltem ſolus thuriferarius, induunt ſuperpellicea, quæ pariter induuntur ab aliis quatuor, vel ſaltem duobus, qui deferre debent intorticia accenſa; Sacerdos autem, qui expoſitionem debet facere, etſi ſuper cottam habere valeat ſolam ſtolam e collo pendentem, decens tamen eſt, paretur amictu, alba, ſtola, & pluviali coloris albi, & quod ei aſſiſtat inſuper Sacerdos alter ſuperpelliceo indutus, qui utetur ſtola, ut dicemus ſtatim. Accenſis luminibus ad altare, prædicti omnes facta profunda inclinatione cruci, vel imagini principali ſacriſtiæ, hoc pacto ad altare procedunt, vel eorumdem illi, qui intererunt. Præcedit thuriferarius cum thuribulo non fumigante, a ſiniſtris habens navicularium, ſequuntur portantes funalia, poſt quos incedit Sacerdos alius cotta indutus, ſuper brachium ſiniſtrum ſtolam plicatam deferens, & omnium ultimus ſequitur Sacerdos pluviali indutus, & duo hi tecto capite, & manibus junctis ante pectus.

II. Ut prope, & ante infimum altaris gradum devenerint, dicti duo Sacerdotes cedunt alicui aſſiſtenti ſua bireta, & genuflectunt unico genu, non ſuper infimum altaris gradum, ſed in plano (aliis poſt eos genu pariter unicum ſimul flectentibus in plano) & mox ſurgentes genuflectent in infimo altaris gradu, reliqui vero in plano capellæ, & ibi aliquantiſper orabunt omnes; principalis autem Sacerdos genuflexus ut ſupra erit ante altaris medium, aſſiſtens vero ad ejuſdem dexteram, ut promptior ſit ad miniſtrandum. Poſt brevem dictam orationem Sacerdos aſſiſtens ſibi imponit ſtolam, aſcendit ad altare, genuflectit unico genu, aperit oſtiolum tabernaculi, iterum ut ſupra genuflectit, & mox deſcendit ad dexteram celebrantis, ubi ablata ſibi ſtola, quam alicui tradit tenendam, vel eam ſibi ponit ſuper brachium, ſtans de more ſine oſculis miniſtrat celebranti ſimiliter ſtanti naviculam, de qua celebrans ponit thus in thuribulo ſine benedictione, & mox genuflexus ſuper infimum altaris gradum, Sacramentum incenſat triplici ductu, facta profunda reverentia ante, & poſt incenſationem, etiam a Sacerdote aſſiſtente, qui ſimiliter genuflexus ſuper eodem infimo altaris gradu, interim elevat dexteram pluvialis fimbriam. Peracta incenſatione, & reverentia celebrans reddit thuribulum Sacerdoti aſſiſtenti, & hic thuriferario, & poſtea ſibi iterum impoſita ſtola, idem aſſiſtens aſcendit ad altare, genuflectit unico genu, extrahit oſtenſorium e tabernaculo, illud collocat in throno ſuper corporale, aut pallam ibi ſubſtratam, genuflectit unico genu, & deſcendit ad dexteram celebrantis, ubi iterum exuit ſtolam. Statim ſurgit celebrans, & ſimul cum Sacerdote aſſiſtente genuflectit utroque genu in plano cum profunda reverentia, & deinde ambo ſurgunt, & accipientes birreta cum reliquis eodem ordine, quo venerunt, redeunt in ſacriſtiam, ita tamen ut caput minime tegant, niſi poſtquam egreſſi ſunt presbyterium, & receſſerint e medio.

III. Ita Bauldrys, aliique, & nituntur Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 25., & 26.*, ubi in feria VI. Paraſceves Sacramentum præcipitur incenſandum in capſula aperta, antequam inde extrahatur, & ideirco cenſens etiam in præſenti caſu incenſandum eſſe, antequam extrahatur e tabernaculo. Alii vero præſcribunt, quod primus aſſiſtens ſtatim ac aperit tabernaculum, facta genuflexione unico genu debeat oſtenſorium extrahere, in medio altaris ſuper corporale collocare, & tunc denuo facta genuflexione deſcendere ad dexteram celebrantis, eique ut ſupra miniſtrare incenſum, & poſt incenſationem iterum aſcendere ad collocandum Sacramentum in throno. Alii denique opinantur, quod aſſiſtens ubi extraxit e tabernaculo oſtenſorium, non debet illud in medio altaris ſuper corporale ponere, ſed illico in ſuo loco eminenti ſub baldachino collocare, & facta genuflexione deſcendere ad dexteram Celebrantis, & huic ut ſupra miniſtrare pro incenſatione, qua peracta, & thuriferario thuribulo reddito, omnes

ſurgunt,

Digitized by Google

ſurgunt, & ut ſupra facta genuflexione utroque genu in plano, in ſacriſtiam redeunt.

IV. Primæ ſententiæ nec plurima aſſiſtit utentium praxis, nec cui innititur, ſuffragatur admodum Cœremoniale Epiſcoſcoporum, quia ita bene utique in feria VI. Paraſceves, quia in hac Sacramentum in capſula collocatum, conſideratur tanquam in ſuo throno, & hæc eſt cauſa, ob quam ibi aſſervatur cum magna pompa, præſertim candelarum, & lampadarum; non ſic autem eſt in caſu noſtro, & propterea vel juxta ſecundam ſententiam incenſandum erit, poſtquam ut ſupra poſitum fuerit in altari medio, omnibus conſpicuum, vel ſecundum tertiam, quando erit ſub throno collocatum. Uterque modus ille a quovis quidem tuto ſervari poterit, ſed ſi a nobis expoſcas, quinam ſit præferendus, ultimum reponimus ſine dubitatione ulla; hic enim omnibus aliis prævalet apud Eccleſias urbis, Sacramento in loco digniori poſito thuris honorem adhibet, concors eſt cum probatiori ritu illud reponendi, qui item Sacramentum thurificat, antequam throno illud deponat, & non jam depoſitum, & in medio altaris collocatum, atque demum implicite probatur ab Inſtructione Romana, quæ §. 24. in proceſſionis reditu a Diacono Sacramentum in throno ſtatim collocari jubet, & ibi incenſari, & non in altaris medio prius poſitum.

V. Quod ſi celebrans careat Sacerdote aſſiſtente, ipſe per ſeipſum peragat, quæ ab aſſiſtente facienda eſſe diximus; præſtantur vero a Diacono, quando adſunt miniſtri ſacri, & non Sacerdos aſſiſtens, ſed nec Celebrans, nec Diaconus, quando prædicta præſtant, unquam ſtolam exuunt; Sacerdos vero ut ſupra aſſiſtens ſtolam dumtaxat adhibet, quando debet aperire oſtiolum Sacramenti, pertractare ipſum Sacramentum, ſeu oſtenſorium in aliquo loco collocare, ſeu e ſummo altari demittere, & ſtatim ut has functiones peregerit, debet ſtolam a collo pendentem ſibi auferre, eamve alicui cuſtodiendam tradere, vel ſuper brachium ſuum ſiniſtrum, ut cum dextero promptior ſit ad operandum, eam deponere. Palium autem altaris, ad quod fit expoſitio, ſemper erit coloris albi, uti & paramenta Celebrantis, & Miniſtrorum, ſi qui aſſiſtant in pluviali.

VI. Secus eſt, ſi expoſitio facienda eſt ante veſperas, quæ Sacramento expoſito ſtatim cantari debeant, quo in caſu altaris pallium erit quidem ſemper coloris albi, ſed paramenta celebrantis, & Miniſtrorum erunt coloris correſpondentis officio, cujus veſperæ cantari debent, ut Meratus docet *par.* 4. *tit.* 12. *n.* 29., & manifeſte eruitur ex Inſtructione Romana §. 19., quæ tam in Miſſa, quæ cantatur pro expoſitione facienda SS. Sacramenti, quam in ſubſequenti proceſſione, & expoſitione, adhiberi mandat, & continuari colorem Miſſæ. Ritus autem in tali circumſtantia exponendi Sacramentum erit, qualem ſuperius deſcripſimus, ſed in fine celebrans cum Miniſtris non pergit in ſacriſtiam, ſed vel ad ſcamnum in cornu Epiſtolæ; non ſedet tamen unquam, neque caput tegit, aut ad primam ſedem chori, ubi de more cantantur veſperæ, omnibus ſtantibus detecto capite.

VII. Ad canticum *Magnificat* e choro exit celebrans nudo capite, & facta genuflexione ab omnibus utroque genu in plano ante inferiorem altaris gradum cum profunda reverentia, aſcendit ad altare cum ſacris miniſtris (ſtantibus aliis ante infimum gradum) & facta iterum cum Miniſtris ſacris genuflexione unico genu, ut facilius, & commodius ſurgant, dictum altare etiam oſculatur celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii, & miniſtrante Diacono, ſi adſit, alioquin thuriferario ſine oſculis, idem celebrans imponit incenſum in thuribulo, illudque benedicit, quia non ſolum cum eo incenſari debet Sacramentum, ſed etiam altare, celebrans, & reliqui. Hæc autem eſt generalis regula, ut non benedicatur incenſum, quando cum eo incenſando eſt ſolum Sacramentum, bene vero, quando incenſari debet etiam altare; in utroque tamen caſu ſemper abſtinendum erit ab oſculis tum cochlearis, tum thuribuli, tum manus celebrantis. Quantum vero ed genuflexionem; hæc utroque genu fiet cum profunda reverentia in plano in acceſſu, & receſſu ab altari, ſed apud altare dum aliquid fit, ſemper facienda erit unico genu, & ſine inclinatione.

VIII. An dum celebrans ſe ut ſupra retrahit pro impoſitione incenſi, debeat Sacramento genuflexionem præmittere, ſententia affirmans nobis magis arridet in ſeq. cap. §. 30. n. 4., ſed indubie ſaltem debet Sacramento unicum genu flectere in altaris medio, ubi ad hoc ſe reſtituit, deſcenſurus illico ad incenſandum Sacramentum. Impoſito ut ſupra itaque thure genuflectit celebrans cum ſacris Miniſtris in altaris medio, & ſtatim deſcendit ad ſecundum gradum altaris (quidquid ſcribant aliqui, qui eum deſcendere faciunt in planum, & genuflexum ſuper infimum gradum incenſare Sacramentum, perperam allegantes Cœremoniale Epiſc., quod loquitur de caſu extraneo, (ut ibidem dicimus numer. 3.) & genuflexus ſimul cum ſacris Miniſtris in ſuppedaneo, accipit thuribulum, & Sacramentum triplici ductu thurificat cum profunda inclinatione ante, & poſt, interpoſita brevi morula inter quemlibet ductum, & ſacris Miniſtris interim elevantibus anteriores pluvialis fimbrias. Peracta incenſatione ſimul cum ſacris Miniſtris aſcendit ad altare, ubi genuflexione præmiſſa incenſat more ſolito ipſum altare, ſemper genuflectens unico genu, dum tranſit ante altaris medium, & deinde fit incenſatio celebrantis, & aliorum prout de more, & abſolvuntur veſperæ, poſt quas ſi Sacramentum recondendum ſit, ſervatur ritus, quem nos late deſcribimus in præliminaribus cap. 9.

IX. Hæc autem omnia, quæ ſervanda eſſe diximus in expoſitione, quæ fit ante veſperas, ſervari reſpective etiam debent in expoſitione, quæ fit ante alias horas canonicas, ſola excepta incenſatione, quæ ne quidem in completorio fit ad canticum *Nunc dimittis*, ut ſcite Gavantus adnotat *ſect.* 10. *cap.* 3. *num.* 25. Quod ſi expoſitio fieri debeat immediate ante Miſſam, tunc fiet a celebrante induto planeta ejus coloris, qui congruit Miſſæ celebrandæ, & quatenus adſit Diaconus, hujus erit muneris præſtare ea, quæ a Sacerdote aſſiſtente præſtanda eſſe dicebamus, ſin præſtabuntur a Sacerdote aſſiſtente, & quatenus nec hic adſit, a celebrante ipſo, & ſic pariformiter loquendum eſt de expoſitione, quæ poſt Miſſam foret facienda. Quoties tamen fit cum hoſtia conſecrata in eadem Miſſa, & media proceſſione, jam late ritum deſcribimus in ſeq. cap. §. 19., ſi autem ſine proceſſione, aptato Sacramento intra oſtenſorium, & finita Miſſa, ut ibidem dicitur, pergit celebrans cum ſacris Miniſtris ad altaris medium, genuflectit unico genu, & mox per Diaconum ab oſtenſorio aufertur velum, & repetita ab omnibus genuflexione deſcendunt in planum, ubi genuflectunt utroque genu cum profunda inclinatione, & mox ſurgunt, & genuflectunt ſine ulla reverentia ſuper infimum altaris gradum, ubi brevi orationi vacant, poſt quam ſe Sacerdos cum Miniſtris erigit, imponit incenſum in thuribulo, poſtea genuflexus ter incenſat Sacramentum, & denique Diaconus aſcendit ut ſupra ad altare, & Sacramentum, in throno collocat, deſcendit, & poſtea omnes pergunt in ſacriſtiam ordine jam deſcripto. In expoſitione autem cantari poſſe conſuetum hymnum, & poſt expoſitionem dici etiam preces alias, dummodo ſint ex approbatis, non eſt, quod vocetur in dubium, cum diſerte pateat ex ſeq. cap. §. 24., & nos ipſi magis dicturi ſumus cap. de Repoſitione.

X. Si duæ magnæ haberi non poſſunt hoſtiæ, cum hoſtia magna a Sacerdote particulam conſecrari Auctores probant, illam intra Miſſam oſtendi populo, & reſervari exponendam, hanc vero in Miſſa frangi, & abſumi; non ſic tamen eſt de particula in alia Miſſa conſecrata, circa quam Doctores diſſident; alii enim hanc in Miſſam ſumi non poſſe ſentiunt, quia omnino Sacerdos participare debet de proprio Sacrificio; qui vero eſſentiam Sacrificii in ſola conſecratione cenſent conſiſtere, haud renuunt præconſecratam particulam in Miſſa abſumi poſſe, ut magna reſervetur exponenda ad vitandam negligentiæ notam, & populi admirationem. Sunt denique alii, qui abſumptionem hoſtiæ in eadem miſſa conſecratæ, ſi non de eſſentia, ita de Sacrificiis ſubſtantia eſſe putant, ut ad hoc numero Sacrificium omnino ſpectet abſumptio hoſtiæ in eadem Miſſa conſecratæ, adeoque aſſerunt, quod ſatius erit in caſu particulam intra oſtenſorium includi, & populum edoceri cauſam.

XI. Hinc ubertim apparet, quam merito Tamburinus reprehendat illos, qui volentes renovare hoſtiam pro expoſitione, in Miſſa abſumunt conſecratam ante plures dies, conſecratam autem recenter in illa Miſſa, pro expoſitione reſervant. Adhuc turpius peccant illi, qui non habentes hoſtiam magnam conſecratam, exponunt non conſecratam huic affigentes parvam conſecratam; id enim nonnulli reprobant ob periculum idololatriæ, ſaltem materialis, quia populi adorant totum id, quod expoſitum eſt, per modum unius; alii vero, quia ægerrime ferunt homines, ſi poſtea ſciunt, fuiſſe ſibi propoſitam illam hoſtiam adorandam, quæ adoratione digna non erat. Certe id nullatenus eſt tenendum, & dubio procul, quatenus expoſitio differri non valeat, ſatius erit particulam ſolam populo adorandam exponere, qui cum fuerit monitus, non propterea plurimum patitur admirationis, aut ſcandali.

XII. Hoſtia, quæ exponi debet, conſecrari poteſt, & ſuper corporali poſita, vel adhuc in oſtenſorio, & maxime ſi in eo difficile aptari poteſt; quando autem in oſtenſorio conſecratur, hoc debet aperiri ad oblationem, & conſecrationem, & locari prope hoſtiam, ita ut nedum ſit ſuper corporale, ſed etiam ſuper lapide conſecrato. Quod ſi ad conſecrationem non aperiatur, remanet tamen adhuc hoſtia conſecrata, ſicuti de particulis clauſis in pyxide communiter Auctores edocent. In Miſſa, in qua conſecratur hoſtia altera pro expoſitione; hæc non elevatur, ſed dumtaxat unica juxta conſuetum morem: poſt ſumptionem vero ſanguinis, celebrans locato calice parumper ex parte Evangelii ſuper corporale tamen, & lapidem conſecratum, facta genuflexione unico genu, illam adaptat in oſtenſorio, & hoc facto colligit fragmenta, & ponit in calicem, & ſi in eo unitæ ſint ſpecies ſanguinis, has reverenter ſumit, antequam accipiat vinum purificationis. Vide, quæ ad rem a nobis traduntur in ſeq. cap. §. 19.

DECRETUM XLVII. CAP. IN ORD. CLIX.

Confraternitas non tenetur eleemoſynam præſtare Parocho, vel alteri per eum deputando, celebranti Miſſam, tam pro conſecratione, quam pro conſummatione SS. Sacramenti exponendi occaſione, qua exercitia ſpiritualia peraguntur, ſed Miſſæ celebrandæ ſunt abſque eleemoſyna, Congr. Concil. 15. Maii 1728.

I. NOllem, hinc inferas, Confraternitates in publicis faciendis SS. Sacramenti expoſitionibus, univerſim a Pa-

a Parochi interventu, vel alterius Sacerdotis ab eo miſſis dependere, ſed magis, quod ubi Parochi id juris habent ob particulares rationes, quarum ſuperius meminimus, excludi minime poſſint, quatenus per ſe, vel per alios intereſſe velint, ab iiſdem peragendis expoſitionibus, tametſi inſtituantur occaſione ſpiritualium exercitiorum, vel aliorum particularium operum pietatis. At quoties id velint ipſi per ſeipſos, vel per alios præſtare, rite definit Decretum, quod præſtare id gratis omnino debeant, & quidem etiam pro Miſſa, quæ celebraretur pro conſecratione, aut conſummatione SS. Sacramenti; cum enim abſque contributione novæ eleemoſynæ per ſuum Cappellanum, aut per Sacerdotem alterum Confraternitas prædicta omnia commode præſtare poſſit, cogenda non erat ad eleemoſynam præſtandam Parocho, qui ſi jura ſua tueri exoptat, id facere debet ſine Confraternitatis onere, aut confluentium ad pietatis opera, ne inde ab his permittendis abſterreantur, vel peragendis. Ubi autem audis, quod *Miſſæ celebrandæ ſunt abſque eleemoſyna*, abſit, id intelligas, ita ut Parochus, quatenus eidem libere detur, eam accipere non valeat, vel aliunde eadem procurare pro Miſſæ applicatione; ſed ſenſus eſt, quod Confraternitas eleemoſynam non tenetur præſtare, quam tamen ſi non præſtet, pro quo maluerit, ſacrificium Parochus applicare poterit.

II. Hinc expoſitum item manet Decretum aliud (erit 48. cap. in ord. 160.,) quod Parochum pro benedictione danda, nihil prætendere poſſe definit: *Parochus dando benedictionem cum venerabili Euchariſtiæ Sacramento, nihil prætendere poteſt, ut tradatur Eccleſiæ Parochiali, ſed id gratis agere debet*. Ead. Congreg. in eod. Decret. Hæc quidem definita ſunt pro occaſione ſpiritualium exercitiorum, & non dubitarem, etiam ad occaſionem aliorum pietatis operum eſſe extendenda; ſed quoad conſuetas Confraternitatum ſolemnitates, quas cum expoſitione SS. Euchariſtiæ aſſolent honorare, crederem Parochum manutenendum eſſe in poſſeſſione conſuetæ eleemoſynæ, præſertim pro celebratione Miſſæ, quæ ſi celebranda ſit cum Miniſtris, hos eligere non ſpectat ad Parochum, ſed ad Confraternitatem, quemadmodum quod ſubdimus (erit 49. cap. in ord. 160.) Decretum ſtatuit: *Parochus, vel interveniens ad canendam Miſſam, vel ad dandam benedictionem non habet jus ſibi eligendi Diaconum, Subdiaconum, ceteroſque Miniſtros*. Ead. Congr. in eod. Decr.

DECRETUM L. CAP. IN ORD. CLXI.

Si expoſitio SS. Sacramenti continua non ſit die noctuque admoneri debet populus, non lucrifieri indulgentias pro oratione XL. horarum conceſſas. Congr. Epiſc. 5. Apr. 1647.

I. ORationem XL. horarum, de qua fuſe in capite ſequenti, Clemens VIII. Conſt. *Graves, & diuturnæ* 1592. indulgentia plenaria ditavit pro confluentibus ad Eccleſiam orationis, & unam ſaltem horam in oratione perſeverantibus, qui ut conceſſæ indulgentiæ facilius redderentur participes, & ne ob impedimentum tam diu perſeverandi in oratione retraherentur a viſitatione etiam, & veneratione, prout cujuſvis fert commodum, ipſius SS. Sacramenti, Paulus V. ſuo Brevi emanato die 10. Maii 1606., prædictam indulgentiam ab iiſdem lucrifieri voluit, dummodo in Eccleſia præfata in oratione perſeveraverint *quel tempo, che gli riuſcirà comodo*. Dubium non eſt, quod utraque ex his conceſſionibus procedit de oratione continua ipſius SS. Sacramenti, ad quam propterea, ne idem Sacramentum ſine adoratoribus quandoque remaneret, diſtributis temporibus accedebant fideles; quare rite præſens hos monet Decretum, quod haudquaquam prædictæ indulgentiæ erunt participes, ſi oratio per XL. quidem horas perduret, ſed non continuas die noctuque. Et quidem oratio, quæ per quadraginta horas diſcretas inſtituitur, oratio XL. horarum vere dici non poteſt, quemadmodum evincunt monumenta quæque in quorum memoriam fuit li[illegible] inſtituta, ut magis conſtabit in præliminaribus ſequentis capitis.

II. *Inſtructio* (erit Decr. 51. cap. in ord. 162.) *pro oratione XL. horarum Romæ juſſu fel. rec. Clementis XI. primum edita, extra Urbem non obligat; laudandi tamen, qui ſe illi conformare ſtudent, niſi aliud ab Ordinariis locorum ſtatutum ſit*. S. R. C. 12. Julii 1749. *in una Congreg. Oratorii S. Philippi Nerii Civit. Patavinæ*. Quod Inſtructio ejuſmodi tantummodo obliget Urbis Eccleſias, ex iis verbis §. 1. ejuſdem Inſtructionis manifeſte apparet: *Comandiamo, che in tutte le Chieſe di queſt' alma Città &c.* Quod vero ſit laudabile, quod ceteræ eidem extra Urbem ſe conforment Eccleſiæ, ea ſatis oſtendit ratio, quod illa eſt methodus a ſapientiſſimis Rituum magiſtris ſummo ſtudio elaborata, a Summis ipſis Pontificibus confirmata, atque ſervari præſcripta ab Eccleſiis omnibus Urbis Romæ, quæ totius mundi caput eſt, & aliarum Eccleſiarum magiſtra. *Niſi aliud ab Ordinariis locorum ſtatutum ſit*, ſubdit Decretum, & per hæc verba nos inſtruit, quod ſi ab Ordinariis locorum aliquid particulare, prout ferunt circumſtantiæ locorum, aut Eccleſiarum qualitas, ſtatutum fuerit, ſervandum illud erit in reſpectivis Eccleſiis, & Diœceſibus. Inſtructio autem prædicta eſt quam confeſtim ſubdimus exponendam.

III. *Abſque pluviali* (ſit Decret. 52. cap. in ord. 163.) *Non licet non habentibus uſum illius in die, & infra octavam SS. Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum SS. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habentibus uſum ſtatuit* S. R. C. 22. Jann. 1701. in una Camald. Montis Coronæ. *In die, & infra octavam*, & id conforme eſt Cœrem. *Ep. lib. 2. cap. 33.*, atque Rituali Romano, & dum idipſum ſtatuit Inſtructio Romana pro oratione XL. horarum, inde ſequitur pluviale eſſe adhibendum in quacumque proceſſione ſolemni SS. Sacramenti, ut ſic Sacerdotis habitus ſolemnitati reſpondeat. Secus fortaſſe eſt de proceſſione minus ſolemni, in qua tolerari poterit Sacerdos in ſuperpelliceo, & ſtola, quo in habitu juxta Rituale etiam deferre poteſt Viaticum ad infirmos. Expoſitio vero SS. Sacramenti etiam in diebus ſolemnibus abſque pluviali bene fieri poſſe decernitur, cum ipſa non gaudeat ſolemnitate plurima, & nullibi cum pluviali fieri mandetur.

CAPUT OCTAVUM.

De Inſtructione Clementina XL. Horarum.

ORatio XL. horarum plurima antiquitate non gaudet. Thyers *lib. 4. cap.* 17. Joſepho de Mediolano Ordinis Cappuccinorum ejuſdem inſtitutionem adſcribit, anno 1556. introductam in memoriam XL. horarum, quibus Chriſtus in ſepulchro permanſit. Pius IV. *ſua Conſt.* 22. *anno* 1560. probat Archiconfraternitatem Orationis Mortis Romæ erectam, quæ per horas XL. precibus inſtabat, Chriſtum imitata, qui XL. diebus jejunium in deſerto protraxit. Clemens VIII. *anno* 1592. *Conſt.* 17. meminit orationes XL. horarum per Eccleſias Urbis jam inſtitutæ, quæ ut foret continua, ad eam diſtributis temporibus fideles accedebant, quos ad eamdem frequentandam indulgentiis allexit. An in ejuſmodi oratione Sacramentum publice exponeretur, tuto definiri non poteſt, id tamen putat Bacci *in vita S. Philippi Nerii lib.* 1. c. 8., ubi & refert apud Archiconfraternitatem SS. Trinitatis quotannis in hebdomada majori orationem XL. horarum inſtitui ſolitam, qua in occaſione non ſemel ad populum ſermones habuit idem S. Philippus, qui anno 1595. evolavit ad ſuperos. Ex vita venerabilis Juvenalis Ancina Epiſcopi Salutiarum ſuper SS. Euchariſtiam in tali occaſione exponi conſuetam, non leve aliud eruitur argumentum, dum Doliani apud Langienſes populos inſtituta ab eo aſſeritur oratio XL. horarum, ad quam proceſſionaliter die noctuque occurrit populi multitudo plurima, SS. Sacramentum veneratura.

Sane oratio XL. horarum, quæ nunc Romæ ſuperſtes eſt, & ſumma cum religione quotidie inſtituitur, ab expoſitione SS. Sacramenti non reperitur ſejuncta, qua nec deſtituuntur orationes XL. horarum, quæ a pluribus extra Romam receptæ fuerunt Eccleſiis, ſancteque introductæ. Juſſu Clementis XI. die 20. Januarii 1705. ſuper ritu in tali functione ſervando, prodiit quædam Inſtructio a Succeſſoribus Innocentio, & Benedicto XIII., & Clemente XII. Summis Pontificibus confirmata, & hanc nunc fideliter tradere ſumimus, & brevi explanatione proſequi, quia etſi ab omnibus, & ſolis Urbis Eccleſiis ſit ipſa ſervari mandata, quamplurima tamen continet, ad quæ ſervanda univerſalis tenetur Eccleſia, & in reliquis fere omnibus, apprime conveniens ſaltem eſt, eidem ſeſe conformet, ut magis dicemus infra.

Inſtruzione, ed Ordini

Da oſſervarſi nell' orazione continua di quarant' ore coll' Eſpoſizione del SS. Sacramento per li biſogni di S. Chieſa ſecondo la pia mente de' Sommi Pontefici, confermata, e publicata di nuovo per ordine di Noſtro Signore Papa Clemente XII.

Proſpero del Titolo di S. Silveſtro in Capite della S. R. E. Cardinal Mareſoſchi, della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale.

§. I.

Eſſendo ſtate fatte ſin dal tempo dell' introduzione dell' Eſpoſizione del SS. Sacramento per l' orazione continua di quarant' ore diverſe proviſioni ſpettanti al decoro di detta funzione, acciò le medeſime venghino eſattamente oſſervate, e ſi rimova ogni abuſo introdotto in alcune Chieſe, di ordine eſpreſſo di Noſtro Signore, datoci coll' oracolo della ſua viva voce, ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chieſe di queſta Città tanto Patriarcali, quanto Collegiate, e Parochiali, ed in ogni altra Chieſa, sì de' Secolari, come de' Regolari, in qualſivoglia modo privilegiata, e degna di ſpezial menzione, in cui ſi farà la ſuddetta orazione di quarant' ore, ſi oſſervi inviolabilmente, quanto ſi preſerive nella preſente noviſſima iſtruzione, ſotto le pene infraſeritte.

I. Præambula ejuſmodi oratio enuntiat ſtatutorum antiquitatem, quæ inſtitutioni ipſius orationis XL. horarum ſignatur coæva; auctoritatem, & hæc eſt Pontificia, facta expreſſo vivæ vocis oraculo, quare dubium non eſt, quod conſequens inde obligatio quaſcumque quidem afficit Eccleſias, quomodocumque privilegiatas, non totius orbis Catholici, ſed ſolummodo Almæ Urbis, ſicuti Inſtructio diſerte ſe explicat. Statuta innovat, a quorum plena obſervantia nonnullæ Eccleſiæ deflexerant, & pœnas imponit; harum autem quæ tranſgreſſores maneant, ſuo loco dicetur.

§. II.

§. II.

Si metterà ſopra la porta della Chieſa, dove ſarà l' eſpoſizione, un ſegno del SS. Sacramento ornato di feſtoni, come pure a capo della ſtrada vicina, perchè ſia noto, a chi paſſa, eſſervi l' eſpoſizione del SS. Sacramento.

I. Ut fideles tranſeuntes admoniti, ad Eccleſiam confluant Sacramentum veneraturi, ſuper Eccleſiæ portam, & ad caput propinquæ viæ ſignum apponi mandatur, quod erit tabella Sacramentum expoſitum ponens ſub oculos. *Ornato di feſtoni*, & hæc ſunt ſerta quædam, quæ ſolemnitatem indicant, & feſtivitatem. Ratio, ob quam apponitur ejuſmodi ſignum, generalis eſt, & admodum congrua, quare ubertim indicat, id ubique in quiſcumque expoſitionibus eſſe ſervandum, licet poſtea parum referat, quod ſupra portam, vel ad ejus latera collocetur. In expoſitionibus minus ſolemnibus ſertorum ornatus omitti poterit, uti & appoſitio prædicti ſigni ad caput propinquæ viæ, quoties expoſitio fit in Eccleſiis, quæ poſitæ ſunt in principalibus viis, & a populo frequentatis.

§. III.

Il SS. Sacramento dovrà eſporſi nell' altare maggiore (eccettuatene le Baſiliche Patriarcali, nelle quali ſi ſuole eſporre ſopra altro altare) e ſi coprirà l' immagine, o ſtatua, che vi ſia; come anche le pareti della tribuna, e le vicine dell' altare, ſe non vi ſono ornamenti fiſſi, ſi copriranno con drappi, avvertendoſi, che gli apparati non contenghino iſtorie, nè coſe profane.

I. Eccleſiæ Urbis, quas ſanctio alloquitur, ab exponendo SS. Sacramento in altari majori ſe diſpenſare non poſſunt; exceptio enim, quæ ponitur pro Baſilicis Patriarcalibus, in oppoſitum firmat regulam pro quibuſcumque Eccleſiis aliis. An autem hæc regula, & quæ teneri debeat in Eccleſiis extra Romam, in Dec. 27. præc. cap. abunde traditur, uti & in ſequenti paragrapho de cooperiendis imaginibus, & ſanctorum ſtatuis Altaris, ad quod fit expoſitio; quare ſequentia illico arripimus verba, in quibus hemycicus muralis, ſeu parietes tribunæ, & alii altari proximi, quatenus non habeant ornamenta permanentia, telis ſericis, vel periſtromatibus veſtiri jubentur, quæ non contineant hiſtorias, reſve profanas; ego autem libens adderem, neque ſacras, quia uti profanæ valde dedecent rei ſacræ, quæ exponitur, ita ſacræ aptæ ſunt circumſtantium attentionem a Sacramento diſtrahere, & ad ſe ſe convertere. Telarum, & peripetaſmatum color non aſſignatur, ſed cum ſuper parietes illa extendi mandentur ornatus gratia, & honoris cauſa erga SS. Sacramentum, color quidem erit ad apponentium placitum, ſed talis indubie, qui communiter habeatur pro feſtivo, cujuſmodi non eſt color niger, aut violaceus; quorum conſequenter neuter apponendus erit, neque in expoſitionibus, quæ fiunt temporibus mœſtitiæ, aut luctus, vel in ſuffragium animarum Purgatorii, & tam intra, quam extra Romam, de quo redibit ſermo in ſequenti paragrapho.

§. IV.

Sopra l' altare non vi ſi ponghino Reliquie de' Santi, o ſtatue de' medeſimi (non eſcludendoſi però quelle degli Angeli, che faccino figura de' Candelieri) e molto meno vi ſi ponghino figure dell' anime del Purgatorio di qualſiſia materia; il che ſi proibiſce anche in tutte l' eſpoſizioni particolari, ed in quelle, che talvolta ſi fanno per ſuffragio di quell' anime.

I. *Præſente Domino omnium ſummo, debet ceſſare cultus Sanctorum*, ſcite ait *Biſſus verb. Expoſit. Sacram. n.* 232. §. 5., & inſimul ſanctionis deſignat cauſam, quæ a præcedenti paragrapho rite extenditur ad imaginem iconis, aut ſtatuam Sanctorum inibi permanentem, quæ propterea cooperiri mandatur: *E ſi coprirà l' immagine, o ſtatua, che vi ſia*. Ab hac lege ſolæ excipiuntur ſtatuæ Angelorum, non quidem univerſim, ſed quæ candelabrorum vicem gerunt, ſimileve præſtant munus aliud, ut quæ umbellam ſuſtinent. An idipſum præſtari valeat de Sanctorum ſtatuis, rationis identitas ſuadere videtur, ſed decens eſt præſenti ſummo omnium Domino a ſummis miniſtretur ſpiritibus, a quibus ſibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur.

II. Utrum uti ſupplices, vel ancillantes apponi valeant ſtatuæ ſanctorum, quæſtio alia eſt, quæ cum ad eludendam potius inhibitionem inſtituatur, negative eſt decidenda, & dicendum non eſt a ſanctione, quæ cum exceptiva ſit, abſolute eſt etiam intelligenda pro omni caſu præter exceptos, aliosve ſimiles, cujuſmodi non eſt, de qua agitur. Sane Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices inconſulta Sede Apoſtolica a S. R. C. 27. Sept. 1659. in Eccleſiis, aliiſque publicis locis apponi vetantur, quaſi & in tali poſitione aptæ ſint ſpecialem ſibi cultum vindicare; quanto igitur minus ad præſentiam ſummi omnium Domini uti ſupplices apponi poterunt ſtatuæ ſanctorum, qui tales ab Eccleſia habentur, ut ubique illimitate ab omnibus excoli valeant?

III. Sacramento itaque publice expoſito, nedum abſtinendum erit ab expoſitione alicujus Reliquiæ ſuper altare, in quo illud manet expoſitum, ſed etiam a collocatione illarum Reliquiarum, imaginum, vel ſtatuarum, quas inter candelabra Cæremoniale Epiſc., atque Miſſale diſtribui laudant, tametſi ad tale altare Miſſa foret habenda: & hinc ruit ſententia Gavanti, qui *par.* 1. *tit.* 20. *lit. F.* Reliquiarum expoſitionem, dummodo non in altiori loco, videtur admittere: *Cavendum illud erit, ne unquam ſupra locum Sacramenti, præſertim ſi ponatur pro oratione publica, Reliquiarum vaſa collocentur; decet enim ſedere Dominum in altiori loco ſupra ſervos ſuos.* Magis tamen, qui carpatur, dignus eſt Meratus, qui cum poſt Inſtructionem ſcripſerit, ibi Gavantum non corrigit, immo *part.* 2. *tit.* 17. *num.* 7. & 12. Sacerdotem incenſare facit more ſolito.

IV. Non eſt, quod coner oſtendere, quod a prædicto altari multo magis debent abeſſe figuræ, vel imagines mortuorum, immo nedum his, ſed etiam pannis, aliiſque lugubribus expers eſſe debet totum ipſum presbyterium, etiam in expoſitionibus illis, quæ in ſuffragium animarum purgantium inſtituuntur; ubi enim ſpecialiter micat Chriſtus glorioſus, haud decet haberi lugubria quæque, cujuſmodi cum ſint, ſaltem quoad repræſentationem, figuræ animarum purgatorii, licet argenteæ, vel ex quacumque alia materia, idcirco ſuper altare apponi rite vetantur, ex qualibet exiſtant materia, quod tu extende ad totum presbyterium, cum pertineat ad altare, in quo Sacramentum extat expoſitum, non vero ad ceteram Eccleſiam, in qua propterea panni nigri ſuper parietes poterunt extendi, & apponi mortuorum figuræ, quoties Sacramentum exponitur ad ſuffragandas defunctorum animas. His adjicere liceat, quod juxta Cæremoniale Epiſc. *l.* 2. *c.* 11. etiam in Miſſa pro defunctis imagines mortuorum, vel crucis albæ prohibentur haberi in paramentis omnibus tam altaris, quam celebrantis, & miniſtrorum, librorum, & faldiſtorii, ut inde inferamus, quod a fortiori id nedum verum erit de ejuſmodi paramentis, ſed etiam de illis totius presbyterii in expoſitione qualibet, etiam extra Romam, SS. Sacramenti, cujus gloriæ, æquum eſt, illa correſpondeant. Vide item dicta in Decr. 28. præced. cap.

§. V.

Sopra detto altare in ſito eminente vi ſia un tabernacolo, o trono con baldacchino proporzionato di color bianco, e ſopra la baſe d' eſſo vi ſia un corporale per collocarvi l' oſtenſorio, o cuſtodia, il di cui giro ſarà attorniato di raggi, e non vi ſarà davanti alcun ornamento, che impediſca la viſta del Santiſſimo.

I. Tanquam Regi, Chriſto publice exponendo decernitur tabernaculum, ſeu thronus cum baldachino in loco eminenti ſuper altare collocatus. Baldachinum indicitur *coloris albi* (& hujus coloris debent eſſe ornamenta quæque, quæ in altari pro Sacramento adhibentur) & inſuper prædicto *proportionatum* tabernaculo, ſeu throno, quoad magnitudinem ſcilicet, & parvitatem. In baſi throni erit corporale, ſuper quod collocabitur oſtenſorium, ſeu cuſtodia, cujus orbis erit circumdatus radiis in ſignum gloriæ, & nullum aderit ornamentum, quod impedimento vel minimo eſſe valeat viſioni SS. Sacramenti, quod ut videatur, patenter exponitur. Corporale, quod ad Miſſam deſervit, majoris, quam præſens res exigit, eſt magnitudinis, & ideo vel adhibebitur plicatum, ſi non habeatur aliud exiguum, vel in uſu erit palla, qua nos utimur ad tegendum calicem, & quæ licet modo ſit diſtincta a corporali, olim tamen erat extremitas ejuſdem corporalis ſuper ipſum calicem revoluta, uti dicitur ubi de Bened. Param. Quamvis namque impræſentiarum ad periculi cautelam palla fuerit invecta, adhuc tamen eſt, atque cenſetur corporalis pars, & uti talis propterea cum corporali benedicitur, & ideo abſque eo quod Inſtructionis textui, qui *corporale* notat, violentia ulla irrogetur, ſubſterni bene poterit oſtenſorio, vel cuſtodiæ. Diximus *oſtenſorio, vel cuſtodiæ* ad ejuſdem Inſtructionis textum, qui conſulto poſuit *l' oſtenſorio, o cuſtodia*, ut hinc detur intelligi, Sacramentum non neceſſario exponendum eſſe in oſtenſorio, quod licet ad rem ſit for[...] inſtrumentum aptius, modernæ tamen eſt inventionis, ſed integrum adhuc eſſe, illud exponere mediis inſtrumentis illis ſignificatis ampliori *cuſtodiæ* nomine, quibus illud item exponere, & per proceſſionem circumgeſtare ſolebat antiquitas; a nobis autem illa deſcripta fient in laudato loco.

§. VI.

Ardino ſopra l' altare almeno venti lumi continuamente, cioè ſei candele di una libra, tre per parte dalli lati della croce, ed otto candele nella parte ſuperiore, con altre quattro dalli lati dell' oſtenſorio; nella di cui parte oppoſta non vi ſi ponga onninamente lume alcuno: e ſiano finalmente due torcieri con le fiaccole almeno di tre libre l' una. L' iſteſſo numero de' lumi vi ſia anche di notte dopo ſerrata la Chieſa, trà quali ve ne ſiano almeno dieci di cera; e per la Chieſa nella ſera ſi mettano lumi ſufficienti per evitare la confuſione, quali ſtiano acceſi, finchè ſi chiudino le porte di eſſa. Potranno anche di giorno oſcurarſi le fineſtre vicino all' altare dell' eſpoſizione, ad effetto di raccogliere la mente de' fedeli all' orazione.

I. Luminum quantitas, & qualitas, quæ præſcribuntur,

tur, particulares ſunt Eccleſiis urbis; quot autem, & qualia neceſſaria ſint, & ſufficiant in Eccleſiis extra Romam, jam firmatum extitit in Decr. 10. præced. cap. Dictio *Almeno* minorem, non majorem excludit numerum; diſtributio autem luminum cum ſit valde appoſita, digna eſt, ſervetur ubique; certe autem in non appoſitione luminum ante oſtenſorium, hoc namque ipſo impediretur populo viſio Sacramenti. Supponit ſanctio, quod etiam de nocte Sacramentum maneat expoſitum, uti reapſe manere debet in oratione XL. horarum, ut conceſſarum fiat acquiſitio indulgentiarum, & ideo adhuc occluſis Eccleſiæ jannis Sacramentum ſtipandum eſſe ſtatuit eodem numero luminum, quæ jam non mandantur apponi in expoſitionibus ad pompam, ſed in honorem Sacramenti publice expoſiti. Ne vero hinc graventur Eccleſiæ, harum pauperiei aliquid condonandum eſſe credidit, & ideo loco ceræ, de qua tanquam nobiliori materia lumina ardere deberent, contenta eſt, de nocte ut ſupra obſeratis valvis dimidium luminum ex alia materia ardeat, puta ex oleo, vel ſevo, dummodo dimidium aliud ardeat ex cera, licet poſtea non ſit præſcripti ponderis.

II. Methodum hinc ediſcant Eccleſiæ quæqoe, ita ut cereorum numerus per ſynodos, aut conſuetudinem præſcriptus, ſemper ardere debeat, quando Sacramentum eſt expoſitum, licet de nocte dimidium ex alia materia ſubrogari valeat, & dimidium aliud eſſe ex cera minoris ponderis. In expoſitionibus vero, in quibus ultra præſcriptum numerum abundatur in appoſitione luminum, etiam de die nonnulla extincta haberi poterunt, frequentiori, vel officiorum tempore accendenda, dummodo numquam deſit numerus ut ſupra indictus; & id ſit dictum etiam pro Urbe Roma.

III. Per verba *e per la Chieſa nella ſera ſi mettano lumi ſufficienti per evitare la confuſione, quali ſtiano acceſi, finchè ſi chiudino le porte di eſſa*, inſinuatur apprime laudabilis agendi ratio, in ſimili quacumque occaſione ubique ſervanda, alias quippe ſequuntur abſurda plurima, quæ cum ſanctione *confuſionis* vocabulo præterire malumus, quam diſtinctim recenſere. Occaſione autem expoſitionis SS. Sacramenti quidem poterit differri occluſio portarum Eccleſiæ ad congruum uſque tempus, quo populus ad Eccleſiam confluit Sacram Euchariſtiam veneraturus, ſed fœminæ omnino prohibendæ ſunt ab ingreſſu Eccleſiæ; harum namque interventu, experientia plurima compertum eſt, infici ſanctiora quæque, quam ad rem lector recolat fuſe tradita tom. 1. in præliminaribus cap. 15., & tom. 3. cap. 75. Dec. 16.

IV. *Potranno anche di giorno oſcurarſi le fineſtre vicino all' altare dell' eſpoſizione*, & cum id jubeatur fieri *ad effetto di raccogliere la mente de' fedeli all' orazione*, quivis adimitur ambigendi locus, quod unicuique expoſitioni debet eſſe commune, unde & S. Carolus Act. par. 2. *E dove ſi poſſa commodamente, ſi facci oſcura la detta Cappella, ſicchè non abbi altro chiaro, che dei lumi, come ſi acconciano i ſepolcri la ſettimana ſanta nelle Chieſe Romane, per accompagnare il Miſtero dell' iſtituto di queſta orazione, e per eccitarſi più a divozione.*

§. VII.

Niun ſecolare, benchè veſtito con ſacco di qualſivoglia Compagnia, ardiſca di andare intorno all' altare per aggiuſtare lumi, o far altro, che occorra, ma dovrà eſſere un Sacerdote, o almeno un Chierico con Cotta; con la quale ſopra il proprio abito dovranno comparirvi anche li Regolari di qualſivoglia Religione; avvertendoſi di più, che ogni perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine, per Decreto della Sacra Congregazione de Riti Urbis 16. Auguſti 1651.; avanti il SS. Sacramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla perſona del Sacerdote, quale celebra la meſſa privata, s' inſinua eſſervi Decreto della medeſima Sacra Congregazione Urbis 7. Sept. 1638., che mentre paſſa avanti l' altare, in cui ſta eſpoſto il SS. Sacramento, dopo fatta l' adorazione con le ginocchia piegate, ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra.

I. Ad recenſita Decreta quod attinet, jam late exponuntur infra in cap. 10.; quæ autem hic primo loco ſtatuuntur, paucis a S. Carolo fuerunt expreſſa: *Nella Cappella, o luogo, ove ſarà poſto il SS. Sacramento, non entreranno dentro i Cancelli i laici.* Quod ſi cancellos, ſeu presbyterium laici prohibentur ingredi, utique quæ circa altare expoſitionis facienda occurrunt, a clero debent præſtari, id expoſcente Sacramenti eminentia, dignitate, & reverentia, quam quoque ob cauſam clerus ipſe ſuperpelliceum induere jubetur; non enim decet circa tantum myſterium miniſtrare in communi habitu, ſed ſolum in habitu ex Eccleſiæ inſtitutione in functionibus Sacris adhiberi præſcripto. Quoad ſuperpelliceum hæc communis lex eſt pro clero ſæculari, & Regulari cujuſcumque Religionis, ut diſerte ſe exprimit ſanctio, quæ tamen, ſaltem extra Romam, limitationem fortaſſe patitur quoad laicos, ſeu converſos Regulares, qui dummodo in ſupperpelliceo appareant, intra presbyterium admitti poſſe videntur, ad concinnanda lumina, ad quorum aptationem, aliaque ſimilia præſtanda munia, ex ſæcularibus etiam clerici univerſim admittuntur.

§. VIII.

Si tenga durante l' eſpoſizione alla porta della Chieſa per la parte di dentro, o di fuori, come tornerà più comodo, un tapeto, che faccia forma di buſſola, con ſpazio adequato a' lati per comodità del popolo; e ſia talmente poſto, che non poſſa mai dalla ſtrada vederſi il SS. Sacramento.

I. Sacrificii præſertim tempore velum, quo *velothyrum*, & *amphytiron* reperitur dictum, italice *Portiera*, ad Eccleſiæ januam antiquitus apponi ſolebat, cujus moris apud Macrum verb. *velum* non deſiderantur monumenta plurima. Aperiebatur ex utroque latere, ut comprobat Symonetta Græcus auctor *lib. 5. cap. 14.*, & tale etiamnunc mandatur apponi ad Eccleſiæ fores, in qua expoſitum patet SS. Sacramentum. Velum eiuſmodi id habet commodi, quod intus orantium attentionem alio diverti non ſinit, & dum aſpectum viæ, & portarum impedit ſtrepitum, ex quo facile curioſitas excitatur, diſtractionis maximam occaſionem amovet, & inſimul Sacramentum vindicat a pertranſeuntium per viam irreverentiis plurimis, & pertranſeuntes ipſos a non levi incommodo; quapropter ſevere injungitur, *che ſia talmente poſto, che non poſſa mai dalla ſtrade vederſi il Santiſſimo Sacramento.*

II. Diſtractionis arripimus cauſam alteram, nempe canes, qui cum latratibus functiones ſacras non ſemel perturbent, & Eccleſias ſpurcitiis, & immunditiis polluant, digni ſunt, qui ſi poteſt fieri, ab Eccleſiis omnino arceantur, indubie autem expoſitionis tempore, quo fideles eoſdem relinquant domi, & quatenus ſecum ducant, ne ferant ægre, ſi ſint ad Eccleſiæ jannam, qui prædictos canes ab ingreſſu prohibeant. Quæ omnia adeo ſancta ſunt, ut nos quaſi pudeat dicere, quod cuique expoſitioni, ubicumque fiat, debent eſſe communia.

§. IX.

Siano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altr' ordine ſacro coſtituiti, ſe ſi potrà, veſtiti di cotta (benchè ſiano Regolari) genufleſſi avanti di un banco ricoperto con tappetto, o panno roſſo, o d' altro colore, e qualità decente, vicino all' infimo grado dell' altare, e mai ſopra genufleſſori, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove ſarà qualche confraternità, vi aſſiſtino due confratelli almeno, avanti un banco coperto di panno verde, o d' altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del presbiterio, e diſtanti dagli Eccleſiaſtici ſuddetti, ed oreranno con tutta divozione per edificazione degli aſtanti, e con voce ſommeſſa per non cauſare diſtrazione negli altri.

I. Chriſto in Euchariſtia Angelorum choros aſſiſtere, ex Sanctis Patribus docent Chryſoſt. *lib. 6. de Sacerdotio, & hom. 63. ad Populum Antioch.*, Ambroſius *cap. 1. in Luc.* & Gregorius *Dial. lib. 4. cap. 58.*, hinc quotquot de Sacris ſcripſere ritibus, ſacramento publice expoſito per Sacerdotes clericoſque continuam ſentiunt præſtandam eſſe aſſiſtentiam, & Benedictus XIV. *tom. 2. notific.* 10. diſtricte inhibet in quavis Eccleſia ſæculari, vel Regulari civitatis Bononienſis, cui ipſe uti Archiepiſcopus præerat, publicam Sacramenti expoſitionem fieri, cui orantes, ſive de nocte, ſeu de die continuo non aſſiſtant unus, vel duo Sacerdotes, aut ſaltem duo clerici in Sacris Ordinibus conſtituti. Non ita rigida videtur Inſtructio, cujus verba *uno o due* etiam ſuper clericos, quos inſequenter nominat, videtur cadere, quinimmo adhuc, quæ ſubduntur, verba illa, *ſe ſi potrà*, aut expoſitionem ſine ulla Sacerdotum, vel clericorum aſſiſtentia, quoties haberi non poteſt, fieri poſſe indicant, quod non ego crederem; vel denotant, quod in defectu Sacerdotum, aut clericorum in Sacris Ordinibus conſtitutorum, ſufficiat & aſſiſtentia clericorum inferiorum Ordinum, quod ego magis probarem. S. Carolus habet: *Mentre che il SS. Sacramento ſta fuori, vi ſiano aſſiſtenti di giorno doi Chierici con le cotte, uno de' quali ſia Diacono almeno, e di notte un ſolo, almeno ſottodiacono*; & quantum ad Decreta generalia nobis non innoteſcunt aliqua, quæ ſuper aſſiſtentiam Sacramento publice expoſito diſponant, bene vero ſuper expoſitionem privatam, nempe octavum præced. capitis, quod indiſtinctim expoſtulat *aſſiſtentiam Sacerdotum*, & nonum ejuſdem capitis, quod per hæc verba, *cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis*, unius Sacerdotis aſſiſtentia contentum eſſe videtur, licet poſtea exigat, quod ſtola, & ſuperpelliceo ſit indutus: *ſtola, & ſuperpelliceo induti*, ubi S. Carolus, & Inſtructio Romana meminere ſolius cottæ; hæc namque habet *Veſtiti di cotta*, & ille *con le cotte.*

II. Expoſitionis itaque quoad aſſiſtentiam hæc erit regula, ut in Urbe Roma omnino ſervanda ſit Inſtructio, cui eum ſenſum facimus, ut duo aut unus ex Sacerdotibus, vel ex Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis ſemper aſſiſtant, & quatenus haberi non valeant, ſufficiat etiam aſſiſtentia unius, vel duorum ex Clericis inferiorum Ordinum, qui omnes induti erunt ſuperpelliceo, numquam tamen ſtola, ne quidem Sacerdotes ipſi; & id particulare eſt Urbis Romæ in reverentiam Papæ, qui ſtola utitur extra Sacramenta, ut magis diximus in Decr. 29. præced. cap. Extra Romam ſervabuntur particularium ſynodorum, & reſpectivorum Prælatorum mandata, hac tamen regula, ut Sacerdotes ultra ſuperpel-

liceum

liceum ſtolam habeant e collo pendentem, quæ Sacerdotalis dignitatis indicium eſt, ut in ſimilibus firmavimus agentes de Sacerdotum communione in feria V. Cœnæ Domini.

III. Verum ſi municipales deſint leges, aut Prælatorum præſcripta, hæc poterit ſervari regula, ut in publica, & ſolemni expoſitione, quæ durat perdiu, & præſertim ſi etiam de nocte, ſemper aſſiſtant duo, ad minus unus, Sacerdotes quidem, aut ſacris Ordinibus initiati, ſi haberi poſſunt, ſin, etiam Clerici inferiorum Ordinum; ſi autem diu non perduret expoſitio, nunquam deſit duorum aſſiſtentia Sacerdotum, vel in ſacris Ordinibus conſtitutorum, ſi fieri poteſt, ſin, ſaltem unius ſacrorum Ordinum, alterius inferiorum; & hoc ſimiliter in expoſitionibus, quæ diu durant, præſtandum eſſe credimus de die, vel ſaltem in frequentiori hujus tempore. Quoniam tamen non deſunt plurimæ Eccleſiæ, præſertim rurales, in quibus eſt Clericorum caritas, qui Sacramento aſſiſtant, abſit, putemus in iiſdem Sacramentum exponi non poſſe; ob impotentiam enim, atque neceſſitatem ablegandæ non ſunt laudabiles conſuetudines, & potiſſimæ cauſæ pietatis, cujuſmodi eſt expoſitio SS. Sacramenti, dummodo ſi non Clericorum, fidelium non deſit adoratorum copia. Ad privatam vero expoſitionem quod attinet, cum regulariter diu non parduret, nec ad eam opus ſit aſſiſtentium viciſſitudine, unius Sacerdotis aſſiſtentia ſufficiet; quod & ſit dictum, ubi diu perduraret, ita ut ſufficiat, quod unus alteri in aſſiſtentia ſuccedat.

IV. Num Regulares laici intra presbyterium pro aſſiſtentia ut ſupra poſſint admitti, inſurgit dubium, quod nos affirmative reſolvimus. Sunt enim perſonæ per votum ſolemne Deo dicatæ, incedunt in habitu Religioſo, unum corpus efficiunt cum reliquis de Monaſterio, Clerique perfruuntur privilegiis; & hæc cum fere omnia etiam Novitiis competant, idem juris propterea his facere minime dubitamus. Nec obſtat, quod cottam teneantur induere, quia cotta non adeo eſt veſtis propria Cleri, ut ejus uſum ſaltem iis, qui privilegiis Cleri gaudent, aliiſque conſuetudo non fecerit licitum, unde ipſa Rituum Congregatio 16. Maji 1744. in proceſſione SS. Sacramenti Fratribus quidem laicis Carmelitis inhibuit uſum ſacrarum veſtium, ſed cottæ aperte permiſit. Accedit, quod Anglici Regni Cancellarius Thomas Morus ſuperpelliceo indutus, divinis officiis ſolebat aſſiſtere, licet laicus eſſet, & uxoratus, & tamen inde conſecutus numquam legitur reprehenſionem ullam, ſed maximam laudem.

V. Cleri autem aſſiſtentia dignoſcitur neceſſaria, tametſi non deeſſet ex laicis, qui particularem aſſiſtentiam præſtarent ultra populum, qui ad expoſitionem ſolet accurrere; nam inſtructio diſerte demandat, quod in Eccleſiis, in quibus habetur aliqua Confraternitas, duo ſaltem ex confratribus ſemper aſſiſtant, ſed ultra prædictos Eccleſiaſticos, a quibus conſequenter aliquantulum diſtantes illos collocat extra presbyterium, quod, ut alias diximus, officiorum ſacrarumque functionum tempore eſt laicis inacceſſum: *ma fuori del presbyterio, e diſtanti dagli Eccleſiaſtici ſuddetti*. Ultra igitur eos de Clero in Eccleſiis, ubi eſt aliqua Confraternitas, duo ut minimum viciſſim aſſiſtent Confratres toto expoſitionis tempore, ſubmiſſa voce, ne ceteris ſint diſtractionis, devote orantes genuflexi, non ante genuflexorium, ſed ante vulgo *Banco* coopertum tapete, ſeu panno alicujus decentis coloris, non intra presbyterium, ſed extra collocatum, ad differentiam Clericorum, qui aſſiſtent intra presbyterium, genuflexi tamen & ipſi, non ſuper genuflexorium, ſed ſuper vulgo *Banco* coopertum tapete, quod pretioſius eſſe debet illo laicorum, & ſed viridis coloris, quod non obſcure Inſtructio ipſa indicat, dum ea coloribus rubeum pro Clericis expreſſit, pro Laicis viridem.

VI. Quod ſi in Eccleſiis, ubi aliqua erecta eſt Confraternitas, ultra Clericos duo ſaltem ex Confratribus debent aſſiſtere, idipſum eſſe videtur de Eccleſiis Monialium, aliarumque fœminarum, aut virorum, qui in communi domo collegialiter vivunt, ita ut eorumdem duo, aut ambæ diſtributis horis itam debeant continuo aſſiſtere. *Continuo* diximus verbis Inſtructionis adhærentes; ſed volumus, id intelligas *civiliter*, pro horis nempe, & temporibus competentibus, non autem pro omni omnino tempore; officiorum enim tempore Clerum, Moniales, alioſve, qui ſunt de Choro, in Chorum omnes convenire poſſe credimus ad decantanda divina officia, quorum cantui dum incumbunt, inſimul orantes SS. Sacramento aſſiſtunt.

VII. Facile hinc eſt eruere, quod hæc omnia ubilibet, & in expoſitione quavis ſervari debent, ſaltem ex decentia, ſi non ex omnimoda neceſſitate; extra Romam enim permitti poterit, quod Clerus aſſiſtens oret ante genuflexorium, & quod Regulares in ſuo ſacro aſſiſtant habitu, ita tamen ut Sacerdotes ſtolam e collo pendentem teneant, inſtar conſuetudinis, qua communicant in Cœna Domini. Dum aſſiſtunt Clerici, non videntur ad ſimultaneam aſſiſtentiam rigoroſe adſtricti Confratres, alii ve de Congregatione, aut Collegio, & per aſſiſtentiam Confratrum, Monialium, aliorumve de Collegio ſuppleri ſaltem poterit aſſiſtentia Clericorum, quando hæc ſine gravi, aut notabili incommodo haberi non poteſt, aut talis eſt conſuetudo Eccleſiæ, cui plurimum hac in re deferri poſſe credimus.

§. X.

Nella ſagreſtia vi ſia l'orologio almeno a polvere per ſapere il tempo della vicenda, di cui ſe ne darà il ſegno ad ogni ora con la campana maggiore, tanto di giorno, che di notte.

I. Eaſdem perſonas per plurimum temporis ſpatium perſeveranter genuflexas orare, humana vix, vel ſaltem ægre patitur infirmitas; hinc qui ut ſupra ante SS. Sacramentum debent aſſiſtere, viciſſim diſtribui jubentur ſpatio dumtaxat unius horæ perſeverantes orare, ut inde quilibet præbere poſſint devotionis exemplum, abſque eo quod qui debilis ſunt habitudinis, multum perſentiant incommodi. Quiſquis etſi Canonicus, Dignitas, aut Eccleſiæ ſuperior, facile hinc ediſcat ab ejuſmodi aſſiſtentia ſe diſpenſare non poſſe, ſed magis præ ceteris teneri promptitudine ſua aliis in exemplum deſervire, & detractoriorum cauſas tollere. Affigetur itaque in ſacrario tabella, in qua erunt deſcripta nomina eorum, & horarum, qui, & in quibus debent aſſiſtere, per horologium metietur tempus viciſſitudinum, & hujus ſignum paulo ante dabitur levi, & interciſa pulſatione campanæ majoris, ut præſto eſſe valeant, qui in aſſiſtentia debent ſuccedere, & ne qui jam aſſiſtentiæ incumbunt, cogantur diutius immorari. Signa autem per campanam majorem data, id ultra habent commodi, ut etiam a longe extra Eccleſiam exiſtentes de expoſitione moneant, & identidem ad actus virtutum excitent.

II. Ubi tot non ſunt Clerici, qui ut ſupra diſtributi pro tempore expoſitionis ſupplere valeant, non propterea diutius in aſſiſtentia morabuntur, ſed magis aſſiſtentiam repetent, & ne nimis gravetur Clerus, unus dumtaxat poterit aſſiſtere in horis ſaltem minus frequentibus, ut ſuperius poſita ſanctio permittit. Ubi vero Clerus abundat, ut quilibet ſuam aſſiſtentiam præſtet, lauderem potius Clerum in majori numero, quam in minori temporis ſpatio aſſiſtere, & hæc dicta ſint etiam pro Eccleſiis extra Romam.

§. XI.

La ſera avanti il giorno dell' Eſpoſizione dopo il ſegno dell' Ave Maria ſi ſuonino le campane ſolennemente per avviſo del popolo, come anche la mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri ſegni dell' Ave Maria durante l' Eſpoſizione, come parimente le ſolite tre volte avanti le Meſſe ſolenni.

I. Campanæ ſigna, quæ dari indicuntur, deſerviunt ad admonendum populum, ut reſpectiva expoſitioni, vel Miſſis ſolemnibus intervenire valeat, quare non ambigo, quod prætermitti item poſſint ad repoſitionis tempus, aut ad quæcumque alia divina officia, quæ eo tempore celebranda forent, quinimmo & ad privatas Miſſas, ubi una, vel altera dumtaxat haberetur, ſecus vero, ubi plures, & continuæ; tunc quippe haud decet, orantes ante Sacramentum per campanarum ſtrepitum diſtrahi, & perturbari. Quoad quantitatem vero ſignorum, tempus, & modum ea edendi, extra Romam locorum conſuetudo cuſtodiri poterit.

§. XII.

Nell' altare, dove ſta eſpoſto il SS. Sacramento, non ſi celebri altra Meſſa, che le ſolenni per l' Eſpoſizione, e repoſizione; nei quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chieſe, dov' è obbligazione di cantarla) ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del SS. Sacramento votiva pro re gravi; *eccettuate però tutte quelle Domeniche, che ſono di prima, o ſeconda claſſe, e tutti li giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto univerſale, quanto particolare di quella Chieſa, in cui ſi fa l' Eſpoſizione, ſi fa officio parimenti di prima, o ſeconda claſſe, come anche eccettuata la feria quarta delle Ceneri, e le ferie ſeconda, terza, e quarta della ſettimana Santa; tutti li giorni dell' ottave di Paſqua, e di Pentecoſte, le vigilie del ſanto Natale, e della Pentecoſte, e l' ottava dell' Epifania; nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e ferie eccettuate, ſi canterà la Meſſa Conventuale con l' orazione aggiunta del Sacramento* ſub unica concluſione; *e tutto ciò ſi oſſerverà inviolabilmente in tutta la Chieſa tanto de' Secolari, che de' Regolari.*

I. Haud nobis ſuppetunt, quæ addamus late traditis in Decr. 30. capitis præced. quoad id, quod primo loco ſtatuit Inſtructio, quod nempe in altari, in quo Sacramentum manet expoſitum, nullæ celebrandæ ſunt Miſſæ, niſi ſolemnes pro expoſitione, & repoſitione. Arripimus itaque, quæ ſecundo loco ſtatuuntur, & illico occurrit nobis Gavantus, qui *par.* 2. *tit.* 14. *n.* 4. edocuit, quod quatenus exponendum incidat Sacramentum pro initio XL. horarum, vel ſpiritualium exercitationum in feſto 1., vel 2. claſſis, ſive in Dominica privilegiata 1., vel 2. claſſis, tunc in Collegiatis vel duæ cantandæ ſunt Miſſæ, altera de feſto, ſeu Dominica poſt Tertiam, altera votiva de Sacramento poſt Nonam, vel una tantum de die cum commemoratione SS. Sacramenti. Doctrina, & verbis ejuſdem Gavanti compactum prodiit S. R. C. Decretum 23. Febr. 1666., quod eſt 33. capitis præc., & eidem Decreto Meratus *in Indice Decret. Miſſal. num.* 426. hæc verba adjecit: *& hæc regula obſervanda eſt etiam pro diebus,*

in quibus prohibetur fieri officium de duplici, vel ſemiduplici. Quoad Eccleſias Collegiatas Urbis, quas alloquitur Inſtructio Romana, una cum Decreto in eo nutat Gavanti regula, quod in duplicibus, & Dominicis 1., vel 2. claſſis, dummodo cantetur Miſſa de die, licitam facit Miſſam alteram de SS. Sacramento exponendo occaſione XL. horarum. Iiſdem laborat mendis Merati regula, qui cum ſcripſerit poſt prædictam Inſtructionem, quam ipſe probe novit, & ad Eccleſiarum inſtructionem in ſuis commentariis producit, in eo ulterius peccat, quod indifferenter eamdem extendit regulam ad quoſcumque dies, in quibus prohibetur fieri officium de duplici, vel ſemiduplici.

II. Eccleſiis itaque Collegiatis Urbis liberum non eſt, ſi accidat officium, vel Dominica 1., vel 2. claſſis, aut duas ut ſupra cantare Miſſas, aut Miſſam de die dumtaxat facere cum commemoratione Sacramenti, ſed præciſe tenentur cantare Miſſam de die cum commemoratione Sacramenti, & Miſſam alteram votivam de Sacramento nullatenus facere valent, quemadmodum eodem Gavanto teſte uſus erat Romæ in Cappella Papæ, & in Eccleſiis majoribus Urbis, & noviſſime definivit Inſtructio Romana, quæ id ſimiliter extendit ad feriam IV. Cinerum, ad ferias II. III. IV. majoris hebdomadæ, ad dies omnes octavæ Paſchæ, & Pentecoſtes, ad vigilias Natalis Domini, & Pentecoſtes, & denique ad octavam Epiphaniæ, cujus dies omnes cum ſint privilegiatæ contra feſta duplicia 2. claſſis, privilegiatæ quoque cenſeri debent contra Miſſam votivam SS. Sacramenti, quæ in feſtis 2. claſſis locum non reperit, argumento a ſimili ducto ex Decretis ſuper Miſſis de Requiem non dicendis in feſtis duplicibus, quæ interprete ipſa ſacra Congregatione extenduntur ad dies omnes, quæ feſta duplicia repellunt. Ex quibus ſequitur diebus omnibus aliis Miſſam votivam SS. Sacramenti non eſſe prohibitam, quinimmo in iiſdem Eccleſiis Urbis eſſe habendam, etſi fortaſſe apud earumdem aliquam conceſſum haberetur officium, quod licet inferioris ritus ipſum ſit, ex privilegio tamen excludit feſta duplicia 1., vel 2. claſſis, quo in caſu facienda item foret Miſſa de die cum commemoratione Sacramenti.

III. Diebus igitur ab Inſtructione exceptis, & modo enumeratis Collegiatæ Urbis cantabunt Miſſam de die, & loco Miſſæ votivæ quæ de Sacramento cantanda foret, commemorationem facient de eodem Sacramento, quæ *ſub unica concluſione* cum oratione diei dicenda mandatur, quia Miſſæ, quæ *pro re gravi* ſolemniter decantantur, nonniſi unicam orationem admittunt juxta Rubricam IX. *n. 4.*, quæ licet agat de Miſſis votivis, idipſum tamen implicite faciendum eſſe ſatis indicat, ſi eadem de cauſa cantetur Miſſa occorrens, aut hæc in locum Miſſæ votivæ ob impedimentum ſubrogetur, ut evenit in caſu noſtro, in quo cantatur Miſſa diei loco votivæ de Sacramento, quæ *pro re gravi* indicitur. Diebus autem, qui non ſunt ex ſuperius exceptis, & enumeratis, eædem collegiatæ ad duas tenentur Miſſas, ad votivam nempe de Sacramento, & ad aliam de die, & adhuc ad plures, ſi juxta Rubricarum mandata cantandæ incidant; non enim per Inſtructionem, etſi Miſſæ Conventualis in ſingulari meminerit, ſolvitur Rubricarum præceptum ſuper pluribus, ſed magis firmatur, dum non obſtante Miſſa votiva SS. Sacramenti eaſdem Eccleſias adſtringit ad parendum Rubricis de Miſſa Conventuali, cujus nomine veniunt, quotquot juxta Rubricas ea die occurrunt. Hinc vero indubitanter infer, quod diebus iiſdem, quibus juxta ſuperius dicta cantanda tantummodo eſt Miſſa de die cum commemoratione SS. Sacramenti, non propterea Eccleſiæ Collegiatæ, etſi Miſſam de Sacramento facere nequeant, ſed tenentur eadem ſupplere per eam de die, eximuntur a cantanda Miſſa altera de vigilia, aut feria, ſi occurrat.

IV. Lex hæc eſt Eccleſiarum Collegiatarum Urbis; non Collegiatæ vero per ea verba *nelle Chieſe dov' è obligazione di cantarla*, a decantanda Miſſa Conventuali declarantur immunes, & ſolum per ſequentia, *ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del Sacramento*, obligantur ad Miſſam ſolemnem de SS. Sacramento, & ad hanc, quodcumque occurrat officium, niſi fuerit ex ſuperius exceptis, & recenſitis; quo in caſu celebrabunt Miſſam de die cum commemoratione SS. Sacramenti ſub una concluſione, ut dicebamus ſupra.

V. Miſſa votiva de Sacramento *poſt Nonam* dici mandatur, & id conformiter ad Rubricam XV. num 5. *Miſſæ votivæ, quia non correſpondent officio, ſi ſolemniter celebrantur pro re gravi, publica Eccleſiæ cauſa cum populi frequentia, dicantur poſt Nonam.* Quam ſuper Rubricam *part. 1. tit. 15. lit. f.* ſcribit Gavantus: *Duplicem habet cauſam, diſcordantiam ab officio, & frequentiam populi, qui dum tardiori Miſſæ intereſt, quaſi ſuo jejunio orationi publicæ vires addit.* At quid in Collegiatis Eccleſiis, ſi Miſſam alteram debeant facere, quæ juxta Rubricas poſt Nonam itidem dici debeat? Hanc dicent poſt Sextam, ut quoad fieri poteſt, teneatur hora præſcripta, vel eidem proximior, illam vero poſt Nonam. Cum enim Miſſa votiva diſcordet ab officio, convenit, quod reponatur poſt ipſum officium, quod regulariter terminatur ad Nonam, aut ſaltem poſt ultimam horam officii matutini, quando diei officium proſequendum eſt in veſperis, ubi Miſſam officii nihil vetat intermiſceri ipſi officio, uti reapſe fit in feriis per annum. Quæ ratio æque militat pro iis Miſſis, quæ diſcordant ab officio, puta vigiliarum intra octavam, aut quoties in feriis majoribus occurrit feſtum aliquod; proculdubio enim Miſſæ votivæ magis diſcordant ab officio, cum quo nihil commune habent, quinimmo ea, de quibus agimus, reſpuunt etiam commemorationem officii, ubi vigiliæ, & feriæ præſtant in diei officio ſaltem nonam lectionem, & commemorationem ſortiuntur. Quod vero dictum eſt de Miſſa votiva cantanda, fallit infra octavam Corporis Chriſti; tunc enim non Miſſam votivam, ſed Miſſam ut in feſto Corporis Chriſti dicendam eſſe, tametſi officium fieret de Sancto, aperte eruitur ex Decreto S. R. C. 2. Decembr. 1683.

III. Quid vero faciendum ſit, quoties Miſſa votiva fieri non valet, ſed dicenda ut ſupra eſt Miſſa de die, ſupereſt perſcrutari; & nos diſcedendum non eſſe credimus ab hora, poſt quam Rubricæ talem Miſſam præſcribunt eſſe dicendam, ſed tunc præſtabit, quod tardius recitetur hora competens, ut frequentior habeatur concurſus populi, quam quod Miſſa v. g. feſti cantetur poſt Nonam, ſicuti ex Alcozer Sacram Rituum Congregationem declaraſſe refert Gavantus *part. 1. tit. 15. lit. a.*, quando propter terræ frigiditatem populus venit tarde ad Eccleſiam. Huculque autem tradita dumtaxat militant pro Eccleſiis Urbis, quæ vero regula ſervanda ſit ab Eccleſiis extra urbem, jam diximus in Decr. 33. cap. præced.

X. XIII.

Nel giorno medio oltre la Meſſa conventuale ſi dovera cantare dopo Nona la Meſſa votiva pro Pace, *o altra, che verrà commandata da Noſtro Signore, ſecondochè ſtarà eſpreſſo nella liſta delle quarant' ore, con la medeſima eccezione delli giorni ſuddetti, e con la medeſima regola circa l' orazione.*

II. Ad diem medium deſcendit ſanctio, & collegiatas urbis alloquens Eccleſias, has obligat ad conventualem Miſſam, & inſuper ad alteram votivam, non de Sacramento, ſed *pro Pace*, aut aliam, quæ in ordine XL. horarum manebit expreſſa. At quid ſibi volunt ſubſequentia illa verba: *colla medeſima eccezione delli giorni ſuddetti, e con la medeſima regola circa l' orazione?* Non aliud utique, niſi quod ſi occurrat officium, aut Dominica 1. vel 2. claſſis, ſive aliud ex ſuperius recenſitis, dicenda non erit Miſſa *pro Pace*, aut alia, quæ foret indicta, ſed Miſſa de die cum additione orationis ſub unica concluſione. Sed cujus orationis, Sacramentine, vel de pace? Inſtructio non explicat, nos tamen ſtamus pro oratione de pace, aut de neceſſitate, pro qua Miſſa alias foret cantanda. Ejuſmodi namque oratio ſupplet pro Miſſa votiva, quæ dici deberet; unde ſicuti in die expoſitionis, & repoſitionis, in quo facienda eſſet Miſſa de Sacramento, additur oratio ejuſdem Sacramenti, ita in die medio commemoratio habenda erit de pace, aut de neceſſitate, de qua Miſſa dici deberet. De Eccleſiis collegiatis extra urbem inſtituitur ſermo in memorato Decr. 33. Cap. præced.

§. XIV.

Nelle Chieſe non collegiate, e dove non è obbligazione di cantarſi la Meſſa conventuale, dovrà in detto giorno medio cantarſi ſolamente la votiva ſuddetta con l' eccezione, e regola preſcritta di ſopra nella Meſſa del Sacramento; queſta però dovrà cantarſi ad un altare, che non ſia quello dell' eſpoſizione, nè quello, dove ſia il tabernacolo col Sacramento incluſo; ed in quelle Chieſe, che hanno l' obbligo di cantar la Meſſa conventuale, queſta pure ſi canterà ad altro altare, come ſi è detto.

II. Nunc diſpoſitio ſubditur pro Eccleſiis Urbis non collegiatis, & hæ eximuntur ab onere celebrandi conventualem Miſſam; an autem ita, ut nec eamdem pro libito celebrare valeant? Id indicare videtur *ſolamente*, qua utitur Inſtructio, & eamdem afficit Miſſam votivam, & id fortaſſe, ne per cantum interturbetur attentio orantium ante Sacramentum. Verum abſit, nos proſcribi putemus laudabile inſtitutum cantandi Miſſam officio conformem, quod quique Auctores commendant admodum, & Rubricæ ipſæ atque Inſtructio in præcepto conſtituunt apud collegiatas Eccleſias, quibus valde laudabiliter ſe conformare ceteras, nos alibi diximus, unde præfatam dictionem *ſolamente* explicare malumus per excluſionem obligationis, non autem arbitrii. Cetera autem ſanctionis verba aperta ferunt, quod prædictæ Eccleſiæ teneantur celebrare Miſſam *pro Pace*, aut alteram, quæ erit indicta, & quatenus incidat officium aliquod ex ſuperius enumeratis, dicenda eſt Miſſa de die cum oratione *pro Pace*, vel de neceſſitate, de qua Miſſa votiva dicenda eſſet, ſub unica concluſione cum oratione diei. Quod vero ſubdit ſanctio de Miſſa hoc die non cantanda ad altare, in quo Sacramentum manet expoſitum, aut in tabernaculo incluſum, uberi jam explanatione proſecuti ſumus in Decreto 30. capitis præced.

§. XV.

Si ordina eſpreſſamente, che nelli giorni dell' Eſpoſizione, medio, e della repoſizione, le Meſſe ſi debbano cantare con li Miniſtri parati, e non altrimenti, anche nelle Chieſe de' Regolari, non oſtante qualſivoglia loro uſo, o preteſa conſuetudine in contrario.

I. Lex ejuſmodi cum lata ſit ab habente auctoritatem, etiam ſuper Regulares, dubium non eſt, quod ligat Eccleſias omnes urbis non obſtante quocumque earumdem uſu, & conſue-

conſuetudine in contrarium, quibus propterea derogatur. Miſſæ, quas ſanctio comprehendit, indubie ſunt votivæ de Sacramento, & pro Pace, quæ ut ſupra in prædictis diebus decantari præcipiuntur, & in jure votivarum ſuccedit Miſſa de die, quæ in diebus ut ſupra enumeratis illarum loco canitur, quando votivæ haberi non poſſunt. Temporis circumſtantia, atque ſolemnitas id utique expoſcunt, nec aliter evincit Rubrica IX. *num.* 14., quæ Miſſas pro re gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa, cujuſmodi ſunt, de quibus agimus, *ſolemniter* habendas eſſe decernit, alias non perfruuntur privilegiis, quæ eiſdem competunt. An autem id extendendum item ſit ad Conventuales Miſſas, quæ ultra prædictas Miſſas ad obediendum Rubricis cantantur, abſoluta ſanctionis diſpoſitio videtur expoſcere, & temporis circumſtantia, atque ſolemnitas, nos autem etſi id congrue fieri putemus, Eccleſias ad ejuſmodi onus obligare non poſſumus; prædictæ enim Miſſæ non ſunt pro re gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa, & ad occurrentem ſolemnitatem ſpectant dumtaxat materialiter, non formaliter, unde ſicuti propterea nullis privilegiis perfrui credimus, ſed celebrandas eſſe perinde ac ſi in tali temporis circumſtantia minime celebrarentur, ita putamus ſacrorum miniſtrorum aſſiſtentiam haudquaquam exquirere. Hæc dicta ſunto pro ſolis Eccleſiis urbis, pro iis vero extra Romam recole Decretum 33. præcedentis capitis.

§. XVI.

Nelle Meſſe private, che ſi celebreranno durante l'eſpoſizione, non ſi ſuoni il Campanello all' elevazione; ma ſolo uſcendo i Celebranti dalla ſagriſtia, ſi dia un piccolo ſegno con la ſolita Campanella.

I. Ex Rubricarum præſcripto miniſter intra Miſſam bis campanulam pulſat, primo nempe ad *Sanctus* ad excitandos aſtantium animos ad proxima myſteria, & ſecundo ad elevationem SS. Sacramenti, ut fideles commoneſiant ad illud adorandum. Quoties Sacramentum eſt in altari patenter expoſitum, ejuſmodi ſigna ad elevationem (a fortiori utique etiam ad *Sanctus*, etſi hujus Inſtructio minime meminerit) dari interdicuntur; cum enim tunc in actuali Sacramenti veneratione, & profunda meditatione myſteriorum maximi ſupponatur populus commorari, haud indiget per pulſationem Campanulæ excitari ad venerationem Sacramenti, quod in Miſſa elevatur, quaſi idem Sacramentum non foret, quod publice adorat expoſitum. *Nelle Meſſe private* habet ſanctio, & de his ſpecialis ulterius militat ratio, quia cum extra altare expoſitionis ſupponantur haberi, cogerentur alias fideles hinc inde ad diverſa ſe convertere altaria, cum maximo utique incommodo, præſertim ubi plurimæ celebrentur Miſſæ.

II. At quid de ſolemnibus, atque cantatis? Quatenus ex nudis ſanctionis verbis quæſtio decidenda foret, exceptio, quam fecit de Miſſis privatis, in contrarium firmaret regulam pro cantatis atque ſolemnibus; ſed quoniam integra ejuſdem ratio, quæ eſt anima legis, æque militat etiam de Miſſis ſolemnibus, atque cantatis, quæ extra altare expoſitionis habentur, ideo ad has quoque nos non ambigimus legem extendere, ſolumque de iis ſupereſt difficultas, quæ fierent ad altare expoſitionis. Diſputant Auctores, num in feria VI. Paraſceves prædicta ſigna dari debeant, & quia tali die præ ceteris ante elevationem Sacramentum jam eſt in altari, in cujus adoratione populus ſupponitur verſari, concordes quæſtionem negative definiunt. Unus eſt Clericatus, qui *de ſacrif. Miſſæ deciſ.* 43. *num.* 6. unum, vel alterum ſignum dari poſſe aſſerit ad excitandam circumſtantium attentionem. Clericati ſententia ex eo abs re non eſſe dignoſcitur, quod etſi populus fortaſſe ſit conſcius, Sacramentum adeſſe in altari, ibi tamen non eſt ob oculos populi, ob quos conſequenter dum ponitur ſpecialiter adorandum, æquum eſt, etiam populus ſpecialiter moneatur, ut illud ſpecialiter valeat venerari; In noſtro autem caſu dum Sacramentum eſt patenter expoſitum, eſt itidem ob omnium oculos, ut ſpecialiter honoretur, unde fideles non indigent per campanulam excitari ad ejuſdem ſpecialem adorationem.

III. Quoniam vero pulſatio Campanulæ ad elevationem in Miſſa, quæ dicitur in altari expoſitionis, immunis eſt fidelium incommodo hinc inde ſe convertendi ad altaria, in quibus Sacramentum elevatur, cum quaſi virtuali contemptu Sacramenti publice expoſiti, cujus adorationem veluti deſerit, ut tranſeat ad venerationem illius, quod elevatur, quaſi idem Sacramentum non foret, ſed utriuſque Sacramenti, quod fide divina probe noſcit eſſe unum & idem, adorationem conjungens, tantummodo ſimul recolendam objicit Chriſti elevationem in cruce, & mactationem, idcirco in Miſſis, quæ celebrantur in altari expoſitionis, haud ego refragarer admodum, ſi ad elevationem prædicta campanula pulſaretur. Dixi *ad elevationem*, quia ad *Sanctus* tanta non puto myſteria objici, ob quæ populus in adoratione, & meditatione, quibus incumbit, debeat perturbari.

IV. In veteri teſtamento ingreſſus Pontificis ad altare per tintinnabula populo innoteſcebat, hinc in Eccleſiam, dum Sacerdos e ſacriſtia ad altare celebraturus incedit, invectus mos extitit, annuntiandi per miniſtrum populo prope ſtanti media pulſatione campanulæ acceſſum ejuſdem Sacerdotis ad ſacrum faciendum. Sacramento adhuc publice expoſito, ſignum ejuſmodi dari minime interdicitur, ſed ita res moderatur, ut parvulum quidem ſignum detur cum ſolita campanula, ut fideles admoniti, inſimul ſacrificio aſſiſtere valeant, & ne per ſignum productius ceteri perturbentur in veneratione Sacramenti. In hoc igitur caſu ſemel, aut bis per campanulam conſuetam fiet *tin tin*, quo ex ſono Campanulæ ipſi tintinnabuli nomen obvenit. Opus autem non eſt, coner oſtendere, quod hæc omnia communia eſſe debent expoſitioni cuilibet, etiam privatæ, & extra Romam.

§. XVII.

Non ſi celebrino Meſſe di Requie nel tempo, che durerà l'orazione di quarant' ore; e le Meſſe del Santiſſimo, che ſi celebreranno nei giorni permeſſi dalla Rubrica, ſaranno meramente votive ſenza Gloria, *e* Credo. *Nell' altre Meſſe private correnti, ſi aggiungerà dopo le preferitte dalla Rubrica, l'orazione del Sacramento, così comandando la Santità di Noſtro Signore.*

I. Hæc jam uberi cum proſecuta fuerint calamo, pro Miſſis de Requiem non dicendis expoſitionis tempore, lector recolat Decretum 43. præcedentis capitis, pro Miſſis votivis de SS. Sacramento, Decreta 33. & 39., & pro oratione SS. Sacramenti addenda in Miſſis privatis currentibus, Decr. 35. 36. & 37. 38. 39. ejuſdem capitis.

§. XVIII.

Il celebrante, dovendo portare il Santiſſimo in Proceſſione, ſarà veſtito con piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d'altro colore; che in tal caſo continuerà il colore della Meſſa: il velo umerale però ſarà di colore bianco in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sacramento anco nel Venerdì Santo; e li paramenti de' miniſtri ſacri ſaranno del colore del celebrante, come ſopra. Parimente il pallio dell' altare, dove ſta l'eſpoſizione, ſarà ſempre di colore bianco, benchè la Meſſa ſolenne ivi ſi celebri in altro colore; come pure il baldacchino per la proceſſione deve eſſere del medeſimo color bianco.

I. Ad colorem proceſſionis SS. Sacramenti deſcendit Inſtructio, & ubi illi colorem album abſolute Rubricæ Miſſalis, & Ritualis concordes aſſignant, Inſtructio limitationem adhibet pro caſu, in quo præcedenter Miſſa celebrata fuerit (idipſum erit, ſi proceſſio fiat poſt veſperas, aliaſve canonicas horas) in paramentis alterius coloris, & tunc continuandum eſſe ſtatuit colorem ipſius Miſſæ, vel officii. Non ſemel evenit, quod eadem Eccleſiaſtica functio alium in initio, alium in fine colorem exigit, aut e contra, & cum conveniens non ſit, certe vero valde incommodum, functionem ipſam interrumpere, vel retardare ad effectum mutandi colorem, Eccleſia in uſum habet, eum colorem ſeligere, & per totam functionem adhibere, qui congruit ei, quod principalem ſibi vindicat conſiderationem. Sic quando dividuntur veſperæ cum ſequenti officio, quod diverſum colorem exigit, hujus colorem adhibet etiam in veſperarum initio, etſi non congruat Sancto, de quo illæ dicuntur, & in feria VI. Paraſceves proceſſionem ipſam SS. Sacramenti continuat in colore Miſſæ, etſi cum niger ſit, minus conveniens profecto ſit rei, quæ per proceſſionem defertur; quidni igitur & in caſu noſtro continuari debebit color Miſſæ, aut veſperarum, cum quibus conſequens proceſſio tanquam quid acceſſorium non minus unam functionem integrat? Hanc itidem ſequuntur regulam paramenta miniſtrorum, quæ iis celebrantis conformia omnis expoſcit ratio; ſecus vero eſt de velo humerali, & baldacchino, quæ cum in præcedenti functione in uſu non fuerint, ſed de novo ſint afferenda, æquum eſt, afferantur talis coloris, qui Sacramento deferendo congruat, & ea propter etiam feria VI. Paraſceves adhibenda mandantur coloris albi.

II. Etſi Miſſa, aut officium canonicum, quæ dicuntur coram SS. Sacramento, in altari expoſitionis, peragenda ſint in paramentis coloris, quem ipſa exigunt, adhuc altaris pallium ſemper erit album; cum enim pallium ex paramentis ſit, non celebrantis, ſed altaris, æquum eſt, Sacramento congruat, quod in altari eſt publice expoſitum; non vero colori Miſſæ, a quo etiam diſcordat ſaltem ſub Miſſis privatis, quæ non dicuntur de officio currenti, cui pallium debet eſſe conforme. Hæc ita quidem in Miſſis, quæ celebrantur in altari, in quo Sacramentum jam patet expoſitum, ſed difficultas ſupereſt de colore pallii ſub Miſſa, quæ celebratur pro exponendo eodem Sacramento; in hac enim Miſſa Sacramentum non eſt publice expoſitum, quinimmo ante conſecrationem nec eſt in altari, & poſt conſecrationem latet ſuper altaris menſam perinde quaſi ac lateat Sacramentum ipſum, quod in Miſſa conſumitur, aut populo diſtribuitur, vel abſque ulla expoſitione intra tabernaculum reclauditur, ut propterea album pallium exigat. Si Inſtructionis verba, *dove ſta l'eſpoſizione*, eum ſenſum redderent, quem Pittonus *deciſ. pro ſacr. ritib. nu.* 1256. tidem facit, ſcilicet *ubi ſit expoſitio*, fortaſſe etiam Miſſam pro exponendo Sacramento in ſuo ſinu comprehenderent, ſed jam quiſquis diſerte percipit, quod Pittonus non rite latine reddidit, quod Inſtructio italice exaravit, iis enim verbis *dove ſta l'eſpoſizione* hæc correſpondent, *ubi eſt expoſitio*, quæ Sacramentum exponendum non dicunt, ſed expoſitum.

III. Verum etſi Pittoni verba non rite fortaſſe ſtent ad latinitatis leges, legitimum ſortiri valent ſenſum, & eſt, quod altare, in quo facienda eſt expoſitio, paratum eſſe debet pallio coloris albi. Diſtinguendum itaque nos eſſe credimus, & quatenus expoſitio fiat immediate poſt Miſſam, etiam ſub præcedenti Miſſa pallium erit album, quale eſſe debet in altari, quo expoſitum eſt, vel exponitur Sacramentum; valde enim dedecet, quod Sacramento exiſtente in altari removeatur pallium Miſſæ, ut ſubrogetur album pro expoſitione facienda. Si vero immediate poſt Miſſam facienda non ſit expoſitio, ſed proceſſio intermediari debeat, ad Miſſam forſitan pallium eſſe poterit, quale exquirit ejuſdem Miſſæ qualitas, ſed indubie amovendum erit, dum fit proceſſio, cum appoſitione albi, ut in proceſſionis reditu altare apte paratum ſit pro expoſitione Sacramenti in eo facienda, moris inſtar, qui ſervatur die 2. Februarii, in qua ad benedictionem candelarum in uſu eſt pallium violaceum, quod tamen amovetur, dum fit proceſſio, ut appareat album pro Miſſa. Dixi *forſitan*, quia ſi Inſtructionis verba excogitentur ſerio, etiam ſub præcedenti Miſſa expoſcunt pallium album; agunt enim de Miſſa, ad quam non ſequitur expoſitio Sacramenti, niſi proceſſione media, & adhuc ſine diſtinctione ulla, quam ceteroqui faciunt de paramentis aliis, aſſignant pallium album. Hæc autem poteſt eſſe ratio, quod immediate poſt Miſſam nihilominus expoſitio incipit, dum ſtatim ſuper altare Sacramentum ſolemniter exponitur detectum, licet nonniſi proceſſione intermedia exponatur in throno, ex quo apparet ratio diſcriminis ad id, quod dicebatur de die 2. Februarii.

IV. Hactenus de pallio altaris, in quo exponitur SS. Sacramentum; in aliis vero altaribus, etiam expoſitionis tempore, pallium ejus coloris erit, quem expoſcit, non quidem Miſſa, quæ dicitur, ſed officium, cujus celebrationi ea die Eccleſia expoſitionis incumbit. Id tamen fallit in Miſſis conventualibus, & ſolemnibus, quæ extra altare expoſitionis cantantur; his enim de congruo concordes Auctores aſſignant pallium conforme colori paramentorum Miſſæ, non officii. Quæ omnia dicta ſunto nedum de expoſitione XL. horarum Urbis, ſed de expoſitione qualibet publica, ubique fiat; quæ extendere etiam rite poteris ad expoſitionem privatam, ſeu cum Sacramento velato.

§. XIX.

Terminata la meſſa ſolenne per l'eſpoſizione, il celebrante e li miniſtri, fatte le dovute riverenze al Sacramento, ſi ritireranno fuori del corno dell'Epiſtola, dove il celebrante (come pure li miniſtri) deporrà il manipolo, e levata la pianeta prenderà il piviale, ponerà ivi l'incenſo in due turiboli ſenza benedirlo; e dopo con li miniſtri genufleſſo nel mezzo, incenſerà tre volte il Santiſſimo. Sul fine della Proceſſione (quale ſi principierà anticipatamente fatta l'elevazione del Santiſſimo, o prima, ſecondochè ſarà più, o meno numeroſa) il Diacono in tempo congruo, fatta la genufleſſione ſopra la pradella, prenderà il Sacramento, e ſtando in piedi lo conſegnerà al celebrante genufleſſo; genufletrendo immediatamente eſſo Diacono, lo prenderà il celebrante, ricoperte le mani dall'eſtremità del velo umerale, e ſi alzerà. Principiandoſi poi da cantori l'inno Pange lingua &c.*, s'incamminerà ſotto il baldachino, recitando con voce ſommeſſa ſalmi, ed inni inſieme con li miniſtri, quali eleveranno le fimbrie del piviale.*

I. In Miſſa ſolemni, quæ cantatur pro exponendo SS. Sacramento, duæ magnæ conſecrabuntur hoſtiæ, quarum una tantum elevatur, ut notis eſt, relinquatur altera ſuper corporale a parte ſiniſtra celebrantis. Ante conſecrationem præſtantur omnia tum a Sacerdote, tum a miniſtris, quæ ſervari præſcripta ſunt per Rubricas in aliis Miſſis ſolemnibus; poſt conſecrationem vero, quæ ſervanda alibi diximus in Miſſa ſolemni coram SS. Sacramento; quæ vero ſubdimus, particularia ſunt eidem Miſſæ. Sumpto corpore, & hauſto Chriſti ſanguine, dum celebrans ſtat in ejuſdem meditatione, cæremoniarius, ſi adſit, ſin ſubdiaconus ad altare defert oſtenſorium, illud collocat in cornu Epiſtolæ prope corporale, & mox ab eo aufert velum, quo erat coopertum. Subdiaconus deinde accedit ad libram, cedens gradum ſuperiorem Diacono, qui tranſit ad dexteram celebrantis. In receſſu autem, & acceſſu miniſtri ſemper unicum genu flectunt.

II. Mox diaconus aliquantulum removet calicem verſus latus evangelii, ſuper corporale tamen, illumque palla cooperit, & continuo oſtenſorium aperit, & ſuper corporale collocat ante celebrantem, qui ſtatim cum ſacris miniſtris in loco ſuo genuflectit unico genu, & ſurgunt illico, deinde celebrans extracta lunula, ſua propria manu adaptat ſacram hoſtiam in prædicta lunula, quam deinde in oſtenſorio reponit adjuvante diacono, qui illud ſtatim claudit, & in medio corporalis reverenter collocat. Poſtea celebrans, & miniſtri Sacri genuflectunt, ſurgunt, & ſacerdos ſumit purificationem aliaque cuncta peragit una cum miniſtris, ut in Miſſa celebrata coram SS. Sacramento.

III. Dum perficitur Miſſa, an oſtenſorium ſit velandum, noviſſime Romæ conſultus extitit quidam in ſacris ritibus peritiſſimus, qui non eſſe velandum ex eo cenſuit, quod de hoc velo ne minimum quidem habetur verbum in prædicta Inſtructione. Puſilla adeo apparet nobis ratio ejuſmodi, ut ex eadem nos magis eruamus oppoſitum; quæ enim Inſtructio particulariter non notat, Rubricarum diſpoſitioni relicta cenſentur, quare cum Rituale Romanum *tit. de Proceſ. in feſto SS. Corp. Chr.* in caſu omnino ſimili de oſtenſorio habeat: *veloque operiatur, donec auferatur ab altari*, velandum non eſſe credimus cum Baruffaldo, qui in rationem affert, ne dum reliqua Miſſæ peraguntur, Sacramentum appareat indebite collocatum extra baldachinum. At quo velo cooperiendum erit? Indubie albo, quamvis Miſſa in alio colore celebretur. Ad id autem deſervire poterit velum, quo præcedenter jam tectum erat, & eſſe poteſt unum ex iis, quibus calix pro Miſſa cooperiri ſolet.

IV. Si ante expoſitionem poſt Miſſam proceſſio facienda ſit, hic erit ritus. Finito ultimo Evangelio, celebrans pergit ad altaris medium inter ſacros miniſtros, una cum his unico genuflectit genu ſine capitis inclinatione, mox diaconus aufert velum ab oſtenſorio, & repetita ab omnibus genuflexione, præcedente ſubdiacono, & ſequente diacono deſcendit celebrans per gradus laterales Epiſtolæ in planum, ubi retro altare, vel ad credentiam exuit planetam, & accipit pluviale illius coloris, cujus erat planeta. Sacri item miniſtri deponunt manipulum, ſed non accipiunt pluviale, ſed remanent in Dalmatica, & tunicella, aut in planetis plicatis, ſi in iſtis miniſtrarunt in Miſſa. *Ponerà ivi l'incenſo*; quare non jam ad altare Sacerdos imponet incenſum in duo thuribula, ſed in eodem plano exiſtens; imponet autem abſque benedictione, diacono miniſtrante naviculam ſine oſculis, & ſubdiacono elevante fimbriam pluvialis dexteram.

V. *E dopo con li miniſtri genufleſſo nel mezzo.* Deinde celebrans manibus junctis, oculis ad terram demiſſis; & nudo capite, medius inter ſacros miniſtros elevantes hinc inde fimbrias pluvialis, accedit per planum presbyterii ad medium altaris, ubi ante infimum gradum in eodem plano cum miniſtris ſacris genuflectit utroque genu cum profunda capitis inclinatione. Tum erectus una cum iiſdem Miniſtris genuflectit; ubi autem debeat genuflectere, Auctores valde diſſident; alii enim genuflectere eumdem faciunt in ſuppedaneo, alii in ſecundo gradu una cum miniſtris, nec deſunt aliqui qui celebrantem collocant in infimo gradu, & miniſtros in plano; Braſilon autem tum celebrantem, tum miniſtros genuflectere mandat in infimo altaris gradu; & ab hac ſententia diſcedendum non eſt, cum ſit conformis Cœremoniali Epiſc. *lib. 2. cap. 3.*, & Inſtructioni ipſi, quæ licet hic taceant, in proceſſionis tamen reditu eoſdem genuflexos in infimo altaris gradu collocant, ibique genuflexos opportuno tempore Sacramentum incenſare faciunt. Ut itaque erecti ſunt, genuflectent illico in infimo gradu altaris, nec ſe inclinant, & ibi facta oratione brevi, juxta Auctores ſurgunt, imponunt incenſum in thuribula, & deinde genuflexi Sacramentum thurificant; ſed cum juxta Inſtructionis præſcriptum incenſum jam ad credentiam in thuribula fuerit impoſitum, idcirco præmiſſa prædicta oratione, quæ erit brevis admodum, non ſurgunt ad imponendum iterum incenſum in thuribula, ſed diaconus tradet ſine oſculis thuribulum celebranti, qui ter incenſabit Sacramentum, facta profunda inclinatione ante, & poſt, etiam a miniſtris, qui interim elevabunt anteriores partes pluvialis. Hoc facto diaconus a celebrante acceptum ſine oſculis thuribulum, reddet thuriferario, qui, uti & alter thuriferarius remanebunt genuflexi in plano, abſtinentes ab incenſatione Sacramenti, quod ſolum thurificant in proceſſione.

IV. Tum velum oblongum album allatum per aliquem acolythum, imponitur humeris celebrantis, & ſuper brachia, & manus ejuſdem extenditur, & firmatur aciculis, vel funiculis ſericis ante, ne decidat. A quo præſtandum id ſit, a ſubdiacono cenſet Meratus *part. 2. tit. 14. num. 3.*, ſed opportune ſe nobis offert Rubrica Ritualis Romani, quæ *de Proceſ. in feſto Corp. Chr.* id muneris aperte committit diacono, & inſimul dirimit difficultatem alteram, dum celebrantem in ſupremo altaris gradu genuflexum, oſtenſorium a diacono facit ſuſcipere. En Rubrica: *Deinde diaconus oblongum, ac decens velum circumponit ſcapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente utraque manu cooperta, oſtenſorium, ſeu tabernaculum a diacono ſibi porrectum, reverenter ſuſcipit in ſupremo altaris gradu; mox ad altare aſcendit, & Sacramentum ante faciem tenens, vertit ſe ad populum.*

VIII. Ut itaque firmatum eſt præfatum velum ſuper ſcapulas Sacerdotis, ſi tempus ſit congruum (tunc autem cenſetur congruum, quando proceſſio jam ita progreſſa eſt, ut Sacerdos cum Sacramento eamdem ingredi debeat) celebrans, & ſacri Miniſtri ſe erigunt, & idem celebrans, & ſubdiaconus aſcendunt ad ſecundum altaris gradum, & genuflectunt in ſuppedaneo, ubi non ſe inclinant Sacramento, diaconus vero aſcendit uſque ad ipſum altare, ubi facta genuflexione unico genu ſine capitis inclinatione, accipit ambabus manibus oſtenſorium imagine crucifixi, quæ eſt in hoſtia, ad ſe converſa, & vertens ſe ex parte Evangelii, illud tradit celebranti eodem modo, ita ut ſcilicet in tota proceſſione imago crucifixi non reſpiciat celebrantem, ſed viam, quam habet ante ſe. Diaconus ſtans tradit oſtenſorium, & celebrans genuflexus illud recipit manibus velo coopertis, & mox diaconus in eodem loco, in quo eſt, genuflectit unico genu ſine capitis inclinatione, & illico ſurgens accedit ad dexteram celebrantis, qui eodem tempore ſurgit cum ſubdiacono, & a nullo ulla genuflexione facta, cum iiſdem ſacris miniſtris elevantibus pluvialis fimbrias, ſimul aſcendit in planum ſuppedanei, ubi cum iiſdem miniſtris

vertit

vertit ſe ad populum, eodem prorſus modo, quo ſe vertit in Miſſa pro dicendo *Dominus vobiſcum*. Miniſtri autem prædicti item eodem modo, & ſimul ſe vertunt cum ipſo, ita ut Diaconus vertendo ſe, non relinquat dexteram Celebrantis, nec fimbriam pluvialis, quam ſuſtinet, ſed ſimul vertendo ſe ſequatur eamdem dexteram, ſubdiaconus vero ſiniſtram.

VIII. *Principiandoſi poi da' cantori l'inno* Pange lingua &c., *s'incamminerà ſotto il baldacchino*, & per hæc verba carpitur uſus nonnullarum Eccleſiarum, in quibus Sacerdos ſtat in ſuppedaneo per totam primam ſtropham prædicti hymni, & nonniſi eadem terminata deſcendit ſupponens ſe baldachino. A quo præfatus hymnus intonari debeat, diſerte declarat Inſtructio, dum habet *Principiandoſi da' cantori*, quare non a Sacerdote, ſed a cantoribus intonari debebit, & Sacerdos una cum Miniſtris ut ſupra diſcedens, & per totam proceſſionem recitabit hymnos, & pſalmos, celebrante incipiente, & dicente totum primum verſum, & Miniſtris ſecundum, & ſic alternatim, quemadmodum per ea verba: *S'incamminerà ſotto il baldacchino, recitando con voce ſommeſſa ſalmi, ed inni con li Miniſtri:* Inſtructio aperte præcipit, & concordat Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 33.*

IX. Quoniam vero Cæremonialia ſe mutuo explicant, & ſubſidium parant, abs re non eſt adjicere Ritualis Romani diſpoſitionem: *Inde deſcendit ſub umbella, comitantibus Miniſtris, & duo Acolythi, vel Clerici cum thuribulis effumantibus præcedant. Dum vero Sacerdos diſcedit ab altari, Clerus, vel Sacerdos cantare incipit ſequentem hymnum* Pange lingua &c. In ea hæc diſpoſitio cum præcedentibus concordat, quod in diſceſſu Sacerdotis ab altari hymnum cantari facit, ſed diſcordat poſtea, dum ſubdit: *Clerus, vel Sacerdos cantare incipit*, quaſi liberum ſit vel Clero, vel Sacerdoti talem hymnum intonare. Haud quidem ambigo, quod hic *Cleri* nomine non venit Clerus univerſus, qui proceſſioni intereſt, ſed magis duo cantores ex eodem Clero, alias quippe tumultuarie, & cum vocum diſſonantia eumdem hymnum intonari contingeret; primo autem loco donatur Clerus, ut deſignetur ad prædictos cantores ex Clero ſpectare intonare hymnum, & per ſequentia verba *vel Sacerdos* ſolum in ſubſidium vocatur Sacerdos in ruralibus, aliiſque Eccleſiis, in quibus Clerus deficit, & ad quarum inſtructionem non minus editum eſt Rituale Romanum, & in his Eccleſiis etiam per proceſſionem Sacerdos cantare poterit. Non deſunt namque loca, in quibus vel nullus, vel pauci cantum Gregorianum, vel tonos hymnorum callent, atque vix id, quod audiunt, repetunt, unde ſi Sacerdos ſileret, aliquando vel nemo caneret, vel inordinate, & extra tonum populus boatus ederet. Extra ejuſmodi igitur Eccleſias Sacerdos nec intonabit hymnum, nec in proceſſione cantabit, ſed ſubmiſſa voce, ut Inſtructio, & Cæremoniale Epiſcoporum mandant, una cum Miniſtris pſalmos, & hymnos recitabit; erunt autem appoſiti hymni ex feſto Corporis Chriſti, & ex pſalmis, quos memoriæ retinet.

X. Umbellæ Rituale meminit, baldachini Inſtructio, atque Cæremoniale, & dubium non eſt, quod Sacramentum ſub baldachino per proceſſionem deferri debet, & ſub umbella nonniſi in ſubſidium, ut cum feſtinanter deferatur ad infirmos, aut debet aſportari per vias anguſtas. Umbella itaque, cujus meminit Rituale, non deſervit pro proceſſione, ſed pro deſcenſu Sacerdotis ab altari ad baldachinum, unde textus: *Inde deſcendit ſub umbella*. Cum namque baldachinum nonniſi cum maxima difficultate, & incommodo ad altare uſque inferri valeat, vel exporrigi, idcirco Rituale in ſubſidium vocat umbellam, ſub qua Sacerdotem deſcendere facit, ne Sacramentum per breve illud ſpatium, quod intereſt ab altari ad baldachinum, abſque honore tegminis deferatur. Quoniam tamen nec Inſtructio, nec Cæremoniale Epiſcoporum de umbella ullam faciunt mentionem, excuſari fortaſſe valent Eccleſiæ, quæ per breve illud ſpatium umbellam non adhibent. Umbella autem debet eſſe coloris albi, qui ſervari præſcriptus eſt in baldachino, cujus vicem umbella gerit. Decet, quod ſit ſerica cum ſuis laciniis, vel lemniſcis ſericis, aureis, vel argenteis circa eam pendentibus.

XI. Ubi igitur Celebrans in planum ſuppedanei progreſſus, ut ſupra convertit ſe cum Sacramento ad populum, cantores, qui una cum Clero per proceſſionem manent genuflexi, & converſi ad SS. Sacramentum, ſtatim intonant hymnum *Pange lingua*, mox ſurgunt cum univerſo Clero, & genuflexione unico genu Sacramento præmiſſa, progrediuntur omnes per proceſſionem, per quam idem Clerus in duos choros ſciſſus, proſequitur eumdem hymnum. Sacerdos vero ad initium prædictæ intonationis, præcedentibus duobus Acolythis cum thuribulis effumantibus, comitatus a ſacris Miniſtris ſuſtinentibus fimbrias pluvialis, & tectus umbella, cum qua præſto erit aliquis Miniſter ad eum obtegendum in itinere ad baldachinum, diſcedit ab altari, & eidem baldachino ſe ſupponit, alternatim cum ſacris Miniſtris ſubmiſſa voce recitans pſalmos, & hymnos, quos per proceſſionem proſequitur. Quæ omnia ſervanda item ſunt extra Romam in caſu ſimili; ulteriora autem, quæ ad proceſſionem ſpectant, recole in ſequentibus paragraphis.

§. XX.

La proceſſione ſarà compoſta di tutto il Clero della Chieſa; ed il Crocifero in queſta funzione non ſarà parato con abito ſuddiaconale, ma veſtito con cotta. V'interverranno onninamente otto Sacerdoti veſtiti con cotte, e con le torcie acceſe in mano, li quali procederanno dalli lati avanti il baldacchino: e dopo di eſſi ſeguiranno due Acoliti con turiboli, quali per la ſtrada incenſeranno continuamente il Santiſſimo, e durante la proceſſione ſi ſuoneranno le campane ſolennemente.

I. Miſſæ tempore ab Acolythis accendi debent candelæ in altari præparatæ pro expoſitione facienda. Proxime poſt elevationem Sacramenti nonnullæ id præſtant Eccleſiæ, aliæ ante finem Miſſæ, ſufficit, & exigitur, priuſquam ab oſtenſorio finita Miſſa per Diaconum auferatur velum, omnes habeantur ardentes. Crucifer induere præcipitur ſuperpelliceum, non habitum Subdiaconalem, non quidem univerſim in proceſſione qualibet, ſed *in queſta funzione*, hinc crucifer eſſe poterit cum habitu Subdiaconali in proceſſionibus aliis, in quibus eumdem ſic indutum Rubricæ, & Auctores expoſtulant. In ſuperpelliceis (adde ſine ſtola) itidem aſſiſtentes exquiruntur Sacerdotes octo (& ſunt, qui in Miſſa inſervierunt, ad cujus uſque finem permanent tenentes intortitia, cum Sacramentum etiam poſt Sacerdotis communionem in altari permaneat) intortitia accenſa in manibus habentes, ſed cave, exiſtimes uberiorem interdici numerum, bene vero tenuiorem. Decet id muneris Sacramentorum maximo præſtetur a dignioribus Miniſtris, cujuſmodi ſunt Sacerdotes, ſed non ita Sacerdotibus committitur, ut adhuc extra Romam ab iiſdem neceſſario præſtari debeat, ſed cuſtodiri poterit locorum conſuetudo, & maxime ubi eſt Sacerdotum caritas, qui alias præcipiuntur aliis officiis, & decenti comitatui, quæ vel non poſſunt, vel minus decet præſtari a laicis, ubi cereorum delatio his minime incongruit, dummodo decenti habitu procedant induti, qualis eſt ille Confraternitatum. Idem eſto judicium, quoties intortitia magni ponderis in majorem Sacramenti honorem deferuntur; haud enim convenit gravia onera ſubire Sacerdotes, qui & per canonicas ſanctiones a laborioſis prohibentur operibus.

II. An manu extima, vel intima funalia deferri debeant, Inſtructio non explicat, pro extima tamen ſtat communis praxis, & auctores pronunciant, uno excepto Nicolao Bralion, qui ſentit pro manu interna, & licet dicti ſui nullam rationem proferat, non deeſt tamen aliqua, quia nempe ſic proximiora ſunt Sacramento, in cujus honorem deferuntur ardentia; & alioquin le cum ea deferentes procedant a lateribus, procul abeſt periculum, quod labens cera conſocium polluat, ad quod præcavendum a Clero manu extima cerei portari creduntur. Ad rem valida videretur nobis ratio illa, ſed contrariari non poſſumus communi praxi, atque ſententiæ, quæ licet legum verbis firmata non ſit, utique tamen ſignis, nimirum figura in Cæremoniale Epiſcoporum invecta, quæ portitores prædictos deſignat nobis cum funalibus in manu extima. Qui igitur ſive candelas, ſive intortitia deferunt, ea deferent manu extima, videlicet qui a dexteris ſunt, manu dextera, & qui a ſiniſtris, manu ſiniſtra. Fallit id ſolum in intortitiis magni ponderis, quorum delationi cum unica manus ſit impar, ambabus præ ſe ferri poterunt.

III. *Precederanno dalli lati avanti il baldacchino*, & conſimilis eſt diſpoſitio Cæremonialis Epiſc. *lib. 2. cap. 33.*, quam perperam interpretabantur nonnulli de lateribus hinc inde baldachini, non ante baldachinum, cum tum juxta idem Cæremoniale, tum Inſtructionem poſt eos ſequi debeant duo Acolythi Sacramentum continuo incenſantes, qui procuIdubio opus eſt incedant ante ipſum Sacramentum. Illi igitur incedent hinc inde ante baldachinum, quatuor ex utraque parte, non tamen propterea ego crederem, Sacramentum poſt baldachinum luminibus eſſe deferendum, ſed quatenus uberior cereorum numerus haberi non poſſet, duo ex prædictis octo poſt baldachinum magis laudarem diſtribui. Acolythorum autem locus & ab Inſtructione, & Cæremoniali aperte deſignatur, & eſt inter deferentes funalia, & Sacramentum, quod continuo incenſare mandantur, unde quoties thuribula non amplius fumigant, eorumdem Acolythorum erit novum thus in illa imponere.

IV. Quarti *de Proceſ. ſect. 3. num. 13.* quæſtionem excitat, an thuriferarii debeant incenſare, vel ſuffumigare pavimentum ſternendo viam, & licet reſolutionem relinquat arbitrio dirigentium proceſſionem, ipſe tamen magis probat modum ſternendi viam cum thuribulis effumantibus, cum proceſſio fit per vias publicas, quæ cum profanæ ſint, indigent prævia quadam expiatione cum incenſo. Verum ut certa ab incertis ſeparemus, ſupponimus, quod incenſatio in proceſſionibus fieri non debet ductis thuribulis, uti fit in incenſatione perſonarum, & ad elevationem in Miſſa, hinc quippe modus inter ambulandum eſſet valde incommodus, & plurimis obnoxius periculis, & hoc pacto non incenſatur Sacramentum, niſi a genuflexis. Dicimus autem, quod ita debet fieri, ut qui eſt a latere dextero, manu ſiniſtra, & qui eſt a latere ſiniſtro, manu dextera alternatim thuribula moveant, tractibus tamen longioribus erga Sacramentum productis; ſic enim & viam eſternant, & ipſum quoque vere incenſant. Quem incenſandi ritum communis praxis approbat, & laudant Auctores,

quorum Gavantus *par. 4. tit. 8. lit. q.* in eo ſolum reprehenſione dignus apparet, quod utrumque Acolythum manu dextera facit movere thuribula.

V. *E durante la proceſſione ſi ſuoneranno le campane ſolennemente.* Supplet hæc ſanctio pro juribus aliis, quæ nihil habent de campanarum ſono, & ſimul approbat Doctorum ſententiam, quorum aliqui id rite extendunt etiam ad Eccleſias alias, ſaltem pro eo tempore, quo apud eaſdem proceſſionem pertranſire contingeret. Deſervit autem ejuſmodi ſonus in honorem SS. Sacramenti, & inſimul fideles admonet, ut ſe proſternant ad illud adorandum, eo præſertim tempore, quo in triumphum defertur.

§. XXI.

La proceſſione ſi farà dentro la Chieſa, e al più per la Piazza, quando l'anguſtia della Chieſa ne porti la neceſſità; e quando eſca di Chieſa, ſi farà ben pulire la ſtrada della Piazza, dove, ſe vi ſarà qualche bottega, dovrà tenerſi chiuſa durante la proceſſione.

I. Non univerſim vetatur extra Eccleſiam proceſſio SS. Sacramenti, ſed ſolum quæ fit ad illud exponendum, aliaque id genus, quæ elongationis per vias non habent cauſam. Proceſſio expoſitionis ſolummodo fit ad reportandum ſolemniter Sacramentum ad altare ejuſdem Eccleſiæ, in quo debet exponi; quem ad effectum cum impertinens ſit ejuſdem circumgeſtatio per vias, prohibetur per has proceſſionem extendi, & intra Eccleſiæ limites fieri mandatur, proceſſionis inſtar, quæ fit feria V. in Cœna Domini, & inſequenti feria VI., quæ conſimili de cauſa extra Eccleſiam interdicuntur extendi. Suam diſpoſitionem ſanctio ipſa limitat, ſi ob Eccleſiæ anguſtiam (idipſum erit, ſi Eccleſia ſit quidem ampla, ſed intervenientium admodum frequens numerus) alias tumultuarie proceſſio deberet fieri, aut non poſſet decenter extendi; quo in caſu permittit quidem proceſſione extra Eccleſiam elongari, ſed ad ſummum per plateam ante Eccleſiam, & quatenus hæc deſit, aut non ſufficiat, fortaſſe tolerari poteſt, quod per vias extendatur, quantum ſufficit; ſic enim fert ſanctionis mens, ſi non verba.

II. Quod autem additur de expoliendis viis, & claudendis apotechis, honeſtas exigit, & reverentia, unde Cæremoniale Epiſc. lib. 2. cap. 33. *Viæ, per quas proceſſio tranſire debebit, mundentur, & ornentur auleis, pannis, picturis, floribus, frondibuſque virentibus ſecundum poſſe, & qualitatem loci.* Equidem ibi agitur de proceſſione SS. Sacramenti omnium ſolemniſſima, in feſto Corporis Chriſti fieri conſueta, cui propterea reſervari poſſe credimus id, quod ad ornatum ſpectat, ſecus vero quod ad viarum munditiem, quæ proceſſioni cuilibet debet eſſe commune, & præſertim in qua defertur SS. Sacramentum.

§. XXII.

Se vi ſaranno inſtituite Confraternità de' ſecolari, o ſiano veſtiti di ſacco, o no, tanto li guardiani, ed Officiali di eſſe, quanto li Confrati tutti anderanno unitamente in corpo avanti il Clero ſecolare, o regolare, che vi ſarà, al quale dovranno ſempre cedere il luogo più degno. Di più eſpreſſamente ſi comanda, che li Guardiani, o altri Officiali di eſſe non ardiſchino ſotto qualſivoglia preteſto di conſuetudine, o altro, di andar dopo il baldacchino ſotto la pena di venticinque ſcudi a ciaſchedun Fratello, Guardiano, o Officiale della Confraternità, il quale contraveniſſe alla preſente diſpoſizione in conformità dell' editto pubblicato l'anno 1689., qual pena di ſcudi venticinque ſi dovrà applicare alla medeſima Confraternità, ſe ſarà povera, o al monte del SS. Viatico a noſtro arbitrio. Monſignor Primicerio però dovrà andare dopo il baldacchino, veſtito ſenza ſacco coll' abito ſuo prelatizio, e col rocchetto, ſe ne averà l'uſo. Poſſono bensì li detti Officiali portar l'aſte del baldacchino, officio molto decoroſo, per il quale dice il Cerimoniale Epiſc. lib. 2. cap. 33. Deputentur nobiles viri Barones, &c.

I. Municipalia ſimul hic habentur, & generalia. Municipale eſt, quod quique Confratres Eccleſiæ, etſi particulari non utantur habitu, unitim, & in corpore proceſſioni intereſſe teneantur, ſed poſtea lex generalis eſt, nedum Romæ, ſed ubique ſervanda, quod Confratres, quicumque ſint, qui interſint, Clero ſæculari, & regulari digniorem cedant locum; & quidem nedum iis de Clero ſæculari, regulative, qui cum attineant ad Eccleſiam expoſitionis, juxta ſuperius adductum §. 20. proceſſioni intervenire tenentur, ſed etiam iis, qui ex aliis acciſerentur Eccleſiis, ex quibus acceriiri poſſe non dubitamus, etſi prædictus paragraphus proceſſionem dumtaxat componat ex toto Clero Eccleſiæ, ut hunc ad intereſſentiam declaret adſtringi, non ut alterius Eccleſiæ Clerum excludat. Hinc etiam id univerſalis habetur commodi, quod a proceſſionibus univerſim non repelluntur Confraternitates, quæ proprio, & particulari non utuntur habitu, contra id quod ſentit Meratus *par. 4. tit. 12. n. 13.*, ubi Confraternitatibus, quæ proprium, & particularem non habent habitum nec particularem, & proprium aſſignat progrediendi locum, ſed aggregat univerſo fidelium cœtui, qui proceſſionem indiſtincte ſequuntur.

II. Generale item eſt, quod Guardiani, & Officiales quique Confraternitatum incedant unitim cum ſuis confratribus, quando hi in corpore interveniunt, ſed pœna contra eorum quemlibet, qui poſt baldacchinum incederet, municipalis eſt pro Urbe Roma, ſicuti & ejuſdem diſtributio. Prælatis poſt baldachinum Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 33.* aſſignat locum, unde quod Primicerius, ubi eſt Prælatus, in habitu prælatitio poſt baldachinum incedere valeat, non autem in Confraternitatis ſacco, ſub quo Confratris perſonam gerit, non Prælati, conforme eſt univerſalis Eccleſiæ legibus. Ubi vero Prælatus non eſt, ſed Cappellanus, poſt baldachinum minime incedet, ſed poſt Confratres ſuos honoratiorem occupabit locum in ſuo ſacerdotali habitu, vel adhuc cum cotta ſine ſtola.

III. De haſtis baldachini ſuccedit dicere, quas ab Officialibus prædictis deferri poſſe ſanctio definit, & hoc conforme eſt Cæremoniali Epiſc. *lib. 1. cap. 14.*, ubi deferendæ conſignantur nobilioribus laicis, ſed nec excluduntur Officiales, & Confraternitates. Hic eſt autem eas deferendi ordo, ut dignior ferat primam haſtam, quæ eſt ante Celebrantis dexteram, ſecundus, quæ prima eſt ante Celebrantis ſiniſtram; tertius aliam, quæ immediate eſt ſub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ ſuccedit primæ a parte ſiniſtra; quintus tertiam haſtam a parte dextera, ſextus tertiam a parte ſiniſtra, & ſic deinceps, ſi baldachinum alias haſtas habeat. Quod ſi in prædictis deferendis haſtis per vices ſuccedant alii, ſemper digniores deinceps ſuccedent; ultimus autem locus reputatur primo æqualis, ut ibidem ſtatuit Cæremoniale Epiſc., quod licet, dum SS. Sacramentum defertur in proceſſione ſub baldachino, a dignioribus Sacerdotibus baldachini haſtas primo loco, ideſt intra Eccleſiam, deferendas eſſe ſtatuat, ſeu magis aſſerat obſervari ſolere, id limitandum videtur in proceſſionibus, quæ fiunt intra ſolam Eccleſiam, vel parum elongantur extra Eccleſiam, dum in hac proceſſione, quæ fit intus Eccleſiam, vel nonniſi ob neceſſitatem parumper extra, adhuc ad prædictas deferendas haſtas admittuntur ut ſupra Confraternitatum Officiales.

§. XXIII.

Di più ordiniamo alli ſuddetti Cleri Secolare, e Regolare, che nelle proprie Chieſe non permettino, che ſi pratichi in contrario, ſotto le pene contenute nel ſuddetto editto, cioè di ſcudi venticinque agli Superiori, e Rettori delle Chieſe Secolari, e di privazione di voce attiva, e paſſiva agli Superiori Regolari, con altre a noſtro arbitrio. Quando poi vi foſſe alcuno, che tanto ardiſſe, ſi notifica, che oltre le ſuddette pene impoſte di ſopra, reſterà ipſo jure privo dell' officio, e caſſato dalla Confraternità reſpettivamente il Guardiano, o Guardiani, ed Officiali, i quali contraverranno a queſto noſtro Ordine: reſterà la Confraternità, e Chieſa privata di far più tale ſanta Eſpoſizione, finchè da noi non ſarà reintegrata. Si dichiara anche che all' accuſatore di tal contravvenzione ſi darà la terza parte della ſuddetta pena, coll' eſſer tenuto ſegreto: e la ſuddetta diſpoſizione vogliamo, che ſi oſſervi anche in tutte, e ſingole proceſſioni, ed eſpoſizioni particolari.

I. Univerſali nihil ſanctio hæc tenet commodi, ſed ſolum contra tranſgreſſores pœnas diſerte ſtatuit, quas minime incurrunt, qui extra Romam ſecus facerent. Quæ prætereantur, digna non ſunt verba illa: *e la ſuddetta diſpoſizione vogliamo, che ſi oſſervi anche in tutte, e ſingole proceſſioni, ed eſpoſizioni particolari*; non ita quidem, ut expoſitio nonniſi media Miſſa, & proceſſione extra occaſionem XL. horarum fieri valeat, ſed quod quatenus ita facienda ſit, non ſervetur, niſi ordo, & ritus ſuperius deſcriptus, & inferius deſcribendus. Si vero ſine Miſſa, aut proceſſione peragenda ſit, ſerventur præfatorum ea, quæ reſpective caſui congruunt, omiſſis dumtaxat iis, quæ agenda mandantur occaſione Miſſæ, aut proceſſionis quæ omittetur. Hinc autem edificant Eccleſiæ extra Romam, quomodo & ipſæ in ſimilibus ſe gerere debeant.

§. XXIV.

Ritornata la proceſſione in Chieſa, giunto il Celebrante al grado infimo dell' altare maggiore, il Diacono genufleſſo riceverà il Santiſſimo da eſſo Celebrante, (quale immediatamente genufletterà deponendo il velo umerale) e lo collocherà nella baſe del trono, andando poi, fatte le dovute riverenze, al ſuo luogo. Li cantori divotamente, e con pauſa canteranno il ℣. Tantum ergo &c., *ed al verſetto* Genitori, Genitoque, *il Celebrante alzatoſi con li Miniſtri, porrà ivi nel mezzo l'incenſo nel turibulo ſenza benedizione, e genufleſſo incenſerà tre volte il Sacramento: terminato l'inno ſenza dirſi il* ℣. Panem de Cœlo &c. *ſi canteranno dalli ſuddetti cantori le Litanie contenute nel Libro ſtampato per l'orazione delle Quarant' ore (qual Libro puramente ſenz' alcuna immutazione dovrà uſarſi in qualunque altra eſpoſizione del Santiſſimo, che ſi faccia particolare). Dopo che averà dette le preci, il Celebrante alzatoſi (a cui li Miniſtri ſoſterranno il Libro) ſenza fare nuova genufleſſione, canterà a mani giunte il* ℣. Dominus vobiſcum &c. *con le orazioni; quali terminate, genufleſſi faranno breve orazione, ed indi partiranno a capo ſcoperto ſino ad una ragionevol diſtanza dal Sacramento, dandoſi così il principio all' orazione delle Quarant' ore.*

I. *Ritornata &c.*, in proceſſionis nempe reditu Celebrans

ſe ſiſtit

ſe ſiſtit in plano ante infimum gradum altaris, ad quod facienda eſt expoſitio, & ibi ſtans tradit oſtenſorium Diacono genuflexo utroque genu in plano ſuppedanei ad cornu Epiſtolæ, quaſi vertenti renes eidem cornu; id enim diſerte ferunt Inſtructionis verba, quæ cum modernior ſit, corripit diſpoſitionem Cæremonialis Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33., quod in reditu proceſſionis feſti Corporis Chriſti Epiſcopum facit aſcendere ſupremum altaris gradum; & ibi Sacramentum tradere Diacono genuflexo. Ubi Diaconus de manu Sacerdotis Sacramentum recepit, ibi tantillum expectat, donec Celebrans, & Subdiaconus genuflexi ſuper prædictum infimum altaris gradum, Sacramentum adorent cum profunda reverentia, qua facta, a Celebrantis humeris per aliquem Miniſtrum removetur velum humerale, Diaconus vero ſurgens, Sacramentum, non in altari, ſed in throno ſtatim collocat, adhibito ſcabello, quatenus opus fuerit. Deinde idem Diaconus a ſcabello, ſi illo uſus eſt, deſcendit ſine ulla prævia capitis inclinatione, & in ſuppedaneo genuflectit unico genu, abſque pariter capitis inclinatione, & continuo deſcendit ad infimum altaris gradum, ubi a dexteris Celebrantis ſe genuflexus collocat.

II. *Li cantori divotamente &c.* habet inſtructio, & per dicta verba a cantoribus cantari mandat ℣. *Tantum ergo*, & cantorum itidem id facit muneris Cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. Rituale vero Romanum ab Eccleſiaſticis omnibus, qui adſunt, concinendum eſſe aſſerit. Nulla ex his Cœremonialibus cantum dicti verſus, & intonationem Celebranti committunt, unde ſicuti cantum, & intonationem hymni *Pange lingua* cantoribus ſuperius commiſimus, ita idipſum nunc dicimus de cantu, & intonatione ℣. *Tantum ergo*, ita ut a Celebrante nec cantari, nec intonari debeat, ſed duo ex cantoribus illum intonent, & cum reliquis cantoribus illum proſequantur, ſi particulari cantu eum debeant modulari, ſin eo intonato per cantores, proſequentur Eccleſiaſtici omnes, cum quibus etiam Celebrans, cum tunc in manibus non teneat Sacramentum, cantare item poterit. Si autem cantores deſint, aut qui cantum probe calleant, etiam a Celebrante intonari ut ſupra, & cantari valebit.

III. Potior utique difficultas ſupereſt ſuper tempore, quo prædictus verſus cantari debet; Cæremoniale enim Epiſc. *cit. loc.* habet *Interim*, dum nempe Diaconus a Celebrante Sacramentum recipit, illudque collocat ſuper altare. Rituale *de proceſſion. in feſto Corpor. Chriſt.* præfatum cantum referunt, *dum Sacerdos de more incenſat Sacramentum*; Inſtructionis vero textus ſatis indicat, cantandum eſſe, poſtquam Diaconus rediit ad locum ſuum, ſeu ad Celebrantis dexteram. Inſtructioni autem, quæ cum modernior ſit, quatenus opus ſit, antiquis Cœremonialibus derogat, ſtandum eſſe profecto circumſtantiæ poſtulant, nimirum profunda inclinatio, quæ ad prædictum verſum *Tantum ergo*, uſque ad *cernui* ob omnibus Sacramento fieri debet; talis enim inclinatio profecto expoſtulat Sacramentum, cui inclinari debet, ſuper thronum omnibus conſpicuum, & non in manibus Diaconi, qui alias eadem verba neque poſſet ſua inclinatione comitari, & non ſemel ipſius Sacramenti viſionem fidelibus impediret.

IV. In officio divino, quando dicitur coram SS. Sacramento ſive expoſito, ſive in tabernaculo incluſo, ad ℣. *Tantum ergo* juxta Cœrem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 28. genuflexionem Clero exiſtenti in Choro Auctores demandant aliqui quidem abſolute, neque deſignant numerum verſuum hymni, quibus genuflexio perdurare debeat, alii ad totam primam rhapſodiam, ſeu ſtropham genuflexionem extendunt, alii ad quatuor primos dumtaxat ejuſdem verſus, nec deſunt, qui ad duos ſolummodo primos, ſcilicet uſque ad *cernui*. Equidem hi duo primi verſus ex verbis, quibus conſtant, peculiarem præ ceteris conſiderationem exquirunt; ſed quoniam communior ſententia nedum in præſenti caſu, ſed in hymnis omnibus, quorum verſus aliquis genuflexionem expoſcit, ad totam ejuſdem ſtropham in genuflexione perſiſtendum eſſe autumat, ab eadem diſcedendum non eſſe credimus, & majorem conſiderationem, quam duo primi verſus ex verbis exquirunt, ſitam eſſe putamus in profunda inclinatione, quam ultra genuflexionem iidem verſus expoſtulalant, ut verbis conſonet corporis geſtus. Tam igitur in officio divino, quam in precibus omnibus coram Sanctiſſimo Sacramento, dum prædictus verſus *Tantum ergo* dicitur, ab omnibus omnino perſiſtendum erit in inclinatione uſque ad *cernui*, in quo verbo cum compleatur dictionis ſenſus, quæ inclinationem poſtulat, inclinatio ceſſabit, & ad reliquos verſus ſola perdurabit genuflexio. An autem uſque ad *cernui* in inclinatione perſeverandum ſit, quoties per muſicos, alioſve cantatur præfata ſtropha cum maxima repetitione verſuum, dubium eſſe poſſet ob non leve incommodum, quod inde clero obvenit; ſed quoniam verba, quæ cantantur, nonniſi incongrue admodum ſine inclinatione percurri valent, ab eadem inclinatione nos clerum abſolvere non poſſumus, licet non dubitemus, quod prima vice dicto *cernui*, illico ab inclinatione ceſſari queat. Idem ſit judicium de genuflexione ad reliquos verſus ejuſdem ſtrophæ in officio divino, & coram SS. Sacramento, prout ſtatim dicemus.

V. Quam dedimus, approbatur regula, & eſt cauſa, ob quam pro impoſitione incenſi in thuribulum Inſtructio dumtaxat ad ℣. *Genitori* Sacerdotem facit ſurgere, ut videlicet totam præcedentem ſtropham genuflexus percurrat; haud tamen denegaverim, quod ubi prædicta ſtropha ut ſupra canitur cum repetitione verſuum, ſemel abſoluta eadem ſtropha, poſſit Sacerdos ſurgere ad imponendum incenſum, etſi cantores adhuc immorentur in repetitione ejuſdem ſtrophæ; & idipſum conſequenter erit ſi inter unam ſtropham, & alteram interponatur ſonus organi, vel inſtrumentorum. Cum namque Sacerdotis erectionem ad ℣. *Genitori* dumtaxat putemus fieri ad effectum permanendi genuflexum ad totam prædictam ſtropham, idcirco hac ut ſupra abſoluta, non videtur, cur Sacerdos non poſſit ſurgere; & maxime quia in ſequenti ſtropha, in qua datur laus SS. Trinitati, congruentius Sacerdos manet genuflexus, quam tempore, quo pulſantur organa, vel inſtrumenta.

VI. Quoniam tamen Cœremoniale Epiſcoporum inter & Inſtructionem præfactam dantur diſcordantiæ aliæ, quam nimirum ſuperius diximus, quod Epiſcopum in ſupremo altaris gradu facit diacono Sacramentum tradere, & inſuper eumdem Epiſcopum in ſupremo gradu genuflexum Sacroſanctam Euchariſtiam incenſare, abs re non erit addere quod hæc omnia noviſſime Romæ petita ſunt declarari, & reſcriptum extitit die 26. Martii 1746. *ſervandam eſſe Inſtructionem, quia conſonat praxi Capellæ Pontificiæ, & urbis Romæ, quæ totius orbis magiſtra eſt*; petitio autem proceſſit de expoſitione qualibet etiam extra Romam, unde quæ methodus ab ea præſcribitur, ubique gentium patet eſſe ſervandam, etſi contrarium habeat Cæremoniale Epiſcoporum, vel Rituale Romanum. Et quidem traditio oſtenſorii a Sacerdote ſtante ante infimum altaris gradum, commodior eſt, & facilior manibus diaconi genuflexi in ſuppedaneo, quam ſi fiat a Sacerdote ſtante in ſupremo gradu, & incenſatio Sacramenti a Sacerdote genuflexo in ſupremo altaris gradu, dumtaxat fit intra Miſſam, ut videlicet Sacerdos ſit magis expeditus ad ceteras Miſſæ functiones in altari peragendas, ut ſcite advertit Sarnellus *lib.* 8. *Epiſt.* 26.

VII. *Al verſetto* Genitori, Genitoque *il celebrante alzatoſi con il Miniſtri &c.* Quoties igitur ut ſupra præcedenter Sacerdos non ſurrexerit, ad ℣. *Genitori* ſe erigit, non quidem ſolus, ſed una cum miniſtris, iis tamen dumtaxat, qui operam præſtare debent; & ſunt thuriferarius ille, qui thuribulum debet porrigere, diaconus, qui naviculam incenſi, & ſubdiaconus, qui elevare debet fimbriam pluvialis dexteram a diacono ſibi porrectam, ne impedimento ſit Sacerdoti in impoſitione incenſi. Ut erexerunt ſe, nullam genuflexionem faciunt, ſed Sacerdos miniſtrante diacono ſine oſculis naviculam & ſubdiacono tenente fimbriam pluvialis dexteram, imponit ter ſine benedictione incenſum in uno ex thuribulis, in illum ſcilicet thuriferarii majoris; mox genuflectit cum miniſtris ſacris in infimo altaris gradu, & acolythus in loco ſuo retro diaconum. Ut Sacerdos genuflexus eſt, accipit thuribulum de manu diaconi, & triplici ductu incenſat SS. Sacramentum, præmiſſa ab omnibus profunda eidem reverentia, quam & terminata incenſatione repetunt, ſubdiacono, & diacono interim elevantibus reſpectivam pluvialis fimbriam. Peractis incenſatione, & reverentia, diaconus ſine oſculis de manu Sacerdotis recipit thuribulum, quod illico conſignat acolytho. Incenſatio autem, quoties ad ℣. *Genitori* Sacerdos ſe erigit ad imponendum incenſum in thuribulo, fiet ſtatim ac in thuribulo incenſum impoſitum fuerit; ſi vero impoſitio incenſi præcedenter facta fuerit inter repetitionem prædictorum verſuum, vel inter ſonum organi, vel Inſtrumentorum, incenſatio fiet ad ℣. *Genitori*, ad quam differendam etiam credimus, tametſi inter repetitionem prædictam, vel ſonum haberetur tempus eamdem commode peragendi, ut thuris honor Sacramento præſtetur, quando eidem laus datur cum reliqua Trinitate.

VIII. *Terminato l' inno, ſenza dirſi il* ℣. Panem de cælo &c., *ſi canteranno dalli ſuddetti cantori le litanie contenute nel libro ſtampato per l' orazione delle quarant' ore.* Inſtructio modo deſcendit ad particularia urbi, & quoniam non debet addi oratio de SS. Sacramento, ſed aliæ preces, idcirco ſilentium rite indicitur verſus *Panem de Cælo*, qui præfatæ orationi præmitti ſolet. Sunt autem Litaniæ, prout jacent in libro typis edito pro occaſione orationis XL. horarum, & hinc liber abſque mutatione ulla adhiberi præſcribitur in quacumque alia particulari expoſitione, quam Romæ fieri contingit. Extra Romam vero quæcumque aliæ preces ex approbatis uſitari poterunt, nec neceſſe erit ex præfacto libro orare, & adhuc erit liberum, ſubdere ℣. *Panem de Cælo* cum ſua oratione, & ſtatim facta brevi oratione recedere.

IX. Hinc nobis, volumus, inferri liceat, quod Sacramento adhuc publice expoſito, preces omnes ad ipſum non debent neceſſario dirigi, ſed etiam dirigi valent ad Deiparam, alioſve cœleſti patriæ accolas; id enim certe innuunt litaniæ in tali circumſtantia dici demandatæ, in quibus Sancti invocantur. Durus nonnemini viſus eſt ſermo iſte, tum quia coram Sacramento publice expoſito, Sanctorum Reliquiæ exponi prohibentur, & eorumdem imagines velari mandantur; tum etiam quia ad triumphalem præſentiam communis, & ſupremi omnium noſtrorum advocati, & mediatoris, veluti injurioſum eſt aliorum advocationibus & meditationibus uti. At ſatis diſpar eſt ratio, nam Reliquiæ Sanctorum non exponendæ, & imagines cooperiendæ jubentur, quia ad præſentiam Domini decens non eſt ſervos proponere adorandos; non ſic autem eſt de eorumdem nihilominus invocatione, quia Sancti vel preces noſtras Chriſto ipſi exhibent, ut nobis opituletur, vel ſi Patri porrigunt, porrigunt in Chriſti nomine, in quo unice nos adjuvant; quare a Sanctorum invocatione ad præſentiam Chriſti adeo abeſt periculum vel minimum injuriæ, ut ſummus magis honor deferatur præſenti Chriſto ſupremo omnium advocato, per cujus mediationem dumtaxat utiles nobis ſunt interceſſiones Sanctorum, & adhuc quia Chriſtus ipſe pro dignatione ſua

non

non modicam partem eorum, quæ ſibi ſunt poteſtate propria, diſcipulis ſuis voluit eſſe participatione communem.

X. *Dopo che averà dette le preci il Celebrante alzatoſi (a cui li miniſtri ſoſterranno il libro) ſenza fare nuova genufleſſione.* Prædictit abſolutis precibus, ſe Sacerdos erigit (neque novam genuflexionem faciat) non tamen cum eo ſe erigunt miniſtri ſacri, ſed genuflexi ante, cum ſuſtinebunt librum, ex quo Sacerdos *canterà a mani giunte il* ℣. Dominus vobiſcum &c. *con le orazioni*; ex generali enim ritu, de quo Gavantus *par. 2. tit. 13. lit. o.*, extra Miſſam collectæ ſemper dicuntur junctis manibus. Verſiculus *Dominus vobiſcum* dicitur non verſus populum, ſed verſus SS. Sacramentum, & ad ſubſequens *Oremus*, quod item dicitur junctis manibus, non extenduntur & junguntur manus, inclinatur tamen caput verſus idem Sacramentum; & denique oratio, vel orationes, quæ ſubduntur, cum ſint extra officium, & Miſſam, terminantur concluſione brevi. Poſt orationes nihil aliud additur, ſed *genufleſſi faranno breve orazione*, unde Sacerdos illico genuflectit ſuper infimum altaris gradum, ubi brevi cum miniſtris ſacris orationi vacabit, qua habita *partiranno a capo ſcoperto ſino ad una ragionevol diſtanza del Sacramento*, ſurget ſcilicet Sacerdos cum miniſtris, & *in* plano presbyterii utrumque genu flectent cum profunda inclinatione, deinde erecti recipientes birreta, cum quibus non tegunt capita, egrediuntur presbyterium, quod cum egreſſi fuerint, & a medio item ſpatio receſſerint, tunc cum prædictis birretis caput obnubunt, & in Sacrarium pergunt. Hic autem ritus communis erit etiam Eccleſiis extra Romam pro eodem, ſimilive caſu.

XI. Hæc eſt ratio exponendi Romæ SS. Sacramentum occaſione orationis XL. horarum, quæ & extra Romam ſervari quidem poterit, licet etiam in eadem occaſione exponi queat ſolo ritu, qualem deſcripſimus in Decreto præcedentis capitis; & adhuc media Miſſa ſine proceſſione, uti itidem diximus, methodumque produximus.

§. XXV.

Il Celebrante non dovrà uſare la Sede Camerale, ſecondo il Decreto della Sacra Congregazione de' Riti; ma un banco (che neppure abbia braccia) con il poſtergale ornato di panno roſſo, o d' altro colore decente, in cui ſederà inſieme co' miniſtri Sacri: molto meno doveranno mai uſare le ſedie camerali nelle Chieſe li Guardiani, Deputati, ed officiali della Confraternità, Compagnie, o Congregazioni laicali; ma ſederanno ſopra un banco con poſtergale ſenza braccia a' lati, e ſenza alcun uſo de caſcini, come pure ſenza gradini, e ſenza genufleſſorj davanti; qual banco potrà coprirſi di panno, e non di ſeta, e ſarà omninamente ſituato fuori del presbiterio, in guiſa coſì, che aſſiſteranno alle meſſe, a Veſperi ſolenni, o che nel presbiterio ſi celebri dal clero alcuna funzione Sacra, o che ſi predichi in Chieſa, ſecondo li replicati Decreti della Sacra Congregazione de' Riti; particolarmente per Decreto generale emanato ſotto li 13. Marzo 1688. ſotto le pene medeſime eſpreſſe di ſopra, e nominata al num. XV. nelli §. §. Se vi ſaranno &c., e lui più ordiniamo &c. Monſignor Prinamerio però ſederà dentro il presbiterio al lato dell' Evangelio, in un banco coperto di panno, nell' abito ſuo prelatizio, come ſi è detto al num. XV.

I. Proſcribitur uſus Sedis Cameralis, & ſimul aſſignatur ſcamnum, ſuper quod celebrans cum ſacris miniſtris ſedere debet, & eſt ſubſellium oblongum, vulgo *Banco* cum poſtergali quidem; ſed minime brachiatum. Subſellium ſimile conceditur Guardianis, & officialibus Confraternitatum, immo etiam harum Primicerio, hoc tamen diſcrimine, quod pro Guardianis, & officialibus debet eſſe omnino extra presbyterium, pro celebrante, & ſacris miniſtris intra a parte Epiſtolæ, & pro Primicerio ſimiliter intra ex parte Evangelii. Decretis generalibus jam cautum id erat, & præſertim de die 15. Janu. 1611.; 10. Maii 1624.; & 31. Julii 1665.; quæ propterea nunc confirmationem accipiunt, & ubertim oſtendunt ubivis gentium præſentem diſpoſitionem procedere.

II. Quod vero attinet ad aſſiſtentiam in presbyterio perſonis laicalibus inhibitam, non deſunt itidem Decreta plurima, & ſpecialiter *in Materana.* 24. Janu. 1665., *Melphitana* 15. Junii 1665., & *Baren.* 20. Nov. 1677., & 22. Febr. 1687., quæ cum approbante Alexandro VIII. 22. April. 1690., a Rituum Congregatione 13. Maii 1688. fuerint renovata, & eorum copiæ Epiſcopis Regni Neapolitani tranſmiſſæ, ut illa intimari facerent Superioribus Eccleſiarum ſuæ Diœceſis tam ſæcularibus, quam Regularibus cum facultate procedendi, etiam contra Regulares, ad pœnam interdicti in caſu tranſgreſſionis, dubium eſſe non poteſt, quod eorumdem obſervantia quaſcumque ligat Eccleſias. Quæ Decreta licet generalia ſint, & per præſentem ſanctionem innovata, pœnæ tamen, quæ per hanc ſanctionem in tranſgreſſoribus infliguntur, & ab eadem ſub num. XV. recenſentur, Romanæ Urbis limites minime prætergrediuntur, ſed eæ dumtaxat pœnæ, quæ & prout a Decretis generalibus feruntur, ceteras manent Eccleſias.

III. Particulari animadverſione digna ſunt ea verba Inſtructionis: *in guiſa coſì, che aſſiſteranno alle Meſſe, e Veſperi ſolenni, o che nel presbiterio ſi celebri dal clero alcuna funzione ſacra, o che ſi predichi in Chieſa*, reſtrictionem enim quamdam [illegible] prohibitionem ad caſum non ſacræ functionis [illegible]. Cetera, quæ tenet ſanctio, explicatione non egent, quare concluſimus, quod pulvinar, quod officialibus Confraternitatum denegatur, juxta Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 3.* Celebranti poteſt concedi.

§. XXVI.

Se però la ſtruttura della Chieſa non permetterà luogo congruo fuori del presbiterio, in tal caſo di neceſſità ſi ricorrerà a noi, che col conſiglio de' Signori Maeſtri di Cerimonie Pontificie, ſe li concederà, che poſſa collocarſi il banco come ſopra de' Guardiani, dirimpetto in uno de' lati, fuori del termine del presbiterio.

I. Subſellia laicarum perſonarum divinis officiis aſſidentium, nunc adeo intra presbyterium declarantur inhibita, ut nec quidem intra illud ſint admittenda, ſi Eccleſiæ ſtructura pro illis congruum alium non habeat locum; quare in neceſſitatis ejuſmodi caſu, non quidem auctoritate propria, ſed facultate habita ab iis, ad quos reſpective pertinet, Guardianorum ſcamnum, ſeu *Banco* in uno ex presbyterii lateribus, extra tamen presbyterium ipſum, collocari indulgetur, evidens utique argumentum, extra neceſſitatis caſum neque inibi poſſe conſtitui.

§. XXVII.

Si proibiſce eſpreſſamente agli uomini, ed alle donne di qualſivoglia ſtato e condizione (eccettuate le perſone regie, quando vi ſi trovino) l' entrare ſotto qualſivoglia preteſto ad orare nel presbiterio, o ſia recinto dell' altare, dove ſta eſpoſto il venerabile, dovendo quel luogo eſſere occupato ſolamente da' Eccleſiaſtici deſtinati al Miniſtero divino, o all' aſſiſtenza dell' orazione: il che ſi oſſerverà non ſolo nelle Chieſe, dove ricorre l' eſpoſizione ordinaria, ma anche in tutte le altre, dove per indulto Apoſtolico, o per altra legittima facoltà occorre farſi l' eſpoſizione, benchè per breve tempo; al che provvederanno li ſuperiori, o ſoggeſtani col riparo delli banchi ancora biſognando. In oltre ordiniamo, e comandiamo a' Rettori, e ſuperiori, tanto ſecolari, quanto Regolari di qualſivoglia Chieſa, che durante la detta eſpoſizione non ardiſchino di far portare reſpettivamente qualſivoglia ſorta di ſedia nelle Chieſe a qualunque perſona d' ogni ſeſſo, grado, e condizione, ſotto la pena di dieci ſcudi alli Rettori ſecolari, da applicarſi ad uſi pii, riſervata la terza parte per l' accuſatore, ed a Regolari della privazione della voce attiva, e paſſiva, ed altre a noſtro arbitrio.

I. Prohibitio innovatur, ne expoſitionis tempore perſonæ laicæ regiis dumtaxat exceptis, cujuslibet exiſtant ſexus, ſtatus, & conditionis, presbyterium ad orandum ſub quocumque prætextu ingredi audeant, tanquam locum, quem ſolis presbyteris adjudicat etymon ipſum. *Sacrarium* olim reperitur itidem dictum, & circumſepiebatur cancellis, per quos a presbyteris ſeparabantur laici, quorum nulli, præſertim Sacrificii tempore, inter eoſdem admittebantur. Imperatorem Theodoſium ſeniorem, qui poſt oblationem permanere volebat, ſicut ſolebat facere in Conſtantinopolitana Eccleſia, ex hoc loco expulit Ambroſius, atque his verbis dimiſit *Sacrarium ſolis Sacerdotibus pervium eſt, aliis omnibus inacceſſum*. Solent Græci Sacrarium aſſeribus occludere, ac tempore conſecrationis velis ejuſdem portam contegere, ſed Eccleſia Romana ejuſmodi velis non utitur, ne quid inobſervatum videatur agere, ſed contenta eſt eumdem locum cancellis circumdare, qui ſi deſint, ſcamnis oblongis, ſeu *Banchi* altari fieri jubentur repagula ad arcendos laicos, quorum ſolis Regibus patet, tanquam ſacro Chriſmate delibutis.

II. Excludit ſanctio *prætextum quemcumque*, & hujus venit nomine cauſa quælibet, quemadmodum jam in ſimili expoſuimus to. 5. cap. 41. Decr. 1., unde in §. 7. laici, etiam ſaccis confraternitatum induti, interdicuntur presbyterium intrare ad lumina componenda, vel quodlibet munus aliud præſtandum, in §. 9. extra presbyterium jubentur orantes aſſiſtere; & denique in §. 25., & 26. laicorum ſcamna etiam in neceſſitatis caſu in ſacrario prohibentur. Senſus igitur eſt, quod nulla omnino poteſt eſſe cauſa, ob quam laicis liceat expoſitionis tempore presbyterium intrare, ne quidem, ſi ob nimiam populi frequentiam nullus alius Eccleſiæ locus ſuppeteret, in quo ſe poſſent conſtituere.

III. Quod additur de ſcamnis tempore expoſitionis nulli perſonæ ſternendis, congruam eam habet cauſam, cujus meminit Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 33.* quia nempe conveniens non eſt, ut ob reverentiam tanto Sacramento debitam, aſſiſtentes ſedeant. Pœnæ autem contra tranſgreſſores inflictæ, etſi extra Romanos non extendantur limites, generalis tamen ratio, cui Sanctio innititur, hanc ſaltem ubique locorum ſervandam eſſe ubertim evincit.

§. XXVIII.

Non ſi terranno nelle Chieſe dell' eſpoſizioni, anche particolari bacili per l' elemoſine, nè vi aſſiſteranno Religioſi, o altri Eccleſiaſtici, nè meno perſone laicali per ricevérle; come nè meno anderanno Chierici, Confrati, Mandatari, o altre perſone queſtuando per la Chieſa. Molto meno doveranno far ciò li poveri, quali ſtaranno per lo ſpazio di canne dieci lontani dalla parte della Chieſa, ſotto le pene contenute nell' editto ſtampato a parte: che perciò ſarà parimente cura de' ſuperiori, e ſegreſtani, e degli eſſecutori, che vi aſſiſtono, il procurare, che non entrino in Chieſa, ad effetto di evitare la diſtrazione de' Fedeli, che orano; potendo li benefattori caritativi far le limoſine fuori delle Chieſe, ſiccome ordinò la San. mem. di Clemente XI. con ſpeciale editto, in cui ſi proibiſce ad ogni Fedele dar nelle Chieſe limoſina a' poveri.

I. Ad evitandam Fidelium diſtractionem, quam cauſat facile, intus Eccleſiam tempore cujuſvis expoſitionis interdicitur eleemoſynarum collectio ſive mediis lancibus, vel perſonis ſtantibus, aut Eccleſiam percurrentibus. Lex eſt rigidior prò pauperibus, quibus ingreſſus in Eccleſias cauſa quæſtus pro quocumque ita prohibetur tempore, ut ad repellendam pertinacem eorum importunitatem, quæ vix legibus coerceri poteſt, ſpeciali edicto cautum ſit, ne Fideles intra Eccleſiam iiſdem eleemoſynas elargiantur; extra Eccleſias vero per ſpatium decem cannarum ab Eccleſiæ porta diſtantes ſtare præcipiuntur, ne clamoribus, & ſtrepitibus Eccleſiam impleant, & intus orantes Fideles diſtrahant, atque perturbent.

II. Quæ cum de Eccleſiæ collectoribus ſtatuta minime ſint, haud ambigo inferre primo, quod extra occaſionem expoſitionis, adhuc intra Eccleſiam, juxta priſcum Eccleſiæ uſum, ipſique coævum, fieri valet eleemoſynarum collectio in favorem Eccleſiæ, ſacrorum Miniſtrorum, pauperum, animarum Purgatorii, aliorumve juxta temporum circumſtantias, & circumſtantiarum, exigentias, dummodo ſine ſtrepitu, & cum modo fiat. 2. expoſito adhuc ipſo Sacramento fieri poſſe credimus, & conſueto modo commendari intra concionem, quæ tunc temporis haberetur, hac tamen lege, ut mute fiat, & non extendatur ultra concionis tempus. 3. addere nobis liceat, quod expoſitionis tempore non removeri mandantur eleemoſynarum capſulæ, ſi quæ intus Eccleſiam permanenter habeantur, quinimmò quod & apponi poſſunt ad ingreſſum Eccleſiæ, vel in alio congruo loco, dummodo nemo aſſiſtat, nec apponatur lances, aliave vaſa ex projectione denariorum apta fragorem edere; mens enim ſanctionis non eſt, tunc temporis eleemoſynarum elargitionem univerſim proſcribere, ſed ſolum eam, quæ quomodocumque apta eſt interturbare Fidelium preces; & hinc 4. ſubdimus, quod collectores ejuſmodi nihil vetat haberi extra Eccleſiæ portam, licet non in diſtantia pro pauperibus præſcripta, dummodo ita ſe gerant tacite, ut inde nullus rumor, vel perturbatio obveniat orantibus intra Eccleſiam.

§. XXIX.

Si avverte, che non termini l' orazione in una Chieſa, ſe non che dopo che ſarà principiata nell' altra; e ciò ſi oſſerverà da qualunque Chieſa benchè Baſilica, e Collegiata, o in qualſivoglia modo privilegiata.

I. Pro Eccleſia univerſali nihil hic habetur commodi, ſed quidquid particulare eſt orationi XL. horarum, non quid univerſim, ſed ſolum illi, quæ Romæ inſtituitur; admodum tamen congrue ſervari idipſum poterit, ubicumque in uſu eſt oratio XL. horarum; ut ſit continua nedum quoad horas, quibus ipſa perdurare debet in Eccleſia expoſitionis, ſed etiam relate ad locum ipſum, ſeu Civitatem, ne videlicet adſit hora aliqua, in qua in eo loco non habeatur SS. Sacramentum publice, & patenter expoſitum.

§. XXX.

Terminata la Meſſa della repoſizione, il Celebrante prenderà il piviale (oſſervando il rito reſpettivamente ſopra deſcritto dopo la Meſſa dell' eſpoſizione), e genufletterà con li Miniſtri avanti il SS. Sacramento nel mezzo ſull' infimo grado dell' altare. Immediatamente li cantori principieranno le Litanie, e ſi continuerà ſino al ℣. Domine, exaudi orationem meam incluſive. Dopo alzatoſi il celebrante con li Miniſtri, ponerà ivi nel mezzo l' incenſo ſenza benedizione, e genufleſſo incenſerà tre volte il SS. Sacramento, e prenderà il velo umerale. Fatta l' incenſazione, il Diacono con le dovute riverenze levarà il Sacramento dal trono, ed immediatamente ſtando in piedi lo conſegnarà al celebrante genufleſſo, genufiettendo anch' eſſo Diacono ſubito, che averà conſegnato il Sacramento; praticandoſi poi reſpettivamente ciò, che ſopra nell' eſpoſizione ſi è detto circa le ceremonie, e rito della proceſſione &c.

I. Repoſitionis Miſſa cum celebranda ſit in altari, in quo expoſitum eſt SS. Sacramentum, abs re non fore credimus, ritum ſubdere, ac Cœremonias, quæ ſervari debent in Miſſa ſolemni, quæ celebratur coram SS. Sacramento expoſito. Omiſſis autem iis omnibus, quæ cuicumque Miſſæ ſolemni communia ſunt, ſolum trademus, ea, quæ particularia ſunt prædictæ Miſſæ, in qua prima Miniſtri non oſculantur manus Sacerdotis, neque quidpiam aliud, quod tradunt Celebranti, & univerſim interdicuntur oſcula præter ea infra faciemus excepta.

II. Secundo Celebrans, & Miniſtri prope, & ante ingreſſum presbyterii caput denudare debent, & inferioribus Miniſtris birreta tradere; ut autem devenerint ad altare, ante infimum hujus gradum flectunt omnes utrumque genu omnino in plano, & etiam caput profunde inclinant; inde ſurgunt, & Sacerdos Miſſam inchoat, in cujus progreſſu, quoties genuflectere ut infra continget, ſemper unicum dumtaxat flectunt genu, ut facilius, & commodius ſurgant, nec ſimul caput inclinant, ſicuti Auctores communiter ſentiunt. Quando autem ſacri Miniſtri genuflectunt prope altare recedentes, vel accedentes, omnino caveant ab impoſitione extremitatum manuum ſuper altare; id enim ſoli Sacerdoti conceditur, quando manus impeditas non habet.

III. Tertio completa confeſſione, abſque ulla genuflexione ſimul cum ſacris Miniſtris aſcendit ad altare, ubi omnes unicum genuflectunt, & dicta de more oratione, *Oramus te, Domine*, Celebrans aliquantulum ſe retrahit verſus cornu Evangelii, facie verſa ad cornu Epiſtolæ, & Diacono miniſtrante naviculam acceptam a thuriferario, qui genuflexus, vel ſtans ad majorem commoditatem Sacerdotis ſuſtentat thuribulum, de more in hoc imponit incenſum, illudque benedicit, quia ultra Sacramentum cum eo incenſari debet altare, & ipſemet Sacerdos; Diaconus vero abſtinet a quibuſcumque oſculis. Mox cum debita genuflexione recedente thuriferario ad locum ſuum, Celebrans cum ſacris Miniſtris cavens ne terga vertat Sacramento, deſcendit ad ſecundum altaris gradum, ubi genuflexus in ſuppedaneo, medius inter ſacros Miniſtros pariter genuflexos, accipit thuribulum de manu Diaconi, & cum Miniſtris præmiſſa profunda reverentia, incenſat illico SS. Sacramentum triplici ductu, interpoſita brevi morula inter unumquemque ductum, iiſdem Miniſtris inter elevantibus poſteriorem partem planetæ Celebrantis circa brachia, & omnibus aliis manentibus genuflexis. Hæc eſt praxis Eccleſiarum Urbis, & inſigniorum Auctorum placitum, & Sacerdotem magis expeditum reddit ad peragendas ceteras functiones Miſſæ, unde ubivis obſequium poſtulat, & obſervantiam, quidquid nonnulli ſcripſerint, qui Sacerdotem in infimo altaris gradu collocant, dum ut ſupra incenſat Sacramentum, perperam allegantes Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 3.*, cujus diſpoſitio eſt de caſu extraneo, ſcilicet de incenſatione poſt proceſſionem.

IV. Non leve inſurgit dubium, an Sacerdos, dum ſe ut ſupra retrahit ab altari pro impoſitione incenſi, & iterum ſe conſtituit ad altaris medium, deſcenſurus illico ad incenſandum Sacramentum, debeat genuflectere? Negat Meratus *part. 2. tit. 14. n. 7.*, qui tamen ſibi diſcors *num. 12.* genuflexionem demandat, nec profecto aliter expoſcit generalis regula, quam ipſe cum univerſalitate Doctorum firmat, genuflectendi ſcilicet in acceſſu quolibet, & receſſu ab altaris medio, aut tranſitu per ipſum; in caſu enim Celebrans recedit a medio, ut imponat incenſum, ſtans aliquantulum in cornu Evangelii, & redit ad medium, mox tranſiturus ad ſecundum altaris gradum pro incenſandu SS. Sacramento.

V. Triplici ductu ut ſupra incenſato Sacramento, Celebrans, & Miniſtri ſacri ſe profunde inclinant, poſtea ſurgunt, ac mox Celebrans habens præ manibus thuribulum, cum Miniſtris ſacris ad altare accedit, ubi facta genuflexione unico genu, incenſat altare more ſolito, & dum tranſit ante altaris medium, una cum Miniſtris ſemper unum flectit genu. Si Crux adſit in altari, omittitur ejuſdem incenſatio, pro qua ſupplet thurificatio SS. Sacramenti, feria VI. in Paraſceve ſolummodo excepta, in qua poſt incenſationem Sacramenti incenſatur etiam Crux, quia tali die Eccleſia ſpeciali cultu Crucem Chriſti veneratur, unde & omnes ante eam tranſeuntes genuflectunt. Abſoluta altaris incenſatione, Celebrans ex parte laterali Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi convertit ſe ad populum, ſed ne terga vertat Sacramento, dum ſe vertit, reſpicit cornu Evangelii, & ibi triplici ductu incenſatur a Diacono ſtante contra ipſum, ideſt vertente terga populo, & ſe profunde inclinante eidem Celebranti ante, & poſt incenſationem, interim Subdiacono ſtante a ſiniſtris ipſius Diaconi.

VI. Quartò quoties Celebrans ad populum ſe debet convertere, dicturus *Dominus vobiſcum*, vel aliud quodvis, prius oſculatur altare, quando oſculandum eſt, deinde facta genuflexione in medio, ſe parumper retrahit ad cornu Evangelii, & ita ſe vertit ad populum, ut non teneat renes omnino, & directe verſus ad altare, ſed magis ad idem Evangelii cornu, & ibi dicto, quod dicturus erat, revertit ad medium altaris, & iterum genuflectit. Idipſum præſtatur ad *Orate fratres*, quod in hoc caſu non dicitur, ut alias, perficiendo circulum. Hæc autem erit ratio oſculandi altare, quando oſculandum eſt, ut quoties Sacerdos jam eſt in medio altaris, prius illud oſculari debeat, & poſtea genuflectere; quando vero non eſt in medio, ſed venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectet, & poſtea oſculabitur altare.

VII. Quinto quamvis ex generali regula in hac Miſſa omittantur oſcula manus, & rerum, quæ Celebranti porriguntur, nihilominus Subdiaconus, dicta Epiſtola, oſculabitur manum Celebrantis more ſolito, & ab illo benedicetur. Diaconus itidem ante Evangelium recipit benedictionem, & manu Celebrantis oſculatur, ſicut & ipſe Celebrans oſculari debet librum Evangelii a Subdiacono ſibi delatum, quem dum Celebranti defert, etſi tranſeat SS. Sacramentum, huic nullam genuflexionem

nionem facit ob reverentiam ſacri Evangelii, ut pluribus citatis Meratus edocet *par. 2. tit. 6. n. 34.* Oſculato autem Evangelii libro, incenſatur more ſolito Celebrans, qui non deſcendit in planum, ſed in ſuo ſe ſiſtit loco. Ita ex Bauldryo, Biſſo, & Cerracchino idem Meratus *part. 2. tit. 14. n. 10.*, ubi ſubdit quod non tantum omittuntur oſcula, quando fieri debet aliquid, quod ſpecialiter Sacramentum expoſitum dumtaxat reſpiciet; & ideo etiam Diaconus ad oblationem, ut alias, oſculatur patenam, & manum Celebrantis, uti & in fine orationis Dominicæ, dum patenam Celebranti porrigit.

VIII. Sexto. Poſt Offertorium genuflectit Celebrans, aliquantulum ſe retrahit ad cornu Evangelii ad imponendum incenſum in thuribulum cum benedictione, deinde convertit ſe ad altare, & genuflectit, ut ſupra faciendum diximus ad initium Miſſæ, & poſtea de more incenſat oblata, quibus incenſatis Celebrans, & Diaconus genuflectunt, & poſtea deſcendit Celebrans una cum Diacono, & genuflexus in ſuppedaneo incenſat SS. Sacramentum. Dum Sacramentum incenſat Celebrans, ad hujus dexteram Diaconum in ſuppedaneo genuflexum Meratus collocat, ſed vix hoc dixerat, quod ſtatim deſtruens, quod ædificaverat, eumdem ponit Diaconum genuflexum in gradu inferiori ad Celebrantem; in quo reapſe nos genuflectere debere credimus, ſic exigente dignitate Sacerdotali, quæ non videtur valde convenienter pati Diaconum a dexteris in eodem gradu, ſed magis in inferiori, in quo æque commode miniſtrare valet; non enim modo, ut in incenſatione poſt initium Miſſæ, Sacerdos a ſiniſtris habet Subdiaconum. Quoniam tamen etiam a dextris potius in eodem gradu, aſſiſtit ut miniſtrans, probabile valde eſt etiam in eodem gradu ſe collocare poſſe. Hæc autem incenſatio id ſpeciale habet, quod licet in aliis Miſſis, dum incenſatur Crux, Calix e corporalis medio amoveri debeat, non tamen in incenſatione SS. Sacramenti, etſi fiet loco incenſationis Crucis; ideo enim in incenſatione Crucis amovetur Calix, quia cum ſias a Sacerdote ſtante prope altare, immineret alias periculum effuſionis ſanguinis; quod non contingit in incenſatione Sacramenti, quæ fit a Sacerdote genuflexo in ſuppedaneo.

IX. Peracta incenſatione Sacramenti, Sacerdos eidem facit profundam reverentiam, & Diacono ſemper comite accedit ad altare, genuflectit, & deinde incenſat altare, & poſtea deſcendens in planum, incenſatur a Diacono, ut ad initium Miſſæ. Qui Celebrans in eodem plano, & ſitu exiſtens, mox lavat manus, Miniſtro non oſculante ampullas, eaſque extergit, & poſtea aſcendit ad altare, ubi genuflectit in medio, deinde reliqua omnia peragit uſque ad communionem, ut in aliis Miſſis, præterquam ad *Orate fratres*, de quo diximus ſupra. Diaconus vero incenſato Celebrante, procedit ad incenſandum de more chorum, & redit ad altare ſemper cum debitis genuflexionibus, ubi a parte Epiſtolæ incenſat Subdiaconum, & deinde facta genuflexione pergit ad ipſum cornu Epiſtolæ ante altare, ubi repetita genuflexione ſtans in plano Cappellæ incenſatur a Miniſtro, & poſtea cum genuflexione aſcendit altare ad miniſtrandum Celebranti. Qui vero ultimo loco incenſat populum, facta genuflexione in medio presbyterii, procedit ad ingreſſum ejuſdem presbyterii, & quaſi ſtans a latere Evangelii, ne terga vertat Sacramento more ſolito incenſat populum. Miniſter autem non pulſat campanulam ad *ſanctus*, ſed ſolum ad elevationem unum, vel alterum ſignum cum ea dare poterit.

X. Septimo ſumpta purificatione, Celebrans ponit Calicem in cornu Epiſtolæ extra corporale, poſtea genuflectit, tum accedit ad idem cornu, ubi accipit Calicem, & abluit de more digitos, & ibidem extergit, poſito Calice prope corporale. Deinde pergit ad altaris medium, ubi iterum genuflectit, ac mox Calicem accipit, & ablutionem ſumit, qua ſumpta Calicem extergit Subdiaconus, & illum de more accommodat. Sumpta purificatione, genuflectit iterum Celebrans, & pergit ad librum, ubi dicit *communionem*, qua dicta, redit ad medium, ubi prius genuflectit, & poſtea oſculatur altare, quo oſculato, nullam genuflexionem faciens, pro qua deſervit genuflexio præmiſſa altaris oſculo, convertit ſe ad populum ut ſupra verſus cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiſcum*. Poſtea ſe reſtituit in medio altaris, ubi genuflectit, & deinde tranſit ad librum, ex quo legit orationes, quæ dicendæ occurrunt. His lectis accedit ad medium altaris, genuflectit, oſculatur altare, & nullam genuflexionem iterans, dicit ut ſupra verſus populum *Dominus vobiſcum*. Diaconus vero dicturus *Ite Miſſa eſt*, prius genuflectit, vertit ſe verſus populum, ita tamen ut renes ſemiverſes habeat ad cornu Evangelii, & cantat *Ite Miſſa eſt*, Subdiacono de ſuo loco non ſe movente.

XI. Octavo. Dicto *Ite Miſſa eſt*, & reſponſo *Deo gratias* a Choro, Celebrans, & Diaconus ſe vertunt ad altare, & genuflectunt. Celebrans mox dicit orationem *Placeat tibi ſancta Trinitas*, & interim Diaconus, & Subdiaconus facta genuflexione recedunt a medio altaris, & Diaconus ſe genuflexum utroque genu collocat in ſuppedaneo verſus cornu Epiſtolæ, Subdiaconus vero in eodem ſuperiori gradu verſus cornu Evangelii, & ibidem genuflexi expectans benedictionem, ad quam ſe ſignant. Finita oratione *Placeat*, Celebrans, abſque capitis inclinatione, quia ſtatim debet facere genuflexionem, in qua includitur inclinatio, dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, tum genuflectit, vertit ſe ad populum ex parte Evangelii modo ſupradicto, & dat benedictionem more ſolito; qua data non perficit circulum, nec redit ad medium pro facienda genuflexione, ſed procedens verſus altare, accedit ad legendum Evangelium S. Joannis, ad cujus initium non ſignat altare, ſed tabellam Evangelii, & ſeipſum, & ad *Verbum caro factum eſt* non genuflectit verſus cornu Evangelii, ſed aliquantulum verſus Sacramentum, unico tamen genu ſine capitis inclinatione. Terminato Evangelio, Celebrans cum ſacris Miniſtris pergit ad medium altaris, ubi omnes genuflectunt, & ſtatim deſcenduot in planum, caventes, ne terga vertant Sacramento, & ibi in plana terra omnes utroque genuflectunt cum profunda capitis inclinatione, & poſtea ordine, quo venerant, vadunt in ſacriſtiam, contegentes capita, ubi extra presbyterium e medio exceſſerint. Quod ſi dicendum non ſit *Ita Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus Domino*, Sacerdos poſt *Dominus vobiſcum* accedit ad medium, & genuflectit, & poſtea ſtat verſus altare, dum Diaconus illud cantat, nec ſe vertit ad populum, nec genuflectit ante, aut poſt.

XII. Quod ſi terminata Miſſa, facienda ſit proceſſio cum SS. Sacramento, Celebrans abſoluto Evangelio S. Joannis, accedit ad medium altaris, ubi medius inter ſacros Miniſtros, unicum flectit genu ſine capitis inclinatione, & mox præcedente Subdiacono, & ſequente Diacono deſcendit per gradus laterales a cornu Epiſtolæ in planum, ubi retro altare, vel ad credentiam exuit planetam, deponit manipulum (quod etiam deponunt ſacri Miniſtri) & accipit pluviale ejus coloris, in quo celebravit. Si nullis interpoſitis precibus ad altare, facienda ſtatim ſit proceſſio, ibi ponit incenſum in thuribulum, & præſtat reliqua, quæ deſcripſimus in §. 19.; ſi vero ante proceſſionem habendæ ſunt preces aliquæ, omittit impoſitionem incenſi in thuribulum, & mox manibus junctis, nudo capite, medius inter ſacros Miniſtros elevantes pluvialis fimbrias, pergit per planum presbyterii ad medium altaris, ubi ante infimum gradum in plano una cum iiſdem Miniſtris genuflectit utroque genu cum profunda reverentia. Tum ſe ſtatim erigit, & ſimul cum ſacris Miniſtris genuflectit in infimo altaris gradu, neque caput inclinat, ſed ibidem genuflexus permanet.

XIII. Illico per cantores cantantur preces, quæ dicendæ ſunt (in caſu ſanctionis ſunt litaniæ uſque ad ℣. *Domine exaudi orationem meam* incluſive, & iiſdem precibus peractis, Celebrans cum Miniſtris ſe erigit, ſine benedictione imponit incenſum in thuribulo; abſque oſculis miniſtrante Diacono, & Subdiacono elevante fimbriam pluvialis dexteram, & deinde genuflexus ſuper infimum altaris gradum, ter incenſat Sacramentum, facta ante & poſt profunda inclinatione, etiam a Miniſtris, qui interim elevabunt pluvialis fimbrias. Mox accipit velum humerale, & præſtantur ea omnia, quæ deſcripta fuere in memorato §. 19., hoc ſolum intercedente diſcrimine, quod Diaconus modo tollit Sacramentum de throno, ut illud tradat Celebranti, ibi vero illud tollit de menſa altaris. Quæ item in aliis paragraphis tradita ſuperius ſunt de proceſſione expoſitionis, communia ſunt proceſſioni repoſitionis; quæ autem præſtanda ſint intus Eccleſiam in proceſſionis reditu, dabuntur in ſequenti paragrapho.

XIV. Æquum eſt, ſubdem modo ritum ſervandum in Miſſa privata coram SS. Sacramento expoſito. Sacerdos itaque prope, & ante ingreſſum presbyterii caput detegit, & birretum Miniſtro porrigit, inde in plana terra ante infimum gradum altaris utrumque genu flectit, & caput profunde inclinat, quod & facit Miniſter retro ad Sacerdotem. Mox ſurgit, & ſine alia genuflexione aſcendit ad altare, & Calice collocato ad partem Evangelii, genuflectit unico genu ſine capitis inclinatione, & ſic fiunt omnes aliæ genuflexiones intra Miſſam. Inde extendit corporale, & Calicem de more collocat, tum genuflectit, & poſtea accedit ad cornu Epiſtolæ, ut aperiat librum. Redit ad medium altaris, & genuflectit, & retrahens ſe aliquantulum ad cornu Evangelii facie quaſi verſa ad cornu Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi genuflexione facta unico genu ſine capitis inclinatione, erectus incipit Miſſam more ſolito.

XV. Confeſſione facta, ſine genuflexione aſcendit ad altare, ubi genuflectit, dicit orationem *Oramus te, Domine*, oſculatur altare, iterum genuflectit, & poſtea pergit ad cornu Epiſtolæ ad dicendum introitum, quo dicto accedit ad medium altaris, genuflectit, & deinde dicit *Kyrie eleiſon*, & *Gloria in excelſis*, ſi dicendum eſt. Quo facto oſculatur altare, genuflectit, vertit ſe ad populum paulo verſus cornu Evangelii, iterum genuflectit in medio altaris, & pergit ad cornu Epiſtolæ, ubi dicit orationes, Epiſtolam, & Graduale cum Alleluja, vel tracto, ut tempus poſtulat. Deinde accedit ad medium altaris, ubi elevatis ad Sacramentum oculis, & ſtatim demiſſis genuflectit, dicit *munda cor meum*, iterum genuflectit, & poſtea pergit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium, ſignans librum, ſeipſum, & Evangelium.

XVI. Lecto Evangelio, oſculatur librum, vadit ad medium altaris, genuflectit, & dicit *Credo*, ſi dicendum eſt, & oſculato altari iterum genuflectit, & vertens ſe ad populum verſus cornu Evangelii dicit *Dominus vobiſcum*, & poſtea iterum genuflectit in medio, & dicit *oremus* cum inclinatione capitis, & poſtea competentem orationem. Si vero dicendum *Credo* minime ſit, accedens ad medium, genuflectit, & poſtea oſculetur altare (quidquid dicat Meratus, quia tunc Sacerdos venit ab altaris latere) & oſculato altari, abſque nova genuflexione, quia ſupplet genuflexio præmiſſa altaris oſculo, ut ſupra vertit ſe ad populum, deinde genuflectit, & ut ſupra dicit *oremus* cum reliquis quæ ſequuntur.

XVII. Dicto *ſuſcipe*, genuflectit, accedit ad cornu Epiſtolæ, accipit calicem, in quo de more infundit vinum cum aqua, miniſtro non oſculante ampullas, & reverſus in medium genu-

Digitized by Google

genuflectit, & ſurgens accipit calicem jam præcedenter poſitum prope corporale, & dicit *offerimus*. Dicto *veni Sanctificator*, & benedictis oblatis, non jungit manus, nec inclinat caput, ſed manibus ſuper altare poſitis genuflectit, recta incedit verſus cornu Epiſtolæ, deſcendit in planum, ubi ſe vertit ad populum per latus ſuum dexterum, lavat manus, eas extergit, redit ad medium altaris, genuflectit, dicit *ſuſcipe Sancta Trinitas*, oſculatur altare, genuflectit, & obverſo tergo verſus cornu Evangelii dicit verſus populum *orate fratres*, non perficiendo circulum, ſed reverſus ad altare, iterum genuflectit, & poſtea omnia alia peragit uſque ad communionem, ut in aliis Miſſis. Miniſter tamen non pulſat campanulam ad *ſanctus*, & ad elevationem cum ea dare poterit unum, vel alterum ſignum.

XVIII. Purificatione ſumpta, Sacerdos ponit calicem extra corporale ad cornu Epiſtolæ, genuflectit, vadit ad cornu Epiſtolæ, accipit calicem, & in eo lacta digitorum ablutione, & poſtea digitorum abſterſione, ponit calicem prope corporale. Tum procedit ad medium altaris, genuflectit, accipit calicem, & ſumit ablutionem. Ut accommodavit de more calicem, genuflectit, accedit ad cornu Epiſtolæ, legit Antiphonam *communio* dictam, redit ad medium altaris, genuflectit, oſculatur altare, vertit ſe ad populum verſus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiſcum*, iterum genuflectit in altaris medio, redit ad cornu Epiſtolæ, ubi dicit occurrentes orationes, quibus explens, vadit ad medium altaris, genuflectit, oſculatur altare, vertit ſe ad populum verſus cornu Evangelii, & dicit *Dominus vobiſcum*, & *Ite Miſſa eſt*, & poſtea rediens ad medium altaris, genuflectit, & ſurgens dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*. Si dicendum ſit *Benedicamus Domino*, Sacerdos dicto *Dominus vobiſcum*, revertitur ad medium altaris, genuflectit, & ſtans dicit *Benedicamus Domino*, & poſtea more conſueto prædictam orationem *Placeat*.

XIX. Finita deprecatione *Placeat*, Sacerdos oſculatus altare, dicit *Benedicat vos omnipotens Deus* ſine capitis inclinatione, mox genuflectit, vertit ſe ad populum ut ſupra ex parte Evangelii, illum benedicit more ſolito, non perficit circulum, nec accedit ad medium altaris, ut genuflectat, ſed verſus altare progrediens, accedit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium, ad cujus initium numquam ſignat altare, ſed vel librum, aut tabellam, & ſeipſum ſolum, & ad *verbum caro factum eſt* non genuflectit verſus altare, ſed verſus Sacramentum ſine capitis inclinatione. Terminato Evangelio accedit ad medium altaris, genuflectit, accipit calicem, humeris verſis ad cornu Evangelii deſcendit in planum, & in plana terra genuflectit utroque genu cum capitis inclinatione profunda, & ſurgens diſcedit, non faciens reverentiam alteram, & ubi eſt extra presbyterium paulo ultra medium, accipit biretum, & caput tegit interim parum conſiſtens, ne aliquid decidat e calice. Quæ omnia ſervanda item ſunt in Miſſa, quæ celebratur coram SS. Sacramento in pyxide expoſito, aut in oſtenſorio velato.

§. XXXI.

Ritornato dopo la proceſſione il celebrante all' infimo grado dell' altare, il diacono genufleſſo riceverà da eſſo, che ſtarà in piedi, il Santiſſimo, verſo cui il celebrante genufletterà immediatamente, e deporrà il velo umerale. Il diacono lo collocarà ſopra il corporale in mezzo dell' altare, e ritornarà al ſuo luogo. Il celebrante al ℣ Genitori Genitoque &c. *alzatoſi con li miniſtri porrà come ſopra l' incenſo ſenza benedirlo, ed incenſata il Sacramento, li cantori diranno il* ℣. Panem de Cælo &c. *(a cui ſi aggiongerà l' Alleluja nel tempo paſquale ſolamente, ed in tutta l' ottava della feſtività del Corpus Domini in qualſivoglia eſpoſizione, che ſi faccia). Il celebrante alzatoſi ſenza far nuova genufleſſione, ſoſtenendo li miniſtri il libro (ſenza dire il* ℣. Dominus vobiſcum, *come per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti) canterà le orazioni a mani giunte; quali terminate, genufleſſo prenderà il velo umerale; ed aſcendendo ſolo all' altare, fatte le dovute riverenze, prenderà nelle mani ricoperte, come ſi diſſe, con l' eſtremità del velo umerale l' oſtenſorio, e darà con eſſo la benedizione al popolo; e riposto il Sacramento ſopra il corporale, diſcenderà, e ſtarà genufleſſo al ſuo luogo. Il diacono immediatamente, o un Sacerdote con ſtola, fatte le dovute riverenze chiuderà il Sacramento nel tabernacolo, quale per tale effetto doverà ritenerſi nell' altare dell' eſpoſizione; e l' oſtia conſacrata ſi dovrà conſumare nella Meſſa, o in quella mattina, o nella ſeguente, dopo de che partiranno, e terminerà l' orazione di quarant' ore.*

I. Ritus, qui in proceſſionis reditu ſervari debet, in §. 24. ubertim manet deſcriptus, in eo quippe ſolummodo differt, quod modo Sacramentum de manu Sacerdotis receptum, a diacono non collocatur in throno, ſed ſuper corporale in altaris medio. Peracta incenſatione, & abſoluto, hymno ritu ibidem expreſſo, cantores concinunt ℣. *Panem de Cælo*, cui *Alleluja* dumtaxat additur paſchali tempore, & infra octavam Corporis Chriſti juxta Decretum S. R. C., de quo alibi. Verſum *Panem de Cælo* erecti nonnulli dicunt, utique tamen perperam; nihil enim ejuſmodi tenet ſanctio, cujus ſilentium, cum ceteroqui accurata ipſa ſit, non modicum argumentum eſt, dicendum illud eſſe a genuflexis; & maxime quia in hoc convenit fere uniſona Rubriciſtarum auctoritas, quos inter id expreſſe ex Bauldryo notat a Portu *append. 3. de venerab. expoſ. n. 5.*

II. Mox celebrans ſe erigit, manentibus miniſtris genuflexis, nec noviter flectit genua, & omiſſo ℣. *Dominus vobiſcum*, ut magis dicetur alibi, ſacris miniſtris ſuſtinentibus librum, orationes cantat manibus junctis, & iiſdem ſub brevi concluſione peractis, genuflectit, & accipit velum humerale, & deinde aſcendit ad altare ad impertiendam populo benedictionem cum Sacramento, ſervato eodem prorſus ritu, qui deſcribitur in cap. de Repoſit. Duo remanent hic ponderanda, & primum eſt, quod in altari expoſitionis haberi debet tabernaculum, in quo Sacramentum recondi valeat, ne benedictione peracta, neceſſe ſit, ad aliud altare proceſſionem inſtituere ad Sacramentum recondendum, unde ſanctio: *quale per tale effetto doverà ritenerſi nell' altare dell' eſpoſizione*. Alterum vero eſt quod hoſtia, quæ fuit expoſita, in *Meſſa* abſumi præcipitur, & per hoc edocemur, eam neque integram, neque in partes ſectam, fidelibus poſſe diſtribui, & per hoc confirmationem recipit Decretum aliud, quod a nobis alibi exponitur. Abſumi denique præcipitur, *o in quella mattina, o nella ſeguente* ad præcavendum periculum corruptionis, quod ſi abſit, nil vetat diutius cuſtodiri, dummodo brevi item expoſitio altera facienda ſit.

§. XXXII.

Nel tempo, che durerà l' orazione medeſima, ſi proibiſce eſpreſſamente il predicare, ma volendo fare dopo li Veſperi qualche breve ſermone per eccitare li fedeli alla devozione verſo il SS. Sacramento, ſi dovrà prendere la licenza, e benedizione da noi, o da Monſignor noſtro Vicegerente, anche nelle Chieſe de' Regolari, ed in qualunque modo privilegiate, e non ſolo nell' eſpoſizione di quarant' ore, ma in qualſivoglia altra eſpoſizione; qual licenza ſi darà in ſcriptis. Quello poi doverà ſermoneggiare, ſarà almeno coſtituito nell' Ordine Diaconale, e ſermoneggerà con la Cotta, benchè ſia Regolare, ma ſenza la ſtola, ed a capo ſcoperto, vicino all' altare, dove ſta eſpoſto il Santiſſimo, ed in un ſito, che non obblighi gli circonſtanti a fare atti d' irriverenza con voltare le ſpalle al SS. Sacramento.

I. Inutiliter hic repeteremus ea, quæ alibi fuerunt producta, quare ægre ne ferat lector, ſi eumdem remittimus ad recolenda late tradita in Decret. 29. præcedentis capitis.

§. XXXIII.

Le Chieſe dove ſarà l' orazione di quarant' ore, doveranno la ſera ſtare aperte fintanto, che vi ſarà il popolo per orare; ma perchè non può darſi in ciò un' ora determinata, sì per la ſituazione di eſſe, come per la mutazione delle ſtagioni, perciò potranno chiuderſi l' eſtate circa le tre ore, e l' inverno ad ore cinque. Si avverta però, che anche a porte chiuſe deve continuare l' orazione, come ſi è detto al num. VII., non dovendo mai eſſere interpolata l' orazione di quarant' ore, come per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti.

I. Monumenta quælibet, in quorum memoriam in præliminaribus capitis orationem XL. horarum diximus inſtitutam, hanc proculdubio *continuam* expoſcunt; hinc merito in titulo *continua* inſcribitur, & num. VII. propterea demandatur aſſiſtentia aliquorum, qui die noctuque orent ante SS. Sacramentum hac occaſione expoſitum. Verum limitata ejuſmodi aſſiſtentia in ſubſidium dumtaxat indicitur, ne videlicet Sacramentum ſine adoratoribus quandoque remaneat; quare dubium non eſt, quod populo liber patere debet ingreſſus in Eccleſiam expoſitionis, quouſque Sacramentum patet expoſitum. Reſeratæ itaque rite demandantur ejuſdem Eccleſiæ fores, etiam de nocte, uſquedum convenit populus adoraturus, in venerationem SS. Sacramenti relaxata generali illa regula ſub Veſperum claudendi quaſcumque Eccleſias, in quas tamen, abſit, putem prædicto tempore admittendas eſſe fœminas, quarum interventum etiam ſanctiora quæque facile inficere, alibi ponderavimus.

II. Quandonam præciſe ceſſet populi concurſus, definiri non poteſt; potiſſimum quippe dependet a loco ſituque, in quo Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & variationem quoque plurimam invehit varietas ipſa temporum, hinc ſanctio recte diſtinguens inter tempora, Eccleſiæ januas circa tres horas noctis in æſtate claudendas edicit, circa quinque vero in hyeme, tunc quippe regulariter ceſſat concurſus populi, qui tali tempore in propriis domibus ſe ſolet recipere. Verum non ita prædictum aſſignatur tempus, ut per dictionem *circa* juxta populi concurſum citius, vel tardius non valeant, aut debeant præcludi, ita nec ullatenus valeant obſerari, quoties per totam noctem devotus populus aſſiſteret. Quæ ubique gentium indubie ſervanda ſunt, ubi in uſu eſt oratio continua, ſecus, ubi de nocte Sacramentum non manet expoſitum.

§. XXXIV.

In ogni Chieſa di Roma ſi terrà affiſſa in luogo patente la liſta delle quarant' ore per informazione de Fedeli divoti.

I. *Di Roma*; at idipſum ne extra Romam, ubi inſtituitur ſimilis oratio, licet non continua? Utique; ratio enim, cui ſanctio innititur, ut videlicet fideles facilius admoniti, ad Ec-

cleſiam

cleſiam expoſitionis divertant, SS. Sacramentum venerেturi, eamdem ad Eccleſias omnes, etiam extra Romam de congruo extendit.

§. XXXV.

Parimenti in ogni Chieſa, dov' è determinata l' eſpoſizione, ſi dovrà tenere affiſſa continuamente nella Sagreſtia la preſente Iſtruzione, acciocchè niuno poſſa allegare l' ignoranza delle regole, e precetti, che vi ſi contengono.

I. Eo inſpicit ſenctio, ut tollat e medio excuſationem, quam ſuper præceptorum inobſervantiam regulariter transgreſſores aſſolent allegare; affixio vero Inſtructionis indicitur in ſolis Eccleſiis urbis, in quibus reccurrit oratio XL. horarum, ad cujus directionem potiſſimum illa edita fuit. Quoniam tamen, quæ in ea ſtatuuntur, deſerviunt plurime etiam pro aliis expoſitionibus, & ſervari ab Eccleſiis ejuſdem urbis mandata ſunt, ideirco ab eorumdem obſervantia non propterea excuſabuntur illæ, quæ facultate ut infra habita, extraordinariæ alicui incumbunt expoſitioni, etſi ad affixionem Inſtructionis in Sacrario minime teneantur. Multo minus ad hanc affixionem adſtrictæ erunt Eccleſiæ extra Romam, quas cum Inſtructio non afficiat, nec carpendas eſſe credimus, ſi eadem Inſtructione careant; caveant tamen maxime ab inobſervantia eorum, quæ ſuperius diximus procedere etiam pro univerſali Eccleſia.

§. XXXVI.

Non ardirà alcun Rettore, curato, e ſagreſtano, fuori dell' ordine aſſegnato nella liſta delle Quarant' ore, d' eſporre il SS. Sacramento ſotto qualſivoglia preteſto, e conſuetudine, per veruna cauſa grave, nè per infermi, ſenza Breve ſpeziale di ſua Santità, e almeno licenza ſegnata da Noi, e da Monſignor noſtro Vicegerente, e ſottoſcritta dal Deputato delle Quarant' ore; quale ottenuta ſi eſporrà il Venerabile in un altare, e Cappella con un velo avanti, e col ſudetto numero di venti lumi, e ſi oſſerverà puntualmente il tempo, che dovrà durare l' eſpoſizione, aſſegnato nella ſudetta licenza, ſotto le pene infraſcritte, e privazione d' offizio.

I. Municipalia hæc omnia ſunt pro urbe Romæ; quid autem poſſint, & debeant Eccleſiæ aliæ per orbem diſperſæ, jam traditum eſt in præcedenti capite. Id unum hic lubet inferre, quod adhuc infirmorum cauſa Sacramentum exponi poteſt extra tabernaculum, & in oſtenſorio cum velo præpoſito; pyxidi enim, in qua hoſtia non apparet, neceſſe non eſt, velum præponi. Verum dum in hoc caſu numerus viginti luminum indicitur, non obſcure indicatur, quod Sacramento hoc pacto expoſito, tot lumina ardere debent, quot juxta locorum conſuetudinem ſtipandum eſt, quoties exponitur diſcoopertum. Verum de hoc alias egimus.

§. XXXVII.

Finalmente ſi comanda eſpreſſamente, che tutti, e ſingoli i ſopradetti ordini ſi debbono inviolabilmente oſſervare, e che ſi ubbidiſca eſattamente, per quello poteſſe occorrere di più, al noſtro Deputato ſopra le Quarant' ore, ſotto pena alli Maeſtri di Ceremonie, che aſſiſteranno alle funzioni, ſe non faranno adempire eſattamente tutte le ceremonie, ed i riti preſcritti; quali Maeſtri di ceremonie devono eſſere almeno in ſacris tanto in queſta, che in ogni altra funzione ſolenne, ſecondo il ceremoniale Epiſc. lib. 1. cap. 5., ed alli traſgreſſori reſpettivamente de' ſudetti ordini, di ſcudi dieci d' oro da applicarſi a' luoghi pii; ed alli Regolari della privazione di voce attiva, e paſſiva, di carcere, ed altre pene maggiori reſervate a noſtro arbitrio; dichiarandoſi, che in difetto dell' oſſervanza ſi procederà più rigoroſamente contro li ſuperiori, e ſagreſtani delle Chieſe, alli quali appartiene più, che ad ogni altro la buona regola, e cura di eſſe. Date della noſtra ſolita Reſidenza queſto dì 1. Settembre 1736. P. Card. Vicario...... Carlo Guazzaglia Deputato... Niccolò Antonio Can. Caggio Segr.

I. Inſtructio abſolvitur impoſitione pœnarum in tranſgreſſores ordinationum, & rituum, in eadem contentorum, & nedum ea pœnis, quæ reſervantur arbitrio, ſed adhuc, quæ expreſſæ ſunt, ipſo facto non incurrunt, niſi expreſſe poſtmodum infligantur, unde ſubditur, *dichiarandoſi che in difetto dell' oſſervanza ſi procederà più rigoroſamente contro li ſuperiori, e Sagreſtani delle Chieſe;* rite autem, & recte, *perchè a queſti più, che ad ogni altro appartiene la buona regola, e cura di eſſe.* Pœnæ ejuſmodi Romanum non prætergrediuntur diſtrictum, ſed non propterea ab obſervantia ſtatutorum, prout ſupra identidem reſpective monuimus, ceteræ abſolvuntur Eccleſiæ, in quibus Cæremoniarum magiſtri non minus debent eſſe in Sacris conſtituti, lex quippe hæc eſt Cæremonialis Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 5. cujus diſpoſitio afficit univerſalem Eccleſiam. Id fortaſſe fallit in functionibus minus ſolemnibus, in quibus tolerari poſſe etiam qui in Sacris conſtituti non ſunt, ex iis Inſtructionis verbis videtur erui: *E tanto in queſta, che in ogni altra funzione ſolenne.*

CAPUT NONUM.

De Repoſitione SS. Sacramenti.

EXpoſitionem ſubſequitur depoſitio, ſeu repoſitio, cujus ecce ritum. Sacerdos induit albam, ſtolam, & pluviale coloris albi, thuriferarius, & naviculario ſuperpelliceа, quibus pariter ſe veſtiunt alii quatuor, qui deferre debent intortitia accenſa. Auctores in cotte alios duos exigunt, quorum unus velum oblongum deferat, alter ſerviat de libro, & alium quoque Sacerdotem aſſiſtentem poſtulant. Sive autem interſint omnes, vel eorumdem deſint aliqui, quem ſubdimus, erit ordo incedendi ad altare. Præcedit omnium primus thuriferarius cum thuribulo non fumigante, a ſiniſtris habens navicularium, ſequuntur portantes funalia, poſt quos duo clerici de velo, & libro, deinde Cæremoniarius, poſtea Sacerdos aſſiſtens ſuper brachium ſiniſtrum habens ſtolam, & denique principalis Sacerdos, & hi ambo tecto capite, & manibus junctis.

Ut devenere prope, & ante ingreſſum presbyterii, prædicti duo Sacerdotes ſua denudant capita, birreta tradentes inferioribus miniſtris, & presbyterium ingreſſi, utroque genu procumbant omnes in planum cum profunda capitis inclinatione, & mox ſurgentibus Sacerdotibus cuncti ſurgunt, & principalis Sacerdos genuflectit ſuper infimum altaris gradum, & ad ejus dexteram Sacerdos aſſiſtens, reliqui vero in plano poſt eos. Si adſint etiam miniſtri, ſacri, genuflectunt itidem in eodem altaris gradu, celebrantem habentes medium, & tunc Sacerdos aſſiſtens, ſi quoque interſit, ſe collocat ad dexteram diaconi. Ibi omnes brevi orationi vacant, poſt quam ſurgit Sacerdos aſſiſtens impoſita ſibi ad collum ſtola, aſcendit ad altare, ubi genuflectit unico genu, & e loco eminentiori deponit Venerabile ſuper corporale in altari explicatum, & iterum facta genuflexione unico genu, deſcendit, & redit loco ſuo, ubi mox deponit ſtolam, vel eam alteri tradens tenendam, vel ſuper ſuum ſiniſtrum brachium eamdem collocans. Tum cantoribus incipientibus chorus cantat *Tantum ergo*, & ad V. *Genitori* celebrans ſe erigit cum Sacerdote aſſiſtente, & hoc miniſtrante ſine oſculis abſque benedictione imponit ille incenſum in thuribulo, & mox genuflexus ter de more incenſat Sacramentum cum profunda inclinatione ante, & poſt, elevante interim dexteram pluvialis fimbriam Sacerdote aſſiſtente, qui poſtea ſine oſculis e celebrante recipit thuribulum, illudque conſignat thuriferario. Quod ſi interſint miniſtri ſacri, hi Sacerdoti inſerviunt ad imponendum incenſum in thuribulo; & ad incenſandum Sacramentum, & Sacerdos adjutor genuflexus remaneat. Quatenus vero deſit Sacerdos adjutor, diaconus etiam ut ſupra deponit Sacramentum; & id præſtat Sacerdos ipſe, quoties non interſint miniſtri ſacri, neque Sacerdos aſſiſtens, quo in caſu pro incenſo, & thurificatione eidem inſervit thuriferarius.

At ſi hymnus cantatur cum maxima repetitione verſuum, aut inter unam ſtropham, & alteram mediet organi, vel inſtrumentorum ſonus, præſtat, ut primo terminata tota prima ſtropha, aut dum pulſantur organa, vel inſtrumenta, Sacerdos ſurgat ad imponendum ut ſupra incenſum, & ſtatim ac cantari incipit *Genitori*, genuflexus Sacramentum incenſet, quemadmodum magis diximus in §. 24. præcedentis capitis. Abſoluto hymno cantores genuflexi cantant verſum *Panem de Cœlo*, cui additur *Alleluja* paſchali dumtaxat tempore, & infra octavam Corporis Chriſti. Mox Celebrans ſe ſolus erigit, & nulla facta benedictione, omiſſo V. *Dominus vobiſcum* cantat orationem junctis manibus, ante eum tenentibus librum ſacris miniſtris genuflexis, ſin Sacerdote adjutore, & in hujus etiam defectu Cæremoniario, vel alio clerico. Celebrans orationem abſolvit ſub brevi concluſione, & quatenus plures orationes recitet, omnes terminat ſub una tantum brevi concluſione, poſt quam nihil prorſus addit, ſed mox genuflectit iterum in infimo altaris gradu, ubi eidem imponitur velum humerale.

Sacerdos aſcendit illico ad altare, & ibi facta genuflexione unico genu, accipit in manibus coopertis per ejuſdem veli extremitates oſtenſorium, quod prius ita vertit, ut facies crucifixi in hoſtia impreſſi populum reſpicere poſſit, & poſtea ſe vertens per latus ſuum dexterum, ut ad *Dominus vobiſcum*, tenens manu dextera nodum, & ſiniſtra pedem oſtenſorii ante pectus, nihil dicens, ſemel cum eo in modum crucis benedicit populum, uno ex duobus modis, de quibus infra in Decret. 6. Quando Sacerdos aſcendit ut ſupra altare, una cum eo aſcendunt itidem ſacri miniſtri, ſed hi genuflectunt poſtea in ora ſuppedanei, ubi inclinati elevant pluvialis fimbrias, dum Sacerdos benedicit populum; in defectu autem miniſtrorum ſacrorum id præſtent Sacerdos adjutor, & Cæremoniarius, vel alii clerici hinc inde genuflexi. Dum benedictio datur populo, nedum ipſe Sacerdos nihil dicit, ſed etiam muſici, atque cantores omnino ſilere debent, & ſolum permittuntur pulſari organa ſuavi, & gravi ſono, ſicuti fit ad elevationem SS. Sacramenti in Miſſa. Data benedictione dum Sacramentum reconditur, fortaſſe congruit, quod nihil etiam decantetur, ſed quatenus aliquid decantare placeat, in uſu erit *O ſalutaris hoſtia*, uti dicemus infra in Decr. 9.

Celebrans data benedictione, ita ſuper corporale Sacramentum collocat, ut crucifixi facies reſpiciat populum, & deinde facta genuflexione unico genu, deſcendit cum ſubdiacono ad

no ad

Digitized by Google

no ad infimum altaris gradum, ubi iterum cum eodem genuflexus, per eumdem ſubdiaconum, vel Cœremoniarium exuitur velo humerali. Diaconus interim accedit ad altare, & facta genuflexione unico genu, tabernaculum aperit, & in eo reponit Sacramentum, cui genuflexione iterum facta, ſurgens oſtiolum claudit, & poſtea deſcendit ad locum ſuum, ad quem cum acceſſerit, ſurgunt omnes, & facta genuflexione unico genu, redeunt in ſacriſtiam ordine, quo venerant, ſed celebrans, & miniſtri ſacri tegunt capita, antequam e presbyterio diſcedant. Quod ſi ultra ſacros miniſtros adſiſtat Sacerdos alter, hic impoſita ſibi ſtola Sacramentum ut ſupra recondet, & diaconus cum celebrante pariter deſcendet, & ab eo removebit velum humerale. Quoties vero nec diaconi, neque alterius Sacerdotis aſſiſtentia habeatur, celebrans ut depoſuit Sacramentum ſuper corporale, exutus velo humerali, Sacramentum per ſeipſum recondet, deſcendet, & ut ſupra recedet.

Sunt, qui oſtenſorium velo contegunt, antequam illud invehant in tabernaculum, ſed cum de hoc ritu nihil habeant Ritualia, nihil Inſtructio Clementina, nihil denique probati Auctores, præter Rubricas, ut minimum ſaltem eſt. Si vero tabernaculum fuerit adeo parvum, ut Oſtenſorium non capiat, e tabernaculo extrahitur pyxis, & in ea reponitur ſacra expoſitionis hoſtia, quæ ab oſtenſorio ad hunc effectum extrahitur. Si dum ab Oſtenſorio in pyxidem aſportatur Sacramentum, contigatur digitis, hi abluantur in vaſe Purificationis, quod debet eſſe ſuper altare. Hæc eſt methodus ex Ritualibus excerpta, ex Inſtructione Clementina totaliter fere eruta, & ab Auctoribus communiter probata, ut adhibeatur in occaſione repoſitionis SS. Sacramenti, quæ tamen a nobis putatur digna, quæ in eo corrigatur, ut videlicet e loco eminenti Sacramentum non deponatur, niſi poſtquam omnia ſuperius dicta peracta fuerint uſque ad orationem incluſive. Dicta autem a Sacerdote oratione, Sacerdos genuflectit in infimo altaris gradu, & ibi accipit velum humerale, Diacono interim, vel Sacerdote altero cum ſtola e collo pendente, deponente Oſtenſorium e loco eminenti, illudque collocante ſuper corporale in altari explicatum. Quo facto celebrans aſcendit ad altare, & benedicit populum cum Sacramento, quod poſtea diaconus, vel Sacerdos prædictus recondit ut ſupra in tabernaculo. Solummodo nunc adnotare ſupereſt, quod ſi poſt veſperas, aliaſve horas repoſitio fiat, color, qui adhibitus eſt in decantandis horis canonicis, continuari etiam debet in ſequenti repoſitione, quemadmodum diximus agentes de expoſitione SS. Sacramenti, & implicite definitum eſt ab Inſtructione Clementina §. 18.

DECRETUM I. CAPITIS, IN ORDINE CLXIV.

Canonici & Beneficiati, dum occaſione benedictionis Auguſtiſſimi Sacramenti ſingulis Dominicis poſt Completorium cantatur hymnus *Pange lingua*, non tenentur diſcedere a choro, & flexis genibus canere ante Venerabile, ſed remanere poſſunt in eorum ſtallis Choralibus S. R. C. 26. Auguſt. 1730. *in Avenionen.*

I. UT plena habeatur Decreti mens, neceſſe eſt, præmittatur ejuſdem Decreti occaſio, ſeu cauſa. Ægydius Berton ſuo teſtamento anno 1603. Eccleſiæ Metropolitanæ Avenionenſi injunxit onus exponendi SS. Sacramentum ſingulis Dominicis, conditione adjecta, ut Canonici, & Beneficiati deſcenderent e choro, qui tunc erat e latere altaris altior plano presbyterii, & genuflexi ante Euchariſtiam canerent hymnum *Pange lingua*. Anno 1730. translatus fuit chorus in eodem plano poſt altare majus, & cum Canonici contenderent ſatisfacere Teſtatoris menti, tametſi non ſe ſiſterent genuflexos ante altare majus, ſed ſtarent genuflexi in ſuis ſtallis choralibus, & reclamarent hæredes, & inſiſterent pro adimpletione teſtamenti, factum eſt dubium, quod in Sacra Rituum Congregatione propoſitum, definitum ut ſupra fuit in Canonicorum favorem, qui reapſe etiam in ſuis ſtallis permanentes, rite dicuntur ante Venerabile concinere prædictum hymnum juxta Teſtatoris mentem.

II. Ad generalia modo procedentes, probe novimus, quod benedictioni populi cum SS. Sacramento Ritualia præmitti mandant hymnum *Pange lingua*, qui licet integre præcini valeat, ſufficit, ſi præcantetur a ℣. *Tantum ergo*, quemadmodum univerſalis praxis approbat, quam ultra antiquiora jura modernæ Inſtructioni Clementinæ, de qua §. 24. præcedentis capitis, patet eſſe innixam. Dubium non eſt, quod cantari debet a clero genuflexo, an autem genuflexo ante ipſum Venerabile, vel magis in ſuis ſtallis Choralibus, cum diſtinctione eſt reſpondendum. Vel id evenit fieri a clero, qui jam in choro ob cantum completorii, vel aliarum horarum, aut precum eſt conſtitutus, & tunc non teneri a choro diſcedere, & ſeſe ante Sacramentum ſtatuere, præſens nos inſtruit ſanctio, quæ licet pro verbo *non teneri* libertatem non videatur adimere, prædictum tamen verbum plurimi faciendum non eſſe, ſatis petitio oſtendit, ob quam unice in Decretum irrepſit, cum ageretur de ſupradicta obligatione vi memorati teſtamenti. Nobis itaque liceat ſaltem dicere, quod omnino non convenit, ut clerus exiſtens in Choro retro altari poſito, in quo expoſitum eſt SS. Sacramentum, e choro diſcedat, ut ſe genuflexum ante Venerabile conſtituat in prædicto concinendo hymno, quem adhuc in choro perſtans æque bene concinit ante Sacramentum.

III. Potior difficultas eſſe poteſt de caſu, in quo Sacramentum proſtat expoſitum extra altare chori, & licet ad altare expoſitionis clero non prohibeamus acceſſum, ad evitandas tamen diſtractionum cauſas collaudamus magis, eumdem in ſuis ſtallis choralibus permanere, & ibidem hymnum concinere; & benedictionem recipere. Quod ſi ad prædictum altare accedat, aut poſt proceſſionem benedictio ſit impertienda, tunc clerus in duas ſe findet partes, ſeſeque omnino conſtituet intra presbyterium, quod locus eſt per ſanctiones plurimas clero addictus, & reſervatus, ibique faciens quaſi ſemicirculum, ſuo tempore cantabit, ſeu magis proſequetur hymnum *Pange lingua*, ſeu *Tantum ergo*, per cantores prius intonatum. Quod ſi presbyterium adeo anguſtum fuerit, ut totum clerum non poſſit capere, reliquus ſe conſtituet circa altaris cancellos.

IV. Hymno ſuccedit verſus *Panem de Cælo*, de quo ſequens (erit 2. cap. in ord. 165.) procedit Decretum: *In expoſitione, & depoſitione SS. Sacramenti, etiam cauſa devotionis, non eſt addendum* Alleluja *ad* ℣. Panem de Cælo. S. R. C. 5. Julii 1690. *in Collen.* Quamvis in privatis precibus poſſit quilibet in ſuo placito abundare, ſecus eſt in iis, quæ cum publice in Eccleſia recitentur, undique conveniens eſt, conformentur ipſius Eccleſiæ ritibus, atque ſtatutis, & hæc dubio procul eſt cauſa, ob quam verſui *Panem de Cælo* ℣. *Alleluja* etiam ex devotione addi vetatur, dum dicitur, in publica expoſitionis, vel repoſitionis circumſtantia. In ſignum maximæ ſolemnitatis, & exultationis ſummæ in feſto Corporis Chriſti, in quo Eccleſia recolit inſtitutionem Sacramentorum maximi, abundat plurimum vocibus *Alleluia*, & has voces item per multum temporis retinuit in officio votivo, quod in commemorationem ejuſdem per annum ab indultariis conceſſum eſt recitari. Verum anno 1740. 10. Dec. Congregatio ponderans, quod diſtinctione opus eſt ſolemnitatem inter & commemorationem, voces *Alleluja*, quæ notæ quædam ſunt ipſius ſolemnitatis, rite tacendas eſſe ſtatuit in commemorationis officio; ſolo excepto paſchali tempore, quod jam ex ſe prædictas voces in officium invehit; etſi minime habeantur in feſto.

V. Hos ad limites præſens item trahi debet Decretum, unde & Rituale *de ord. adminiſtrandi ſacrament. commun.* de prædicto habet verſu: *Tempore paſchali additur Alleluja*, etſi ibi non agatur de eo intra officium divinum dicendo, ſed in circumſtantia adminiſtrationis Sacræ Euchariſtiæ. Inſtructio Clementina §. 32. idipſum diſerte ſtatuit quantum ad tempus paſchale, ſed inſuper addit octavam Corporis Chriſti, per quam, ut jam dicebamus, Eccleſia prædictis vocibus in officio ubertim utitur: *Al verſetto* Panem de Cælo *ſi aggiugnerà* l' Alleluja *nel tempo paſquale, ed in tutta l' ottava della feſtività del Corpus Domini in qualſivoglia eſpoſizione, che ſi faccia*. Uti igitur extra dubium eſt, quod modo adhærendum omnino eſt prædictæ Inſtructioni, quæ tamquam moderníor, quatenus opus ſit, præſentis Decreti ſenſum aperit, & notat limites, ita non eſt valde facile prædictæ exceptionis excogitare cauſam, niſi dixeris hoc ideo fuiſſe factum, quia paſchali tempore, hoc eſt in paſchali cœna, SS. Euchariſtia fuit inſtituta, & per præfactam octavam ſpecialiter colitur ejuſdem inſtitutio.

DECRETUM III. CAP. IN ORD. CLXVI.

In feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cœremonialis Epiſcoporum *lib.* 3. *cap.* 33. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiſcum*, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. Junii 1663. *in Granat.*, & 28. Septemb. 1675. *in Salernitana*.

I. CŒremoniale Epiſcoporum, & Rituale Romanum in eo diſſident, quod ubi in illo nulla fit mentio de verſu *Dominus vobiſcum* prævie ad orationem SS. Sacramenti dicendo in repoſitione ejuſdem Sacramenti, in hoc aperte dici præſcribitur, quare quoties ex iiſdem dumtaxat quæſtio dirimenda foret, quiſquis facile a Ritualis parte ſtaret magis, quam Cœremonialis, cujus ſilentium prævalere non poſſe videtur contra diſertum Ritualis mandatum. Hujuſce vim argumenti perſenſere fere omnes Rubricarum Interpretes, quos inter celeberrimos ipſe Gavantus *part.* 4. *tit.* 12. *num.* 7. pro eodem verſu dicendo pronunciat. In oppoſitum ſtat præſens Decretum, quod claræ Ritualis diſpoſitioni præfert ſilentium Cœremonialis, quod tamquam accuratiore manu elaboratum, meminiſſet præfati verſus, ſi dicendus fuiſſet. Inſtructio Romana §. 31. prædicti verſus ſilentium indicit, &, quod exponimus, Decretum allegat, cujus propterea diſpoſitio noſcitur carere limitibus, quos præſeferunt ea verba *In feſto Corporis Chriſti*, ita ut nedum taceri debeat *Dominus vobiſcum* in feſto Corporis Chriſti, cujus Decretum dumtaxat meminit ratione petitionis, ſed adhuc in repoſitione qualibet, cujuſmodi eſt diſpoſitio Inſtructionis, & ratio, quam ſubdimus, ubertim oſtendit.

II. Baruffaldus *tit.* 80. *num.* 74. in rationem allegat, quod fruſtra adſtantibus precatur Dominus, qui de facto adeſt coram illis in Sacramento; idque adhuc confirmat, quia in Miſſa, dum Sacramentum patet Sacerdotis oculis, nunquam dicitur *Dominus vobiſcum*. In Baruffaldum inſurgit Meratus *par.* 4. *tit.* 12. *num.* 19., ponderans, quod de mandato ipſius Inſtructionis §. 24. prævie ad orationes dici debet *Dominus vobiſcum*, etſi Dominus tunc præſens ſit in Sacramento; nos vero addimus,

mus, quod in Miſſa, quæ dicitur coram SS. Sacramento expoſito, nunquam omittitur verſus *Dominus vobiſcum*, qui nec ſiletur in horis Canonicis, quæ coram eodem cantantur.

III. Validius eſt, quod in cauſam producit Meratus, quia nempe illico cum ipſo Sacramento populo adſtanti debet dari benedictio, quæ eſt realis, & validior deprecatio, quod Dominus ſit cum adſtantibus, quam ea, quæ per vocem exprimitur. In hoc concors videtur etiam Inſtructio, quæ propterea in expoſitione Sacramenti, ad quam non ſequitur ipſa realis benedictio, nedum dici non refugit, ſed ipſamet præfactum verſum dicendum aſſignat, ſecus vero in repoſitione, ad quam ſequitur benedictio. Hæc igitur exurgit regula quod vocalis deprecatio *Dominus vobiſcum* ſit omittenda ante orationem SS. Sacramenti, ad quam ſequitur illico ipſa realis deprecatio media benedictione ejuſdem Sacramenti, unde in Miſſa, horis Canonicis, aliiſque precibus, quæ coram SS. Sacramento exponendo, expoſito, vel reponendo prævie recitantur, omitti minime debet, bene vero ante orationem de SS. Sacramento, ad quam immediate ſequitur prædicta benedictio.

IX. Ex his liceat nobis inferre, quod quia in communione infirmorum cum pyxide benedicuntur infirmi, & in Eccleſia populus, ante orationem *Domine ſancte* reſpective, aut *Deus qui nobis ſub Sacramento* dici minime debet verſus *Dominus vobiſcum*, qui verſus tamen dicendus erit ante prædictam orationem *Domine ſancte*, quoties ob defectum alterius particulæ cum SS. Sacramento infirmi non benedicuntur. In communione itidem eorum, qui nullo morbo laborant, cum non detur populo benedictio cum SS. Sacramento, ſed ſolum Sacerdos extenta manu benedicat per ea verba *Benedictio Dei Omnipotentis &c.*, omitti minime debebit, quidquid ſcribat Baruffaldus *tit.* 34. *num.* 70., atque Meratus *par.* 1. *tit.* 10. *num.* 33., ubi in ſui favorem perperam allegant præſens Decretum, & Inſtructionem Romanam, quas liquido conſtant diſponere pro caſu repoſitionis, ad quam immediate ſequitur benedictio ipſa realis cum SS. Sacramento, quando etiam Merati doctrina non eſſet parum conſona cum ratione, quam allegat in cauſam omiſſionis verſus *Dominus vobiſcum* in caſu repoſitionis SS. Sacramenti.

DECRETUM IV. CAP. IN ORD. CLXVII.

In expoſitione SS. Sacramenti cantatis, ſeu recitatis verſiculis *Panem de Cœlo &c.*, Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem antequam recitet orationes. S. R. C. 2. Auguſt. 1698. *in una Urbis*, & 6. Septem. 1698., *in Ravennaten.*

I. GEneralis hinc firmatur regula, ut quoties quis jam genuflexus ſurgit aliquid facturus, ſed in eodem loco conſiſtens, non debet iterum genuflectere, ſed ſine ulla genuflectione ſuum reſpective munus exequi, tametſi id præſtet coram SS. Sacramento expoſito. Id profecto eruitur ex eo, quod directe definit ſanctio de Sacerdote, quem dum inſurgit occaſione expoſitionis SS. Sacramenti (idipſum eſt de caſu repoſitionis, aliove ſimili) orationes dicturus, genuflexionem iterare non debere ſtatuit; quod & ſtatutum pro utroque caſu vidimus ab Inſtructione Romana §. 24., & 31.

II. *Orationes* Decretum notat in plurali numero, & ſimiliter præſtat Inſtructio in laudatis §§., ſed nolo, id accipias, quaſi plures orationes dici neceſſe ſit, & non ſufficiat ea SS. Sacramenti, ſed quia unam, vel alteram addere liberum eſt juxta exigentiam rerum, locorum, atque neceſſitatum. Ab hac excipienda videtur lege ſolemnis expoſitio in feſto Corporis Chriſti fieri conſueta, in qua orationi SS. Sacramenti nullam aliam addendam eſſe, ex Rubriciſtis notat Baruffaldus *tit.* 80. *num.* 65., hæc enim eſt veluti complementum feſti, unde quaſi de ritu feſti participans, extraneas minus apta eſt pati commemorationes. Secus eſt de aliis expoſitionibus, quæ cum nihil commune cum feſto habeant, etiam in duplici primæ claſſis commemorationes non reſpuunt, quibus tamen parce eſt indulgendum, & in præcipuis anni feſtivitatibus, aut ſolemnibus expoſitionibus laudabile ſaltem eſt ab iiſdem penitus abſtinere.

III. An cum addantur collectæ, omnes ſub una concluſione dici debeant, ſubintrat quæſtio, quam cum Guyeto *lib.* 4. *cap.* 22. *quæſt.* 4. affirmative dirimimus, licet poſtea huic aſſentiri minime valeamus, quatenus eamdem aſſignat longiorem, & non brevem, & multo minus, quatenus itidem edocet eſſe ſubdendum *Dominus vobiſcum &c.*, *Exaudiat nos omnipotens &c.* & ℣. *Fidelium animæ*; Rituale enim Romanum aperte brevem concluſionem eidem adaptat, poſt quam nihil aliud notat eſſe dicendum, ſed Sacerdotem illico tranſire facit ad benedicendum populo. Haud tamen cum ipſo denegaverim, precationem nullam, collectamve pro Defunctis tunc temporis eſſe habendam, niſi poſt reconditum Sacramentum, quo expoſito jam vidimus Miſſam de Requiem fieri non poſſe, & procul abeſſe debere lugubria quæque.

DECRETUM V. CAP. IN ORD. CLXVIII.

Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine hymni *Pange lingua*, non vero ad ℣. *ſit & benedictio*. S. R. C. 5. Feb. 1639. *in Sabinen.*

I. MAterialis nimis, & craſſus (quis crederet!) nonnullorum Sacerdotum irrepſerat error, qui ut facta verbis conjungerent, quaſi in iis hymni verbis *ſit & benedictio* adprecaretur adſtantibus benedictio divina, & non daretur SS. Trinitati laus, & gloria; tunc temporis populo cum SS. Sacramento benedicendum eſſe putabant. Ejuſmodi propterea rite proſcribitur error, & inſimul aſſignatur tempus benedicendi populo, in fine nempe hymni *Pange lingua*; quod cave ita intelligas, ut prædicto abſoluto hymno ſit illico danda benedictio, ſed nonniſi adhuc dictis verſu: *Panem de Cœlo*, & ſubſequenti oratione; ſic enim aperte definiunt Cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33., Rituale Romanum *tit. de Proceſs. in feſto Corpor. Chriſt.*, & Inſtructio Romana §. 31., concordatque unanimis caterva Doctorum.

II. Eadem, quam diximus, ex cauſa proſcriptus ſimul remanet uſus illorum, qui prædicto errore detenti, ad eadem ſe ſignant verba. Equidem hujus non meminit ſanctio, rite dixeris, ſi id factum putas ratione petitionis, quæ ſuper tempus benedicendi dumtaxat proceſſit, ceterum cum reliquia quædam ſit prædicti erroris, indirecte cum eo profligatus remanet, quatenus tamen ex prædicto errore trahit originem, quia Crucis ſignum in quacumque occaſione, & circumſtantia privatim agitur, ſalutare ſemper eſt, ſi error deſit, aut ſuperſtitio. Hæc autem eſt cauſa, ob quam nos eos damnare non poſſumus, qui quando a Sacerdote benedicuntur cum SS. Sacramento, ſe ſigno Crucis ſimul muniunt, cum hoc conſociantes Crucis ſignum, quod ſuper eos cum Sacramento Sacerdos efformat.

DECRETUM VI. IN ORD. CLXIX.

In benedicendo populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum cum Sacerdos ſtat ante populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non ſupra caput, ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens, collocat Oſtenſorium ſuper altare. Servari etiam poteſt alius modus deſcriptus in Cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33., ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Collen.*

I. POſterior iſte modus in eo ſolum a priori differt, quod ducto Oſtenſorio ad latus dexterum, illud non amplius reducit ante pectus, ſed illico ſuper altare illud collocat Sacerdote ſe ſtatim vertente cum Sacramento ad cornu Evangelii, ſicuti facit, quando dixit in Miſſa *Orate fratres*. Uterque modus per Decretum approbatur, quemnam autem ſatius ſit adhiberi, facile non eſt definire; poſterior enim innititur Cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33., & Rituali Romano *tit. de Proceſ. in feſto Corp. Chriſt. & tit. de communione Infirmorum*, ubi cum Oſtenſorio ſignum Crucis faciendum eſſe mandant, nec notant peracto Crucis ſigno, illud ante pectus rurſus eſſe reducendum, priuſquam ſuper altare collocetur. Adſtipulatur admodum etiam uſus urbis, cujus Eccleſiæ Merato teſte *par.* 4. *tit.* 12. *num.* 21. ſe ſtatim vertunt ad cornu Evangelii, & Oſtenſorium ſtatuunt ſuper altare.

II. Modus tamen alter nobis arridet magis, & præ illo ex eo ſervandum eſſe credimus, quod a Decreto ſimpliciter approbatur, ubi ille ſolummodo *ſervari poſſe* dicitur. Et quidem non minus perficit ſignum Crucis demandatum a Rubricis, non contra, ſed ad ſummum præter quas ut ſupra Oſtenſorium reducit ante pectus, & adhuc de cauſa ſatis congrua, ut videlicet Sacramentum iterum fidelibus adorandum præbeat, priuſquam intra tabernaculum recludatur. Si non uſum Urbis, communiorem aſſequitur aliarum Eccleſiarum praxim, quam celebriores Auctores approbant, quos inter Bauldryus, Tonellius, Nicolaus de Braſion, Turrinus, Baruffaldus, Buongiovan., Horatius Chriſtiani, Polaccus, aliique plurimi ultra Cœremoniale Monaſticum, quod *loc. cit.* Meratus allegat. Modus autem ipſo in Decreto adeo patet expreſſus, ut noſtra ponderatione non egeat, quare ex Braſion ſolum addimus, quod dum Sacerdos Oſtenſorium ducit, & reducit a lateribus, non debet corpus movere, ſed ſolum quando poſt brevem morulam, de qua Decretum, vertit ſe verſus cornu Evangelii ad collocandum Sacramentum ſuper altare.

III. *Nihil dicens* concorditer habent Cœremoniale Epiſc., & Rituale de Sacerdote ut ſupra benedicente; non enim, ait Baruffaldus, ipſe eſt, qui benedicit populum, ſed Sacramentum. Muſici quoque, & Cantores ſilere debent, dum datur benedictio, ne populus inde diſtrahatur, & ſolum pulſari poſſunt Organa ſuavi ſono, & gravi motu inſtar, qui ſervatur in Miſſa ad elevationem SS. Sacramenti. Interim vero Diaconus, & Subdiaconus in ora ſuppedanei hinc inde genuflexi, & inclinati facie verſa ad Sacramentum, elevant partes anteriores pluvialis Ejuſdem Sacerdotis, ſicuti concordes allegati Doctores edocent, & nos diximus alibi.

DECRETUM VII. CAPITIS, IN ORDINE CLXX

An liceat Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, & ibidem benedictionem impertiri eiſdem Monialibus, & deinde populo, nec non in propria Eccleſia ſub triplici ſigno ad formam ejuſdem Ritualis in caſu &c. Reſp. licere Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, accedente conſenſu Epiſcopi, ibique impertiendam eſſe unicam Benedictionem Monialibus, & in propria Eccleſia cum triplici ſigno. S. R. C. 16. Maji 1744.

I. OCcaſione proceſſionis, quæ infra octavam Corporis Chriſti a Patribus Carmelitis Imolæ fieri ſolet, orta eſt controverſia prædictos Patres inter & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis S. Caſſiani; & cum inter partes duo dubia concordata fuiſſent, ea in Sacra Rituum Congregatione exhibuere decidenda; ad ſecundum autem eadem Sacra Congregatio viſis juribus hinc inde deductis, ac utraque parte in ſcriptis, & in voce informante ut ſupra cenſuit reſcribendum. Equidem Decretum potiori jure ſpectat ad caput de proceſſionibus SS. Sacramenti, ſed nos hic illud ſuſcepimus ponderandum, ut nonnulla exponamus, quæ ex attinentibus ad benedictionem cum SS. Sacramento, adhuc dirimenda ſuperſunt.

II. *Ibique impertiendam eſſe unicam benedictionem Monialibus*, ſunt Decreti verba, per quæ reprobatur conſuetudo, quæ a prædictis Patribus ſervabatur, benedicendi ſcilicet prius Monialibus, quarum Eccleſiam ingrediebatur proceſſio, & deinde populo per diſtinctam benedictionem. Uſus, qui viget in Eccleſiis Monialium, in depoſitione SS. Sacramenti per ſimplicem Sacerdotem benedicendi prius Moniales in interiori Eccleſia exiſtentes, & exinde diſtincto ſigno populum in exteriori Eccleſia diſtributum, hinc videtur proſcribi, & reapſe eumdem reprobat Baruffaldus *tit.* 80. *num.* 77., cujus hæc ſunt potiora argumenta; tum quia praxis ejuſmodi edocetur a nullo ſacrarum Cœremoniarum ſcriptore, tum quia demonſtrat cujuſdam diffidentiæ ſignum, quaſi eadem benedictio, qua populus in exteriori Eccleſia degens, benedicitur, non ſe extendat ad aliam partem internam ejuſdem Eccleſiæ, & manus Dei ſit abbreviata.

III. Verum a diffidentiæ ſigno ſatis talem uſum expurgat triplex benedictio, quam ſuper populum impartiunt Epiſcopi, & conſuetudo tanto tempore continuata, & a Rubriciſtis numquam reprobata, pro Auctoribus abunde deſervit. Quod vero ad Decretum ſpectat, non ſatis ad rem eſſe videtur, quoniam eatenus in Eccleſia Monialium demandatur unica tantum benedictio, quatenus populus in Eccleſia, ad quam proceſſio progreditur, jam ſine benedictione non debet dimitti; unde ſicuti diſtinctim benedicuntur Moniales, & Populus in caſu Decreti, ita præſtandum magis eſſe videtur in caſu altero, de quo agitur.

IV. Nos itaque, quibus unica tantum benedictio magis arridet, diſcedendum non eſſe credimus a Rituali, quod ad Epiſcopalis differentiam dignitatis, ſimplici Sacerdoti unam tantum benedictionem demandat ſuper populum, cujus nomine cum veniat etiam Clerus in Choro exiſtens, qui propterea diſtincta benedictione minime benedicitur, venire etiam Moniales utique poterunt, & contentæ eſſe populi benedictione, qua contentatur & Clerus *Tunc Sacerdos cum Sacramento ſemel benedicat populum in medum Crucis*. Non diſſimiliter de Sacerdote in fine Miſſæ habet Rubrica Miſſalis tit. 12. num. 1. *ſemel benedicit populo*, & propterea a ſimplici Sacerdote una tantum datur benedictio verſus populum, neque iteratur in favorem Cleri exiſtentis in Choro, aut Monialium in Eccleſia interiori, aut multitudinis populi retro altaris audientis Miſſam, quando celebratur ſub dio; quidni igitur id præſtandum ſimiliter erit a ſimplici Sacerdote benedicente cum SS. Sacramento? Lubet hic producere, quæ in ſimili habet Gavantus *par.* 2. *tit.* 12. *lit. y.* de Sacerdote benedicente in fine Miſſæ: *Quod ſi ante ſe, & a tergo circumſtantes habeat, puta Clerum in Choro, ſeu Moniales, & populum ante altare, nihilominus tamen ſemel tantum benedicere debet, manu converſa ad eos, qui ſunt ante altare, intentione directa ad omnes.*

V. Hinc & apparet benedictionem ejuſmodi dandam eſſe verſus populum ante altare conſtitutum, cui & datur benedictio in Miſſa, & non Monialibus, aliiſve retro altare degentibus. Secus eſt de caſu præſentis Decreti, in quo cum ſolis Monialibus, quæ ad Eccleſiam proceſſionis pergere nequeunt, benedictio ſit impertienda, non populo qui in fine proceſſionis, ut moris eſt, reſervatur benedicendus, idcirco benedictio dari debebit verſus Moniales, non verſus populum. Quod vero in Decreto ſubditur de benedictione cum triplici ſigno danda in propria Eccleſia, particulare eſt Eccleſiis Ordinis Carmelitarum, cujus Cœremoniale *lib.* 2. *rubr.* 44. aperte id præſtandum edicit in feſto, & proceſſione SS. Corporis Chriſti. An adhuc id præſtare valeant poſt Epiſtolam Encyclicam SS. D. N. Benedicti XIV. ſub datum 19. Martii 1748., in qua eruditione plurima demonſtrat trinam benedictionem ſolis reſervari Epiſcopis, nonniſi unicam Sacerdotibus, videant ipſi; pro parte enim affirmativa facere poteſt, tum quia Summus Pontifex ibi agit de benedictione Pontificia, quæ propterea etiam ab ipſis unico ſolum ſigno danda erit; tum quia quoad reliqua non derogat juribus præſertim declaratis, quæ Religionibus competunt, unde & reſervat illa; quæ ſuper trinam benedictionem competunt Abbatibus uſu Pontificalium præditis, juxta declarationem Alexandri VII. 27. Septemb. 1659.

VI. Id communis hinc eruitur commodi, quod Regulares Ordines ſe tueri valent in obſervantia ſuorum Cœremonialium, quibus legitima acceſſit approbatio, etſi a Romano Rituali fortaſſe differant. Alterum vero eſt, quod proceſſiones ſine licentia Prælatorum, ad quos attinet, ingredi minime poſſunt Eccleſias Monialium, unde Decretum; *Licere Patribus Carmelitis ingredi Eccleſias Monialium, accedente conſenſu Epiſcopi*; quod autem definitum eſt pro Patribus Carmelitis, æque procedit de ceteris, cum definitum ſit, ne inde Moniales diſtrahantur a divinis.

VII. An thuriferarius, dum Sacerdos benedicit populo, debeat Sacramentum incenſare, quæſtio alia eſt, quæ cum noviſſime Romæ conſulta fuerit, ſub die 16. Martii 1746. reſcriptum extitit, *ſervari poſſe alterutrum*, nempe Sacramento adhiberi poſſe, & omitti thurificationem. Thurificationis omiſſio non leve fundamentum habet in ſilentio, quod ſuper illam ſervat Cœremoniale Epiſc., Rituale Romanum, & Inſtructio Clementina, atque Auctores; ſed cum Miſſalis *tit.* 13. in Miſſa ſolemni ad elevationem triplici ductu Sacramentum incenſandum eſſe mandet, idipſum ſatius præſtari credimus, dum datur populo benedictio, videlicet primo ductu, quando Sacramentum prima vice ponitur ante pectus Sacerdotis benedicturi, ſecunda quando a latere ſiniſtro reſtituitur eidem pectori, & ſic tertia, quando benedictione per ſignum crucis peracta, iterum ante pectus proponitur fidelibus adorandum. Ubi vero ſervatur modus alter, qui poſt benedictionem Sacramentum illico collocat ſuper altare, neque amplius illud reſtituit ante Sacerdotis pectus, prima thurificatio habebitur, quando Sacramentum primo ponitur ante pectus Sacerdotis, ſecunda quando reſtituitur eidem pectori, ut ducatur ad latus ſiniſtrum, & tertia dum eſt ante idem pectus in tranſitu e latere ſiniſtro ad dexterum.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORDINE CLXXI.

Orationes præter eas, quæ in Eccleſia receptæ ſunt, in ſacris ritibus non admittuntur. Bened. XIV. 2. Feb. 1744. Conſt. *Inter omnigenas*.

I. O*Mnibus* (ſit Decr. 9. cap. in ord. 172.) *& ſingulis utriuſque cleri ſuperioribus Almæ urbis prohibetur, ne in eorum Eccleſiis, dum officia divina celebrantur, vel SS. Euchariſtiæ Sacramentum manet expoſitum, quidquid cantari permittant præter ea verba, quæ a Breviario, vel Miſſali Romano in officio de proprio, vel de communi pro currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti ſolemnitate præſcribuntur, vel quæ ſaltem a ſacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint, quæ tamen prius a Sacra Rituum Congregatione ſpecialiter approbentur, excluſis modulis illis, qui choreas, & profanam potius, quam Eccleſiaſticam melodiam imitantur.* Alex. VII. in Conſt. *Piæ ſollicitudinis* 23. Apr. 1657. Quatenus verbis Conſtitutionis ejuſmodi, quæ ſolas aſſicit Eccleſias Urbis Romæ ſcrupuloſe inſiſtendum foret, Sacramento expoſito ea dumtaxat decantari poſſent, quæ in Breviario, aut Miſſali Romano habentur pro currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti ſolemnitate. Et maxime cum mox Conſtitutio ſubdat: *Vel quæ ſaltem a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint*; hæc enim verba deſignant ultimos conceſſionis terminos, quos conſequenter noſtrum non ſit tranſilire. Fieret itaque ſenſus, quod quatenus cantare non placeat, quæ a Breviario, aut Miſſali Romano ea die aſſignantur, ſolummodo licitum ſit concini aliqua, quæ a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus ſint excerpta, ea adhuc conditione adjecta, *ut prius a Sacra Rituum Congregatione ſpecialiter fuerint approbata*.

II. Nobis, qui non tam verbis, quam Conſtitutionis ſcopo inſiſtendum eſſe credimus, anguſti nimis ejuſmodi apparent limites; quare orationes quaſlibet, ac preces, quæ jam approbatæ ſunt, aut in Eccleſia receptæ, vel dici conſuetæ, adhuc in circumſtantiam Sacramenti expoſiti recitari poſſe putamus. Ducimur autem primo, quia in urbe ipſa Romæ occaſione SS. Sacramenti expoſiti litaniæ, aliæque preces ab Inſtructione Romana §. 24. dici mandantur. 2. Quoniam ſic fert communis Eccleſiarum praxis, quæ legis optima interpres eſt. 3. Quia Benedictus ipſe XIV. in laudato Decreto, quod prædicta Conſtitutione poſterius eſt, a ſacris ritibus ſolum eas orationes depellit, *quæ in Eccleſia receptæ non ſunt*, & in ſua Conſtitutione altera dumtaxat *orationes novas, & inuſitatas*. En Decretum ipſum, quod erit 10. cap. in ord. 173. *Novæ, aut inuſitatæ orationes, præſertim in Miſſa non recitentur*. Benedict. XIV. Conſtitut. *Quemadmodum* 23. Martii 1743.

III. Cum itaque nec novæ, neque inuſitatæ, ſed apud Eccleſiam receptæ ſint orationes quæque, pſalmi, Antiphonæ, aliæque preces, quæ in Breviario, & Miſſali Romano habentur, quis unquam crederet, eaſdem eſſe dici inhibitas, etſi non ſint recitari præſcriptæ pro currenti diei officio, aut Sancti ſolemnitate? Quis eſſe prohibitas Antiphonas, hymnos, aliaque officii SS. Sacramenti, quæ tantum abeſt circumſtantiæ Sacramenti expoſiti incongruant, ut a Cœremoniali, & Rituali magis dici probentur? Quis recitari vetita, quæ jam in Breviario ſunt dici præſcripta pro Sancto aliquo, in cujus honorem ſit expoſitio, aut cujus interceſſio ſpecialiter imploratur, etſi ea die ejuſdem ſolemnitas haudquaquam recurrat? Quis dici proſcriptas litanias Sanctorum, aut B. Mariæ, vel pſalmum v. g. *Miſerere*, quibus nihil frequentius in Eccleſiis, decantatur? Quis denique preces, quas aſſignat Rituale Ro-

manum dicandas in aliquibus circumſtantiis, & neceſſitatibus, ſi in iiſdem, vel ſimilibus fiat expoſitio? Caputum ſit itaque, quod ſolum novæ, & inuſitatæ orationes, & quæ in Eccleſia univerſaliter receptæ non ſunt, ex quibuſcumque exceptæ ſint, recitari prohibentur, niſi prius fuerint per Sacram Congregationem ſpecialiter approbatæ, abſque eo quod ſufficiat, quod eædem dignæ ſint recipi, quemadmodum in ſimilibus a nobis definitum extitit tom. 1. cap. 42. Dec. 3.

IV. Quando igitur a præfata Conſtitutione Alexandrina ſolum ea dici probata videntur, quæ cuique diei, vel Sancti ſolemnitati in Breviario, vel Miſſali Romano aſſignantur, per hoc indicare mens fuit, quod non omnia ex approbatis, indiſtinctim, & continuo in occaſione Sacramenti expoſiti uſitanda ſunt, ſed ſolum ea eorumdem, quæ congruunt diei officio, aut Sancti ſolemnitati, vel Sacramento expoſito, ſive circumſtantiis, aut neceſſitatibus, in quibus fit expoſitio, ſeu denique Sanctis, quorum patrocinium ſpecialiter imploratur; plane namque ridiculum foret, ſi in expoſitione facta ad petendam pluviam, diceretur preces ad poſtulandam aeris ſerenitatem, aut ad expoſcendum patrocinium S. Gregorii recitaretur oratio S. Franciſci, etſi orationes iſtæ ſint ex ſimiliter approbatis. Etſi vero Breviarii, & Miſſalis Romani dumtaxat ſanctio meminerit, idem judicium habendum eſt de contentis in Rituali Romano, quæ non minus approbata ſunt pro uſu univerſalis Eccleſiæ.

V. Moteta in ſanctionis diſpoſitione comprehendi videntur, & reapſe undequaque convenit, quod ex ſcriptura deſumantur, vel ex Sanctis Patribus, aut ex aliis approbatis pro cujuſque ut ſapra diei, vel Sancti ſolemnitate; omnino vero neceſſarium, aliquod laſcivum non contineant, aut profanum. Ex motetis tamen non ſemel nonnulla audivi, quæ a particulari perſona erant pie, & erudite compoſita, & decantabantur prævia nulla approbatione Sacræ Congregationis. An id rite? De hoc jam diximus tom. 1. cap. 41. Decr. 12. num. 5., id enim videtur permittere Eccleſiarum praxis, Doctorum auctoritas, & tolerantia Prælatorum, unde in hac parte conſtitutio Alexandrina non videtur obligare, utpote quæ non fuit utentium moribus recepta; in prædictæ vero Conſtitutiones *orationes* dumtaxat tangu ... ujuſmodi reapſa non ſunt moteta, ſed magis breves ... æ quædam, quæ ad majorem ſolemnitatem decantantur. Prælati, ad quos ſpectat divinorum cura, ipſi videant, quid permittere poſſint, & debeant; ſaltem enim caute admodum hac in re procedendum eſſe ego arbitror, & præſertim in circumſtantia Sacramenti expoſiti, de quo ex approbatis non deſiderantur plurima, in quorum cantu ad ſatiaratem uſque ſe occupare valet humana cupiditas, *excluſis tamen modulis illis, qui choreas, & profanam potius, quam Eccleſiaſticam melodiam imitantur*, ut conſtitutio inquit, & *ne audientes ad laſciviam potius, quam ad devotionem excitentur*, ſicuti cavetur in cap. *Cantantes* 92., ut taceam irreverentiam ſummam, quæ irrogatur expoſito, & publice patenti ſanctitatis fonti.

VI. Se modo nobis offert brevis cantilena illa a modernis Miſſionariis inventa, & a quibuſdam Eccleſiis jam in uſu inducta, videlicet *Lodato ogni momento ſia il SS. Sacramento;* aut *Vi adoro ogni momento, o vivo Pan del Ciel, gran Sacramento;* vel *Sia lodato ogni momento, Gesù figliuol di Dio, e di Maria nel Sacramento;* & de ea exurgit quæſtio, utrum in tali circumſtantia ab Eccleſiarum Præſidibus permitti poſſit, ut decantetur. Cantilenæ ejuſmodi, aliæve ſimiles ex ſe quidem bonæ ſunt; & fortaſſe dignæ, quæ recipiantur, ſed cum iiſdem non aſſiſtat antiqua, & univerſalis praxis, neque reapſe approbatæ ipſæ ſint, nec in Eccleſiis generaliter receptæ, comprehendi videntur in Conſtitutionibus Benedicti XIV., in quarum una recitari prohibet novas aut inuſitatas orationes, & in altera in ſacris tribus ex orationibus, quales ſunt prædictæ cantilenæ, non admittit, niſi eas quæ in Eccleſia receptæ ſunt.

VII. Ne vero hic aliqua deſint, quæ ad expoſitionem SS. Sacramenti quodammodo ſpectant, vel ſpectare valent, juvat corſim recenſere, quæ a nobis definita fuere in to. 1. cap. 41. Sunt autem, quod ob expoſitionem SS. Sacramenti officium canonicum, quod ea die recurrit, in aliud mutari non poteſt, in ritu alterari, aut aliquid ei addi, miſceri, vel tolli, ſed quod recitandum illud omnino eſt, perinde ac ſi minime recitaretur coram Sacramento expoſito. Hinc fit, quod nedum vice currentis officii ſubrogari non poteſt officium v. g. SS. Sacramenti, aut hujus commemoratio in illud invehi, ſed neque omitti queunt commemorationes, ſuffragia, aut preces, quas ritus currentis petitur officii. Quæ dicta ſunt de officio divino, quod dicitur in ſatisfactionem præcepti, non negamus vero ultra officium diei ad ſatisfaciendum præcepto, ex devotione dici poſſe quodcumque aliud (excipe tamen ſolemniora feſta, quibus, æquum eſt publicæ correſpondeant preces), & quidem etiam publice, & quamvis Sacramentum pateat expoſitum. Non eſt itaque reperire, quod vetet ultra officium canonicum in prædicta circumſtantia decantari officium de SS. Sacramento, aut de eo Sancto, de quo ageretur ſolemnitas, cujus aut in honorem expoſitio fieret, vel in cujus intercesſione populus ſpecialiter confideret, dummodo ſit ex Sanctis approbatis, & non beatificatis dumtaxat, & quibus publice inſtitui non poſſent preces, etſi ſpecialiter fuerit indultum. Ut namque dicebamus, quando Conſtitutio Alexandrina dumtaxat decantari præcipit, quæ pro currenti diei feſto, vel Sancti ſolemnitate præſcribuntur, ſenſus eſt, quod omniſi approbata decantari valeant, unde conſtitutio ipſa etiam alia recitari poſſe diſerte ſubdit, dummodo per S. Congregationem fuerint approbata, uti magis ſuperius diximus.

VIII. Ad rem item facit admodum Decretum (ſit 15. cap. in ord. 174.) S. R. C. 21. Martii 1609. tenoris ſequentis; *In feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone;* etſi namque diſpoſitio reapſe ſit de feſto Corporis Chriſti, de hoc tamen particularis nulla habetur ratio, quæ vel potiori jure, aut ſimiliter ſaltem æque non militet de proceſſione SS. Sacramenti, ejuſdemque expoſitione, & repoſitione. Ex eo autem libentiores prædictas proſcribimus cantilenas, quia quatenus preces aliquas decantare placeat, ex ſpecioſis, & approbatis in Breviario, Miſſali & Rituali non deſiderantur plurimæ, in quarum cantu ſatiari rite poteſt fidelium devotio; quinimmo in circumſtantia repoſitionis (quod tamen nullatenus præſtandum eſt benedictionis tempore, ſed magis dum Sacramentum poſt benedictionem includitur in tabernaculo) ad rem eſt valde appoſita ſtropha, *O ſalutaris hoſtia*, quæ a Cæremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. in cantu pio, & devoto in quaſi ſimili circumſtantia cantari laudatur.

CAPUT DECIMUM.

De genuflexione erga SS. Sacramentum.

ADoratio ſpecie honoris eſt cultus, & venerationis, & ab his in eo differt, quod addit ſubmiſſionem ſui, & recognitionem alterius tamquam ſibi ſuperioris, in quantum ſcilicet perſona adorans ſubmittit ſe perſonæ adoratæ, hancque recognoſcit ut ſibi ſuperiorem. Cum itaque adoratio verſatur circa alterum, cui rationabilem honorem tribuit, neceſſario ſupponit in intellectu bonam exiſtimationem de excellentia illius, cui adoratio exhibenda eſt; hinc ſequitur judicium prudens dictans talem eſſe colendum, poſtea voluntas eumdem honorandi, & denique actus exterior, vel interior, quo de facto adoratur. Adoratio igitur tres, ut minimum, expoſcit actus, actum nempe intellectus, quo apprahendimus alterius excellentiam, & hic ſemper præexigitur, ſed non in eo formaliter conſiſtit adoratio; ſtat quippe cum vera cognitione de excellentia alterius, quod quis nec eum colat, nec debita adoret. Actum voluntatis, quod illi interius inclinamur, & aliquid facere volumus in proteſtationem excellentiæ illius, & noſtræ ſubjectionis, & his actus eſt maxime proprius adorationis, & eſſentialis. Actum denique exteriorem, puta genuflexionem, capitis inclinationem &c., quo reapſa executioni mandatur prædicta proteſtatio, & his actus, non quidem ſecundum ſe, cum poſſit eſſe cum irriſione, ſed ut eſt imperatus a prædicto voluntatis affectu, adorationis rationem ſortitur; nam non voluntas colendi, ſed ipſe cultus adoratio vocatur.

Diximus *actum denique exteriorem*, ſed volumus, id ita intelligas, ut per ſolos interiores actus adoratio abſoluta exhiberi non valeat; hæc namque communiter dividitur in externam, & internam, & illa dicitur ea, quæ fit per ſigna externa, & ſenſibilia, qualia ſunt inclinari, loco cedere &c., hæc vero, quæ per interiores tantummodo actus intellectus, & voluntatis exhibetur, & ad hanc reducuntur actus fidei ſpei, & charitatis, interior reverentia, ſeu timor, deteſtatio peccati, oratio mentalis, & actus ſimiles, ſi ex voluntate colendi Deum proficiſcantur. Verum cum homines non intueantur cor, nec cognoſcant interiores actus, niſi per exteriora ſigna, adoratio, quæ eſt quædam teſtificatio, & recognitio excellentiæ alteri manifeſtata, ab homine dubio procul per ſolos interiores actus exhiberi non valet, ſed aliquis exterior requiritur; ſecus autem eſt de Deo, qui ſummus ſpiritus eſt, & interiores omnes actus noſtros conſpicit; & idipſum dicito de creatis ſpiritibus beatis, quatenus ſi non omnes interiores actus noſtros, horum illos, qui ad ipſos referuntur, ab iiſdem cognoſci, Theologorum ſententia docet.

D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. adorationem findit in tot ſpecies, quot ſunt ſpecies excellentiæ; honor enim, ſive cultus debetur perſonæ propter excellentiam ejus, & ideo pro diverſitate excellentiæ eſt etiam adoratio diverſa. At quantum ad præſens attinet, tres ſunt ſpecies excellentiæ, nempe excellentia divina, & infinita, cui reſpondet prima cultus ſpecies, quæ a Theologis dicitur *latria*. Secunda eſt excellentia humana, ſeu naturalis, quæ poſita eſt in humanis actibus, dignitatibus, gradibus &c., & huic correſpondet ſecunda ſpecies cultus, qui dici poteſt cultus civilis, & obſervantia quædam humana, quamvis hæc poſtea in multas alias ſpecies dividi poſſit, teſte Ariſtotele *lib.* 9. *eth. cap.* 2.; nam alius honor debetur Patri, alius Principi, alius Præceptori, alius Sapienti &c. Tertia eſt excellentia quædam media inter divinam, & humanam, qualis eſt gratia, & gloria Sanctorum, quæ ſunt dona ſupernaturalia, & huic excellentiæ correſpondet tertia ſpecies cultus, quam Theologi *Duliam* nuncupant. Quoniam vero inter ſanctas creaturas humanitas Chriſti, ſi ſeorſim conſideretur, ſingulariter excellit propter unionem ad verbum, & ſimiliter B. Virgo ut Mater Filii Dei ita præſtat aliis Sanctis, ut dici poſſit *Domina, & Regina noſtra*, quod aliis Sanctis non convenit, niſi admodum imperfecte; ideo Theologi hanc tertiam ſpeciem dividunt in Duliam proprie dictam, & *Hyperduliam*, tribuentes illam Sanctis ceteris, hanc ſoli humanitati Chriſti, & Matri ejus.

Quæ

Quæ licet ad tollendam ambiguitatem a Theologis rite excogitata ſint, & nuncupata, nullum tamen reapſe nomen eſt, quod ex propria, & primæva ſignificatione ſingularem Dei cultum, aut honorem creaturis debitum ſpecialiter ſignificet, ſed omnia ut ſupra nomina communia ſunt; & hæc eſt cauſa, ob quam Latriæ, & Duliæ nomina nedum a profanis Auctoribus, ſed etiam apud ſanctos Patres nonnumquam confunduntur; quinimmo eorumdem aliquod nunc creaturis tribuitur, nunc negatur, prout aliter, & aliter accipitur. Negari tamen non poteſt, quod *Latriæ* vocabulum rite adaptatum fuerit cultui Dei, tum quia hic a ſanctis Patribus tali ut plurimum reperitur inſcriptus nomine, tum quia veteres cultum falſorum Deorum dixerunt *Idololatriam*, non *Idolodaliam*; certe, ait Auguſtinus *qu. 61. in Gen.*, quia cultus Deo proprius ſecundum Eccleſiaſticum loquendi modum diceretur Latria, non Dulia: Duliæ autem nomen minus frequens quidem eſt apud ſanctos Patres, ſed eo a Beda *in 4. Lucæ* expreſſus extitit cultus ſanctis debitus, qui propterea & a Theologis nuncupatus fuit, ut ſicuti re, ita & nomine prædicti diſtinguerentur cultus. Latria igitur ſecundum Eccleſiæ uſum ſignificat cultum ſummæ ſervitutis, & ideo ſoli Deo convenit, & creaturis communicari non poteſt; Dulia vero cultum cujuſlibet ſervitutis, & competit quidem Deo, ut Dominus eſt, cui ut tali etiam Auguſtinus *quæſt. 94. in Exod.* illum tribuit, ſed communicari etiam poteſt ſanctis, quatenus, licet imperfecte, ſunt Domini noſtri.

Quarum meminimus, tres adorationis ſpecies quantum ad interiores actus optime diſtinguuntur, nam prima ſpecies, ſcilicet Latria, eſt quædam ſumma voluntatis proteſtatio, & inclinatio Dei ut primi principii, & ultimi finis atque adeo ſummi boni. Secunda ſpecies, nempe cultus civilis, eſt longe minor inclinatio voluntatis cum apprehenſione certæ humanæ excellentiæ. Tertia ſpecies eſt media quædam inclinatio cum apprehenſione excellentiæ pluſquam humanæ, & minus, quam divinæ. At quantum ad actus exteriores facile non eſt ſpecies adorationis diſtinguere; nam, ſi demas ſacrificium, & quæ ad illud referuntur, qualem cultum ſibi ſoli Deum reſervaſſe Auguſtinus edocet *lib. 10. civit. cap. 4.*, ceteri ſere omnes exteriores actus communes ſunt omni adorationi, quare ex iiſdem non poteſt evidenter colligi, num quis tribuat creaturis cultum Deo debitum, necne; unde Abraham eodem actu incurvationis uſque ad terram adoravit Deum *Gen. 17.*, Angelos *Gen. 18.*, & Homines *Gen. 23.* Quæ nec aliena ſunt a conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, quæ Epiſcopis Pontificaliter celebraturis adhibet genuflexionis reverentiam, quam item exhibet ipſi SS. Sacramento.

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CLXXIV.

Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S. R. C. 14. Dec. 1602.

I. CUm Aman ex Regis præcepto flexione genuum adorari deberet, Mardochæus *Eſth. 3.* accuſatus, quod non pareret Regis mandato, reſpondit ſe *Judæum eſſe*, quaſi dicere vellet, ad Religionem Judæorum pertinere id cultus genus hominibus non præbere, ſed ſoli Deo. Hinc deducunt plurimi, quod in lege veteri, non quidem vi legis, ſed communi uſu prædicta adoratio, etſi ea ſe indifferens, ſoli Deo erat reſervata, nec validum deeſt argumentum in cap. 13. ejuſdem libri, ubi Mardochæus ipſe ſui facti rationem reddens, inquit: *Tu noſti, quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ſed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quempiam adorarem excepto Deo meo.*

II. Hujus loci non eſt ejuſmodi ponderare, ſed quamvis non ita foret in lege veteri, certe in nova paſſim occurrunt Rubricæ, quæ quod ad divina attinet officia, genuflexionis adorationem tamquam maximum inter actus exteriores, ſoli Sacramentorum maximo quaſi reſervant, unde *eidem* Ritualia quæque genuflexionem conſtanter decernunt, non ſic ſanctorum imaginibus, vel reliquiis, immo nec cruci ipſi, quibus contenta ſunt, adhibeatur inclinatio. Dixi *quaſi reſervant*, quia quod ad civilem cultum ſpectat, Pontificibus, ut diximus, id honoris tribui permittunt, & quoad religioſum, ab inferioribus Miniſtris ad differentiam Sacerdotis, cui inſerviunt, cruci exhiberi demandant, & ab univerſis in feria VI. Paraſceves, in qua ſpecialiter fulget Crucis Myſterium, ut ſuo loco magis dicemus.

III. In Eccleſia Græca parcior utique eſt genuflexionis adoratio, & quidem relate etiam ad Euchariſticum Sacramentum, cui raro genuflectunt, ſed profunde inclinant, tam in celebratione Miſſarum, quam in aliis functionibus; at nos, qui Romani ſumus, cum æquum ſit, Romanis pareamus Rubricis, idcirco Decretum rite præcipit, quod genuflectendum ſemper eſt ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, eamquam ab uſu damnata contraria conſuetudine, utpote quæ contra reverentiam tanto Sacramento debitam agere manifeſte dignoſcitur, contempta ipſius Miſſalis Rubrica II. *num.* 1., quæ Sacerdoti ipſi, dum ſacris veſtibus indutus, etſi calicis impedimentum manu teneat, celebraturus ad altare procedit, genuflexionem aperte per hæc verba præſcribit: *ſi contigerit eum tranſire ante locum Sacramenti, genuflectat.* Equidem Decretum a producta lege ne quidem eos excipit, qui proceſſionaliter incedunt, ſed ne ob dicendorum copiam ingeratur confuſio aliqua, de his diſtinctim infra reſervamus agere.

IV. Genuflectendum an ſit cum unico, vel duplici genu, dubium inſurgit, quod ſub hac diſtinctione eſt definiendum, ita ut ſi Sacramentum in tabernaculo lateat incluſum, ſufficiat genuflexio cum unico genu, requiratur vero cum duplici, ſi habeatur patenter expoſitum, aut elevetur in Miſſa, vel media communione adminiſtretur fidelibus. In oppoſitum quidem ſentiunt Bauldryus *par. 3. tit. 2. de ingreſſu Sacerd. ad altare num. 1. in notis numer. 3.*, & Biſſus *tom. 1. lit. G. num. 24. §. 2.*, qui genuflexionis faciendæ hanc generalem dant regulam, ut utroque genu illa fieri debeat, ſi facienda eſt aliqua pauſa, cum unico tantum, ſi nulla pauſa debet haberi; nulla autem debet pauſa haberi ab iis, qui mere pertranſeunt ante SS. Sacramentum, alio ſtatim profecturi, unde ſemper unico genu genuflectere iſti deberent, licet SS. Sacramentum pateat expoſitum, aut elevetur, vel miniſtretur in Miſſa. Hoc pacto argumentantur iſti Auctores, ſed cum eorumdem opinio manifeſte contradicat apertis Congregationis Decretis, diſtinctim eam refellere reſervamus in eorumdem, quæ ſubdimus expoſitione.

DECRETUM II. CAP. IN ORDINE CLXXV.

Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes, cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu genuflectere debent. S. R. C. 19. Auguſt. 1651. *in una Urbis.*

I. HUjuſce Decreti in §. 7. cap. 8. meminit Inſtructio Romana: *Avvertendoſi di più, che ogni perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine per Decreto della Sacra Congregazione de' Riti Urbis 19. Auguſti 1651., avanti il SS. Sacramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate.* Quid clarius unquam proferri valet pro genuflexione utroque genu facienda erga SS. Sacramentum, dum publice diſcoopertum manet expoſitum? *Ogni perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine*, & cum dictio *Quicumque* ita univerſalis ſit, ut omnia omnino includat, & nihil excludat, in primis dubium non eſt, quod nulla perſona, quæcumque ea ſit, a ſtatuta lege ſe valet eximere. En autem legem: *Avanti il SS. Sacramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare riverenza con ambe le ginocchia piegate*, & eſt, quod utrumque genu flectere quicumque debeat, qui vel accedit ad altare expoſitionis, aut ab eo recedit.

II. Hinc elucet cauſa, ob quam alibi Sacerdoti ipſi etiam in ſacris paramentis accedenti, vel recedenti ab eodem expoſitionis altari, genuflexionem utroque genu faciendam in plano terræ, non ſemel præſcripſimus, non tamen eidem, vel Miniſtris ejus, dum jam ad altare poſiti, & permanentes, ſolummodo ſe loco movent, ut aliquid circa Sacramentum, vel altare operentur; hi enim non accedunt de novo ad altare expoſitionis, aut ab eo tunc receſſuri ſunt, ut comprehenſi intelligi debeant in Decreto, vel Inſtructione Romana, & ideo cum communiori, & ſaniori Auctorum ſententia nos contenti fuimus, quod unico genu Sacramentum ſalutent, prout magis diximus in ſuis reſpective locis. Et quidem nimium alias foret incommodi, ſurrectio difficilior fieret, & adminiſtratio minus expedita, atque plus æquo protraheretur ſacra functio, ſi qui ut ſupra ad altare miniſtrant, vicibus omnibus cum utroque genu deberent Sacramentum venerari. Sane haud fallor, ſi dixero, quod conſimili ex cauſa Miniſtri Miſſæ inſervientes, nonniſi unicum genu flectere jubentur, tametſi poſt conſecrationem, aut dum Sacramentum ſuper altare eſt patenter expoſitum, ſe loco moveant, aut pertranſeant ante altare.

III. Opus igitur haud eſt, ut moneam, quod verba illa *Omnes ante illum tranſeuntes* non comprehendunt Sacerdotem, aut miniſtros ejus, qui ante tranſeunt, aliquid circa illud, vel Sacramentum ut ſupra operaturi, ſed ſolum Sacerdotem, & quoſlibet alios, qui ante altare expoſitionis pertranſeunt, alio progreſſuri, vel ad faciendam Miſſam, aut ad operandum quodlibet aliud, unde eadem Inſtructio §. 3. *In ordine poi alla perſona del Sacerdote, quale celebra la Meſſa privata, s' inſinua oſſervi Decreto della medeſima Sacra Congregazione urbis 7. Septemb. 1638., che mentre paſſa avanti l' altare, in cui ſta eſpoſto il SS. Sacramento, dopo fatta l' adorazione con le ginocchia piegate, ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra.* Damus hoc Decretum, & erit 3. cap. in ord. 176. *Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ante altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus, aperto capite, dum ſe erigit, caput cooperiat.* S. R. C. 7. Sept. 1638. *in una Urbis.* Et ecce ritus in ejuſmodi tranſitu teneri præſcriptus, quem ita exponit communis uſus Romæ receptus, atque probat univerſalis Rubriciſtarum auctoritas, ut videlicet Sacerdos utrumque genu flectat, poſtea, & non prius deponat birretum, & caput deinde Sacramento profunde inclinet, poſtmodum prius ponat birretum in capite, mox ſurgat, & ſine alia reverentia inceſſum ſuum proſequatur cum birreto in capite.

IV. Hinc perperam deprehenduntur agere, qui ad majorem reverentiam, ut ipſi dicunt, paulo ante prædictam genuflexionem caput aperiunt, vel hoc non contegunt abeuntes, antequam ſurgant, ſed ſolummodo quando ſunt extra conſpe-

ctum altaris, in quo expoſitum eſt Sacramentum; cum enim calicem manu gerant, non leve imminet periculum, ne aliquid e calice decidat, dum incedentes, ab eo manum removent, ut reſpective caput nudent, vel contegant. Quod periculum cum omnino abſit, quando Sacerdos in Miſſa ſolemni non geſtat calicem, idcirco tum ipſe, tum miniſtri ejus in hoc caſu caput detegent, antequam ſe conſtituant ante conſpectum Sacramenti, nec illud cooperient, priuſquam ab eodem conſpectu non ſe ſubtraxerint, quemadmodum in ſimili nos alias diximus de Sacerdote, & miniſtris ejus qui impedimentum nullum præ manibus habentes, ab altari recedunt poſt expoſitionem SS. Sacramenti, aut ad illud accedunt, in quo manet expoſitum. Quæ ut probe noſcas, ita eſſe, qualiter deſcripſimus, ſufficit, advertas, quod tam Inſtructio, quam Decretum diſponunt de Sacerdote faciente *Miſſam privatam*, adeoque de Sacerdote præ manibus habente impedimentum calicis, quo cum careat facturus Miſſam ſolemnem, idcirco rationem aliam ſervare debet in detegendo, & cooperiendo calice.

V. Sacerdotes minime deſunt, qui dum in prædicto caſu Miſſæ privatæ profundam inclinationem Sacramento faciunt, birretum collocant ſupra calicem: quam autem male, non eſt, conemur oſtendere, cum abſurditas uſus ejuſmodi ex eo abunde pateat, quod birretum tegumentum eſt capitis, capilli etiam nonnumquam comſperſum, unde certe indignum apparet, quod collocetur ſupra calicem, quo Sacerdos in Miſſa uti debet. Rite itaque Cœremoniales Miſſæ privatæ, & Doctorum conſulit turba, birretum miniſtro tenendum tradere, vel ſi Sacerdos illud teneat, ut vola manus dexteræ cum parte aperta birreti ſit verſus Sacerdotem, & pars inverſa ejuſdem manus ponatur ſupra calicem, ne ab hoc decidat aliquid, dum idem Sacerdos ſe Sacramento profunde inclinat. Hinc autem ritum eruat, quem ſervare debet, quicumque alter, dum ante Sacramentum publice expoſitum tranſit.

VI. Num idipſum præſtari debeat, quando Sacramentum eſt velate expoſitum, aut in pyxide, inſurgit modo quæſtio, quam affirmative ſequens (erit 4. cap. in ord. 177.) Decretum dirimit: *Genuflexio utroque genu eſt facienda a tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamſi fuerit in pyxide patenter expoſitum*. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*, & quidem cum SS. Sacramentum ſive cum velo, ſive in pyxide expoſitum extra tabernaculum, vel in hujus oſtiolo aperto, patenter expoſitum ſit, & ut ſpecialiter adoretur, fidelibus propoſitum, atque exhibitum, uberiorem genuum adorationem exigit, quam quando manet in tabernaculo incluſum, adeoque non unico tantum genu ſalutandum erit, qualis adoratio eidem adhibetur latenti in tabernaculo, ſed cum duplici genu, ſicuti veneratur, quando publice, & patenter proſtrat expoſitum.

DECRETUM V. CAP. IN ORDINE CLXXVIII.

Sacerdos Miſſam celebraturus, tranſiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, donec & quouſque terminetur communio. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

I. SI *contigerit eum* (ſcilicet Sacerdotem Miſſam facturum) *tranſire ante locum Sacramenti genuflectat, ſi ante altare, ubi celebratur miſſa, in qua elevatur, vel tunc miniſtratur Sacramentum, ſimiliter genuflectet, & detecto capite illud adoret, nec ante ſurgat, quam celebrans depoſuerit calicem ſuper corporale*. Ita Rubrica II. Miſſalis num. 1. diſtinguit tranſitum ante altare, in cujus tabernaculo Sacramentum latet incluſum & tranſitum ante altare, in quo elevatur, vel miniſtratur SS. Euchariſtia. In priori namque caſu contenta eſt, Sacerdos genuflectat, ubi in poſteriori ultra genuflexionem eidem injungit Sacramenti adorationem, & denudationem capitis. Hinc ſcite & conſonanter ad prædictam Rubricam Auctores edocent, quod prædictus Sacerdos tranſiens ante locum, in quod Sacramentum latet incluſum, ſufficit, unicum flectat genu ſine detectione capitis, & profunda inclinatione, debet vero utrumque genu flectere cum profunda inclinatione, & aperitione capitis, ſi tranſeat ante altare, in quo elevatur, vel adminiſtratur Sacroſancta Euchariſtia, ſervato prorſus ritu, quem in præcedenti Decreto deſcripſimus de Sacerdote ſine calice; vel cum calice, procedente ad celebrandam privatam Miſſam, vel ſolemnem. Hoc unum modo addi debet, quod ſi Sacerdos non habens impedimentum calicis, tranſeat ante altare, in cujus tabernaculo aſſervatur Euchariſtia, ultra genuflexionem cum unico genu debet inſuper denudare caput, non tamen poſt genuflexionem inclinationem facere, quia media genuflexione debitam facit reverentiam, ut nos exponentes Rubricam, alias diximus.

II. Sacerdotem poſt elevationem hoſtiæ non continuo ſurgere ab adoratione Rubrica jubet, ſed genuflexum permanere debere, donec celebrans facta elevatione calicis, Sacramentum ſuper corporale depoſuerit; & hinc deduxere nonnulli, etiam Sacerdotem, qui tranſit ante altare, in quo fit populi communio, genuflexum permanere debere, quouſque communione completa, Sacramentum ſuper corporale fuerit depoſitum. Horum opinionem præſens rite proſcribit Decretum, & certe conſonanter ad laudatam Rubricam, quæ dum id ſolummodo ſtatuit in caſu elevationis, etſi probe noverit, & memoret caſum adminiſtrationis, huic ſane illud noluit eſſe commune. Et quidem admodum diſpar eſt ratio, nam in priori caſu Sacramentum iterum ſpecialiter media elevatione calicis proponitur adorandum, & jam Sacerdos deberet denuo genuflectere illud adoraturus, quando etiam poſt hoſtiæ elevationem continuo diſcederet, ubi in poſteriori nihil ejuſmodi occurrit, quando etiam Sacerdos non cogeretur alias plus æquo quandoque permanere genuflexum cum magno ſui, & fidelium incommodo, qui Miſſam audire præſtolantur. Si namque Sacerdos in communionis caſu genuflexus permanere deberet, quouſque adminiſtrans præ manibus ad populum converſus Sacram tenet hoſtiam, etiam dum tranſit ante Sacramentum expoſitum, genuflexus eadem de cauſa permanere deberet, donec fuiſſet depoſitum, quod quis diceret?

III. Si Sacerdos ad celebrandum procedens, obvium habeat Sacerdotem alium deferentem SS. Sacramentum, Quarti *par.* 2. *tit.* 2. *num.* 1., Tonellius *lib.* 2. *tit.* 2. *Rub.* 1. *in notis num.* 6., atque Meratus *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 7. hanc dant regulam, ut utroque genu ab eo ſit genuflectendum, ſi immorandum eſt, donec ille tranſeat, unico vero genu, ſi genuflectendum eſt in tranſitu, & abſque mora. Ejuſmodi reſponſio, ſi bene ponderetur, integram relinquit quæſtionem, nam æque adhuc pendet dubium, num in caſu ſit immorandum, necne, ut definiri valeat, an cum unico genu, vel duplici ſit genuflectendum; quare nos ſatius procedere credimus, abſolute dicentes, quod in caſu immorandum eſt, donec Sacerdos cum Sacramento tranſeat, & huic utroque genu cum profunda ut ſupra inclinatione, capiteque detecto genuflectendum; id enim præſens ſanctio præſcribit in caſu tranſitus ante altare communionis, etſi Sacerdos ante illud tantummodo tranſeat, alio proceſſurus. Quod dictum ſit, ſive Sacramentum deferatur detectum, vel in pyxide clauſum, ita tamen ut genuflectere non incipiat niſi quando prope eſt ipſi Sacramento, & continuo, ac Sacramentum tranſierit, ſurgat ſuum iter proſecuturus.

DECRETUM VI. CAP. IN ORD. CLXXIX.

Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maji 1620. *in Oſcen.*

I. QUoties, & quomodo SS. Sacramento genuflectendum ſit, in ſuperioribus Decretis jam fuſe diximus, & adhuc infra dicturi ſumus; præſens autem Decretum nos monet, quod Canonici ipſi, etſi ratione dignitatis perſæpe dum in Miſſa miniſtrant, aut alias abſolvantur ab onere genuflectendi, præcipue erga crucem, nullatenus tamen diſpenſare ſe poſſunt a genuflexionis reverentia erga SS. Sacramentum cum unico, vel duplici genu, perinde ac de ceteris Sanctiones, & Rubricæ decernunt; hinc Decretum 2. capitis, & Inſtructio Romana, quam ibi laudavimus, dum genuflexionem cum duplici genu Sacramento publice expoſito demandant, conſulto poſuiſſe videntur: *cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint*, ut videlicet omnino omnes in diſpoſitione ſe comprehendi intelligerent.

II. Quod attinet ad Canonicos, & Clerum exiſtentes in Choro, jam in Decr. 6. cap. 4. ſtatuimus, quando, & quomodo genuflectere debeant, & de iiſdem proceſſionaliter incedentibus, in ſequentibus Decretis dicere reſervamus; quare quam Auctores agitant, quæſtionem ſumimus definiendam, nimirum quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, qui tranſit ante altaria minora, in quibus ob Miſſam, quæ ibi celebratur, adeſt Sacramentum poſt conſecrationem ſuper corporale de more collocatum. Gavantus *par.* 2. *tit.* 2. *lit. e.* facit illum genuflectere unico genu, nec *ibidem num.* 7. ab eo diſſentit Meratus, immo hanc reddit rationem. *Quia cum Sacramentum ſit abſconditum ob Sacerdotem celebrantem, eſt in illo altari, quaſi eſſet in tabernaculo, & ſic communiter Romæ fit*. Non ſic tamen Gavanti ſententiam approbat, ut eam non limitet ad ſolum caſum Sacramenti exiſtentis in altari, cui magis particulariter appropinquat, unde ſubdit: *Ad hæc reſpondendum videtur, quod nimis incommodum foret in tali caſu Sacerdoti eunti per Eccleſiam genuflectere ad omnia altaria, cum deberet ſe vertere modo ad hanc, modo ad illam partem: excepto igitur quando tranſiret immediate ante altare, cui magis particulariter appropinquaret, tunc deberet genuflectere unico genu, deinde caput aperire, & poſtea prius caput tegere, & deinde ſurgere, ut mox diximus*.

III. Verum cum Rubrica Sacerdotem *oculis demiſſis* faciat ad altare procedere, inſimul inſinuat, quod advertere minime debet, aut oculos figere ad altaria, ante quæ tranſit, ut videat, quæ in iiſdem peraguntur, quare non leve inde argumentum fit, ad nullum ex prædictis altaribus genuflectendum ab eo eſſe. Et quidem ſi ad omnia præfata altaria genuflectere teneretur, ubi magna eſt celebrantium copia, cogeretur aſſidue, modo huc, modo illuc oculos figere, ſe ſe convertere, & per continuas genuflexiones ad altare procedere; ſi autem dumtaxat ad illud, cui magis particulariter appropinquat, quomodo oculis demiſſis poſſet incedere? Quinimmo non magis illos deberet attente ad dictum altare convertere, cum non ſemel difficile admodum ſit, diſcernere, an celebrans recitet canonem ante, vel poſt conſecrationem? Sane Rubrica dumtaxat meminit genuflexionis *ante locum Sacramenti*, & hujus profecto nomine venit altare, in quo permanenter aſſervatur in ciborio, & *altaris, in quo elevatur, vel adminiſtratur*, ubi etiam meminiſſe debuiſſet prædictorum altarium, ſi ad illa genuflecti deberet, cum non ſit caſus infrequens, & rarus, ſed paſſim obvius, & quotidie occurrens.

IV. Ru-

IV. Rubrica meminit *loci Sacramenti*, quia ſi non lampas continuo ante eum collucent, ſufficienter apta eſt Sacerdotem advertere, eo quod nonnumquam ardeat etiam ante alia altaria, prædictum ſupponit Sacerdotem ejuſdem loci conſcium, utpote in quo Sacramentum continuo permanet, & aſſervatur; *altaris vero, in quo elevatur, vel miniſtratur Sacramentum*, quia in priori caſu ſonus campanulæ eumdem monet, verba, quæ adminiſtrans alta voce profert, in poſteriori; quare cum in noſtro caſu reperira non ſit, per quod moneatur Sacerdos, & oculis demiſſis jubeatur incedere, dubio procul debet recta ad altare procedere, nec advertere ad ea, quæ in altaribus minoribus peraguntur, quorum crucibus neque ſe inclinat, ſed ſolum illi altaris majoris, quamvis ante illas pertranſeat. Unicus caſus eſt, cujus Rubrica non meminit, & nihilominus debet in eo genufleCti, & eſt caſus Sacramenti expoſiti, ſed quiſque videt, quod caſus ejuſmodi a fortiori in Rubrica comprehenditur, nec certe deſunt plurima, quæ Sacerdotem abertim idonea ſunt admonere.

DECRETUM VII. CAP. IN ORDINE CLXXX.

In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſiam ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad elevationem hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genufleCtendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito Sacramento progrediendum eſt. Similiter ſi alii tranſeant in elevatione calicis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Reg. Lateran.*

I. SErmo eſt de proceſſionibus, in quibus non defertur SS. Sacramentum, atque ſtatuitur, quod dum illæ fiunt per Eccleſiam, non pulſetur campanula ad elevationem in miſſis, quas in Eccleſia celebrari contingeret. Cauſam expoſcis? Libens obſequor; ſi enim pulſaretur campanula, interturbaretur admodum ipſa proceſſio ob adorationem SS. Sacramenti, quæ utroque genu fieri deberet a pertranſeuntibus ante altare, ubi quoties illa non pulſatur, proceſſio progreditur, perinde ac ſi Sacramentum minime elevaretur. Id evidenter eruitur ex verbis illis Decreti: *Quod ſi pulſetur, & advertatur adoratio, tunc genufleCtendum eſt utroque genu*, & quidem etiam cum profunda ut ſupra inclinatione. GenufleCtendum autem eſt, non quidem ab univerſo Clero, ſed ab hujus tantummodo portione illa, quæ pertranſit ante altare. Hæc autem genuflexio fit utroque genu, & cum profunda reverentia, non debet tamen perdurare, quo uſque item calix elevatus fuerit, & ſuper corporale depoſitus, ſed ſtatim ac ſacra hoſtia depoſita fuerit, ſurgunt, qui genuflexi erant, & proceſſio progreditur, remanente onere idipſum faciendi eorumdem illis, qui ante idem altare tranſibunt, dum calix elevatur, ut quanto minus fieri poteſt, interrumpatur ſacra functio, & interturbetur proceſſionis ordo.

II. Hæc fieri ſtatuta ſunt in proceſſionibus, quæ peraguntur *ſine SS. Sacramento*, unde ab oppoſito ſenſu ſequitur, quod in proceſſionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, ne quidem ab iis genufleCtendum ſit, qui ante altare elevationis tranſeunt, licet per Miniſtrum pulſaretur campanula ex Biſſo *lit. G. num.* 29. §. 2. Meratus *par.* 4. *tit.* 12. *num.* 14. ſatis validam hanc dat rationem *Verum hoc Decretum* (ſcilicet textum capitis) *non ſe extendit ad eos, qui interſunt proceſſioni SS. Sacramenti; iſti enim ad prædictam elevationem non tenentur genufleCtere, quia ſunt in actuali illius adoratione.* Sane expoſitionis tempore in privatis Miſſis ad elevationem pulſari campanulam, Inſtructio Romana inhibet §. 16., neque alia poteſt excogitari inhibitionis cauſa, niſi quia jam populus ſupponitur in actuali adoratione Sacramenti, a qua diſtrahendus non eſt, ut convertatur ad adorationem ejuſdem Sacramenti, quod elevatur in Miſſa; quare ſicuti quantumvis pulſaretur campanula, non deberet ſe populus convertere ad altare elevationis, ſed permanere in adoratione Sacramenti expoſiti, ut diximus alibi, ita incedentes in proceſſione, non deberent genufleCtere ad altare elevationis, non obſtante ſono campanulæ, ſed perinde ac ſi non pulſaretur campanula, perſiſtere in adoratione Sacramenti, quod per proceſſionem defertur. Dubium tamen eſſe non poteſt, quod omnino abſtinendum eſt a ſono campanulæ, ſicuti non pulſatur expoſitionis tempore, tum quia pulſatio ejuſmodi apta eſt in Clerum minus doctum confuſionem invehere; tum quia decens eſſe non poteſt, quod per eam advertatur proceſſionis Clerus de elevatione SS. Sacramenti quod flexione genuum adorare minime debet.

III. Verum etſi proceſſionis Clerus genufleCtere ut ſupra non debeat ad elevationem, ſi tamen Sacramentum, in cujus actuali adoratione verſatur, quodque in proceſſione comitatur, ſe illi ſpecialiter offerat, ita ut eidem occurrat, aut a latere tranſeat, & videatur, tunc præfatus Clerus eidem ſpecialem adorationem, ſcilicet genuflexionem exhibere tenetur, ſicuti rite definit ſequens Decretum, quod erit 8. cap. in ord. 181. *In proceſſionibus SS. Sacramenti, quæ occaſione XL. horarum fiunt per Eccleſias, debent proceſſionaliter incedentes ante Sacramentum in occurſu, & tranſitu a latere ejuſdem facere genuflexionem, dummodo in tranſitu videatur.* Ead. Congr. in eodem Decreto, quod cum editum ſit in ead. Canon. Regul. Lateran., manifeſte commonſtrat, quod in hoc ſolummodo caſu genufleCtere debet, non autem, ſi elevetur Sacramentum in Miſſa, aut obviam habeat alium Sacerdotem Sacramentum in pyxida ad infirmos deferentem, vel Clerus ipſe pertranſeat ante altare, in cujus tabernaculo aſſervatur reconditum. Hinc habes cauſam, ob quam in Miſſa feriæ VI. Paraſceves, etſi populus ſupponatur adorare Sacramentum, quod eſt in altari, adhuc ad elevationem ejuſdem unum, vel alterum ſignum cum campanula non dari laudavimus, ut ſcilicet dum idem Sacramentum ſpecialiter proponitur adorandum, ſpecialis itidem eidem exhiberi valeat adorationis obſequium, quale eidem etiam fidelium praxis exhibet, quoties cum Sacramento benedicuntur, etiamſi ſupponantur in ejuſdem adoratione morari.

IV. Nam cum unico, aut duplici genu adoratio præſtanda ſit, inſurgit modo dubium, quod ſi definiendum foret ex præcedenti Decreto, quod pertranſeuntes proceſſionaliter cum duplici genu faciat adorare Sacramentum, quod elevatur in Miſſa, de utroque itam genu eſſet decidendum; at ita quidem in caſu prædicti Decreti, quod procedit de proceſſione ſine SS. Sacramento, ſed non in præſenti, in quo cum agatur de proceſſione SS. Sacramenti, moræ incommodum, quod alias proceſſio ſubire cogeretur, in ipſum veluti redundaret Sacramentum, cui reverentia exhibetur, unde contenti nos ſumus, quod a latere pertranſeuntes unicum flectant genu, quemadmodum nunc communiter Auctores ad arcendum idem moræ incommodum, genuflexionem cum unico tantum genu præſcribunt Sacerdoti, & Miniſtris ejus, qui pertranſeunt, aut aliquid operantur circa altare, in quo Sacramentum proſtrat expoſitum. Etſi autem Decreti diſpoſitio reapſe ſit de proceſſionibus, quæ cum SS. Sacramento fiunt intra Eccleſiam, ad eas etiam, quæ fiunt extra Eccleſiam rite extendi poſſe videtur.

V. Ex his habes, ad quos trahat limites præcedentia Decreta, quæ etiam proceſſionaliter incedentibus genuflexionem injungunt, dum pertranſeunt ante SS. Sacramentum, aut altare, in quo elevatur ſacra Euchariſtia; diſponunt enim de proceſſionibus, in quibus non circumgeſtatur SS. Sacramentum. Harum autem proceſſionum lex erit, ut unicum flectant genu ante locum, in quo SS. Sacramentum ſtate aſſervatur, utrumque ante Sacramentum publice, vel in pyxide expoſitum, aut ad infirmos deportatum, vel fidelibus adminiſtretum, ſive elevatum in Miſſa, ad quam dumtaxat genuflexio fiet, ſi pulſetur campanula, & elevatio advertatur, & tunc a ſolis illis, qui tunc temporis pertranſeunt ante altare, & adhuc hi ſurgent illico, ac ſacra hoſtia ſuper corporale depoſita fuerit, & incedent, ſimiliter facientibus illis, qui pertranſeunt in elevatione calicis.

VI. *Dum fit abſolutio ad tumulum, vel ad præſentiam cadaveris, ſi elevetur Sacramentum in aliquo altari, neque Celebrans, neque Miniſtri debent genufleCtere, ne ſacra interrumpatur actio, & rectius fieret, ſi in ea elevatione pulſatio campanula omitteretur a Miniſtro*, verba ſunt Gavanti *par.* 2. *tit.* 13. *lit.* e., per quæ dirimit quæſtionem inter Auctores admodum celebrem, & in eamdem ſententiam deſcendit Meratus *ibidem num.* 27., per hæc verba: *ſi elevetur SS. Sacramentum, dum fit abſolutio, ſerventur ea quæ tradit Gavantus.* Toncllius tamen in tali caſu vult Sacerdotem cum Miniſtris debere genufleCtere, niſi aſpergat, vel incenſet tumulum, aut dicat verſus, & orationem; & ſimile iiſdem imponit onus Quarti *par.* 2. *tit.* 13. *dub.* 3., & ſolummodo excipit caſum, in quo Sacerdos dicat orationem, ſed hujus ſententiam improbat Biſſus *lit. G. num.* 26. §. 2., ubi etiam convellit rationes ab eo productas.

VII. Quidquid igitur aſſerat Quarti, qui omiſſionem pulſationis campanulæ acriter carpit, tamquam contrariam Rubricæ & *num.* 6., in prædicto caſu campanula pulſanda non eſt, & tunc dubio procul nullatenus eſt genufleCtendum ab aſſiſtentibus ad tumulum, cum ſuperius laudatum Decretum in ſimili fere caſu mandet omiſſionem pulſationis campanulæ & genuflexionis, ne ſacra interturbetur actio. Quod ſi pulſetur campanula, & advertatur elevatio, pro praxi hæc poterit deſervire deciſio, ut genufleCtendum non ſit, ſi abſolutio non fiat ante altare elevationis, bene vero, ſi ante, ita tamen, ut omnes, vel ſoli illi pro temporis circumſtantia genufleCtere debeant, per quorum genuflexionem ſacra non interrumpitur actio, quare omnes genufleCtent, ſi caſus accidat, dum cantatur reſponſorium, quod æque bene cantari poteſt, etiam a genuflexis, genufleCtet vero dumtaxat Clerus aſſiſtens, non Sacerdos, nec Miniſtri ejus, ſi caſus accidat tempore aſperſionis, incenſationis, aut dum cantatur oratio; ceroferarii tamen, & Subdiaconus nunquam genufleCtunt.

CAPUT UNDECIMUM.

De Benedictione ſacræ ſupellectilis, atque templorum.

QUi hucuſque egimus de SS. Sacramento, æquum eſt, antequam ad ulteriora progrediamur, pertractemus breviter de ſacra ſupellectile, ſacratis vaſis, & veſtibus, quæ cum deſerviant in uſum ſacrificii, & miniſterium ejuſdem SS. Sacramenti, ad tractatus complementum a nobis præteriri minime poterant, ſaltem prout ea ſpectant ad Rituale, cujus propterea ne pertranſeamus limites, ſermo noſter ſiſtet circa eorumdem benedictionem, uti & templorum, in quibus dumtaxat extra neceſſitatis caſum fieri poteſt idem ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Nuſpiam in terris fuit quidpiam magis frequens, & neceſſarium, quam templa, ut recto rationis lumine inquit Plutarchus adverſ. Colot. *Si terras obeas, invenire poſſis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus,*

numiſmate carentes, urbem templis, Diiſque carentem nemo uſpiam vidit: ut propterea ad templorum frequentiam Gentilium æmulationem proponat nobis S. Clemens lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 64. *Etenim ſi gentes quotidie cum e ſomno ſurrexerint, ad Idola properant colenda, & ante opus, actionemque omnem, eis primum preces adhibent: ſi inquam prædictæ gentes ea, quæ nihil eis proſunt, frequentant; tu qua excuſatione uteris cum Deo, qui ab Eccleſia ejus abſens es, nec gentes quidem imitaris?* In lege naturæ a Patriarchis Noe, Abraham, & Jacob Domino erecta altaria, & conſecrata leguntur *Gen. cap.* 8. 20., *cap.* 12. 7., & *cap.* 35. 1., & in lege ſcripta *Exo.* 30. de conſtruendo altari Moyſi præceptum apparet impoſitum, & in ſacris litteris nihil frequentius legitur, quam de altaribus, & templis in Dei honorem erectis, atque ſacratis. Uberiora dicenda haberemus de lege gratiæ; ſed quoniam in re notiſſima inaniter tereremus tempus, idcirco ſufficiant ea, quæ dedimus in to. 1. Decr. 1.

Perinde ac ædificare Eccleſias ipſas, D. P. Aug. *lib.* 3. *cont. ſerm. Arian.*, & *lib.* 1. *contr. Marcion.* inter latriæ actus computat ſuppellectilium conſtructionem, quæ pariter ad Dei cultum ſunt directa, cujus majeſtatem Cæli non capiunt, & propterea obſtupeſcens Salomon 2. *Paralip.* 2. inquit: *Quis poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum?* Id jam antea induxerat ſanctum David, ut congereret tot metalla, tot lapides, & theſauros immenſos ad ædificium templi, & ſupellectilia ejuſdem, unde S. Felix Pontifex, & Martyr. Epiſt. ad omn. Epiſc. *ſi Judæi, qui umbræ legis deſerviebant &c., quibus verbi patefacta eſt gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum data, templa Domini ædificare, & quanta eum diligentia ornare convenit?* Sane a Joanne viſa *Apoc.* 21. illa Civitas ſancta, figura erat Eccleſiæ novi teſtamenti: *Vidi Civitatem ſanctam Hieruſalem novam, deſcendentem de Cælo a Deo ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, quare dubium eſſe non poteſt, quin ille, qui ejuſdem incumbit ornatui, experturus ſit viri ſui beneficia, qui *Iſa.* 60. jam proteſtatus eſt: *Domum majeſtatis meæ glorificabo, & pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.*

Hinc apparet cauſa, qua *Exod.* 35. adeo permoti fuerunt omnes, & maxime mulieres ad ſponte, & cum gaudio offerendum aurum, argentum, & pretioſa quæque in uſum Tabernaculi pro ſacrificiis, & indumentis Sacerdotalibus, ut cap. 36. *Artifices venire compulſi dixerunt Moyſi: Plus offert populus, quam neceſſarium eſt. Juſſit ergo Moyſes præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii; ſicque ceſſatum eſt a muneribus offerendis, eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent.* Eſdræ *lib.* 2. *cap.* 8. item leguntur donaria collata a Populo, & Principibus in reſtaurationem templi, vaſorum, & veſtium Sacerdotalium. Item 1. *Paralip.* 29. in ædificium, & ornatum templi, & *Numer. cap.* 31. Duces, & Milites ſacrant divino cultui ſpolia ex victoriis acquiſita poſt devictos Madianitas; quod & præſtant *Exo.* Hebræi de vaſis aureis, argenteis, & veſtibus pretioſis Ægyptiorum, quæ jubente Deo ſecum detulerant. Quæ cum grata fuerint Deo, inde ſequitur, quod complaceat ſibi Deus, quod conſacrentur divino ejus cultui etiam ea, quæ ad profanos uſus, immo idololatriæ ipſi deſervierunt.

Gentiles Sacerdotes veſtimentis diverſis ab iis, quæ deferebantur extra templa, in ſuis ſacrificiis uſos fuiſſe Plinius edocet *lib.* 9. *cap.* 1., & late Guilelmus Covulius *de Relig. Romanor.* Sic præcepit Deus Moyſi Exo. 29. 31. 40. *Applicabis Aaron, & filios ejus, & lotos aqua indue ſacris veſtibus, ut miniſtrent mihi.* Et per Ezech. 44. *Cum ingredientur Sacerdotes portas atrii interioris, veſtibus lineis induentur, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis.* Hoc deinde juſſit Eccleſia ſancta, non jam ex Evangelico ſcripto, ſed ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione, unde horum fere contemporaneus Anacletus Papa Epiſt. 1. de oppreſſ. Epiſc. *Epiſcopus ſecum habeat Miniſtros ſacris indutos veſtimentis*; & D. Hieron. in cap. 44. Ezech. *Habet religio divina alterum habitum in miniſterio altaris, alterum uſu vitaque communi.* Id reapſe magis opportunum eſt in lege nova propter ſacrificii excellentiam, ut notat Ivo Carnoten. *Epiſt.* 124., immo veſtes illæ figuræ erant earum, quibus utuntur Sacerdotes Evangelici, ſicuti teſtatur Origenes *homil.* 11. *in cap.* 20. *Levit.* De his plurima haberemus ſcribere, ſed modo contenti ſumus de iiſdem agere, prout ad Rituale pertinent, quod eorumdem benedictionem aſſignat, eamque recenſet ſub titulo: *Benedictiones ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendæ.*

DECRETUM I. CAP., IN ORDINE CLXXXII.

Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali propria. S. R. C. 16. Nov. 1649. *in Janu.*

I. V*Eſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta*, Cap. 42. de conſecr. diſt. 1. cujus ſatis congruam D. Thomas 3. *par. q.* 83. *art.* 3. *in O* rationem exhibent; *Conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in uſum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repræſentandum effectum Sacramenti, qui ex Paſſione Chriſti provenit.* Hinc veſtimentis omnibus, quæ Sacerdos induit, ſacroſanctum facturus Miſſæ ſacrificium, ſcilicet amictui, albæ, manipulo, ſtolæ, atque planetæ, ita neceſſariam benedictionem uno ore fatentur Auctores, ut peccati mortalis plectant Sacerdotem, qui illarum aliqua non benedicta uteretur, niſi eum excuſet materiæ parvitas, puta ſi ſolum manipulum non benedictum haberet, quo in caſu nonnulli eumdem damnant ſola veniali culpa.

II. Lis eſt de cingulo, quod cum vere veſtis non ſit, Sylveſter *verb. Miſſa num.* 10. ejus benedictionem a capite *veſtimenta* cenſet non eſſe præceptam. In oppoſitum ſentit Gavantus *par.* 2. *tit.* 1. *n.* 2., cui adhæret Quarti, qui *par.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* 2. plures Auctores allegat, quibus nos adjungimus auctoritatem maximam Benedicti XIV. *tom.* 1. *notif.* 20., ubi affirmativam partem tamquam probabiliorem amplectitur, eamque his validis comprobat argumentis. Primo, quia etſi veſtis reapſe non ſit, eſt tamen quid acceſſorium ad ſacras veſtes, quinimmo illud veſtem Quarti nuncupat, ſaltem quoad ſignificationem, quam non minus habet, ac veſtes reliquæ; & in hoc ut minimum ſenſu intelligi debet, quod *epiſt.* 128. *ad Fabiolam* ſcribit Hieronymus: *Tertium genus eſt veſtimenti, quod illi appellant Abner, nos cingulum, vel baltheum, vel zonam poſſumus dicere.* Secundo, quia in Pontificali tit. *ſpecialis benedictio cujuſlibet indumenti* expreſſe habetur particularis benedictio cinguli. Tertio, denique allegat uſum Romanæ Eccleſiæ, cui multum deferendum eſſe nemo dubitat. Quæ Romana praxis cum item militet de pluviali, hoc quoque benedicendum eſſe ſtatuit; veſtis enim ſacra eſt, quæ ad profanos uſus adhiberi non poteſt. Verum cum de pluviali Auctores communiter, etiam Gavantus ipſe *par.* 1. *tit.* 19. *num* 3. *lit.* 1., ſecus ex eo ſentiant, quod ejuſdem uſus non ſit ad Miſſæ ſacrificium, & caput *veſtimenta* concorditer explicent de veſtibus in ordine ad ſacrificium prædictum, rem nos ita definiendam eſſe credimus, ut conveniens quidem ſit, pluviali, quod ad ſacras functiones deſervit, benedictio adhibeatur, non tamen neceſſarium; quod ſi quoque dixeris de ſuperpelliceo, quod Sacerdos præcipue induit Sacramentum miniſtraturus, non refragabor admodum, etſi non multum probetur a communi uſu.

III. Quarti ſuper Dalmaticas, & Tunicellas quæſtionem excitat, & pro neceſſitate benedictionis rite ponderat, quod in iiſdem ea, quæ ſunt ſui Ordinis, adminiſtrant proxime Diaconi, & Subdiaconi in ordine ad ſacrificium ipſum; & quantum attinet ad Dalmaticas, id manifeſte videtur erui ex verbis benedictionis, qua Eccleſia utitur; in ipſis enim ſe Eccleſia exprimit benedicere *indumenta levitica, ſacerdotalis, & pontificalis gloriæ.* Equidem obſtat titulus, qui præmittitur benedictionis formulæ, ſcilicet *Benedictio Sacerdotalium indumentorum*, ſed indubie præferendus eſt textus ipſius formulæ, qui cum diſerte meminerit etiam indumentorum Leviticorum, unde in prima oratione: *His quoque ſacris veſtibus Pontifices, & Sacerdotes, ſeu Levitæ tui induti*, diſerte deſignat verbis tituli non eſſe plene inſiſtendum, ſed ita per ea deſignari præciſe indumenta Sacerdotalia, ut inde eruatur, quid faciendum ſimiliter ſit de indumentis eorum Miniſtrorum, qui proxime adminiſtrant ad altaris ſacrificium, Diaconorum nempe, quorum meminit ipſa benedictionis formula, & ſatis congruenter etiam Subdiaconorum, qui item proxime eidem aſſiſtunt ſacrificio.

IV. Quorum omnium ea erit benedictionis formula, quæ a Rituali Romano aſſignatur *pro paramentis Sacerdotalibus*, neque neceſſe erit, prædicta mutetur formula, aut in ea nominentur res, quæ benedicuntur, ſed ea, prout jacet, bene legi poterit; conſulto enim in titulo poſitum credi debet to *in genere*, ut inde nempe denotaretur, eam uſitandam eſſe pro quocumque Sacerdotali paramento, cujus rationis etiam eſt pluviale. De Diaconorum paramentis, quorum ſi non titulus, benedictionis textus meminit, dubium eſſe non poteſt, ſed inſuper ea ratio militat, quod ad Sacerdotalia reducuntur, quatenus in illis Sacerdoti proxime adminiſtrant Diaconi; quod cum & præſtent ſuo modo Subdiaconi, horum paramentis ex hoc titulo prædicta benedictio quadrare poſſe dignoſcitur.

V. Altaris tobaleas benedici item debere, Rubricæ ubertim demonſtrant; habet namque Miſſalis vigeſima: *Hoc altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictis*; & tit. *de defect.* inter defectus collocat, *ſi deſint mappæ ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem benedictæ.* Tres debent eſſe iſtæ mappæ, & hac præcipue de cauſa, ut ebibere valeant Chriſti ſanguinem, ſi forte per Sacerdotis negligentiam effundatur e calice, validum utique argumentum ad commonſtrandam neceſſitatem benedictionis earum, quando etiam idipſum non comprobaret abunde propria benedictionis formula, quæ ad hunc effectum in Rituale Romanum fuit invecta.

VI. De purificatorio ſuccedit dicere, & quia hujus propria in Rituali deſideratur benedictionis formula, Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 8. §. 4., Lugo *diſp.* 20. *num.* 76., nonnullique alii benedictione non egere putarunt, ſed verius argumentantur Quarti *par.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 5., Meratus *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 10., Piſart, aliique communius, dum ex præcepto benedictionis tobalearum, quæ minus attingunt Euchariſtiam, & nonniſi in caſu uberis effuſionis, inferunt præceptum benedicendi purificatorium, quod certe magis propinque ſacrificio inſervit, eique de facili quandoque adhærere valent aliquæ particulæ corporis, aut ſanguinis Dominici ex calicis extertione, aut ablutione digitorum. At quæ formula in uſu erit, cum propria in Rituali deſideretur? Reponit Piſart adhibendam eſſe benedictionem linteaminum, mutata voce *altare*

in

in vocem *calicem* in ſecunda oratione. Reapſe ſi fiat talis mutatio, benedictio quadrat caſui; defectum autem propriæ, & peculiaris benedictionis Auctores ex eo repetunt, quod purificatorii uſus non gaudet antiquitate plurima; ut enim obſervat Meratus, pro tergendo, & purificando calice inſerviebat olim Subdiaconi manipulus, qui propterea linteus erat, & in Eccleſia Græca etiamnunc ad prædictum effectum uſus eſt ſpongiæ, quæ perbelle adhibetur in ſacrificio incruento, ſicuti cruenti ipſa fuit *pars*, & inſtrumentum.

VII. Corporale in Rituali propriam habet benedictionis formulam, qua propterea benedicendum eſſe nemo dubitare poteſt, & præſertim ſi ſerio cogitet, quod dignum factum eſt, ut Sacratiſſimum Chriſti Corpus, unde ei advenit *Corporalis* nomen, immediate tangat; quare cap. 46. de conſecr. diſt. I. *Conſulto omnium ſtatuimus, ut ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumat, ſed in puro linteo ab Epiſcopo conſecrato*. Corporale majoris olim erat latitudinis, & ejuſdem pars, ſeu extremitas a parte poſteriori ſupra calicem elevabatur, & ad eum cooperiendum deſerviebat, ut adhuc Carthuſiani obſervant, & nonnullæ aliæ Eccleſiæ, quarum meminit Meratus *part. 2. tit. 1. num. 31.* Ad periculi cautelam apud Romanos introductum fuit exiguum corporale aliud ad contegendum calicem, quod a palliando dictum eſt *palla*, vocant alii *Animetta*, quia quaſi anima includi, & conſervari ſolet in corporali plicato, cujus tamquam pars etiamnunc benedictiona corporalis rite benedicitur, & nec dubito conſonanter ad præſens Decretum, quod in præſcribenda benedictione Corporalis, fortaſſe uſum eſt plurali numero *Corporalia*, ut inſimul includeret pallam, ſeu ejuſmodi corporale exiguum.

VIII. Benedictionem *Tabernaculi, ſeu vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda* Rituale aſſignare pergit, & eam Baruffaldus *tit.* 68. tum tabernaculo ligneo, tum pyxidi adhibendam eſſe cenſet. Tabernaculo quidem, quia id cautum eſt in Concilio Prov. Mediol. 6., pyxidi autem, quia immediate inſervit Chriſti Corpori. De benedictione tabernaculi nullibi loquuntur Rubricæ Romanæ, & ideo eam non putamus in univerſali præcepto, ſecus vero eſt de benedictiona pyxidis, quæ venit nomine *vaſis mundi*, cujus meminit Rubrica Miſſalis II. *num.* 3. ad locandas in eo ſacras particulas, & diſerte illud exigit, quod ſit *benedictum*, uti & idipſum poſtulat adducta immediati contactus ratio, ob quam benedictionem corporali nos ipſi neceſſariam fecimus. Pro benedicenda pyxide in uſu erit, quam aſſignat, Ritualis formula; pyxis enim eſt *vaſculum pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda*, unde ſi eidem convenit Benedictionis titulus, convenire indubie debet ipſa formula, ſeu benedictio, & maxime cum & benedictionis textus teneat *vaſculum*, quod nomen quidem bene pyxidi competit, non tabernaculo ligneo; & hæc eſt cauſa, ob quam præſens Decretum nedum pyxidem benedicendam eſſe mandat, ſed inſuper *juxta formam, quæ habetur in Miſſali propria*.

IX. Verum ſi res ita foret, qua formula benedicendum erit tabernaculum? Jam diximus tabernaculo benedictionem nullam ex univerſali præcepto adhiberi, unde quid mirum, ſi pro eo deeſt propria benedictionis formula? Dices: Formula, de qua dicebamus, inſcribitur *Tabernaculi ſeu vaſculi*, ergo quid vetare poteſt, quod etiam pro tabernaculo adhiberi valeat? Ita quidem, ſed obſtat benedictionis textus, cujus oratio tenet *vaſculum*, quale nomen tabernaculo ligneo nullatenus quadrare poſſe videtur. Ego crederem, quod titulus huic benedictionis præfixus, qui cantat *Benedictio Tabernaculi, ſeu vaſculi*, nomine *vaſculi* pyxidem, & nomine *tabernaculi*, oſtenſorium ſignificare voluerit, quemadmodum Rituale ipſum *tit.* 80. §. 2. oſtenſorium *tabernaculum* nuncupat, & in ſequenti §. 3. habet *oſtenſorium, ſeu tabernaculum*. Ubi tamen uſus eſt: vel municipalis lex, ut tabernaculum ligneum conſecrare placeat, eamdem quidem formulam adhibendam eſſe ex Auctoribus nonnulli ſentiunt, ſed in benedictionis textu to *vaſculum* mutato in *tabernaculum*, ut rei quæ benedicitur, verba quadrent. Quam tamen formulam ſi quis, prout jacet, adhiberi poſſe contenderet, talis ego non ſum, qui ſævum velim inſtituere jurgium, probe conſcius, quod nomen *vaſculi* latiori modo fortaſſe convenire poteſt tabernaculo, quatenus in ſe continet Chriſti Corpus.

X. Quæ diximus de pyxide, quiſque videt æque currere de capſula illa argentea, aut quocumque alio inſtrumento, in quo ſacræ particulæ collocari ſolent pro earum aſportatione ad infirmos, pluvio, difficili, aut nocturno tempore. Id rite præſens extendit ſanctio ad oſtenſorium, quod propterea, & benedicendum eſſe mandat, & juxta Miſſalis formulam, quæ eadem ipſa eſt, quam pro pyxide adhiberi debere diximus. Ab oſtendendo Sacramentum dicitur *oſtenſorium* inſtrumentum illud, quo nunc communiter ſacra publice exponi ſolet Euchariſtia; & reapſe eſt inſtrumentum ad rem magis aptum, & præferendum quibuſcumque aliis, quibus utebatur antiquitas. Quæ licet ita ſint, adhuc pro expoſitione Sacramenti alia Eccleſiæ pro libito uti poſſunt decenti vaſe; & hæc eſt cauſa, ob quam Inſtructio Clementina §. 5. Sacramentum exponendum eſſe dixit in oſtenſorio, *a cuſtodia*, cujus nomen etſi communiter applicetur ciborio, aut tabernaculo, in quo conſervatur Sacra Euchariſtia, cum tamen a *cuſtodiendo* derivet, ex ſe ampliorem habet ſignificationem, & natum aptum eſt accipi pro quocumque, in quo aliquid cuſtoditur, vel aſſervatur.

XI. *Cuſtodiæ* itaque nomine, ad noſtram quod rem attinet, veniunt etiam inſtrumenta illa, quibus olim SS. Sacramentum exponi, & proceſſionaliter deferri ſolebat, quorum adhuc aliqua in uſu ſunt apud nonnullas Eccleſias. *Turris* meminit Gregorius Turonenſis *lib. 1. de glor. mart.*, & erat vas in figura turris formatum: *Accepteque turre diaconus, in qua miſterium Dominici corporis habebatur, ferre cæpit ad oſtium, ingreſſuſque templum, ut eam altari ſuperponeret, elapſa de manu ejus ferebatur in aera*. Fere conſimile eſt inſtrumentum illud, quo inſigniri ſolet imago S. Claræ Aſſiſienſis, quæ Saracenis Monaſterium invadere conantibus, ad ejus portam afferri voluit SS. Sacramentum, quos Saracenorum plurimos fugavit, ceteros, qui murum aſcenderant, captos oculis, præcipites ad terram dejecit. Equidem Surius Sacramentum ad portam allatum fuiſſe aſſerit, clauſum *in capſa argentea intra ebur incluſa*, ſed cum hæc perſcrutari noſtri non ſit inſtituti, nos modo contenti ſumus dicere, quod in quocumque vaſe, aut inſtrumento Sacramentum exponatur, circumgeſtetur, aut collocetur, benedictum illud eſſe debet, & benedictionis formula, de qua Decretum loquitur. De tabernaculo autem, ſeu throno, in quo oſtenſorium collocatur, idipſum dicito, quod tradidimus de altaris tabernaculo.

XII. Burſa, intra quam recluditur corporale, in Eccleſia antiqui uſus non eſt, a Concilio namque Rhemenſi *cap.* 5. corporala in libro conſervari ordinatur, propter tamen periculum in terram cadendi poſtmodum decens viſum eſt, ut in burſam imponeretur. Velum quo cooperitur calix, plurima gaudet antiquitatis laude, unde Can. Apoſt. 72. *Velum ſanctificatum nemo amplius in ſuum uſum convertat*. Quia ſanctificatum dicitur; hinc eruit Gavantus *par. 2. tit. 1. lit. n.*, quod fuerit ſolitum benedici, non quidem benedictione particulari, atque ſeorſim, ſed conjunctim cum aliis veſtibus, & Sacerdotalibus paramentis. Quod id fiat, non poteſt non eſſe laudabile, ſed cum ejuſdem nullus ſit uſus in actione Sacrificii, neceſſarium eſſe non poteſt, unde & in Rituali nedum deeſt propria benedictionis formula, ſed neque ulla habetur, quæ eidem poſſit aptari. Idem dicito de Burſa, & velo pyxidis.

DECRETUM II. CAP. IN ORD. CLXXXII.

Abbates, & alii Prælati Regulares non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum, non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Aug. 1609. *in Cremon.*

I. BEnedictiones, de quibus egimus in præcedenti Decreto, titulus, qui iiſdem præfertur, ſcilicet *Benedictiones, ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendæ*, a quoquam ſimplici Sacerdote, aut Parocho fieri non poſſe abunde demonſtrat, & titulo conformes ſunt, quas allegavimus, Miſſalis Rubricæ, quæ eaſdem benedictiones committunt *Epiſcopo, vel alteri habenti poteſtatem*. De Epiſcopo, de quo expreſſa mentio inſtituitur, dubium eſſe non poteſt, unde & Innocentius III. *lib. 1. de myſt. Miſſæ cap.* 9. inter cetera, quæ jure ordinario Epiſcopis competunt, recenſet *veſtes, & vaſa conſecrare*. An poſſit Epiſcopus hanc facultatem ſimplici Sacerdoti delegare, ſolum itaque ſupereſt dubium, quod communiter Auctores negative reſolvunt, ea ducti præſertim ratione, quod prædicta facultas non ſpectat ad poteſtatem juriſdictionis, quæ eſt delegabilis, ſed ad poteſtatem ordinis, quæ delegari non poteſt. Refert Gavantus *par. 4. tit. 19. num.* 23., quod S. R. C. ſæpius requiſita ab Epiſcopis inſignioribus, & S. R. E. Cardinalibus, ejuſdemque Congregationis Præfectis, juſſis de cauſis apud proprias Eccleſias non reſidentibus, pro facultate ſubdelegandi, hanc pluribus conceſſit, aliquando limitando perſonas in dignitate conſtitutas 14. *Nov.* 1615., aliquando tempus ad ſex menſes 14. *Martii* 1616., & ſæpius tandem ſine limitatione 2. *Martii* 1619.; quodnam autem pro parte negativa validius argumentum?

II. Quarti *par. 2. tit. 1. ſect. 4. dub.* 3., aliique nonnulli ſubdelegandi facultatem in Epiſcopis nihilominus tueri conantur, ſed prævaleat auctoritas, atque exemplum Benedicti XIV., qui dum Bononienſi Eccleſiæ præeſſet, licet probe noſſet Auctorum ſententias, atque rationum momenta, quibus illæ innituntur, adhuc pro prædicta facultate apud Sacram Congregationem ſupplicandum eſſe cenſuit, ut ipſemet aperte fatetur *to. 1. notif.* 20. Promamus ejus verba: *Per uſcire da queſto laberinto, ed avendo per lo ſpazio di più di vent' anni aſſiſtito alla Sacra Congregazione de' Riti, ed inteſe centinaja di ſuppliche de' Veſcovi, che ad eſſa ricorrevano per avere la facoltà di ſuddelegare ſemplici Sacerdoti per la benedizione delle Sacre veſti, nella quale non ſi richiede la Sacra unzione, abbiamo ad eſſa eſibite le noſtre ſuppliche, e ſotto il giorno 17. di Gennajo di queſt' anno medeſimo abbiamo ottenuto un' ampla facoltà, che dura per lo ſpazio di anni cinque, prorogabile ad altro tempo per nuova grazia*.

III. Num ultra Epiſcopos adſint alii, qui habeant benedicendi facultatem, modo pergimus perſcrutari, & nobis illico occurrunt Prælati omnes Regulares, ſcilicet Generales, Provinciales, Guardiani, Priores, aliique quilibet ſuperiores locales, quocumque nomine appellentur, qui ex ampliſſimis privilegiis Joan. XXII., Sixti IV., Innoc. VIII., Eugenii IV., Julii II., Pauli III., Gregorii XIII., Leonis X., aliorumque Summorum Pontificum aſſecuti inveniuntur facultatem benedicendi nedum veſtes, & alia ornamenta Eccleſiaſtica, ſed etiam corporalia, & alia omnia, in quibus non intervenit Chriſmatis unctio, cujus rationis ſunt benedictiones omnes, quarum meminimus in præcedenti Decreto. In abſentia

Prioris eadem facultate gaudent Vicarii, atque quicumque alii, quibus cedit principale regimen in Monaſterio, quemadmodum late conceſſit laudatus Innocentius VIII. Prælati denique Regulares præ Epiſcopis id habent præcipuum, quod prædictam facultatem ſubdelegare valent inferioribus Sacerdotibus Regularibus, & ſolum inter Doctores quæſtio eſt, num delegatio fieri debeat in Capitulis generalibus, ſicuti Leo X. in Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Febr. 1514. videtur exigere, aut per ſingulas vices, ut contendit Bordonus *to. 1. variar. reſ. 17. q. 1.*, vel ſufficiat una vice eamdem facere pro omnibus, qualis fortaſſe uſus eſt apud inclytum Prædicatorum Ordinem.

IV. Quam benedicendi ut ſupra facultatem Regularibus Prælatis neque productum contendit Decretum, neque ſequens, quod erit 3. cap. in ord. 184. *Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicere valent*. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Sept. 1659. Utrumque namque in eo convenit, quod Prælati Regulares benedicere poſſunt paramenta pro ſervitio ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, non tamen Eccleſiarum alienarum. Caſſinenſes Monachi conqueſti ſunt, & contra hæc reclamarunt Decreta, per ea contendentes ſibi abripi uſum privilegiorum Apoſtolicorum, quibus ſuffulti ſunt ſuper benedictione ſacræ ſupellectilis, etiam pro ſervitio Eccleſiarum alienarum, & non ſibi ſubditarum, quemadmodum & potior ſentit Auctorum portio, quos citat, & ſequitur Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 13.*, licet non deſint aliqui, præcipue ex noviſſimis, qui illos caute legendos eſſe monent, & prædictis adhærendum eſſe Decretis. Verum cum Sacra Congregatio in laudatis Decretis privilegiis Apoſtolicis non intenderit derogare, ſed eorum dumtaxat vim aperire, & ſenſum, edidit Decretum quoddam (erit 4. cap. in ord. 185.) in quo admodum ſcite definit exhiberi Apoſtolicum indultum, & interim abſtineri a prædicta benedictione: *Ad paragraphum decimum octavum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, aſſerentibus Monachis, etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri*. S. R. C. coram Alex. VII. 20. Julii 1670.

V. Equidem pleraque ex Apoſtolicis diplomatibus ad benedictionem pro uſu propriarum Eccleſiarum manent reſtricta, ſed nec deſunt liberaliora, cujuſmodi eſt illud Innocentii VIII. quod Congregationi S. Juſtinæ anno 1487. legitur factum: *Ut videlicet Priores dicti Ordinis, & Vicarii in abſentia Prioris, & quilibet habens principale regimen cujuſcumque Monaſterii, poſſint benedicere corporalia, veſtimenta, ceteraque ornamenta Eccleſiaſtica, ad cultum divinum pertinentia, tam ſui Monaſterii, quam etiam undecumque ſint*. Idem Innocentius quinto idus Aprilis 1489. Ioanni Abbati Ciſtercienſi, ac aliis quatuor Coabbatibus indulſiſſe refertur, *ut iidem, ac ſucceſſores eorum de cetero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcumque alia veſtimenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, tam de Ordine, quam ſi ad eos aliunde nonnunquam deferantur, libere, & licite poſſint*. Quæ cum per ampliſſimas communicationis Bullas reliquis Regularibus Ordinibus facta ſint communia, & per immemorabilem praxim in viridi obſervantia retenta, talia videntur Tamburino *de jur. Abb. to. 1. diſp. 22.*, quæ ſtare poſſint immota non obſtantibus Congregationum Decretis, quæ poſtmodum non derogando, ſed tantummodo declarando ſine contrariæ conſuetudinis proſcriptione prodiere.

VI. Quoniam tamen quæſtionem, cujus deciſionem Sacra, Congregatio ſibi reſervat definire noſtrum eſſe non poteſt, nos ponderare ſumimus paramenta, quorum benedictionem in prioribus Decretis Sacra Congregatio Regularibus inhibet, & in poſteriori ſuſpendit. Sunt autem, quæ deſerviunt *pro uſu alienarum Eccleſiarum*, idest *non ſibi ſubditarum*, ut exponit ſecundum Decretum capitis, & ſimul nos docet, quod Abbates, aliique Prælati Regulares non ſolum poſſunt benedicere ſacram ſupellectilem Eccleſiæ, quam iidem inhabitant, ſed etiam Eccleſiarum omnium, quæ iiſdem manent ſubjectæ, ſive in eadem Diœceſi, ſeu in aliena ſint conſtitutæ, unde oratoriorum omnium, ſeu Eccleſiarum adnexarum, acceſſoriarum, & dependentium, quinimmo & Monialium, vel Tertiariarum, quæ ſub ſua, & ordinis juriſdictione quieſcunt. Hujus tamen rationis eſſe non poteſt ſupellex illarum Eccleſiarum, quæ intra limites Parochiæ, quoties Regularis Eccleſia eſt ſimul Parochialis, ſitæ ſunt, quia illæ non obediunt Eccleſiæ Regulari, qua Regulari, ſed qua Parochiali, ſub qua ratione etiam Eccleſia ipſa Regularis Epiſcoporum regimini ſubeſt in iis, quæ ad Parochiam pertinent, licet poſtea patemus, quod nihilominus Prælatus Regularis benedicere valeat paramenta ſuæ Eccleſiæ Parochialis ſimul & Regularis, etiamſi a ſolo Parocho deberent adhiberi, ob juriſdictionem quamdam, quæ ſuper ipſam Eccleſiam, & Regularem Parochum Prælato Regulari competit.

VII. An ultra Prælatos Regulares adſint alii, qui ad prædictam benedictionem procedere valeant, deciſio pendet ex privilegiis Apoſtolicis, ſi quæ conceſſa reperiuntur; quare ſua quiſque privilegia conſulere poterit, dum nos monere pergimus Prothonotarios, quod ipſis facultas ejuſmodi minime convenit, niſi expreſſe, & ſpecialiter per Sedem Apoſtolicam, aut Sacram Congregationem fuerit indultum, quemadmodum ſequens definit Decretum, quod erit 5. cap. in ord. 168. *Prothonotarii ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Sacræ Congregationis licentia, nulla poſſunt benedicere vaſa, paramenta, ſeu ornamenta Eccleſiaſtica*. S. R. C. 16. Julii 1627. Quomodo autem vigore privilegiorum Apoſtolicorum, vel licentiæ Sacræ Congregationis fieri unquam valeat præfata benedicendi facultas, quam ratione Ordinis Epiſcopis convenire nos diximus, agitari poſſet quæſtio, quæ ceteroquin facile diſſolvitur dicendo, quod ea quidem, quæ ex ſe competunt Epiſcopali Ordini, uti eſt chriſma facere, per indultum neque Apoſtolicum poſſunt aliis communia fieri; ſecus vero ea, quæ eidem dumtaxat competunt ex Eccleſiæ inſtitutione, cujuſmodi ſunt benedictiones, de quibus agimus.

DECRETUM VI. CAP. IN ORD. CLXXXVII.

Prælati Epiſcopis inferiores aliqua Pontificalia extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos etiam de licentia Ordinariorum, exercere non poſſunt, puta Campanarum benedictiones, calicum, & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio, necnon Minorum Ordinum collationes. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Sept. 1659.

I. Quamplurium eſt Auctorum ſententia, non licere Abbatibus conſecrationem ullam eorum efficere, in quibus requiritur Chriſmatis unctio, & approbata videtur per Sacram Congregationem Concilii, quæ teſte Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 30.*, declaraſſe refertur, quod *Abbas, qui eſt benedictus; vel qui ex privilegio Sedis Apoſtolicæ habet, ut exercere poſſit, ac ſi eſſet benedictus, poteſt omnia ſacra benedicere, illis exceptis in quibus unctio requiritur*. Durus viſus eſt ſermo ille Monachis Caſſinenſibus, qui propterea ſuorum privilegiorum compendio facto apud eamdem Congregationem ſupplicarunt declarari, ſupradictum Decretum haudquaquam comprehendere Abbates Regulares privilegiatos, ſed tantum Abbates ſæculares benedictos, qui particularibus privilegiis non perfruuntur, ſed ſolum habent, quod illis jus commune concedit. Reapſe ſequens prodiit Decretum: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, declaravit deciſionem a ſe alias editam, quod Abbates utcumque benedicti, benedicere non poſſunt ea, in quibus unctio requiritur, non obſtare, quo minus iidem munus prædictæ benedictionis, quoad ea, in quibus unctio requiritur, impendere queant, ſi ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ privilegiis, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die* 10. *Sept.* 1614.

II. Dubium itaque nullum eſt, quod etiam eorum, quibus ſacra adhibetur unctio, benedictioni incumbere valent Abbates Regulares, quorum privilegia hac in re haudquaquam participantur a Prælatis aliarum Religionum, quæ Pontificalium uſum non habent. Facultatem ejuſmodi in iiſdem Abbatibus præſens ſupponit Decretum, quod propterea dumtaxat definit, quod *Pontificalia exercere non poſſunt extra loca ipſis ſubjecta*. Commune id eſt Epiſcopis, quibus ſub pœna ſuſpenſionis a Tridentino *ſeſſ. 6. de Reform. cap.* 5. diſtricte inhibetur, ne cujuſvis prætextu privilegii Pontificalia in aliena Diœceſi exercere præſumant, & id ad præcavendum præjudicium, quod alias obveniret Epiſcopo loci, cujus propterea ſi habeatur licentia, nihil eſt, quod impediat, quo minus ab Epiſcopis in aliena Diœceſi Pontificalia exerceantur, unde ſubdit Tridentinum: *Niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia*. Loca, quæ Abbatibus Regularibus parent, inſtar eorum Diœceſis ſe habent, & ideo intra illa item quidem Abbates Pontificalia valent exercere, non extra, quia hoc ipſo invaderent juriſdictionem Epiſcopi loci, & huic præjudicium inferrent. At quid, ſi habeatur licentia Epiſcopi? Tunc abeſt præjudicium alterius, ſeu Ordinarii, & ideo ex hac parte poſſent Abbates Regulares Pontificalia exercere, quemadmodum in ſimili dicebamus de Epiſcopis; ſed nihilominus prædictis Abbatibus id licitum eſſe non poteſt ſpeciali alia de cauſa, quam poſt pauca dare reſervamus.

III. *Vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ*, & per hæc verba nos monet Decretum, quod Abbates Regulares, etiam in propriis Eccleſiis, Pontificalia exercere prohibentur, ſi quæ mediis Pontificalibus peraguntur, puta benedictiones Campanarum debeant deſervire ad uſum alienarum Eccleſiarum; quod idem eſt, ac dicere, quod iiſdem Abbatibus dumtaxat ſit licitum benedictiones Pontificales agere pro ſervitio ſuarum Eccleſiarum inſtar eorum, quæ dedimus in præcedenti Decreto. Fallor, ſi non ſit ex Monachalibus Ordinibus, qui ſimiliter conqueratur, quaſi ipſis hinc abripiatur uſus Apoſtolicorum privilegiorum, quæ ſibi conceſſa ſunt ſuper benedictionibus ejuſmodi, etiam pro ſervitio alienarum Eccleſiarum. Equidem apud Auctores non ſemel legi Apoſtolica indulta valde ſpecioſa; ſed quoniam talis ego non ſum, qui poſſim ea auctoritative examinare, idcirco ad tramites præcedentis Decreti, cujus diſpoſitio etiam pro præſenti caſu videtur procedere, eoſdem Abbates ſolummodo conſulere poſſum, ut privilegia ſua apud Sacram Congregationem adhibeant, & interim ab eorum uſu pro ſervitio alienarum ſtudeant abſtinere.

IV. *Aut in ſubditos pariter alienos*, quare Abbates Regulares poſſunt quidem minores Ordines ſuis ſubditis conferre non autem alienis, tametſi forent Regulares alterius Ordinis. Quod ſanctio ſubdit, ſcilicet *etiam de licentia Ordinariorum*, magis dignum eſt, ſerio notetur, quia, cum interve-

piente

niente licentia reſpectivi Ordinarii, hujus præjudicium omnino tollatur, videtur quælibet ceſſare inhibitionis cauſa, & ideo non eſt, quod vetet, unum Epiſcoporum conferre Ordines ſubditis alterius, dummodo hujus licentia habeatur. Verum huc ſpectat, quam dicebamus, ſpecialis cauſa, & eſt quia privilegia Abbatum reſtricta ſunt, & limitata *ad Pontificalia intra loca ipſis ſubjecta, in ſervitium propriarum Eccleſiarum, & in beneficium Regularium iiſdem ſubditorum*, & ideo Ordinariorum conſenſus efficere minime poteſt, ut Abbatum auctoritas extendatur ultra limites iiſdem ab Apoſtolica Sede præſtitutos ad differentiam Epiſcoporum, qui cum id juris ab Ordine habeant, in exercitio impediri non poſſunt niſi a præjudicio, quod inde ſequitur loci Ordinario, quo conſentiente cum quodvis a medio tollatur præjudicium, idcirco illi poſſunt valide, & licite prædicta Pontificalia exercere.

V. *Puta Campanarum benedictiones, calicum & ſimilium, in quibus Sacra adhibetur unctio, necnon Minorum Ordinum collationes*, & per hæc verba exemplificat Sanctio Pontificalia, quæ neque de Ordinariorum conſenſu ab Abbatibus Regularibus in ſervitium alienarum Eccleſiarum, aut pro non ſibi ſubditis, exercere non poſſunt. Hanc ad rem operæ pretium eſt recolere, quæ ſcribit Fagnanus *in cap. Aqua num. 8. ad 20. de Conſec. Eccl. vel Alt.*, ubi iterato ſtatutum invenitur, quod Abbates non poſſunt minores ordines alienis ſubditis conferre, etiamſi quoad ſæculares a proprio Epiſcopo per dimiſſoriales litteras ad eos deſtinarentur, & quoad Regulares ultra dimiſſoriales litteras haberetur licentia Ordinarii loci, quem inhabitant. Quod autem ſtatutum ibi eſt de ordinibus minoribus, juxta ſuperius data Decreta extendendum venit ad benedictiones, in quibus Sacra intervenit unctio, & Benedictus XIV. etiam protendit ad benedictionem paramentorum, cum non minus eadem Decreta facultatem reſtringant ad benedictionem paramentorum, quæ deſerviunt ad uſum ſuarum Eccleſiarum.

VI. Verum dummodo paramenta deſerviant ad uſum ſuarum reſpective Eccleſiarum, & eorum benedictio fiat ſine Pontificalibus, & abſque ſolemnitate, ſed privatim, & ſine ſtrepitu, ego crederem etiam abſque licentia Ordinarii loci in aliena Diœceſi ab Epiſcopis, & extra loca ſibi ſubjecta a Prælatis Regularibus benedici illa poſſe; quantum enim ad Epiſcopos id erui videtur ex communi illa ſententia, quæ putat juriſdictionem non contentioſam privatim, & abſque ſtrepitu in proprium ſubditum exerceri poſſe, etiam extra proprium territorium; & multo magis ex ſententia illorum, qui affirmant poſſe Epiſcopum in aliena Diœceſi abſque licentia conferre ſuis ſubditis primam tonſuram, quia hic actus, quamvis Epiſcopalis, exerceri ſolet, & poteſt ſine pontificalibus, ſeu inſignibus Epiſcopalibus. Hæc quiſque videt favorabilia item eſſe Prælatis Regularibus, præſertim quia laudata quidem Decreta dum loquuntur de Pontificalibus, hæc reſtringunt intra loca ipſis ſubjecta, non vero, quando diſponunt de benedictione paramentorum; ſed contenta ſunt, quod prædicta paramenta ſint ex iis, quæ ad uſum ſuarum Eccleſiarum, & monaſteriorum debeant deſervire. Ex Apoſtolicis privilegiis ipſis, quæ ſuper benedictionem paramentorum Prælatis Regularibus poteſtatem faciunt, unum, dumtaxat eſt, nempe Innocentii VIII., quod teneat reſtrictivam *In locis, & domibus dicti ordinis*, cetera cuncta abſolute loquuntur, unde dummodo prædicta benedictio ſit de paramentis ad uſum propriarum Eccleſiarum, & fiat privatim, quo in caſu abeſt præjudicium quodlibet Ordinarii, videre non eſt, etiam extra loca ipſis ſubjecta attentari non poſſit.

VII. Benedictio, & conſecratio etſi plerumque promiſcue accipiantur, reapſe tamen inter ſe differunt, nam in conſecratione ſemper intervenit Chriſmatis unctio, ad benedictionem vero ſufficiunt ſolæ preces cum aſperſione aquæ benedictæ; quare benedictio paramentorum etiam inferioribus Sacerdotibus eſt delegabilis, uti ſuperius nos diximus, ſecus conſecratio, quemadmodum firmat Benedictus XIV. *cit. notif.* 20. Benedictio autem reſpective & conſecratio nedum adhibenda eſt paramentis, & ſacris vaſculis, dum hæc de novo efformata, ad uſum ſacrum debent primo deſervire, ſed etiam quando benedictione, vel conſecratione qualibet de cauſa deperdita, de novo ad ſacrum uſum debent adhiberi; quare neceſſarium reſtitur examinare, quandonam utraque cenſeatur deperdi.

VIII. Pro veſtimentis hæc communiter traditur regula, ut in iiſdem conſervetur benedictio ſemel accepta, etiamſi laventur, quamdiu ipſa retinent eamdem formam, ſeu figuram, ſub qua benedicta fuerunt, & ſunt apta ad divinum miniſterium; e contra ſi ita diſſolvantur, ut eam formam mutent, & ſacro miniſterio, cui ſunt deſtinata, reddantur inepta, deperdunt quoque benedictionem, ut colligitur ex cap. *Quod in dubiis*; & hæc ratio ſuadet, quia pereunte ſubjecto, neceſſe eſt pereat forma illi inhærens. Quod ſi veſtes paulatim reficiantur, & aſſuantur, etiam adjecta parte non benedicta, tunc cum eadem veſtis moraliter cenſeatur manere, nec benedictio deperit, & pars adjecta tamquam quid acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. Quod ſi uno ictu addatur pars, quæ ſit major parte benedicta, tunc deperditur benedictio, majori parte ad ſe minorem trahente.

IX. Si ex una veſte fiat altera, cum tunc mutetur figura, etiam benedictio deperit, uti ſi ex alba fierent plures amictus, vel ex pluribus amictibus alba, aut ex pluribus manipulis ſtola. Idipſum eſt, ſi ex planeta, aut ſtola fieret unus, vel plures manipuli, ſolo excepto caſu, in quo ſtola non ſcindatur, ſed ſolùm plicetur, & immutata ita aptetur, ut deſervire valeat ad uſum manipuli. Non refert autem, quod tunc non uſurpetur ad miniſterium, pro quo fuit benedicta, quia una, & eadem benedictio communis eſt veſtimentis omnibus. Si cingulum rumpatur, & remaneat altera pars ſufficiens ad cingendum, hæc adhiberi poteſt, nec nova indiget benedictione, etſi ad majorem commoditatem ei adnectatur pars altera. Quod ſi neutra pars per ſe ſufficiens ſit ad cingendum, nonnulli cenſent benedictionem nequaquam deperdi, ſed innodari poſſe, & ſic adhiberi ut prius; probabilius tamen ſentire videntur, qui benedictionem deperdi arbitrantur.

X. Quoties patena, & calix ita franguntur, ut inepta maneant ſuo miniſterio, ſecundum omnes deperit conſecratio. An autem etiam, quando per uſum amittitur inauratio, affirmat Paludanus, quia tollitur ſubjectum immediatum conſecrationis, cum unctio ſolum attingat extremam illam ſuperficiem, quæ conſiſtit in auro ſuperpolito. Negant communiter alii, quia id, quod conſecratur, eſt totus calix ſimpliciter, & ſimiliter patena; quamvis enim unctio phyſice attingat ſolam ſuperficiem, totus tamen calix cenſetur moraliter ungi, & conſecrari. Hæc ſane ratio eſt item valida ad tuendam ſententiam Dianæ, qui *par.* 2. *tract.* 1. *Miſcell. reſ.* 3. putat calicem non amittere conſecrationem. Si namque non deperit conſecratio calicis, etſi per uſum deperdatur aurum, quod immediate unctum fuit, ſed adhuc totus calix cenſetur conſecratus, quidni ſimiliter erit, etſi novum addatur aurum? & reapſe ſicuti quando Eccleſia paulatim reficitur, Eccleſia retinet conſecrationem, & pars noviter adjecta cenſetur conſecrata hoc ipſo, quod conſecratæ majori alteri parti additur, ita per hoc quod aurum additur calici conſecrato, cenſendum eſt conſecratum, majori parte trahente ad ſe minorem.

XI. Verum communior ſententia, cui frequentior praxis adhæret, per novam inaurationem cenſet calicem execrari, & nova conſecratione indigere, quia conſecratio præcipue fit ob contactum Corporis, & ſanguinis Chriſti; unde cum ſuperficies illa auri, quæ attingit Chriſti Corpus, non adfuerit conſecrationis tempore, ex hoc capite conſecrata eſſe non poteſt, immo neque talis cenſeri poteſt, quia addita fuerit calici conſecrato, quia principale in hoc caſu non debet æſtimari ex majori quantitate materiæ, ſed ex uſu rei conſecratæ, adeoque ex ſuperficie auri, quæ proxime tangit Chriſti ſanguinem, & cum ſit profana, tamquam pars principalis trahit ad ſe partem minus principalem, & profanum totum reddit calicem. Hæc fortaſſe ratio tanta non eſt, ut novæ conſecrationis neceſſitatem invehat, ſed quæ petitur ex immediato contacto, conſultius ſaltem fore indicat, quod nova adhibeatur conſecratio: Idipſum dicito de pyxide quoad benedictionem, cum ab ejuſdem unctione Romanus uſus abſtineat.

XII. Si cuppa a calice ſeparetur, nonnulli volunt conſecrationem amitti, quia ſic non eſt vas aptum ad ſacrificium; negant alii, quia conſecratio cadit in ſolam cuppam; & denique Quarti diſtinguit, & ſi ſeparatio facta eſt per fractionem, tunc ſicuti calix eget nova junctura, & nova artificiali forma, quam deperdidit, ita, ait ipſe, nova indiget conſecratione; ſecus vero, ſi ſeparatio contingat ſine fractione, eo quod ſcilicet calix tornatilis eſt, tunc enim ſimpliciter non amittitur forma artificialis, vel figura, nec opus eſt nova junctura, vel artificio. Addit poſtea, quod modo non immutetur forma, calix conſecrationem non deperdit, etſi eidem aliqui infligantur ictus a fabro, vel alio; cum enim adeſt rationabilis cauſa, puta ad reficiendum, vel aptandum, etiam ſacra ipſa vaſa a laicis contingi poſſunt, neque per ejuſmodi contactum, vel percuſſionem execrantur.

XIII. Si quis celebret in calice, & patena non conſecratis, hoc ipſo conſecrata fieri, Peyrinus, aliique ſentiunt ob contactum corporis, & ſanguinis Chriſti, qui majorem habet ſanctificandi vim, quam unctio chriſmatis, & idipſum edocent de corporalibus, mappis, & veſtibus Sacerdotalibus non benedictis. Addunt, quod Eccleſia polluta non eget alia reconciliatione, ſi quis in ea celebraverit, ergo a pari ſi quis celebret in calice, vel patena non conſecratis, hæc non indigent alia conſecratione, vel benedictione. Lugus *de Euch. diſp.* 20. *num.* 91., aliique frequentiores id prorſus negant, quia ea, quæ pendent ex inſtitutione Eccleſiæ, & ab Eccleſia alligata ſunt huic cauſæ, & non alteri, non poſſunt ſuppleri alio ritu ab eo, quem Eccleſia determinavit, aut haberi ab alia diverſa cauſa ab illa, cui eadem Eccleſia prædictum alligavit effectum; quare cum pro conſecratione ſacrorum vaſorum, & benedictione paramentorum Eccleſia inſtituerit certos, & determinatos ritus, & verba per determinatas perſonas adhibenda, non adhibito tali ritu, & tali forma verborum per idoneam perſonam, nunquam remanent vaſa conſecrata, nec paramenta benedicta. Hinc ad primum argumentum reponunt, quod etſi Sacramentum Euchariſtiæ ſit digniſſimum, non habet tamen alios effectus, quam quos illi Chriſtus attribuit, non eos, qui ex libera inſtitutione Eccleſiæ ab alia cauſa dependent; quare quamvis inſigniti ſacro ordine, vel etiam prima tonſura, gaudeant privilegio fori, & canonis, non tamen qui recipiunt Sacramentum Euchariſtiæ, licet ſit dignius Sacramento Ordinis. Ad 2. dato antecedenti negant conſequentiam, quia plus requiritur ad conſecrationem inducendam in materiam profanam, quam ad purgandam materiam jam conſecratam; & quidem nemo eſt, qui templa nondum conſecrata, per Miſſas in eis dictas conſecrari cenſeat, alioquin omnia oratoria manerent conſecrata, poſtquam in eis celebratum eſt.

DECRE-

DECRETUM VII. CAP. IN ORD. CLXXXVIII.

Cruces altarium, ſeu Proceſſionum non ſunt benedicendæ de præcepto, poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non ſolemniter. S. R. C. 12. Jul. 1704. *in una urbis.*

I. CRux, ut alias diximus, ex iis altaris ornamentis eſt, quæ neceſſario exiguntur, ſacroſancti ſacrificii tempore, & tamquam vexillum præſertur in proceſſionibus ad deſignandum, quod qui ſub iiſdem incedunt, nomen dedere Chriſto crucifixo, & ſub ejus ſignis militant. Cruces ejuſmodi, & quaſcumque alias, atque ſanctorum imagines, præſertim quæ in templis publicæ venerationi ad altaria exponuntur, neceſſario benedicendas eſſe tuetur Monacellus *to. 4. ad 2. to. tit. 16. for. 2. n. 330.*, ubi id probat tum ex Ritualis Rubrica, & Pontificali libro, in quibus propterea aſſignantur earumdem benedicendarum preces, & formulæ; tum quia cum compoſitæ ſint ex re profana, ſcilicet ex ligno, aut quavis alia materia, indigent benedictione, per quam acquirant eſſe ſacrum. Monacellum ſequitur Baruffaldus *tit. 68., & 69.*, id confirmans ex Concil. Med. Prov. 4. par. 1., in quo ſtatuit S. Carolus: *Cruces, & ſanctorum imagines, ſolemniter, & ſtatutis precibus, & Eccleſiæ ritu benedicantur.*

II. Congruam, non neceſſariam benedictionem faciunt Pignatellus *to. 9. conſult. 89.* & Quarti *num.* 321. quorum opinio cum per præſens Decretum approbata maneat, in omnino ſolido repetitur ſtatu. Congrua erit itaque, ut per eam ſacretur etiam materia, ex qua crux, vel imago conſtat, non neceſſaria vero, quia ipſa non eſt, in qua ſiſtit cultus, ſed omnino tranſit in prothotypum, ſeu figuratum. Hinc conſtat, Ritualis Rubricam, & Pontificalem librum non præceptum facere, cujus nec ullum reperitur in Miſſali, ubi agitur de cruce altaris, ſed ſolum aſſignare benedictionis formulam, quam admodum congruit adhiberi crucibus novis, ac ſanctorum imaginibus, quæ publicæ adorationi exponuntur.

III. Nos item aliud ſanctio docet, nimirum non quamcumque benedictionem novarum crucum, vel ſacratum imaginum reſervatam eſſe, ſed dumtaxat ſolemnem, quæ ſcilicet fit in Pontificalibus, aut ſi ſine Pontificalibus, publice cum ſolemnitate, vel concurſu populi, non autem privatam, quam etiam a ſimplici Sacerdote Decretum fieri poſſe ſtatuit. Hinc intellectum recipit, & expoſitionem Rituale Romanum, dum inter benedictiones faciendas *ab Epiſcopis, vel aliis facultatum habentibus* idem Rituale, connumerat benedictionem tum novarum crucum, tum ſacrarum imaginum, ita ut ſermo in eo ſit de benedictione ſolemni, non autem privata; & hoc pacto intelligenda quoque ſunt Apoſtolica privilegia, quæ Tamburinus *de jur. Abb. to. 2. diſput.* 20. *q.* 5. e Julio II. & Paulo III. Prælatis Regularibus facta recenſet ſuper facultate benedicendi cruces, & ſanctorum imagines; pro harum enim privata benedictione, quæ a ſimplici Sacerdote fieri poteſt, incaſſum prodiiſſent favorabilia prælacta indulta, ſine quibus æque bene ad eam procedere poterant.

IV. Benedicendarum crucum duplex in Rituali habetur formula, & Baruffaldus edocet, quod prima adhiberi debet nudis crucibus ſine imagine Jeſu Chriſti, quales in viis publicis, & in cœmeteriis collocari ſolent; vel circumgeſtari in proceſſione a Cappuccinis, vel Confratriis, præcipue publicæ pœnitentiæ tempore; ſecunda vero pro crucibus, quæ imaginem Chriſti habent. Opinio ejuſmodi, ſi attendantur Rubricarum verba, quæ abſolute procedunt ſine diſtinctione ulla, videtur arbitraria, & quod magis utraque formula pro libito uſurpari valeat; quoniam tamen ea in textu orationum, quæ in tali benedictione recitari aſſignantur, ſolidum fundamentum videtur habere, idcirco eamdem nos non poſſumus reprobare.

DECRETUM VIII. CAP. IN ORD. CLXXXIX.

Regularium Eccleſiæ, & Oratoria per eos recepta, ſeu recipienda, necnon altaria, & cœmeteria ab alieno Epiſcopo ad eorumdem Regularium requiſitionem conſecrari, & benedici, ac in Eccleſiis ædificandis primus lapis poni poteſt, ubi & quando Epiſcopus loci Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, & inſtantia requiſitus ſine legitima cauſa prædicta facere recuſaverit, vel ultra quatuor menſes diſtulerit. Honorius IV. Conſt. *Ex parte* 7. Kal. Decemb. Pontif. anno primo, & Bonifacius IX. Conſt. *Sacræ Religionis* 5. Kal. Maii Pontif. anno 13.

I. NOvam Eccleſiam erigi non poſſe ſine licentia Epiſcopi, cautum eſt C. *quicumque* 16. *q.* 7., C. *lator* 16. *quæſt.* 5. C. *nemo de conſecr.*, & C. *auctoritatem de privileg. in* 6. Et hæc Epiſcopi licentia requiritur, etiamſi quis haberet privilegium Eccleſias ædificandi, quia debet intelligi ſine præjudicio juris Epiſcopi, quando in indulto, ſeu privilegio non ſit ſpecialiter expreſſum, ut reſpondit ſacra Congr. *in Sulmonen. Interdicti* 24. Janu. 1699. Epiſcopus tamen, niſi adſit rationabilis cauſa, talem licentiam denegare non debet, alias datur recurſus ad Archiepiſcopum, vel ad ſacram Congregationem Concilii pro ſupplendo Ordinarii conſenſu, ut non ſemel reſcripſit eadem Congreg. & ſignanter 16. Januari 1694. Uti ergo de juribus Epiſcopi eſt ædificatio Eccleſiarum, ita & benedictio, ac impoſitio primarii earumdem lapidis inter jura Epiſcopalia recenſetur, ita tamen ut cum non ſit actus Ordinis, ſed juriſdictionis, ab Epiſcopo delegari etiam poſſit ſimplici Sacerdoti, unde in Rituali hæc benedictio inſcribitur: *Ritus benedicendi, & imponendi primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda, ſervandus a Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo.*

II. Ritus, quando id præſtat Epiſcopus, ad Pontificale ſpectat, quare nos proſequemur illum, qui a Sacerdote ab Epiſcopo Auctoritatem habente, teneri præſcribitur, brevi tamen ſermone, remittentes Lectorem, qui uberiora cupit, ad Baruffaldum, qui rem hanc late pertractat. *Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam crucem in loco, ubi debet eſſe altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos*, ſunt Rubricæ verba, quorum to *Pridie* deſignat tempus anticipandi expiationem loci per crucem ibi plantatam, & hæc eſt cauſa, ob quam Sacerdos poſtridie non incipit Benedictionem ab exorciſmis loci. Crux debet eſſe *lignea* ad imitationem Dominicæ Crucis; cujus vero magnitudinis, Rubrica non exprimit, quare arbitrio videtur relictum, talis tamen eſſe debet, ut facile etiam a longinquo conſpici poſſit, non adeo tamen alta, vel gravis, ut magni incommodi ſit Sacerdoti illam plantare. Poni debet, *ubi debet eſſe altare*, nempe majus, ſequentia vero verba *Figat ipſe, vel alius Sacerdos* libertatem faciunt, vel quod Sacerdos, qui poſtridie facturus eſt benedictionem, plantet prædictam crucem, vel alius Sacerdos. An qui crucem plantat, ſacris veſtibus debeat eſſe indutus, tacet Rubrica, ſed cum id muneris committat Sacerdoti, videtur, quod ſaltem eſſe debeat in ſuperpelliceo, & ſtola, crederem coloris albi, qui uſurpari debet ex præſcripto Rubricæ in mane a Sacerdote benedicturo, ſed cum hæc functio ſit diſcontinua, & ut ſupra deſerviat pro exorciſmis ad expiandum locum, haud refragarer, colorem etiam violaceum in uſus eſſe poſſe.

III. *Sequenti vero die, lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo.* Benedictio lapidis facienda præſcribitur die ſequenti, quæ ſcilicet immediate ſubſequitur ad diem, in qua fixa fuit crux; quod tamen intellige, dummodo aliquid non obſtet, vel incommodum fuerit, ut ſi pluvia, vel nix e Cælo caderet, quo in caſu, vel ſimili protrahi bene poterit ad diem ſubſequentem. Fieri autem poteſt ſive in mane, ſive poſt veſperas, vel feriali die, aut feſtivo, cum Rubrica conſulto non exprimat, quinimmo dies feſtivus functioni magis congruit, & ſolemnitati, neque ulla habenda eſt ratio operis, quod cœmentarius facere debet, quia cum in Dei honorem fiat, ſervile non eſt, nec prohibetur fieri die feſtivo, ut advertit Tamburinus in *Decal. lib. 4. c. 2. §. 2. n.* 3. Non referre ajunt Auctores, an lapis ſit ex ſaxo vivo, an ex latere, quinimmo Baruffaldus magis probat, quod ſit ex materia lateritia, utpote magis apta ad incidendum in ea ſignum crucis, ſed de hoc infra redibit ſermo, unde reliquum eſt dumtaxat dicere, quod lapis quadratus eſſe debet, & angularis myſticas ob rationes, quæ eo vergunt, quod Civitas Dei *Apoc.* 21. dicitur *in quadro poſita*, & Chriſtus in ſacris litteris non ſemel nuncupatur *lapis angularis, & caput anguli.*

IV. *Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris; adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, ſalem, & aquam benedicit, niſi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione ut ſupra, & interim dum cantatur a Clericis antiphona cum pſalmo ſequenti, aſpergit locum, ubi crux poſita eſt, cum aqua benedicta. Antiphona* ſignum ſalutis, *pſalmus* Quam dilecta. Proceſſio non indicitur, & ideo prope locum benedicendum parabitur menſa, ex qua Sacerdos induat paramenta ſuperius deſcripta coloris albi & reliqui Sacerdotes, & Clerici, qui debent aſſiſtere, ſuperpellicea, ut Caſtaldus aſſerit *in Prax. lib. 2. ſect.* 11. *cap.* 5. *num.* 2. Ad majorem ſolemnitatem ſane convenit, in pluvialibus aſſiſtant etiam Miniſtri ſacri, & dubio procul deſiderari non debet talis Clericorum numerus, qui commode poſſit pſallere. Hanc benedictionem Sacerdos auſpicatur a benedictione aquæ luſtralis, & hæc agitur modo ſuperius a nobis deſcripto, ſed præſtat, in promptu habeatur qua in forma conſueta Eccleſiæ jam benedicta, quo in caſu Clerus cantare incipit antiphonam *ſignum ſalutis*, & hac abſoluta pſalmum *Quam dilecta tabernacula*, & interim Sacerdos cum aqua benedicta *aſpergit locum, ubi crux poſita eſt*, adeoque non totum locum in quo Eccleſia debet conſtrui, ſed ſolum, in quo altare majus cum ſuis gradibus. An ſtans in eodem loco aſpergere debeat triplici ictu, ut moris eſt, vel circumiens locum ipſum, tacet quidem Rubrica, ſed ob dictionem *Interim*, quæ importat totum ſpatium temporis, quo prædicta a Clero cantantur, ego ſatius crederem, quod circumiens aſpergat.

V. *Finito pſalmo, Sacerdos verſus ad locum per eum aſperſum dicit* Oremus. Domine Deus &c. *nominando ſanctum, vel ſanctam in cujus honorem, ac nomen fundabitur Eccleſia.* Ut Clerus terminavit pſalmum, Sacerdos converſus ad locum, ubi crux fixa eſt, miniſtris ſuſtinentibus ante eum librum, dicit orationem *Domine Deus*, & in ea, ubi habetur littera N. exprimit nomen Sancti, vel Sanctæ, in cujus honorem Eccleſia debet erigi. Quærit Quatti, cur Sacerdos ad prædictum locum ſe convertat, cum tota Eccleſia ſit benedicenda, & in cauſam aſſignat, quia Eccleſia præcipue dedicatur in ordine ad ſacrificium, quod in altari perficitur.

VI. *Poſtea ſtans benedicit primarium lapidem, dicens* Adjutorium &c. Lapis iſte non debet eſſe poſitus ſuper terram, ſed vel ſupra menſam, de qua ſuperius diximus, vel ſuper aliquid aliud elevatum, ut commode benedictio fieri poſſit a

Sa-

Sacerdote, qui propterea ad lapidem accedens, vel converſus, ſtans dicit ſuper eum *Adjutorium noſtrum* cum ſequentibus verſiculis, & oratione, & his peractis *aſpergit lapidem ipſum aqua benedicta*, quæ aſperſio fiet in modum crucis. *Et accepto cultro per ſingulas partes ſculpit in eo ſignum crucis, dicens:* In nomine Patris &c. Culter debet eſſe acutus, levis, & manualis, non autem menſalis, neque plicatilis, & decet, ſit cum manubrio argenteo, vel ſaltem eburneo. Cum hoc cultro Sacerdos in medio lapidis ſculpit ſignum crucis, non violenter illo utens, ſed leviter, cum ſufficiat, ſigna ſculpta leviter in lapide appareant. *Per ſingulas partes* ſignum crucis faciendum eſſe Rubrica indicit, unde perperam deprehenduntur agere, qui in una, vel altera parte dumtaxat illud ſculpunt, ſed ſculpere illud debent in omni parte lapidis, quæ, ut rite obſervat Baruffaldus, ſunt ſex, nempe pars anterior, pars poſterior, latus dextrum, latus ſiniſtrum, caput ſuperius, & caput inferius, omnes enim partes illæ reperiuntur in lapide quadrato, cujuſmodi eſt, de quo loquimur, unde in earumdem ſingulis ſignum crucis ſculpatur, neceſſe eſt, ut ſatisfiat Rubricæ. Dum autem Sacerdos efformat præfata ſigna crucis, in ſingulis dicit *In nomine Patris &c.*, & non hæc verba pronunciat benedicendo manu lapidem, poſtquam in eo ſculpſit ſignum crucis, cujus factis ſignis omnibus, idem Sacerdos recitat orationem *Benedic*, ad ſignum ✠ ſuper lapidem ſignum crucis faciens.

VII. Ex eo quod cultri acumine lapis ſignari debeat, nonnulli probant lapidem magis lateritium, quam marmoreum, vel ſaxeum adhiberi, nam in hoc ſigna per cultrum facta, vix apparere poſſunt, quanto autem minus ſculpi? Verum cum ægre later lapidis nomine venire valeat, & fortaſſe minus conveniat rationibus myſticis, inolevit uſus prædicta crucis ſigna, quæ convenit, in eo fixa maneant per omnia ſæcula, præventive per ſcalprum lapicidæ in lapide, ſeu marmore ſculpi firmiter, ita ut Sacerdos benedicens nihil aliud præſtet, niſi ſervilem manuductionem cultri per ſigna, & cruces jam ſculptas. Præſtat item modus alter, nempe faciendi per manum Sacerdotis medio cultro in lapide levia ſigna, quæ poſtmodum per lapicidam in eo incidantur, & uterque iſte modus magis quadrat Rubricæ verbis, facile retinet crucis ſigna, & myſticis convenit rationibus, per quas Chriſtus dicitur lapis angularis, quam ſi later adhibeatur, & medio cultro a ſola Sacerdotis manu prædicta in eo ſculpantur crucis ſigna. Per crucis ſigna in lapide ſculpta ſatisfit Rubricæ, ſed nihilominus rudera veterum Eccleſiarum jam deſtructarum aperte commonſtrant, non propterea eſſe vetitum, in eo lapide itidem ſculpi fundatorum nomina, poſitionis annus, aliaque ejuſmodi, quæ deſervire valent ad inſtructionem futurorum temporum.

VIII. *Poſtea dicuntur Litaniæ ordinariæ ſine orationibus in fine poſitis: quibus dictis, parato cæmento, & cæmentario aſſiſtente, Sacerdos inchoat, clericis proſequentibus antiphonam* Mane ſurgens &c. Abſoluta oratione, Sacerdos una cum Clero genuflectit, & flexis genibus in conſueto tono cantantur *Litaniæ ordinariæ*, quæ ſcilicet dicuntur *majores*, & habentur in fine pſalmorum Pœnitentialium, ſed omittuntur *orationes in fine poſitæ*, quia ut ponderat Baruffaldus, in hoc loco invocatur auxilium Dei, & Sanctorum ad illius loci ſacri cuſtodiam tantum, non vero ad opem implorandam pro Principibus, aut pro Animarum ſalute, *& ideo ſufficit* (ſunt ejuſdem Auctoris verba) *ut invocentur tantummodo Sanctorum nomina*, & ideo Litaniæ terminandæ videntur ad verſiculum *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei*, quod nec ego refragor. Recitatis Litaniis, Sacerdos genuflexus una cum Clero perſiſtens, inchoat Antiphonam *mane ſurgens*, quam Clerus proſequitur & poſtea dicit pſalmum *Niſi Dominus ædificaverit domum*. Quod autem hic dicitur, *parato cæmento, & cæmentario aſſiſtente*, dumtaxat poſitum eſt ad indicandum, quod prædicta in promptu eſſe debent, ne Sacerdos expectare debeat in explendo functionis reliquum.

IX. *Quo dicto, Sacerdos ſtans tangit, & ponit ipſum primarium lapidem in fundamento, dicens:* In fide Jeſu &c. Dicto pſalmo, Sacerdos ſurgit, & ſtans manu tangit lapidem, qui elevatus a cœmentario, & aliis, prout neceſſe erit juxta lapidis magnitudinem, in ſitu definito collocatur, Sacerdote ſemper proſequente iter lapidis, & manu tangente ipſum lapidem, donec in prædicto loco collocatus fuerit. Non debet namque Sacerdos per ſeipſum elevare lapidem, & in fundamento collocare, quod Sacerdotis non poteſt eſſe muneris, ſed ſufficit, quod lapidi manum applicet, & ut ſupra applicatam retineat, ut ipſe in fundamento lapidem poſuiſſe cenſeatur. Siniſtram autem manum applicabit lapidi, ut cum dextera præſcripta ſigna crucis ſuper lapidem efformare valeat, dum in prædicta impoſitione lapidis dicit *In fide Jeſu Chriſti &c.*, qua prece abſoluta, & in ſitu ſuo collocato lapide, Sacerdos, miniſtrantibus eorum Clericis, lavabit manus, quæ tangendo lapidem facile coinquinari poſſunt. *Interim cœmentarius locat ipſum lapidem cum cæmento*, eumque collocat juxta præcepta artis architectonicæ, *& poſtea Sacerdos ſpargit ſuper lapidem aquam benedictam, dicens* Aſperges me &c., & deinde totum pſalmum *Miſerere* cum *Gloria*, quo tempore cœmentarius lapidem juxta artem apte collocare proſequitur. Dicto hoc pſalmo Sacerdos pergit ſpargere aquam benedictam per omnia fundamenta, ſi ſunt aperta, & quatenus aperta non ſint, circuit aſpergendo fundamenta deſignata, & incipiens aſpergere inchoat Antiphonam *O quam metuendus*, quam Clerus proſequitur una cum pſalmo *Fundamenta*, & poſt pſalmum repetit Antiphonam, qua finita, & terminata aſperſione, Sacerdos ſtans dicit *Oremus*, Miniſtri, ſeu eorum unus *Flectamus genua*, genuflectentes more alias deſcripto, & ℟. *Levate*, & denique idem Sacerdos duas præſcriptas orationes recitat, per quas abſoluta plene cenſetur ſacra functio.

X. Quæ delegatio ſimplici Sacerdoti ad imponendum primarium lapidem erigendarum Eccleſiarum, uti & jam erectarum intra Diœceſim conſiſtentium benedictio, & conſecratio ita ad Ordinarium loci ſpectat, ut tamen quantum ad Regularium Eccleſias attinet, ad horum requiſitionem alieni Epiſcopi illorum Eccleſias jam erectas benedicere, & conſecrare valeant, & erigendarum primarium ponere lapidem, ſi loci Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa prædicta facere recuſaverit, vel ultra quatuor menſes diſtulerit, quemadmodum præſens Decretum indulget. Collectores privilegiorum Regularium liberaliora item referunt Apoſtolica indulta, poſſe nempe Regulares ſuas Eccleſias per alienos Epiſcopos benedici, & conſecrari facere, Diœceſani loci, vel cujoſcumque alterius licentia minime requiſita, aut ſaltem quoties propriorum Epiſcoporum copiam non habuerint; ſed licet eorumdem nonnulli adhuc in uſu eſſe poſſe arbitrentur, ego obſtare puto Decretum Tridentini, quod *ſeſſ. 8. de Reform. cap. 5.* ſtatutum voluit, quod *nulli Epiſcopo liceat cujuſcumque privilegii prætextu Pontificalia in aliena Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia*. Nollem, idipſum aſſeras de Decreto, cujus expoſitioni incumbimus; nam Tridentinum prædicta Pontificalia prætextu cujuſcumque privilegii fieri quidem inhibet ſine Ordinarii loci expreſſa licentia, ſed non prætextu juris communis, quod juxta *cap. 1. de ſupplen. negligen. Prælator.*, *& cap. nihil eſt de elect.* ita in ſe continet privilegium, de quo agitur, ut magis dicendum ſit jus commune, quam privilegium, ſicuti Auctores communiter ponderant. Et reapſe Alexander III. ſtatuiſſe reperitur, *ut ſi Epiſcopus tertio cum humilitate, & devotione, ſicut convenit, requiſitus*, ſubſtitutos Abbates benedicere renuerit, iiſdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium hujuſmodi pertinent, exercere, donec ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates Benedicere non recuſent; & id, ait Gloſſa, in odium Epiſcoporum Papa conceſſit, ne propterea in ſpiritualibus, vel in aliis Monaſteria patiantur detrimentum propter negligentiam Epiſcoporum.

XI. Non ita tamen benedictio primi lapidis (de benedictione, & conſecratione Eccleſiarum inſtituetur ſermo in ſequenti Decreto) juris Epiſcopalis eſt, ut neque ab Abbatibus Regularibus fieri valeat, cum ipſis a Cæleſtino V. privilegium ejuſmodi factum fuerit, uti conſtat ex alio privilegio Eugenii IV. 5. Kal. Novemb. 1434. illud per hæc verba confirmante: *Necnon in ædificandis Cappellis, Eccleſiis, aut Hoſpitalibus primum lapidem, & fundamenta Pontificali more benedicere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus*. Si demas Pontificalem ritum, haud dubita, Prælatos Regulares qui Pontificalium uſum non habent, erga proprias Eccleſias illum præſtare poſſe, quem ſimplex Sacerdos ex Epiſcopi delegatione præſtat, quemadmodum & proprias Eccleſias jam erectas benedicere valent, quod ſimplex Sacerdos præſtare nequit ſine Epiſcopi delegatione, ut reſervamus dicere in ſequenti Decreto.

DECRETUM IX. CAPITIS, IN ORDINE CXC.

Prælati Regulares omnia, & ſingula ſuorum Ordinum, Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria, ubicumque exiſtentia, tam recepta, quam recipienda ſolemni benedictione benedicere valent, & idipſum poſſunt alii Fratres eorumdem Ordinum, qui ad hoc in Capitulis generalibus, fuerint deputati. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Feb. 1514.

I. *Sicut non alii, quam ſacrati Domino Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre, ſic nec in aliis, quam Domino ſacratis locis, ideſt in tabernaculis divinis precibus a Pontificibus delibutis Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet, niſi ſumma coegerit neceſſitas*, ſic cautum eſt *cap. 11. de conſecr. diſt. 1.*, per quod certum redditur, quod ultra benedictionem primarii lapidis, Eccleſiæ jam erectæ Deo ſacrari debent, ut reddantur aptæ, in quibus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebretur. Sacratio ejuſmodi fit duplici modo, media nempe benedictione, & conſecratione, ſed benedictio dumtaxat fit in ſubſidium, & ad modum proviſionis, non autem de natura loci tam digni, qui de jure conſecrandus eſt, quemadmodum erui poteſt facile ex Concilio Romano anno 1725., celebrato *tit. 25. cap. 1.* In eo autem differunt, quod benedictio fit minori ſolemnitate, ſolis verbis, & ſimplicioribus ritibus, conſecratio vero cum majori ſolemnitate, & unctione ex ſacro oleo, & chriſmate, a quibus nobilius ſignificatur excellentia divinæ majeſtatis, cui templum dedicatur, unde ubi hæc dicitur realis, illa dicitur verbalis.

II. Eccleſiæ conſecratio a ſolo Epiſcopo fieri poteſt, *cap. nemo de conſecr. diſt. 1.*, & Epiſcopus debet eſſe proprius, non autem extraneus, niſi de licentia proprii, *cap. tua fraternitas de conſecr. Eccl., vel Alt.*, qui non poteſt Eccleſiæ conſecrationem aliis, quam Epiſcopis committere, *cap. Aqua eod. tit.*, ubi expreſſe prohibetur hoc delegari ab Epiſcopo ſimplicibus Sacerdotibus, non obſtante conſuetudine, quæ ibi corruptela dicitur; Epiſcopus enim nequit ſimplici Sacerdoti mandare ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis propria, & ſi committat,

mittat, vel mandet, irrita, & nulla cenſebitur conſecratio, uti notant Gloſſa, & Doctores in dicto cap. *Aqua*, & communiter Auctores edocent, non negantes tamen, quod ſimplex Sacerdos bene poſſit ex delegatione Sedis Apoſtolicæ Eccleſias ipſas conſecrare. Ita quidem, ſed cum nullum privilegium ſuper hoc Prælatis, vel Abbatibus Regularibus legatur factum, inde fit, quod nullatenus ipſi procedere valent ad propriarum conſecrationem Eccleſiarum, ſed hæc privative ſpectat ad Ordinarium loci, niſi in caſu, de quo ſuperius agimus, in quo ſcilicet Ordinarius requiſitus, ſine legitima cauſa renuerit, vel ultra quatuor menſes diſtulerit.

III. De conſecratione agere noſtrum eſſe non poteſt, quare arripimus benedictionem, quam a Regularibus fieri poſſe præſens nos docet Decretum, & a ſimplici Sacerdote de commiſſione Epiſcopi Ritualis Rubrica: *Sacerdos novam Eccleſiam de licentia Epiſcopi benedicturus, ut in ea divinum ſacrificium Miſſæ rite celebretur*, quæ dum ſubdit *ſtola, ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus, & Clericis adhibitis, prælata cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accenſos, mane procedit ad primariam Eccleſiæ, vel Oratorii januam, ubi ſtans capite aperto, converſus ad eam dicit abſolute orationem* Actiones, nos edocet, quod mane inſtitui debet proceſſio ad primariam Eccleſiæ, vel Oratorii januam, in qua mora ſolito præcedere debet Clericus deferens vas aquæ benedictæ, ſubſequi crux media inter duos Clericos deferentes cereos accenſos, poſtea aliquot Sacerdotes, & Clerici qui neceſſarii ſunt ad pſallendum, & miniſtrandum, & denique Sacerdos indutus alba, ſtola, & pluviali coloris albi; & ut proceſſio devenerit ad prædictam Eccleſiæ januam, Sacerdos caput aperit, & ſtans ad eam converſus abſolute, ideſt non præmiſſo *Oremus*, dicit orationem *Actiones noſtras*.

IV. *Deinde*, ſcilicet Sacerdos, *inchoat Antiphonam* Aſperges, quam ſi ille inchoat, utique eam Clerus debet proſequi, & terminare, non autem ipſe Sacerdos. *Et Clerus alternatim dicit pſalmum* Miſerere mei Deus *in fine* Gloria Patri: ergo integrum debet illum dicere, & certe nonniſi poſt recitatam Antiphonam. *Interim*, dum nempe prædicta dicuntur, *circumdant exterius Eccleſiam*, incipiendo a parte dextera, tamquam nobiliori, *& Sacerdos accepto aſpergillo ex herba hyſſopi*, de hoc dicimus infra, *ad ejus dexteram ſe convertens*, incipiens ſcilicet, ut dicebamus, a parte dextera Eccleſiæ, vel Oratorii, *parietes Eccleſiæ in ſuperiori parte*, ideſt aquam benedictam decenti ictu vibrans in partes ſuperiores Eccleſiæ, *& in fundamentis*, quorum nomine veniunt partes inferiores fundamento proximæ, *cum aqua benedicta aſpergit, dicens*: Aſperges me, Domine &c. id repetens, quoties opus fuerit, ſeu donec aſperſio duraverit.

V. Quæ dum peraguntur, nos monet Rubrica, quod *Eccleſia intus debet eſſe vacua, & nuda*, omni nempe ſupellectile, & ornamentis amovibilibus expoliata, *& pariter altaria nuda*, nempe ſine ſolitis ornamentis, excepto icone, quod permittitur haberi ob difficultatem illud itatim apponendi poſt benedictionem, *excluſo populo, donec abſoluta ſit benedictio*; nam donec hæc abſoluta eſt, Eccleſia locus ſacer non eſt in quo propterea convenire debeat populus ad orandum, quando etiam excluſio populi non inſerviret admodum ad commodius aſpergendos interiores parietes Eccleſiæ, ac ad alia præſtanda, de quibus ſtatim dicemus. Herbæ hyſſopi Baruffaldus late deſcribit virtutem, antiquum uſum, & myſticas rationes plurimas, ob quas haud dubitaverim ex ea formandum eſſe aſpergillum, & hoc utendum in benedictione Eccleſiæ; quod ſi hyſſopus reperiri non poteſt, idem Baruffaldus laudat, aſpergillum fieri ex aliis herbis, quæ in ſacris ritibus admittebantur ſaltem in veteri Teſtamento, & enumerat Rutam, Abſynthium, Lactucam agreſtem, Origanum, Serpillum, Verbenam, Ocymum, aliaſque omnes, de quibus in Chriſti Parabolis mentio eſt pro inſectanda Phariſæorum avaritia, & fucata Religionis ſanctimonia.

VI. *Reverſi ad locum, unde proceſſio initium habuit*. Ut dicebamus, ab Eccleſiæ porta incipit proceſſio, quæ a parte dextera progrediens, circumit totam Eccleſiam, & per ſiniſtram partem redit ad eumdem locum, unde diſceſſit, ante ſcilicet primariam Eccleſiæ januam. Si ob adnexas fabricas Eccleſia circumiri nequeat, vult Corſettus providendum eſſe etiam per murorum fractionem, ſaltem quantum ſufficit ad exteriora Eccleſiæ mœnia frequentibus in locis aſpergenda. Verum S. R. C. apud Barboſam *in collect.* non ſemel definit, quod tunc Sacerdos, ſufficit, ſe conformet, quantum fieri poteſt, Rubricis Ritualis Romani, & ideo in hoc caſu aſpergat, ubi commode aſpergere poteſt, & deinde una cum proceſſione tranſibit ad primariam Eccleſiæ portam, ad quam ubi devenit, *repetita Antiphona a clero, Sacerdos ſtans ut prius verſus Eccleſiam*, ſcilicet capite operto, & converſus ad portam ipſam, *dicit* oremus, *miniſtri*, ideſt eorum unus *Flectamus genua*, & ℞. *Levate* a miniſtrorum nempe altero, ut moris eſt, genuflectentibus, & ſurgentibus omnibus præter Sacerdotem, qui ſtatim cantat orationem *Domine Deus*.

VII. *Qua finita oratione, omnes* (qui proceſſionem componunt, non autem populus) *bini in Eccleſiam intrantes, ad altare majus procedunt, Litaniae* (Sanctorum) *decantantes*, quas ibi genuflexi proſequuntur, *& ubi dictum fuerit* ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare, digneris, Te rogamus, audi nos, *ſurgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit: ut hanc Eccleſiam, & altare ad honorem tuum, & nomen Sancti tui N.* (hic exprimit nomen ſancti, vel ſanctæ, cui dedicatur Eccleſia) *purgare, & benedicere* ✠ *digneris*, *Te rogamus, audi nos*, & hæc poſteriora verba reſponderi poterunt a clero, ut moris eſt. *Cum dicit* Benedicere, *manu dextera benedicat Eccleſiam, & altare*, non vertens ſe, ſed elevata manu amplum, & bene formatum ſignum crucis in aere ſculpens. *Deinde ut prius genuflectit, donec perficiatur litania*, & cantores ſequuntur *ut nos exaudire &c.*

VIII. *Dicto ultimo* Kyrie eleiſon (ad quod terminantur litaniæ) *Sacerdos ſtans dicit* Oremus, *Miniſtri* Flectamus genua, & ℞. Levate ritu ſuperius deſcripto, unde acceſſit eſt, quod ſaltem miniſtri, qui hæc debent dicere, ſurgant, quando ſurgit Sacerdos, qui poſtea ſubdit orationem *Prævenias nos*. Proſequitur Rubrica: *Tum diſtans ab altari congruenti ſpatio genuflexus, & ſe ſignans, dicit*: Deus in adjutorium: & refert Baruffaldus, quod in aſſignando hoc congruo diſtantiæ ſpatio, inter ſe ſe diſcrepant Cœremoniarum Magiſtri, quorum aliqui paſſum unum tantummodo præfigunt, alii ad medium Eccleſiæ ducunt Sacerdotem, alii uſque ad januam, ipſe vero eumdem collocat in medio cleri hinc inde ad altaris cornua conſtituti, & chorum efformantis, ut cum eo novam pſalmodiam, quæ tunc incipitur, recitare valeat, & congruum relinquere ſpatium eidem clero intrandi proceſſionem, quæ ſtatim debet inſtitui pro benedicendis parietibus interioribus Eccleſiæ; quem tamen ad effectum ego ſatius eumdem collocarem in loco immediate poſt clerum, poſt quem ipſe debet in proceſſione immediate ſuccedere. Ibi ergo Sacerdos genuflexus, & ſe ſignans dicit *Deus in adjutorium*, & dum clerus genuflexus reſpondet *Domine, ad adjuvandum*, ſurgit, & ſtans dicit *Gloria Patri*, reſpondente choro pariter genuflexo *ſicut erat*. Mox Sacerdos dicit *Oremus*, Miniſtri, unus nempe eorum, qui Sacerdoti proxime inſerviunt, & ſurgunt, & genuflectunt, dum ſurgit, & genuflectit Sacerdos, dicit *Flectamus genua* procumbens more ſolito, & miniſtrorum alter reſpondet *Levate*, & tunc ſurgit, & cum eo ſurgunt pariter omnes alii de clero, & Sacerdos ſubdit orationem *Omnipotens*.

IX. His dictis Sacerdos inchoat Antiphonam *Benedic*, quam clerus proſequitur una cum tribus ibi aſſignatis pſalmis, videlicet *Ad Dominum cum tribularer*, *Levavi oculos*, & *Lætatus ſum*, & interim a parte Evangelii inſtituitur proceſſio, in qua Sacerdos procedit aſpergendo parietes interiores Eccleſiæ a parte ſumma ad imam, & dicendo antiphonam *Aſperges* eodem pacto, quo aſperſit parietes exteriores. Tres prædicti pſalmi non ita aſſignantur, ut omnino, & ſoli dici debeant, ſed quatenus aſperſio deſinat, antequam illi ſint terminati, omittitur, quod eorumdem remanet, & ſolum ſubditur in eorum fine *Gloria Patri*, & repetitur Antiphona; & ſi forte pſalmi non ſufficiant pro toto aſperſionis tempore, ſubduntur alii ex Gradualibus, quantum ſufficit, & in eorum fine, ut ſupra dicitur *Gloria Patri*, atque repetitur Antiphona. Ut proceſſio devenit ad altare majus, unde diſceſſit, Sacerdos dicit *Oremus*, miniſtri, ut ſupra dictum fuit, *Flectamus genua*, *Levate*, & poſtea idem Sacerdos ſubdit orationem *Deus qui loca*.

X. *His peractis dicit Miſſam de tempore occurrenti, vel de Sancto*, ait Rubrica, quam ita exponunt Auctores, ut tunc, & non prius liceat populo Eccleſiam ingredi, & debeant clerici parare altaria in colore convenienti occurrenti officio, dum interim Sacerdos in ſacriſtia paramenta induit congruentia Miſſæ, quam debet facere de tempore, vel de ſancto, qui eo die occurrit; non enim, ut Baruffaldus inquit, Rubrica libertatem facit pro quacumque Miſſa, ſed determinate dicendam indicit *Miſſam de tempore occurrenti, vel de ſancto*, de quo ſcilicet occurrit officium. Quare haud quidem ambigo, quod proſcripta maneat Miſſa Defunctorum, utpote quæ minus convenit ſolemnitati, ſed nec libertatem facio ſuper quamcumque Miſſam vivorum, ſed Miſſa de officio currenti fieri debet, certe ſi officium duplex eſt, aut excludat Miſſas votivas, non excluſa tamen libertate in caſu officii ſemiduplicis, quam Rubricæ faciunt ſuper Miſſas votivas, ex quibus fortaſſe illa dici congruenter poterit de Sancto, in cujus honorem Eccleſia erecta eſt. Quod Baruffaldus addit de Miſſa *In Dedicatione Eccleſiæ*, fortaſſe minus fieri convenit, cum ea ſit præſcripta pro conſecratione, non pro benedictione Eccleſiæ, & certe neque ita dici poteſt, ſi occurrat officium duplex, cum benedictio neque in die, neque in anniverſario ſortita ſit privilegium ullum officii, aut Miſſæ, ut magis diximus in tom. 1. part. 1. Decr. 5.

DECRETUM X. CAP. IN ORDINE CXCI.

Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate conſtituto. S. R. C. 9. Febr. 1608.

I. ECcleſiæ aliæ ſunt conſecratæ, aliæ benedictæ, & eædem pluribus modis pollui, aut violari contingit, ita ut in iiſdem divina officia amplius celebrari non liceat, niſi prius fuerint legitime reconciliatæ. Reconciliatio earum, quæ ſunt conſecratæ, a ſolo Epiſcopo Diœceſano fieri valet, vel de hujus aſſenſu, aut commiſſione ab alio Epiſcopo, nullatenus vero a ſimplici Sacerdote, in quacumque dignitate conſtituto, quamvis a loci Ordinario foret ad id delegatus, aut ſic ferret longæva loci conſuetudo. Expreſſe id eſt definitum in cap. *Aqua* 9. de conſecr. Eccleſ. *Aqua per Epiſcopum benedicta Eccleſiam reconciliari poſſe per alium Epiſcopum non negamus, per Sacerdotes ſimplices hoc fieri de cetero*

prohi-

prohibentes, non obſtante conſuetudine Provinciæ Bracharenſis (quæ dicenda potius eſt corruptela) quia licet Epiſcopus committere valeat, quæ juriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis Epiſcopalis ſunt non poteſt inferioris gradus clericis demandare. Ex Auctoribus vix reperire eſt, qui nobiſcum non ſentiat, quare ab eorum allegatione abſtinentes, contenti ſumus relatam Ritualis Rubricam: *ſimplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare.* Concordat titulus, quem ritui reconciliandi Eccleſiam ex delegatione Epiſcopi idem Rituale præfigit, dum hanc conditionem adjicit: *ſi nondum erat ab Epiſcopo conſecrata*, non leve utique argumentum, quod ſi ea ſit conſecrata neque ex Epiſcopi delegatione ad illius reconciliationem procedere poteſt.

II. Quod ſi Eccleſia polluta tantummodo fuerit benedicta, per quemlibet Sacerdotem etiam ſine licentia Epiſcopi reconciliari poſſe, ex cap. *Si Eccleſia* 10. de Conſecr. Eccl. nonnulli colligunt: *ſi Eccleſia non conſecrata, cujuſcumque ſeminis fuerit, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur.* Si namque, arguunt ipſi, expectanda foret Epiſcopi licentia, *protinus* Eccleſia lavari non poſſet, nec haberetur finis intentus a canone, dum ſubdit: *Ne divinæ laudis organa ſuſpendantur.* Verum a Rituali diſcedendum non eſt, quod nedum benedictionem ejuſmodi collocat ſub titulo generali benedictionum reſervatarum, ſed inſuper ſub particulari ipſo titulo per hæc verba: *Per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum*, in ſimplici Sacerdote diſerte exigitur delegatio Epiſcopi, ut ad reconciliationem Eccleſiæ procedat. Idipſum demonſtrant Apoſtolica privilegia, quæ hunc ad effectum Regulares Ordines aſſecuti ſunt, cum tamen alias forent ſupervacanea, & inutilia; & demum non aliter vult præſens Decretum, dum reconciliationem Eccleſiæ non conſecratæ committi poſſe deſinit Presbytero in dignitate conſtituto; hinc enim validum fit argumentum, ſimplicem Sacerdotem id minime poſſe, ſi Epiſcopi commiſſione careat, aut delegatione. Dixi *ſimplicem Sacerdotem*, quem cum Rituale, ubi agit de ejuſmodi delegatione, ſimpliciter nominet, haud dubito, quod ſimplex Sacerdos, etſi in dignitate non ſit conſtitutus, ab Epiſcopo delegari valeat ad reconciliandam Eccleſiam, vel Cœmeterium, non obſtante præſenti Decreto, quod dumtaxat adjicit to *In dignitate conſtituto* ratione petitionis, quæ ſuper talem proceſſit Presbyterum, licet haud refragor, quod conveniens ſit quod prædicta delegatio ſoli Presbytero in dignitate conſtituto committatur, dummodo id non cenſeatur neceſſarium.

III. Optimam hic pro complemento nobis juvat tradere regulam, ut qui primum caracterem impreſſit, ejus & ſit illum reſtituere, ſeu ad priſtinum decorem revocare; quare licet inauguratio Eccleſiæ per pollutionem minime deperéat, quia tamen deperit ejuſdem decor, ſeu magis aptitudo, ut in ea celebrentur divina officia, idcirco hæc aptitudo eidem dumtaxat ab eo, qui eam illi contulit, reſtitui poteſt, adeoque ſi eſt conſecrata, a ſolo Epiſcopo, qui ſolus poteſt Eccleſiarum conſecrationem peragere; ſi vero eſt tantummodo benedicta, ab Epiſcopo, aut Sacerdote ab eodem delegato, & quemadmodum & Eccleſiarum benedictio a ſolo Epiſcopo, vel Sacerdote ab eodem delegato, fieri poteſt. Nec refert quod Eccleſia, quæ eſt polluta, & debet reconciliari, ante conſecrationem fuerit benedicta, et inde inferatur, quod aptitudo, quam ante conſecrationem habebat ratione benedictionis, reſtitui valeat a ſimplici Sacerdote, qui ex Epiſcopi delegatione poteſt Eccleſias benedicere, quia cum benedictio ſit dumtaxat per modum proviſionis, non eſt amplius attendenda, quoties acceſſit conſecratio, ſed potius conſideranda perinde ac ſi numquam eidem adhibita fuiſſet, ſed ſola conſecratio.

IV. Ad ritum quod attinet, ait Rubrica: *Altare Eccleſiæ omnino nudetur*, hoc ipſo namque, quod Eccleſia polluta eſt, ſe habet perinde, ac ſi non foret benedicta, & eſt omnino inepta, ut in ea celebrentur divina officia, aut ad illam fideles oraturi conveniant; & hæc eſt cauſa, ob quam poſt violationem illico clauduntur Eccleſiæ fores, & ſpoliantur altaria, niſi idipſum etiam fieri diceris ob horrorem inferendum fidelibus. *Provideaturque, ut Eccleſia poſſit libere circuiri tam exterius, quam interius, ſi fieri poteſt*, ad effectum ſcilicet aſpergendi ejuſdem parietes, ut magis diximus in Decreto præcedenti. *Paretur vaſculum cum aqua benedicta*, & hæc ſufficit ſit benedicta in forma Eccleſiæ conſueta, quia agitur de reconcilianda Eccleſia tantummodo benedicta, non vero conſecrata, quo dumtaxat in caſu requiritur aqua ſpeciali ritu ab Epiſcopo conſecrata, qua de re redibit ſermo in ſequenti Decreto. *Et aſpergillum de herba hyſſopo factum*, de quo in præcedenti Decreto elocuti ſumus, ubi & actum eſt de eo, quod per hæc verba ſubdit Rubrica: *Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus; & clericis procedit* (ſcilicet proceſſionaliter prælata cruce inter ceroferarios) *ad primariam Eccleſiæ portam, ubi ſtans incipit dicens, clero proſequente*, Aſperges me, *pſalm.* Miſerere mei *totus cum* Gloria; ab ibi enim dictis eſt unica differentia, quod modo omittitur oratio *Actiones*, & Sacerdos incipit ſtatim Antiphonam *Aſperges*.

V. *Quo finito, antiphona repetitur*, nempe abſoluto pſalmo *Miſerere*, ubi proceſſio reverſa eſt ad primariam Eccleſiæ portam, clerus repetit antiphonam ſimili modo ac diximus in præcedenti Decreto. *Interim dum antiphona, & pſalmus dicuntur*, præfata ſcilicet antiphona *Aſperges*, & pſalmus *Miſerere*, *Sacerdos cum aqua benedicta aſpergit in circuitu extrinſecus Eccleſiam, & cœmeterium*; inſtituitur nempe proceſſio incipiendo a parte dextera, & in ea Sacerdos aſpergit parietes exteriores Eccleſiæ, vibrans aquam benedictam in ſuperiori parte, & in inferiori verſus fundamenta, & licet Rubrica Sacerdoti nihil dicendum indicat, debet tamen dicere, & repetere antiphonam *Aſperges*, ut magis diximus in laudato Decreto. Quod autem hic addit Rubrica, *Simul aſpergendo alternatim ad parietes Eccleſiæ, & ad terram Cœmeterii*, procedit pro caſu, in quo Eccleſia habet Cœmeterium contiguum, quod cum Eccleſia polluta cenſeatur, & ſit etiam ipſum pollutum, non e contra, nobiliori parte ad ſe trahente ignobiliorem; non autem hac illam, idcirco & ipſum indiget reconciliatione, quod fit uno, & eodem tempore, quo reconciliatur Eccleſia; & hæc eſt cauſa, ob quam Sacerdos, dum pertranſit aſpergendo exteriores Eccleſiæ parietes, jubetur alternatim aſpergere parietes Eccleſiæ, & terram Cœmeterii; hæc autem Cœmeterii aſperſio ſtat loco aſperſionis, quæ fieri debet parti inferiori murorum Eccleſiæ verſus fundamenta, quæ minime omitti debebit, ubi non eſt Cœmeterium, vel poſtquam Sacerdos jam Cœmeterium pertranſit, ut dicebamus, aſpergendo. Cœmeterium autem dumtaxat in terra aſpergitur, quia ſolo tantum opus habet, nec indiget ex ſe, licet muro circumdari ſoleat ad arcenda animalia, laterali muro.

VI. *Præſertim ad loca contaminata* eſſe aſperſio fieri mandatur, & ideo atra linea ſignabuntur, ut innoteſcant Sacerdoti benedicenti pro ſpeciali aſperſione ibi facienda ad purganda loca illa, ubi operatio diabolici inimici apparet per peccatum ibi commiſſum. Quoniam vero hic agitur de reconciliatione Eccleſiæ, quæ ad pollutionem cœmeterii minime polluitur, idcirco loca contaminata videntur debere eſſe intus Eccleſiam; ſed hic nihilominus adhuc ablutionis ejuſmodi meminit Rubrica, ne ſi etiam loca contaminata, ut nihil vetat haberi, adſint in Cœmeterio, ſpecialiter aſpergi omittantur.

VII. *Quo dicto, redit ad locum, ubi incepit aſperges, & ſtans dicit*: Oremus Omnipotens &c. Ut dicebamus in præcedenti Decreto, finita aſperſione parietum Eccleſiæ a parte dextera, & ſiniſtra, proceſſio redit ad portam primariam Eccleſiæ, ubi finito pſalmo *Miſerere*, a clero repetitur antiphona *Aſperges*, & mox Sacerdos converſus ad eamdem portam, ſtans dicit *Oremus*, & abſque eo quod Miniſtri dicant *Flectamus genua*, aut *Levate*, ſtatim ſubdit orationem *Omnipotens*.

VIII. *Deinde Sacerdos incipit litanias, & ingreditur Eccleſiam cum clero, cantando eas, acceditque ante altare majus, coram quo genuflectit* eodem utique ritu, quem jam deſcripſimus in præcedenti Decreto. *Cumque dictum fuerit* ut omnibus fidelibus, *Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit*: ut hanc Eccleſiam, altare hoc, & Cœmeterium purgare, ✠ & reconciliare digneris, Te rogamus &c. At ita quidem, quoties ſimul cum Eccleſia reconciliari debeat Cœmeterium contiguum, quod ſi deſit, in laudata deprecatione prætermittetur to *& cœmeterium*, atque dicatur: *Ut hanc Eccleſiam, & altare purgare*, ✠ *& reconciliare digneris, Te rogamus &c.*

IX. *Quibus dictis*, ſcilicet prædicta deprecatione, *Sacerdos rurſus genuflectit, & litaniæ perficiuntur. Quibus finitis*, id eſt dicto ultimo *Kyrie* earumdem litaniarum, *Sacerdos ſurgit*, & ſtans *verſus ad dictum altare, dicit* Oremus, *& Miniſtri* Flectamus genua, ℟. Levate modo alio deſcripto, & mox Sacerdos recitat orationem *Præveniat*, qua finita *genuflectit ante altare, & ſigno crucis ſe muniens, clara voce dicit* Deus in adjutorium, genuflectit ſcilicet diſtans ab altari congruenti ſpatio moris inſtar deſcripti in præcedenti Decreto, & ſe ſignans, ſigno crucis dicit *Deus in adjutorium*, reſpondente clero genuflexo *Domine, ad adjuvandum*, quo reſpondenta Sacerdos ſurgit, & ſtans dicit *Gloria Patri*, & clerus in genuflexione perſiſtens reponit *ſicut erat*, quo dicto Sacerdos inchoat antiphonam *exurgat*, quam clerus proſequitur una cum ſequenti pſalmo, poſt cujus verſum quemlibet repetit Antiphonam, & in ejuſdem fine non dicit *Gloria Patri*, ſed eamdem repetit Antiphonam. Quæ Antiphona, & pſalmus dum a clero dicuntur, *Sacerdos circuit Eccleſiam intrinſecus aſpergendo*, inſtituitur nempe proceſſio incipiendo a parte Evangelii, in qua Sacerdos circuit Eccleſiam aſpergendo interiores parietes ejuſdem in parte ſuperiori, & inferiori, & *aſpergit etiam ſpecialiter loca contaminata*, quæ ſignata eſſe debent atra linea. Dum autem aſpergit, dicit Antiphonam *Aſperges*, quam repetit, quoties opus fuerit, donec abſoluta fuerit aſperſio. Etſi namque hæc omnia non ſint diſtinctim a præſenti Rubrica præſcripta, ſupplenda tamen ſunt ex Rubrica præcedentis benedictionis, quæ in caſu ſimili ita diſponit, maxime cum ejuſdem diſpoſitio quadret admodum caſui præſenti.

X. *Quo facto, ſtans in presbyterio verſus ad altare dicit*: Deus qui in omni loco: ita ſubdit Rubrica, quæ præmittendum minime præſcribit *Oremus*, neque a miniſtris *Flectamus genua*, neque *Levate*. Nonnemini videri poterit, quod hæc item ſuppleri debeant ex Rubrica præcedentis benedictionis, ſed nos non putamus, quia præſens Rubrica, dum vult ea dici, aſſignat, præcedenter ſcilicet ad orationem *Præveniat*, clarum utique argumentum, quod ubi ea non aſſignat, ibi ſunt omittenda. Aſperſione itaque Eccleſia abſoluta, redit proceſſio ad Altare majus, & Sacerdos ſtans in presbyterio verſus dictum altare, abſolute recitat orationem *Deus qui in omni loco*, qua peracta populus ingreditur Eccleſiam, a clericis parantur altaria, Sacerdos in ſacriſtia induit paramenta, & poſtmodum celebrat Miſſam de die occurrenti, ut magis diximus in præcedenti Decreto.

DECRE-

DECRETUM XI. CAP. IN ORDINE CLXXXXII.

Prælati Regulares, vel alii Sacerdotes in capitulis generalibus deputati, ſuas Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, qualibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus ſuerit, aqua per eos (præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt) benedicta reconciliare libere, & licite valent. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Febr. 1514.

I. S*implex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare*, ait Ritualis Rubrica, quæ inſuper addit: *& tunc utatur ritu in Pontificali deſcripto*, unde noſtrum eſſe non poteſt, ejuſmodi ritum explanare; quare Ritualis Rubricam ſolummodo perſequentes, ab ea reddimur inſtructi, quod idem Sacerdos ad prædictam reconciliationem debet procedere *indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, adhibitis ſecum aliis Presbyteris, & Clericis ſuperpelliceis indutis*, & id commune eſt etiam reconciliationi Eccleſiæ ſolummodo benedictæ, uti in ſuperioribus examinatum fuit. Non ſic eſt de eo, quod ſubditur: *cum aqua ab Epiſcopo ad hunc uſum rite benedicta*; nam ad reconciliationem Eccleſiæ non benedictæ ſufficit aqua benedicta communis, ſeu in forma conſueta Eccleſiæ, etiam a ſimplici Sacerdote benedicta, ubi ad reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ requiritur præciſe *aqua ab Epiſcopo ad hunc uſum rite benedicta*, aqua ſcilicet admixta ſali, vino, & cineri, cum verbis, & forma, quæ habetur in Pontificali Romano, ab Epiſcopo benedicta.

II. Privilegio Apoſtolico reconciliandi proprias Eccleſias, etſi ſint conſecratæ, dubium non eſt, quod perfruuntur Prælati Regulares, ac alii Sacerdotes in capitulis generalibus deputandi; id enim, ut alia brevitatis gratia taceantur Apoſtolica indulta, præſens aperte docet Decretum, dum uſum indicit aquæ per Epiſcopum benedictæ, ubi ad reconciliationem Eccleſiarum dumtaxat benedictarum ſufficit aqua benedicta in forma conſueta Eccleſiæ. Et quidem ſi iidem Prælati Regulares cum aqua benedicta in forma conſueta Eccleſiæ benedicere poſſunt Eccleſias, eaſque ad divinum cultum deputare, cur item cum eadem non poterunt illas reconciliare, & divino cultui reſtituere? Non ita tamen ad reconciliationem Eccleſiarum conſecratarum, quæ fit per Regulares perſonas, neceſſaria eſt aqua ab Epiſcopo benedicta, ut non ſufficiat etiam aqua per eos benedicta, *ſaltem in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poterunt*. Quælibet autem dieta continet viginti milliaria, ſeu ſeptem leucas.

III. Dixi *ſaltem in locis remotis*, quia dictio *præſertim*, qua Decretum utitur, Juriſtis interpretibus denotat quidem majorem eſſe rationem in caſu, in quo ponitur, adeoque in caſu in quo per duas dietas Epiſcopus adiri non poteſt, ſed idem juris eſſe in ſuo poſitivo, ſeu in caſu contrario, adeoque etiamſi Epiſcopus per duas dietas minime diſtaret. Haud tamen denegarem, non admodum facile hac libertate Regulares uti debere; poſſe vero, quando cum multo incommodo Epiſcopus deberet adiri, aut Diœceſanus aquam renueret benedicere. Monet autem Miranda *tom. 3. cap. 40. art. 1. concluſ. 2.*, quod hoc privilegium extenditur etiam ad Eccleſias Monialium exiſtentium ſub regimine Regularium.

IV. Ad cœmeteria quod attinet, jam nos Decretum nonum edocuit, quod Prælati Regulares ea quæ ſui reſpective ſunt Ordinis, ſolemni benedictione benedicere valent, non ſic tamen eſt de ſimplici Sacerdote ſæculari, qui ſicuti Eccleſias ſine Epiſcopi delegatione benedicere non poteſt, ita nec cœmeteria; unde ſcite Rituale, dum producit formulam cœmeteria benedicendi, hoc titulo eamdem inſcribit; *Ritus benedicendi novum cœmeterium per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum*. Quod modo diximus de benedictione novi cœmeterii, idipſum eſt de ejuſdem reconciliatione, unde & præſens Decretum diſerte donat Prælatos Regulares facultate reconciliandi ſua cœmeteria, & Rituale in ſimplici Sacerdote non minus Epiſcopi delegationem expoſtulat: *Sacerdos ſi ab Epiſcopo facultatem habeat*.

V. Ritus benedicendi novum cœmeterium a Rituali hoc pacto manet deſcriptus: *Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio cœmeterio lignea crux alta ad ſtaturam hominis*. Qualitas, & altitudo crucis, quæ eſſe debet nuda ſine imagine crucifixi, nulli dubitationi ſubeſt, cum a Rubrica diſerte ſit expreſſa; ſupplet tamen Caſtaldus in eo, quod Rubrica tacet, videlicet quod in ſummitate crucis, atque etiam in extremis brachiis accommodandi ſunt cuſpides ferrei, unus nempe in unoquoque eorum, ut in iiſdem affigi poſſint candelæ, de quibus dicetur inferius. Quia Rubrica de cruce habet *ponitur*, non *figitur*, nonnulli eamdem collocant ſuper menſam ibi paratam, ſed hi minus ſatisfaciunt Rubricæ, quia cruci altæ ad ſtaturam hominis, ſi ponatur ſuper menſam, aptus non eſt deſervire paxillus in terra fixus, altus dumtaxat ad cubitum unum, qualem Rubrica eum poſtulat per ſequentia verba: *& ante ipſam crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus, altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas*, quem ad effectum in ſummitate cujuſcumque rami cuſpides ferrei plantari debent, in quibus poſſint commode affigi tres candelæ, nempe una pro unoquoque cuſpide.

VI. *Sequenti die, mane Sacerdos in ſacriſtia* (ſi cœmeterium ſit contiguum Eccleſiæ, vel ab hac parum diſtet, alias ad menſam paratam in loco congruo) *paratus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis indutis ſuperpelliceis, qui deferant vaſculum aquæ benedictæ* (ſufficit, benedicta ſit in forma Eccleſiæ conſueta), *Aſpergillum* (non ſtatuit Rubrica, quod aſpergillum confectum eſſe debeat ex herba hyſſopo, ſed cum de benedictione Eccleſiæ, & cœmeterii eadem videatur eſſe ratio, uti in illa ex præſcripto Rubricæ aſpergillum de herba hyſſopo adhiberi debet, ita in hac videtur eſſe uſitandum), & *thuribulum cum incenſi navicula* (particulare id eſt huic benedictioni, cum in ſimilibus aliis uſus nullus incenſi a Rituali præſcribatur), *& hoc Rituali libro, & tribus candelis cereis* (quæ nempe ut infra accendendæ ſunt, & figendæ in paxillo), procedit proceſſionaliter cum prædictis Sacerdotibus, & Clericis, prælata cruce media inter duos ceroferarios, ante quam incedunt thuriferrarius, & Clericus de aqua benedicta, *ad cœmeterium benedicendum ante crucem in medio cœmeterii ut ſupra poſitam, & mox affiguntur, & accenduntur tres prædictæ candelæ ſuper ligneum paxillum, & Sacerdos poſitus ante crucem, & candelas, & ſtans diſcooperto capite dicit*: Oremus, Omnipotens &c.

VII. *Mox ante ipſam crucem omnes genibus flexis dicunt litanias ordinarias incipiente cantore, ceteris reſpondentibus, & cum dictum fuerit*: Ut omnibus fidelibus &c., *Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit, producens manu ſignum crucis*. Ut hoc cœmeterium &c. *Deinde Sacerdos ut prius genuflectit, & litaniæ perficiuntur*. Hæc communia item ſunt benedictioni Eccleſiæ, quare vide ibidem dicta, dum ego adnoto ex Caſtaldo *lib. 2. ſect. 11. cap. 7. n. 1.*, quod in terra ſterni ſaltem convenit tapetum, ubi Sacerdos, & Miniſtri genuflectant, quia cum cœmeterium, ſit ſub dio, vel cœnoſum erit, aut pulverulentum, vel herboſum; quod hac de cauſa ſtatutum etiam fuit a Rubrica de reconciliatione cœmeterii.

VIII. *Quibus finitis*, dicto nempe ultimo Kyrie, *ſurgunt omnes, & Sacerdos crucem aſpergit aqua benedicta, dicens antiphonam* Aſperges me &c. *Pſalmus* Miſerere *dicitur totus ab adſtantibus cum* Gloria Patri, *quo dicto repetitur antiphona* Aſperges. *Dum dicitur pſalmus ab adſtantibus, Sacerdos circuit, & perambulat totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aſpergens ubique cum aqua benedicta*. Ubi audis *ubique*, nolo id intelligas, ut cœmeterium aſpergendum ſit intus, & extra, uti aſpergitur Eccleſia; ſed ſolum intra, ſeu in parte interiori; in hac autem non tantum in parte dextera, & ſiniſtra, ſed etiam in omni alia, cum Rubrica dicat *ubique*, quæ dictio ſtat pro quocumque loco. *Quo facto*, finita nempe aſperſione, & ut ſupra repetita antiphona, *Aſperges*, Sacerdos *redit ante crucem*, & dicit: Oremus. Deus qui es.

IX. *Tunc figit in ſummitate crucis unam ex tribus candelis ardentibus*, quæ ſcilicet erat in ramo medio paxilli, transfertur, & figitur in cuſpide poſito in ſolemnitate crucis, uti & aliæ duæ, quæ erant in ramis lateralibus, transferantur, atque figuntur in duobus brachiis ejuſdem crucis, illas collocando ſuper cuſpides, ut mandant ſequentia Rubricæ verba: *& alias duas ſimiliter ardentes in duobus brachiis ejuſdem crucis*. Quæ candelæ nunquam extinguuntur, nequidem benedictione peracta, ſed ibi relinquuntur accenſæ, donec totaliter abſumantur, ut inde edoceamur, venerationem loci perpetuo durare debere. Sacerdos *deinde incenſat ipſam crucem* triplici ductu, *& aſpergens aqua benedicta redit cum Miniſtris in ſacriſtiam*, ſubdit Rubrica, quam ita Baruffaldus exponit, ut Sacerdos poſt incenſationem aſpergere debeat ipſam crucem; quem tamen ſenſum certe Rubrica non ſuſtinet, nam dum dicit *Aſpergens redit*, fit ſenſus, quod dum redit in ſacriſtiam, debet aſpergere, non utique crucem, a qua diſceſſit, ſed cœmeterii terram, per quam pertranſit, in via ad ſacriſtiam.

X. Reconciliatio cœmeterii noſtram modo conſiderationem expectat, ſive illud contiguum ſit Eccleſiæ, ſive ſeparatum, ubi Eccleſia non eſt polluta; nam ſi Eccleſia polluta ſit, & cœmeterium illi contiguum, cœmeterium reconciliatur per reconciliationem, quæ adhibetur Eccleſiæ, ut magis diximus in Decreto 10. Per pollutionem namque Eccleſiæ pollutum item remanet cœmeterium, ſi ſit illi immediate contiguum, ſecus autem, ſi hoc pacto contiguum non fuerit Eccleſiæ; contiguum autem ex Ariſtotele eſt illud, quorum extrema ſunt ſimul, unde ſi aliquid vel minimum mediet inter Eccleſiam, & cœmeterium, puta via, ad Eccleſiæ pollutionem non polluitur cœmeterium. Idipſum foret, ſi mediaret ſolum ſtillicidium ipſius Eccleſiæ, dummodo etiam ex ea parte cœmeterium eſſet muro circumdatum; & quidem quamvis aditus, & ingreſſus ad cœmeterium pateret per Eccleſiam, quia adhuc extrema illorum non ſe contingunt. Ad pollutionem vero cœmeterii, etiamſi contigui, polluta non remanet Eccleſia, unde ritus, quem ſubdimus, deſervit pro reconciliatione cœmeterii ſive contigui, ſive ſeparati, quando de per ſe ſolum pollutum eſt, & non ad pollutionem Eccleſiæ.

XI. Mane diei, quo facienda eſt reconciliatio, Sacerdos in ſacriſtia, aut decenti alio loco induit albam, ſtolam, & pluviale coloris albi, & proceſſionaliter cum aliis Sacerdotibus, & Clericis indutis ſuperpelliceis, prælata cruce inter ceroferarios media, & omnium primo præcedente Clerico cum vaſculo aquæ benedictæ, & aſpergillo (congruit, ſit ex herba

ba hyſſopo) accidit ad medium cœmeterii, & ibi ſuper tapete genuflectit una cum Miniſtris, & genuflectunt itidem cantores, aliique omnes, & dicunt Litanias, in quibus cum dictum fuerit *ut omnibus fidelibus defunctis &c.* Sacerdos ſurgit, & manu dextera producens ſignum crucis ſuper cœmeterium, clara voce dicit *ut hoc cœmeterium &c.*, quo dicto, ut prius genuflectit, & cantores Litanias perficiunt, & ut deventum eſt ad ultimum *Kyrie*, ſurgunt omnes, & Sacerdos accepto aſpergillo cum aqua benedicta inchoat antiphonam *Aſperges me, Domine, hyſſopo*, Clero proſequente *& mundabor &c.* Pſalmus *Miſerere* totus ab eodem Clero dicitur, ſed ſine *Gloria*, & in fine repetitur antiphona *Aſperges*.

XII. Quæ dum a Clero dicuntur, Sacerdos circuit totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, & aſpergens ubique aqua benedicta, & præſertim in loco, ubi violatio commiſſa eſt. Aſperſio fit dumtaxat in terra, quæ deſervit ad finem cœmeterii, & per ſe ſpectat ad cœmeterium ipſum, cum in ea ſepeliantur cadavera, non autem in parietibus, quibus ſolum circumdatur ad arcenda animalia, & ad alios fines extraneos ab eo, ob quem conſtructum eſt cœmeterium, licet ad decentiam ipſius cœmeterii cæteroquin illi deſerviant. Finita aſperſione, Sacerdos redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi ſtans dicit *Oremus*, Miniſtri *Flectamus genua*, ℟. *Levate*, & poſtea idem Sacerdos recitat orationem *Domine pie*, qua peracta procedit ad ſacriſtiam, vel alium congruum locum ad deponenda ſacra indumenta. Hæc autem brevi dedimus calamo, quia jam uberiori ea proſecuti ſumus in præcedentibus Decretis, in quibus recoli poſſunt, quæ hic ad majorem expoſitionem deſiderantur.

XIII. Poſt benedictionem novæ Eccleſiæ, & reconciliationem pollutæ Miſſam dicendam eſſe Rituale mandat, tacet vero ſuper Miſſa, ubi agit de benedictione novi cœmeterii, aut reconciliatione polluti, non ſpernendum utique argumentum, quod ea dici minime debet, aut ſaltem, quod neceſſe non eſt, quod illa dicatur. Inſurgit tamen Baruffaldus, & advertens, quod tam benedictio novi cœmeterii, tum reconciliatio polluti *in mane* fieri præſcribitur, ea ratione id præſcriptum credit, quia congruum ſit, ut ſacrificium celebretur ſive in Capella cœmeterii, ſi adſit, ſive in Eccleſia, cui cœmeterium inſervit. Equidem nec nobis occurrit ratio alia, ob quam *in mane* tum benedictio, tum reconciliatio cœmeterii ſint potius fieri præſcriptæ, quare haud refragabimur, eaſdem commode abſolvi per Miſſarum ſolemnia, a quibus comitari cæteroquin neceſſarium eſſe non poteſt, cum cœmeteria non uti Eccleſiæ, benedicantur, vel reconcilientur pro Miſſæ ſacrificio, ſed pro fidelium ſepultura. Etſi itaque congruum ſit, eaſdem functiones fieri in mane, ut conſociari valeat cum Miſſæ ſacrificio, quoties tamen hoc debeant deſtitui, ejuſdem rationis certa illæ non ſunt, ut adeo matutino tempori cenſeri poſſint alligatæ, ut poſtmeridiano fieri non valeant.

CAPUT DUODECIMUM.

De Benedictionibus Candelarum, Cinerum, atque Palmarum.

Lupercalibus Gentilium abrogatis ludis circa annum 496. a Gelaſio I. Papa ſubſtitutum fuiſſe Purificationis feſtum quod ſubinde inſequenti ſæculo occaſione maxime omnium mortalitatis Biſantii factæ, ſub Juſtiniano Imperatore ad Orientalem tranſierit Eccleſiam, auctor eſt Baronius *in marty. ad diem 2. Febr.*, ubi quidem ſubdit, quod poſtmodum Sergius Papa litanias addidit, ſeu proceſſionem, non tamen cereorum uſum, de quorum myſterio cum plura diſſerat S. Eligius Epiſcopus Noviomenſis antiquior Sergio ſcriptor, dubium non eſt, quod eodem Sergio ſimul eum vetuſtiorem eſſe demonſtrat.

Non Lupercalium abrogationem, cujus ipſa meminit in ſuo Commentario, ſed prædicti inſtitutionem feſti Gelaſio alii denegant, quam nonnulli protrahunt ad Juſtiniani Imperatoris ut ſupra tempora, nec deſunt, qui eodem Gelaſio eam vetuſtiorem faciunt, qui in orientali, qui in occidentali, & qui in utraque Eccleſia, & hi adeo plurima Ss. Metodii, Joannis Chryſoſtomi, Hieronymi, ac Auctorum monumenta proferunt, ut licet eorum nonnulla fortaſſe nutant, adhuc ſuperſint valida in eamdem Bollandianos ad diem 2. Februarii ſententiam trahere, qui propterea ſic ante ſæculum quintum apud Phœnicus, Syros, Cyprios, alioſque populos celebratum fuiſſe ſtatuunt prædictum Purificationis feſtum, ut cum poſtmodum antiquiſſima ejuſmodi conſuetudo ab una ad aliam tranſierit Eccleſiam, locum habere crediderint illud celebre D. Auguſtini *lib. 4. de Baptiſmo cap. 24.* effatum. *Quod universa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Quid eſt autem, quod in hoc feſto Cereos portamus accenſos? Quærit Innoc. III. *ſerm. 1. de feſt. Purif.*, atque reponit: *Gentiles Februarium menſem Inferis dedicaverunt, eo quod ſicut ipſi putabant, ſed errabant, in principio ejus menſis Proſerpina rapta fuerat a Plutone; quam quia mater ejus Ceres facibus accenſis in Æthna tota nocte per Siciliam quæſiviſſe credebatur, & ipſi ad commemorationem ipſius facibus accenſis in principio menſis urbem de nocte luſtrabant; unde feſtum illud appellabatur Ambuſdale. Cum autem Sancti Patres conſuetudinem iſtam non poſſent penitus extirpare, conſtituerunt, ut in honore Beatæ Virginis Mariæ Cereos portarent accenſos: & ſic quod prius fiebat ad honorem Cereris, modo fit ad honorem Virginis, & quod prius fiebat ad honorem Proſerpinæ, modo fit ad laudem Mariæ.* Joannes Gerſon in idipſum fortaſſe alludit, dum *tom. 3. de diſcretione cordis conſid. 21.* præmiſſa admonitione, quod profanos Gentilium ritus Eccleſia magis ſtuduit divino cultui conſecrare, quam abolere, ad rem hæc illico verba ſubdit: *Patet hoc de feſto Purificationis, quod ideo* Candelaria *vulgo dicitur, quia portantur candelæ ardentes illa die in honorem puriſſimæ, & lucidiſſimæ Virginis Mariæ; quæ prius portari apud Gentiles conſueverant in venerationem cujuſdam Deæ, & in luſtrationem Urbis Romæ.*

Avevano i Romani ſoggiogato il Mondo, ed avevano a tutti impoſto il cenſo, o ſia tributo, che doveva pagarſi ogni cinque anni. Ricevuto il tributo, offerivano nel Meſe di Febrajo ai Dei dell' inferno i ſacrifizj, coll' ajuto de' quali credevano di avere ottenute le vittorie, e giravano colle faci in mano, ſcorrendo la Città. Ita Benedictus XIV. *tom. 1. Anot. par. 2. num. 27.* amburbalia deſcribit, a quibus ex S. Ildelfonſo *tom. 2. Bibliotheca SS. Pats. pag. 580. lit. F.* Candelarum proceſſionem derivari cenſet: *Quam luſtrandi conſuetudinem congrue, & religioſe Chriſtiana mutavit Religio, cum eodem menſe, hoc eſt hodierna die, in honore Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non ſolum Clerus, ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis, & diverſis hymnis luſtrantes circumeunt.* Amburbalibus itaque hodiernam proceſſionem ſubrogatam fuiſſe autumat, non lupercalibus, in quibus nullus facum, vel cereorum uſus erat, ſicuti evidens argumentum ex eorumdem deſcriptione, quam ex Lexico Jacobi Hofmanni verb. *Lupercal.* per hæc verba producit: *Gl' Infami giuochi Lupercali iſtituiti da Evandro, ſi facevano da' Gentili nel Meſe di Febbrajo, ne' quali gli Uomini nudi correvano per la Città percuotendo le mani, ed il ventre delle Donne con certe pelli di Capra, ſupponendo, che ciò doveſſe contribuire alla loro fecondità, ed a partorire facilmente.*

Symbolicis alii contenti ſunt rationibus, & ſatis elegans eſt expoſitio S. Ivonis Carnutenſis Epiſcopi *ſerm. 11. de Purif.*, quod ſcilicet ſicut Simeon in manibus accepit infirmitatem, ſeu humanitatem, ſed agnovit interiorem majeſtatem, quæ illuſtrabat tenebras interiores noſtræ infidelitatis, ita in cera, quam hodie quiſquis fidelis in manibus geſtat, ad fragilem alludit carnem, agnoſcens tamen in ejuſdem luce lucem alteram, quæ noſtras illuminat exteriores tenebras. Addit, quod cera, quæ ex floribus odoriferis colligitur, fructus eſt Apis, *Virginis videlicet animantis, cujus ſicut legitur, fœtum nec maſculi violant, nec fœtus quaſſant*, ac conſequenter ſymbolum eſt illius divini partus, qui *nec in concipiendo, nec in egrediendo Matris integritatem violavit.*

Caſalius *de vet. Chriſtian. ritib. cap. 42.* ſentit, quod a nobis hodie in manibus geſtantur candelæ, ut aliquo modo reddamur participes lætitiæ Simeonis, qui in manibus accipiens Chriſtum natum, eum ſimul cognovit, & confeſſus eſt *paratum ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium.* Auctores Catheſchiſmi Montis Peſſulani, & Bituricenſis *Candellas benedici* ſtatuunt juxta antiquum Eccleſiæ morem benedicendi, quidquid ad ejuſdem cæremonias deſervit; *in manibus vero per proceſſionem teneri accenſas, & ad aliquam Miſſæ partem* in ſignum lætitiæ juſti Simeonis, qui inter ulnas accipiens Jeſum, hunc faſſus eſt lumen gentium, & gloriam Iſrael; & demum *proceſſionem fieri* ad deſignandum Virginis Matris iter ad templum. Innocentius denique *loc. cit.* ſubdit: *Ob hoc quoque in Purificatione virginis cereos accenſos portamus, ut Purificati per gratiam, cum accenſis lampadibus, quaſi prudentes virgines ad nuptias ingredi mereamur.*

Benedictionis Cinerum nunc eſſe originem, myſteria, cauſam, & effectus ſpirituales. Cineres ſuper caput aſperſos argumentum fuiſſe luctus, pœnitentiæ, atque triſtitiæ, adeo frequentia teſtimonia in ſacris occurrunt litteris, ut non ſit, eorum aliqua hic conemur adducere. Ea propter inter Sacras Cœremonias, quæ in reconciliandis Eccleſiæ publicis pœnitentibus, exercebantur olim ineunte Quadrageſima, Grancolas *lib. 2. s. 43.* rite enumerat aſperſionem cinere eorumdem capitum. Succedentibus temporibus cœperunt viri pietate inſignes caput cinere aſpergendum præbere in ſignum humiliationis, nihilo magis præſeferre rati humilitatem ſuam, quam geſtantes in capita, quod pedibus conculcarent, hoc ſigno indicare volentes, ſe tamquam peccatores eſſe dignos, qui protererentur pedibus, ſicut cinis pedum planta proteritur. Quod poſtmodum adeo plurimi imitati ſunt, ut Cœremonia, quæ olim ad ſolos publicos ſpectabat pœnitentes, in communem tranſierit fidelium conſuetudinem.

Fiebat idem olim feria ſecunda poſt Dominicam Quadrageſimæ, a qua quadrageſimale jejunium auſpicabatur antiquitas; ſed cum poſtea prædictum jejunium anticipatum fuerit ad præcedentem feriam quartam, ut ſerveretur quadraginta diebus, ſicut a Chriſto ſervatum fuiſſe legimus, eidem etiam feriæ adnexæ fuerunt ſacræ quoque Cœremoniæ, per quas publici peccatores pœnitentiæ addicebantur. Poſtquam vero ceſſavit diſciplina publicæ pœnitentiæ, nulla alia remanſit in Eccleſia ſaltem occidentali reliquia ejuſdem pœnitentiæ, niſi hæc ſacrorum cinerum aſperſio, cujus Cœremoniæ ſenſum exponit S. Iſidorus Hiſpalenſis *de offic. lib. 2. cap. 16.*, oſtenditque illam ætate ſua fieri conſueviſſe, ut peccatores recordarentur ſe eſſe pulverem,

Digitized by Google

verem, animumque & cogitationem converterent ad mortem, quam pro peccatis ſuis meruiſſent. Concordat Rupertus, qui *de div. offic. lib. 4. cap. 10.* id fieri aſſerit, ut recordemur originis, & finis noſtri, unde & Eccleſia in diſtributione cinerum illis verbis utitur: *memento homo, quia pulvis es. & in pulverem reverteris.*

Effectus conſecratorum cinerum ſatis colliguntur ex benedictionis formula. Nam 1. rogat Eccleſia, ut juvetur homo ad internam humilitatem cordis. 2. ut benedictio cæleſtis in aſperſos cineres deſcendat, qua ſerio compungantur, de peccatis doleant, conſiderantes per peccatum hominis, etiam ipſam terram maledictam fuiſſe, & omnes in cinerem, & terram redituros. 3. Ut hi cineres ſint ſalubre remedium ad aſſequendam remiſſionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ. 4. ut detur corporis ſanitas ad pœnitentiam pro peccatis agendam. 5. Ut anima ipſa divina tutela protegatur. 6. Ut illa a Domino impetremus, quæ ad ipſius voluntatem petimus. 7. Ut in bono conſtanti animo perſeveremus.

Refert Cæſarius ex Theodorico Monaco de ſacris cineribus rem notatu dignam, fuiſſe nempe Confluentiæ carnificem quemdam, hominem in officio ſuo probum ſatis, qui cum aliquando tertia feria ante cineres, totam pene noctem in commeſſationibus expendiſſet, mane quaſi ad abluendas carnes cum quodam ſuo Collega tabernam intravit, cumque ad officium Miſſæ pulſaretur, & fideles ad Eccleſiam confluerent, necnon ex eadem taberna, jamque ſoli hi duo illic remanentes potarent, ait alter carnifici: certe modo diu nimis expectamus; eamus ergo ad Eccleſiam propter ſacros cineres. Cui ille, myſterium cinerum irridendo, reſpondit: Sede, ego tibi dabo cineres, & tu mihi, tollenſque cineres de lare jactavit ſuper caput ejus. Et ecce mox pœna irriſionis ſubſecuta eſt: nam ſtatim circa caput, & faciem tantum ſenſit pulverem, ac ſi follibus ei inſufflaretur; cumque territus exclamaret, tantum ore cineris hauſit, ut pene ſuffocatus fuiſſet. Accucurrerunt multi plagam tam mirabilem videntes, & cum ductu fuiſſet in proximam inſulam, in qua non pulvis, ſed gramen erat, nihil ei profuit. In Rheno, in pomario, in ſolario, neque in alio loco a turbine cinerum ſe defendere potuit, a quibus tandem ſuffocatus pœnam irriſionis ſolvit.

Benedictio Palmarum noſtram modo expoſcit conſiderationem. Chriſtus triumphatoris ſpecie, turbis ramos arborum ſternentibus in via, atque clamantibus *Hoſanna*, Hieroſolymam ingrediens, benedictionis, & proceſſionis palmarum occaſio eſt, atque myſterium. Hinc Amalarius lib. 1. cap. 10. *In memoriam illius diei nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare ramos*, & *clamare Hoſanna*; & in ſermonibus 1., & 2. Sancto Ambroſio alias adſcriptis: *Hinc deſcendit conſuetudo, ut pſallentes ramos palmarum, ſive olivarum portemus in manibus.* Vox *Hoſanna* fuit acclamatio quædam lætitiæ in triumphali illo die erga Chriſtum tamquam Meſſiam deſcendentem e David, utique illi conſimilis, quam Judæi in manibus portantes ramos arborum, repetebant in Tabernaculorum feſto, unde Pſal. 117. 15. *Vox exultationis, & lætitiæ in tabernaculis juſtorum.*

Quatenus laudati ſermones non recenſerentur inter ſpurios, & ritus ejuſmodi ubertim appareret antiquitas, quam ab adeo remotis ſæculis Martene *cap. 20. de antiq. Eccl. diſcipl.* minime reperit, ſed referendam putat ad ſæculum octavum, aut nonum. Ait namque nullum ejuſdem apparere veſtigium in pervetuſtis Miſſalibus Francorum, & Gothorum a Thomaſio evulgatis, nullum in antiqua liturgia Gallicana a ms. Bobienſi a Mabillonio eruta, nullum in Ordine Gelaſiano, nullum in Sacramentario S. Gregorii a Menardo notis illuſtrato, aliiſque ſimilibus ante nongentos annos exaratis, & denique nullum apud Auctores Amalario antiquiores. Verum ad Sacramentaria Gregorianum, & Gelaſianum quod attinet, aperte memoratus fallitur Auctor; in illo enim habetur oratio, quæ communionem præcedit, in qua dicitur Deo, *ut quemadmodum fideles ſe illi offerebant eo die cum frondibus palmarum, & ramorum, ita vellet eos poſt mortem recipere palmis victoriæ præcinctos, & bonorum operum fructibus exornatos*; in hoc autem Dominica ſexta Quadrageſimæ inſcribitur *Dominica in Palmis de Paſſione Domini*; quo ſane titulo edocemur, jam tunc in Romana Eccleſia viguiſſe ritum Palmarum.

Dubitat Grancolas *cap. 53.*, an prædicta oratio adjecta poſtmodum fuerit Sacramentario S. Gregorii, in cujus tamen codice membranaceo, qui aſſervabatur in bibliotecha Reginæ Svetiæ, ſupra octingentos annos exarato, cum minime deſideretur, ut obſervavit Cardinalis Thomaſius, profecto quilibet adimitur ambigendi locus. At ſi Grancolas ut ſupra dubitat, id poſitive affirmat Baillet *tom. 4. in hiſt. hujus diei* de allegatis verbis codicis Gelaſiani; quam tamen uterque a recta decliner via, uberrimum teſtimonium eſt veterrimum Kalendarium Eccleſiæ Romanæ labentis quarti, vel ineuntis ſæculi quinti, quod idem Martene poſtea evulgavit *to. 4. theſauri Anecdot.*, in quo quidem Kalendario hæc leguntur: *Dominica in Palmis ad S. Joann. in Lateranis*, Ex reliquis autem monumentis ſuperius adductis quid unquam inferri poteſt, niſi quod ad ſummum ejuſmodi ritus Eccleſiæ Romanæ in particularibus illis locis, ſeu Eccleſiis nondum erat receptus?

Ex Auctoribus, qui Palmarum ſolemnitatis meminerint, allegantur Cyrillus Hieroſolymitanus *cat. 10.*, Epiphanius, atque Chriſoſtomus; ſed quoniam Baillet ex Cyrilli auctoritate ſolemnitatem, de qua loquimur, inficiatur ſatis inferri, & ſermones SS. Epiphanii, & Chryſoſtomi Auctoribus multo recentioribus attribuuntur ab aliis, nos, quibus non adeo ineſt otii, ut hæc cribare poſſimus, contenti ſumus referre Aldhelmum *de laud. Virg. cap. 15. an. 709.* qui cum Palmarum cœremoniam nobis deſcribat *authentica veterum auctoritate ſubnixam*, opus eſt, illa ad vetuſtiſſima referatur tempora, niſi mavis ad ea Apoſtolorum, a quibus reapſe inſtitutam excogitavit Polydorum Virgilius *lib. 6. de rer. inven. cap. 8.* apud Theatrum vitæ humanæ verb. *Benedictio*. Abs re denique ex Grancola non putamus producere, quod legitur in vita S. Euthimii a Cyrillo Scytopolitano ſcripta, quod videlicet ſolitarii, qui in deſertum ſecedebant poſt Epiphaniam, ut ad feſtum Paſchatis ſe pararent, ad Monaſterium ſuum revertebantur ad feſtum Palmarum celebrandum, quod erat in capite hebdomadæ, qua Dominicæ Paſſionis myſteria celebrantur; ex iis enim compertum manifeſte redditur, quod ſæculo quinto jam in Oriente celebrabatur Palmarum ſolemnitas.

Benedictionis effectus Laurentius Beyerlinck *in laudato Theatro* hoc pacto recenſet; quod nempe primo Deus rogatur, ut geſtantes hos ramos, accipiant benedictionem mentis & corporis in ſalutis remedium, & ad gratiam divinam obtinendam. II. ut ſicut rami virentibus ſunt foliis, ita frondeant opera noſtra virore juſtitiæ, & variarum virtutum pulchritudine. III. ut ſicut Hebræorum populus Chriſto ramis occurrit, & cum ipſo in Civitatem Jeruſalem intravit, ita nos bonis operibus inſtructi, Domino obviam procedamus, ejuſque myſteria ſequentes, per ipſum, & cum ipſo in cæleſtem Jeruſalem admittamur. IV. Ut ſicut Chriſtus de hoſte per Paſſionem ſuam triumphavit, ita & nos ſæpe hoc opus miſericordiæ animo volventes, amore Chriſti accendamus ad pugnam, & ad victoriam de Dæmone, Carne, & Mundo referendam. V. ut in quemcumque locum importati fuerint hi rami, habitatores benedictionem Dei conſequantur, & omni adverſitate fugata, dextera Dei protegantur. Valent ergo etiam contra fulmina, fulgura, & tempeſtates, & contra quaslibet cacodæmonis in perniciem humanam machinationes.

Ivon Carnutenſis *ſerm. 16. in Ramis Palmarum* ita fideles alloquitur: *Hominem humilem ſuper Aſinam ſedentem viderunt, & tamen triumphalem ei gloriam ramos arborum portando, & per viam ſternendo exhibuerunt, laudes ei Imperiales cecinerunt, quia præſago ſpiritu eum triumphatorem diaboli, & mortis & vitæ largitorem cognoverunt. Hujus turbæ, cariſſimi Fratres, formam repræſentatis, cum virentes ramos arborum poſt vexillum ſanctæ crucis in manibus portatis. Et bene repræſentatis, ſi quod virore ſignatur in manibus. ſemper teneatur in moribus, ſi non hyeme decidat, ſi non æſtate marceat, ut dicere poſſitis cum Pſalmiſta: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Triumphalis gloriæ ſignum fuerunt rami Palmarum, qui 1. *Mach. 13.* ante victores deferri ſolebant, imperiales vero laudes *Hoſanna*, aliæque lætantes voces, de quibus *Joan. 12. Matth. 21. Marc. 11. & Lucæ 19.*, iiſdem enim proclamatus fuit Chriſtus Rex, atque Meſſias. Quod dicitur de *præſago ſpiritu*, conforme eſt verbis collectæ tertiæ: *Intellexit enim jam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari &c.*, ſive poſtea id intellexerit ex inſpiratione Spiritus Sancti inſtar Caiphæ, qui Chriſti mortem Gentibus redemptionem prophetavit allaturam, ſive ex præmonitis Prophetarum ſignis, quibus quia multitudo illa credidit, ab Eccleſia in prædicta collecta dicitur *beata*, ſeu ex recenti miraculo ſuſcitationis Lazari, quemadmodum *Joan. 12.* indicari videtur. Quod denique ſubditur de *virore*, ſuperius jam diximus, & in textu Myſterium eſt ſatis expreſſum.

DECRETUM I. CAP. IN ORDINE CXCIII.

Benedictio, & diſtributio Candelarum, & Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. 28. Apr. 1607. *in Oſtien.*

I. BEnedictionis cinerum ſanctio non meminit, ſed abſit, eamdem cogites in diſpoſitione minime comprehendi; nullo enim præ ceteris ſuffulta eſt privilegio, aut aliqua gaudet particulari ratione, ob quam Eccleſiis omnibus, quibus illæ competunt, etiam hæc non debeat convenire. Si quæras, quibus Eccleſiis id juris competat? Reponit Decretum: *Omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus*, ad quarum aliquam cum qualibet Eccleſia attineat, certe nullæ erunt Eccleſiæ, ne quidem Confraternitatum, quæ non valeant ad prædictas benedictiones procedere.

II. Rem clarius elucidat ſequens Decretum, & erit 2. cap. in ord. 194. *An benedictiones, & diſtributiones Candelarum Cinerum, & Palmarum ſint de juribus mere Parochialibus. Reſp. negative* S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 22. Janu. 1704. cum enim ejuſmodi Decretum prodierit ad dirimendas controverſias, quæ Parochos inter, & Laicorum Confraternitates, non ſemel exoriuntur, dum definit memoratas benedictiones non eſſe de juribus Parochialibus, ex reſpondendi methodo, quam item ſervat in aliis ſanctionibus, indubie deſignat, quod etiam fieri poſſunt a Laicorum Confraternitatibus abſque ulla dependentia a Parocho, & maxime quia in hac reſponſione non ſubdit: *ſed fieri debere a Parochis*, uti ſubdere ſolet in aliis reſponſionibus, quæ

proce-

procedunt de re, quæ quidem ita non eſt de juribus Parochialibus, ut a ſolis Parochis fieri valeat privative ad alios quoſcumque, ſed ſolum tamquam ſpecialis prærogativa iiſdem reſervatur Parochis relate ad eaſdem Confraternitates.

III. Quoniam vero hoc Decretum præſervat conventiones, & pacta, conſtitutiones ſynodales, & provinciales, ac conſuetudinem immemorabilem, vel ſaltem centenariam, idcirco ubi quid ejuſmodi militet in ſavorem Parochorum, prædictæ benedictiones haberi non poterunt, non quidem in Eccleſiis Choralibus, quibus a Miſſali injunguntur tamquam portio divinæ pſalmodiæ, ſed in Eccleſiis dumtaxat Confraternitatum, quas ſolas afficit adductum Decretum; & huc ſpectat dictio *Regulariter*, quam tenet primum Decretum capitis; excludit enim Eccleſias Confraternitatum, quatenus aliqua ex memoratis rationibus in ſavorem Parochorum procedat. An autem nihilominus Confraternitates prædictas benedictiones facere valeant pro ſuis, & ſolis Confratribus, atque Sororibus, quæſtio alia eſt, quam ſequens Decretum (erit 3. cap. in ord. 195.) ita dirimit, ut Eccleſiis Confraternitatum ſint quidem inhibitæ, ſi fiant indifferenter pro omnibus, non autem, ſi pro ſolis Confratribus, atque Sororibus; *An liceat Cappellano Confraternitatis* (ſermo eſt de locis, quorum Synodi præfatas benedictiones reſervant Parochis) *facere benedictionem, & diſtributionem Candelarum in ſuo Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in feſto SS. Purificationis? Reſp. affirmative*. Congr. Concil. 24. Sept. 1718.

DECRETUM IV. CAP. IN ORDINE CXCVI.

Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito ad primam dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinent. S. R. C. 21. Martii 1609. *In Piſauren.*

I. ASſignatur Miniſter laudatarum benedictionum, quæ cum ſint ex ſolemnibus functionibus, quæ a Cœremoniali Epiſc. committuntur Epiſcopis, æquum eſt, in Cathedralibus Eccleſiis, abſente, vel impedito Epiſcopo, præſtentur a prima dignitate, quæ in honorificentiis, & dignitate eidem ſuccedit Epiſcopo, & non a Canonico hebdomadario, cujus muneris dumtaxat ſunt functiones communes, & minus ſolemnes. Quod ſi prima dignitas abſens ſimiliter ſit, vel impedita, id ad ſecundam ſpectare dignitatem, & ſic ordine ſucceſſivo, eadem jam evincit ratio, & ſequens (erit 5. cap. in ord. 197.) firmat Decretum. *Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in proceſſione in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cœremonialis Epiſcoporum, abſente vel impedito Epiſcopo, ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive, pertinent*. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Civitaten.*

II. Ita quidem regulariter, & convenienter; ſed quoniam Cœremoniale Epiſc. eaſdem benedictiones disjunctive committit *Canonico hebdomadario, ſeu dignitati, vel alteri, ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat*, abſit, quod nos putemus, quod ſi alia ſit Eccleſiæ conſuetudo, ſervari non valeat. Hinc autem ubertim habes, quod in aliis Eccleſiis a Cathedrali ad Prælatum ſpectabit, vel ſuperiorem, aut digniorem Sacerdotem in illius defectu prædictas benedictiones agere, niſi aliter ferat conſuetudo Eccleſiæ, quæ itidem non minus poterit cuſtodiri.

DECRECUM VI. CAP. IN ORD. CXCVIII.

Abſente Epiſcopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina*.

I. SEnſus eſt, quod ubi Epiſcopus, quando per ſeipſum memoratas benedictiones peragit, ob ſui dignitatem abſolvitur ab onere cantandi ſequentem Miſſam, non ſic eſt de aliis, quicumque ii ſint, qui eaſdem benedictiones faciant, ſed hi etiam ſequentem Miſſam cantare tenentur, ut diſerte etiam præcipiunt Decreta plurima, & non obſcure indicant Cœremonialis verba alibi a nobis producta, quæ eaſdem benedictiones committunt illi, *ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat*. Conſtanter id ubique quoque clamat Miſſale Romanum, quod *eidem celebranti*, qui præcedentes benedictiones peregit, committit etiam *celebrationem Miſſæ ſequentis*, & dubium quodvis adimunt Decreta plurima, de quibus in cap. de Fonte baptiſmali, & de benedictione luſtralis aquæ, quæ dum conſimiles Rubricas ita explicant, *ut ſubſequens Miſſa omnino fieri debeat per eum, qui egit præcedentes benedictiones, etiamſi ſit prima, vel alia dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius corruptela dici debet*, idipſum omnino præſtandum eſſe docent in præſenti, aliove caſu ſimili.

DECRETUM VII. CAP., IN ORDINE CXCIX.

Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti Celebranti in die Purificationis, in feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans; non vero flexis, genibus. S. R. C. 30. Aug. 1664. *in Sutrina*.

I. RItus, quem dignior de clero ſervare debet in dandis celebranti, & ab hoc recipiendis candela, cineribus, & palma, in ſuis reſpective Decretis infra deſcribitur, quare continuo arripimus Decretum aliud (erit 8. cap. in ord. 200.) quod præſenti contraire videtur: *Dignior e clero, a quo celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad altare ſine ſtola, & genuflexus, ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, Palmam a celebrante, & oſculari manum celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam*. S. R. C. 14. Febr. 1705. *in una Cappuccinor. Galliæ*. Super dignioris acceſſu ad altare ſine ſtola, de quo tacet primum Decretum, & præſcribit ſecundum, difficultas non eſt, cum & unanimes conveniant Auctores in exigendo prædictum digniorem in ſuo chorali habitu ſine ſtola, qua de re videri poteſt Gavantus *par. 4. tit. 6. n. 4. lit. m., & tit. 7. n. 14. lit. g.*: quare in eo tota difficultas reſtringitur, quod primum Decretum vult, quod prædictus dignior ea recipiat *ſtans*, ſecundum vero *genuflexus ſicut alii*, & inſuper addit, quod debeat *oſculari manum celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam*, de quo ſilet primum Decretum.

II. Verum hæc facile ad concordiam revocantur, primum namque Decretum diſponit de Eccleſiis Cathedralibus, in quibus cum prædictus dignior ſemper ſit unus ex Canonicis, juxta Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap.* 17. ſtans, & ſolum inclinatus prædicta recipit cum oſculo ſolius Candelæ, & Palmæ, non manus celebrantis. An quod de Canonicis Cathedralium modo diximus, extendendum item ſit ad Canonicos Collegiatarum, negant Bauldryus *part. 5. lib. 2. cap. 9. art. 2. n.* 20., atque Turrinus *par. 2. cap. 2. §. cum Epiſcopus*, ubi Canonicos Collegiatarum ad differentiam Canonicorum Cathedralium faciunt Candelas genuflexos accipere, niſi immemorabilis obſtet conſuetudo contraria. Quoniam tamen ſub die 11. Julii 1739. a S. R. C. prodiit Decretum quoddam, quod Canonicos Collegiatarum tanquam perſonas graduatas, & quaſi in dignitate conſtitutas qualificat, eoſquem ad inſtar Canonicorum Cathedralium quoad genuflectendum, vel inclinandum Epiſcopo, & altari conſiderandos eſſe definit, *ſecluſa conſuetudine in contrarium*, idcirco niſi habeant genuflectendi conſuetudinem, inſtar Canonicorum Cathedralium nedum dignior præfatus, ſed Canonici omnes Collegiatarum, non genuflexi, ſed ſtantes Candelas, Cineres, & Palmas recipient cum oſculo ſolius Candelæ, & palmæ, non manus celebrantis: Diximus *cum oſculo ſolius Candelæ, & Palmæ* omiſſis Cineribus, quia accipiens Cineres, quicumque ille ſit, abſtinet ab eorumdem oſculo, & manus celebrantis; & hæc eſt cauſa, ob quam ſecundum Decretum loquendo de illis ipſis, qui genuflexi ſupradicta debent recipere, ubi de oſculo manus celebrantis loquitur, dumtaxat habet; *& oſculari manum celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam*.

III. Decretum vero ſecundum diſponit de aliis Eccleſiis, quæ Cathedrales non ſunt, & dubitandi adimit rationem quamlibet Data ejuſdem Decreti, quæ lata fuit *in una Cappuccinorum*; in his autem Eccleſiis quilibet de Clero, etiam dignior ipſe juxta Rubricam Miſſalis *de bened. Palm.* genuflexus recipit, & ramum, & manum celebrantis oſculatur, *ſolis exceptis Prælatis, ſi adſint*, quemadmodum etiam præſtant in Cathedralibus Beneficiati, & Manſionarii ad differentiam Canonicorum juxta præſcriptum Cœremonialis *loc. cit.* Circa ſuperiorem Eccleſiæ, ſi ipſe benedictionem non peragat, nonnulli dubitationem excitant, ſed cum Rubrica omnibus indiſtinctim, quinimmo cum exceptione Prælatorum genuflexionem injungat, reliquis de Clero eumdem copulare videtur; & idipſum eſt de laudato Decreto 1705., quod ſimiliter digniorem (Guardianum nempe, cum ſermo in eo ſit de Cappuccinis) genuflexum ut ſupra facit recipere, & oſculari. Bauldyus tamen, & Biſſus ſuperiorem Eccleſiæ a genuflexione, & ab oſculo manus celebrantis abſolvunt; & quidem videtur congrue, quia ſuperior a reliquis in honorificentiis debet diſtingui, neque contraria credi debet Rubrica, quæ vel ſupponit ſuperiorem benedictiones peragere, aut eumdem excipit Prælatorum nomine. Verum nobis non quadrat admodum opinio ejuſmodi, quia nimis ample explicat Prælatorum nomen, & ſcite dixeris contra etiam intentionem Rubricæ, quæ probe conſcia, ſe aliter expreſſiſſet, ſi voluiſſet. Vix itaque, & adhuc ægre forſitan id dici poteſt de ſuperiore Eccleſiæ Regularis, qui ſi comprehenſus non eſt in memorato Decreto 1705., cum gaudeat juriſdictione quaſi Epiſcopali, aggregari poſſe videtur Prælatorum claſſi, quos Rubrica in exceptis collocat.

DECRETUM IX. CAP. IN ORD. CCI.

Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Julii 1626. *in Pientina*.

I. AD majeſtatem Epiſcopalis dignitatis pertinet, quod Epiſcopus ſedens cum Mitra in capite Candelas,

Cineres diſtribuat, & Palmas, & ideo quicumque alii, qui iiſdem benedictionibus incumbunt, ſtantes detecto capite eas diſtribuere debent Canonicis, licet ſint dignitates, aut Prælatis Regularibus ne quidem exceptis, unde quod ſubdimus (erit 10. cap. in ord. 202.) de Canonicis habet Decretum: *Sacerdos, etiamſi ſit dignitas, vel Canonicus abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens palmas juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto*, S. R. C. 31. Martii 1629. *in Pientina*. Conſonat autem utraque ſanctio Rubricæ Miſſalis, quæ *de bened. Candel. num. 4.* habet: *Poſtea celebrans ſtans in medio ante altare verſus populum diſtribuit Candelas primum digniori, a quo ipſe acceperat, deinde Diacono, & Subdiacono*; & ad rem, de qua agitur, concordat item Cœremoniale Epiſc. in ſuis reſpective locis.

DECRETUM XI. CAP. IN ORD. CCIII.

Prima dignitas dat Candelam Epiſcopo in feſto Purificationis B. M. V., & Epiſcopus det ſtatim primæ dignitati ante Vicarium Generalem, S. R. C. 14. Junii 1608., & 28. Maji 1616.

I. QUam in Decr. 7. ſuperius produximus, lex eſt de Canonicis, dum celebranti porrigunt, vel ab eo recipiunt Candelam, aut Palmam, modo ſea alia ponitur, quando Candelas, aut Palmas diſtribuit Epiſcopus; tunc enim dignior Canonicus juxta Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 16., & 21.* pluviali indutus, accipit de manu ſacriſtæ, aut camerarii Candelam, aut Palmam pulchre ornatam, & cum debita reverentia oſculatam, ſtans dat in manu Epiſcopi, quam pariter oſculatur. Ipſe vero dignior Canonicus primus omnium ab eodem recipit Epiſcopo ſtans Candelam, aut Palmam, hanc oſculando, & ſimul manum Epiſcopi porrigentis, & poſtea ſuccedunt alii Canonici parati, ac reliqui ſecundum ordinem a Cœremoniali præſcriptum, in acceptione Candelæ, aut Palmæ; ſed cum idem Cœremoniale ſubdat: *ſed Canonici parati non genuflectunt ante Epiſcopum, quando capiunt Candelas, ſed tantum profunde inclinant*, ea exceptionis regula aruitur, quod quicumque alii accipere debent cum oſculis Candelæ, & manus, a quibus neque abſolvitur prædictus dignior.

II. Secus Cœremoniale diſponit de Cineribus, quorum impoſitio non a digniori Canonico, ſed a Canonico ſequentem Miſſam facturo per hæc verba mandatur: *Canonicus celebraturus Miſſam ſolus accedit ad eum, facta altari reverentia, & imponit cineres in caput ipſius ſedentis*. Cœremoniali conſonant ſanctiones quæque, unde ſequens, quæ erit 12. cap. in ord. 204. *Cineres Epiſcopo miniſtrare feria quarta cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum eo die celebrantem pertinet*. Ead. Congr. 28. Maji 1616. *in Brixien.* Et hocce Decretum nec eam patitur expoſitionem, ut eatenus ad celebrantem attineat, quatenus ad primam dignitatem ſpectet ea die celebrare, quoniam diſerte nimis explicat, dum dicit, quod *non pertinet ad primam dignitatem, ſed ad canonicum eo die celebrantem*, adeoque ad canonicum, quicumque ille ſit, qui eo die celebret. Idipſum ſane evidentius commonſtrat, quam ſubdimus (erit 13. cap. in ord. 205.) ſanctio: *Cum Epiſcopus benedicit cineres, debet celebrans imponere cineres Epiſcopo. Quæritur, an id ſervari debeat in die Candelarum, & Palmarum. Reſponſum fuit: ſervetur Cœremoniale in cap. 16. de feſto Purif., & in cap. 21. de Dominic. Palmar.* S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brundaſina*. Probat namque cineres Epiſcopo a celebrante miniſtrari: at quantum attinet ad Candelam, & Palmam, ſervari mandat Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 16., & 21.*, ubi diſertis verbis præſcriptum manet, quod Epiſcopo a digniori Canonico, & non a celebrante diſpenſantur. Diſcriminis tamen facile eſt invenire cauſam, nam dum Epiſcopus benedicit cineres, præſens eſt Canonicus, qui poſt benedictionem (cum proceſſio eo die non fiat) debet illico Miſſam facere, & ideo non dignioris Canonici, ſed celebrantis, ut par eſt, muneris eſſe debet Epiſcopo imponere cineres, in caſu autem benedictionis Candelarum, atque Palmarum, cum ad eam non ſequatur immediate Miſſa, ſed proceſſio, præſens non eſt Canonicus, qui ſequentem Miſſam debet facere, ſed paratur in ſacriſtia tempore proceſſionis, ut ad hujus finem præſto eſſe valeat pro decantanda Miſſa, unde non poteſt Epiſcopo Candelam, aut Palmam tradere, ſed id præſtare debet dignior Canonicus paratus.

III. Fallor, ſi deſit, qui dixerit, & nobis ſuperius traditis ſequens (erit 14. cap. in ord. 206.) contraire Decretum: *Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, & Palmas, Celebrans, & Miniſtri debent ſedere capitibus coopertis*. S. R. C. 28. April. 1708. *in Bracharen.* Non poſſunt namque ſedere, niſi ſint præſentes, quare profecto opus eſt, quod adeſſe iidem debeant etiam ad benedictionem Candelarum, atque Palmarum. Verum dubium eſſe non poteſt, quin irrepſerit error in exaratione Decreti, ita ut legendum in eo ſit: *Dum Epiſcopus diſtribuit Cineres*, non autem item *Candelas, & Palmas*, in quarum diſtributione, dum fit ab Epiſcopo, illos præſentes non eſſe, manifeſte eruitur ex Cœremoniali Epiſc., quod habet de benedictione Candelarum: *Interea dum fit proceſſio Canonicus, aut alius Miſſam celebraturus cum Diacono, & Subdiacono capiant ſua paramenta convenientia*. Quod ſi celebrans, & Miniſtri intereſſent etiam benedictioni Candelarum, aut Palmarum, haud dubito, quod non ad primam dignitatem, ſed ad celebrantem ſpectaret eaſdem Epiſcopo tradere, quemadmodum ad eum ſpectat Cinerum miniſtratio. Unus caſus eſt, in quo poſſet hoc evenire, quoties nempe Epiſcopus aſſiſteret benedictioni, ſed ipſe eam non faceret, & nihilominus diſtribueret, irregularis tamen nobis eſſe videtur, ne dicamus contrarium Rubricis, quæ diſtributionem illi committunt, qui benedictionem peregit.

IV. Ubi igitur Candelam, & Palmam Epiſcopo dat, & primus recipit dignior Canonicus paratus, Cineres imponit celebrans ejuſdem capiti ſedentis ſine Mitra, & ſine Birreto; ipſe vero ab Epiſcopo eoſdem recipit, non genuflexus, ſed ante eum inclinatus, neque Cineres, aut manum oſculatur Epiſcopi, & deinde ſuccedunt alii in receptione Cinerum inſtar eorum, quæ ſuperius dedimus de receptione Candelarum, ſed nemo ex recipientibus oſculatur Cineres, aut manum Epiſcopi. Quoad ſacros vero Miniſtros ſequens (erit 15. cap. in ord. 207.) attendi debet Decretum; *Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis*. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana*. Ejuſdem autem ſenſus eſt, quod ubi in Eccleſiis non Cathedralibus poſt digniorem de Clero recipiunt Cineres, Candelas, & Palmas Miniſtri ſacri parati, ſic ſtatuente Rubrica Miſſalis, ubi agit de ejuſmodi benedictionibus, non ſic eſt in Eccleſiis Cathedralibus, in quibus ſi ſacri Miniſtri fuerint Canonici, debent quidem & ipſi prædicta recipere immediate poſt præfatum digniorem, & ante alios Canonicos, ſed quoties Miniſtri non forent Canonici, ſed Beneficiati, aut Manſionarii, tunc poſt digniorem prius excipiunt Candelas, Cineres, & Palmas Canonici omnes, quamvis non ſint parati, & poſt eos ſuccedunt laudati Miniſtri ſacri, nulla habita ratione, quod miniſtrent parati, ſicuti ſtatuit Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 19.*

DECRETUM XVI. CAP. IN ORDINE CCVIII.

In proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur Candela majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta, & honoratior Palma, quam ceteris de capitulo, S. R. C. 21. Apr. 1736. *in Anagnina*.

I. BEnedictionis, & Proceſſionis Candelarum hic erit ritus, quoties officium fit de Purificatione B. Mariæ, aut de alio feſto extra Dominicam; quando enim incidit in Dominicam, nonnulla particularia habet, quæ in ſequenti Decreto dare reſervamus. Ultra credentiam, in qua præter conſueta pro Miſſa ſolemni, ponitur hodie lana cum medulla panis, & baccala cum pelvicula, & manutergio pro lavandis, & abſtergendis manibus poſt diſtributionem Candelarum, vas aquæ benedictæ & thuribulum cum navicula, atque Ritualia, ſeu libri proceſſionales, paratur quoque in plano prope cornu Epiſtolæ alia menſa mappa munda cooperta, ſuper quam collocantur candelæ ceræ albæ benedicendæ, quæ pulchro linteo teguntur. Ex parte Epiſtolæ in loco ſolito collocatur itidem crux proceſſionalis, & quatenus in altari, in quo facienda eſt benedictio candelarum, adſit SS. Sacramentum in tabernaculo incluſum, neceſſe non eſt, illud amoveatur, Cœremoniale namque Epiſc. *lib. 2. cap. 17.* Celebranti præcipit, ut genuflectat, ſi ibi aderit SS. Sacramentum in tabernaculo.

II. Circa finem Tertiæ ſuper pallium coloris officio convenientis ponitur pallium aliud violaceum, & ſimili conopæo veſtitur tabernaculum ſuper conopæo coloris officii poſito, & ablatis cuſſinis officii ſuper altare collocantur pulvinaria item violacea, ſi hoc antecedenter non fuerit præſtitum, uti fieri poſſe non refragantur Auctores. Sex candelæ altaris accenduntur circa finem ejuſdem Tertiæ, qua expleta, a ſacriſtia exeunt, & ad altare accedunt Sacerdos indutus alba, ſtola, & pluviali violaceo, Diaconus alba, ſtola diaconali, & planeta plicata ſimiliter violacea, & ſubdiaconus alba, & planeta plicata ejuſdem coloris, omnes ſine manipulis, tecto capite. Præcedit thuriferarius ſine thuribulo junctis manibus, nudo capite, habens a ſiniſtris alium acolythum ſimiliter incedentem, qui ſuo tempore inſerviet de vaſe aquæ benedictæ. Sequuntur ceroferarii deferentes candelabra cum candelis accenſis, deinde Cœremoniarius etiam nudo capite, & junctis manibus, ſed hic & incedere poteſt omnium primus, maxime ubi eſt concurſus plurimus, ut cum baculo viam paret ſequenti clero. Omnium ultimus procedit celebrans medius inter ſacros miniſtros elevantes fimbrias anteriores pluvialis manu proximiori, altera infra pectus admota. Quod ſi celebrans in ſtola ſine pluviali functionem peragat, tunc etiam ſacri miniſtri abſtinebunt a planetis plicatis, & incedent unus poſt alium manibus junctis, & tecto capite.

III. Ut ad altare venerunt, deponunt de more birreta, & ceroferarii candelabra ſuper credentiam, celebrans medius inter ſacros miniſtros aſcendit ad altare quo oſculato in medio vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi medius inter ſacros miniſtros (ita tamen ut Sacri miniſtri aliquantiſper diſtent ab altari) manibus non extenſis, ſed junctis incipit in tono feriali *Dominus vobiſcum*, non vertens ſe ad populum, & ſequentes orationes recitat, ſed dum dicit *Oremus*, vel profert nomen *Jeſu*, vertit ſe ad crucem (ſemper tamen junctis manibus) & caput inclinat. Ubi autem in orationibus reperit hoc ſignum ✠, celebrans manu dextera benedicit candelas, ſuper illas producendo ſignum crucis, ſiniſtra ſuper altare poſita, & diaconus a dexteris elevat fimbriam anteriorem pluvialis, ut celebrans libere dexteram movere poſſit. Interim vero

a de

ii de choro ſtant verſus altare nudo capite, inclinantes ſe ad nomen *Jeſu*, & reſpondentes celebranti, quando opus eſt.

IV. Equidem Rubrica celebranti facit liberum, ſtare vel in medio altaris, vel ad cornu Epiſtolæ, dum benedicit candelas, ſed cum candelæ debeant eſſe ſuper menſulam in plano ex parte Epiſtolæ poſitam, conſultius apparet fieri a Sacerdote ſtante in cornu Epiſtolæ. Quoniam tamen nonnullarum minorum Eccleſiarum uſus eſt, qui quoad candelas, dummodo ſint in parvo numero, fortaſſe tolerari poteſt, candelas ſuper altare ponere, tunc Sacerdos in medio altaris ſtans, benedicat candelas ſuper altare ex parte Epiſtolæ collocatas. Dum autem Celebrans dicit ultimas orationes, præſto erit thuriferarius cum thuribulo, in quo tempeſtive poſiti ſint carbones ardentes, & alter acolythus cum vaſe aquæ benedictæ.

V. Finitis orationibus celebrans diacono miniſtrante naviculam cum ſolitis oſculis ponit incenſum in thuribulum, illud benedicens per verba *Ab illo benedicaris &c.* more ſolito; quo facto recedit thuriferarius navicula accepta, quam ſuper credentiam collocat, & accedit acolythus aquæ benedictæ, qui ſine oſculis aſperſorium porrigit diacono, & hic illud dat celebranti cum oſculo aſperſorii, & manus ipſius celebrantis, qui dicens remiſſiori voce *Aſperges me* ſine pſalmo, ter aſpergit candelas, in medio ſcilicet, a dexteris, ideſt in parte ſuæ ſiniſtræ oppoſita, & a ſiniſtris. Deinde more ſolito per diaconum reddito aſperſorio acolytho, qui cum vaſe aquæ benedictæ ſuper credentiam illud collocat, idem diaconus a thuriferario eadem prorſus ratione accipit thuribulum, illudque dat celebranti, qui ter incenſat candelas eodem modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens. Quibus incenſatis diaconus cum ſolitis oſculis a celebrante recipit thuribulum, illudque tradit thuriferario, qui illud recipit ſine oſculis, atque collocat in loco congruo.

VI. Completa ut ſupra benedictione candelarum, celebrans accedit ad medium altaris, diacono, & ſubdiacono hinc inde comitantibus, & facta mediocri inclinatione cruci, vertit ſe ad populum una cum ſacris miniſtris diacono remanente a latere Epiſtolæ, & ſubdiacono a latere Evangelii, qui ſtabunt toto diſtributionis tempore in medio ſuppedanei, paululum tamen remoti ab ora illius, ut qui accepturi ſunt candelas, commode ſuper eam genuflectere valeant; ſi autem ſuppedaneum ſit valde anguſtum, tunc hi ſuper ſecundum gradum genuflexi, candelas accipient. Celebrans autem ſtat nudo capite, & renibus ad altare verſis inter ſubdiaconum, qui a dexteris ejus pluviale ſuſtinet, & diaconum, qui a ſiniſtris candelas ab acolytho acceptas, oſculatas prius, ut infra tradit diſtribuendas.

VII. Tum dignior de choro in ſuo habitu chorali ſine ſtola pergit ad altare, & ante infimum altaris gradum facta genuflexione unico genu cruci (ſi ſit Canonicus, vel Prælatus profundam tantum facit reverentiam, niſi in tabernaculo incluſum lateat Sanctiſſimum Sacramentum), & celebranti profunda reverentia, aſcendit ad gradum proximiorem ſuppedaneo, ubi candelam pulchriorem, & majoris ponderis accipit a diacono ſine oſculis, & ſtans eam tradit celebranti ut ſupra ſtanti, quam uterque oſculatur, ille antequam tribuat, hic poſtquam acceperit, neuter tamen alterius manum oſculatur. Acceptam autem candelam celebrans mox tradit alicui Capellano, vel acolytho tenendam, donec facta ſit tota diſtributio. Deinde celebrans accipit candelam alteram a diacono, qui eam tradens oſculatur quidem ſed non manum celebrantis, qui eamdem dat prædicto digniori, a quo ipſe ſuam acceperit, genuflexo ſuper altaris ſuppedaneum. Qui dignior candelam oſculatur, non manum celebrantis, & poſtea ſurgit, deſcendit in planum (advertens ne terga directe vertat celebranti) ubi iterum ad altare convertitur, & eidem facta genuflexione, & celebranti profunda inclinatione, revertitur ad ſuum ſtallum.

VIII. Advertunt Biſſus, atque Bauldryus, & jam nos ſuperius diximus, quod ſi dignior de clero ſit Canonicus, vel Prælatus, neque genuflectit, neque oſculatur manum celebrantis, ſed ſtans accipit candelam a celebrante, nec hujus manum oſculatur, ſed ſolum candelam, & quando recedit, non facit cruci genuflexionem, ſed ſolam reverentiam, quam itidem celebranti repetit. Nam idipſum præſtet ſuperior Eccleſiæ, maxime Regularis, qui cum juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudeat inter Prælatos non immerito connumeratur, ſi ob rationabilem cauſam aliquam non benedicat candelas, lector recolat a nobis tradita in Decr. 7. præſentis capitis. Dum autem nos præſens Decretum edocet, quod Præpoſito Cathedralis dari debet candela majoris ponderis, & honoratior palma, idipſum faciendum eſſe inſimul inſtruit circa quemcumque Eccleſiæ ſuperiorem, qui cum prælationem Eccleſiæ teneat, æquum etiam eſt, in honorificentiis ſecernatur a ceteris, quemadmodum & Canonici a Beneficiatis, & Manſionariis, populo autem diſtribuuntur minutiores.

DECRETUM XVII. CAP. IN ORDINE CCIX.

In feſto Purificationis B. M. non diſtribuantur, niſi præſentibus in Eccleſia, candelæ benedictæ, & ad ægrotos tantum mittantur. Congr. Epiſc. anno 1581. apud Gavantum *in manuali Epiſc. verb. Benedictio n. 13.* & apud Meratum *par. 4. tit. 14. n. 9.*

I. Poſt digniorem de clero, miniſtri Sacri parati genuflectunt ſuper ſuppedaneum, ideſt diaconus a dexteris, & ſubdiaconus a ſiniſtris, & ſic genuflexi candelas accipiunt a celebrante, eidem ab aliquo acolytho porrectas. Miniſtri vero prædicti eam accipiendo oſculantur, & deinde celebrantis manum, & poſtea ſurgunt, & cum debitis reverentiis ad locum ſuum redeunt, nempe diaconus a ſiniſtris ut ſupra, & ſubdiaconus a dexteris celebrantis, cui ut ſupra iterum inſerviunt, diaconus miniſtrando candelas diſtribuendas, ſubdiaconus elevando anteriorem pluvialis fimbriam; depoſitis ſuis candelis ſuper altare, vel per aliquem acolytum, cui eas tradunt, ſuper credentiam collocatis. Poſt Sacros miniſtros accedunt alii bini de clero primo digniores, deinde alii, & omnes genuflexi recipiunt ſuas candelas, quas prius oſculantur, & poſtea celebrantis manum, non digitos, quod eſt advertendum contra aliquorum morem perperam introductum.

II. Cathedralibus ſi ſacri miniſtri fuerint Canonici, ut ſupra poſt digniorem candelas accipiunt, non tamen genuflexi, ſed tantum inclinati, nec oſculantur celebrantis manum, ſed tantum candelas, neque accedentes, vel recedentes cruci faciunt genuflexionem, ſed ſolam reverentiam; quod & præſtant omnes alii Canonici, qui poſtmodum per ordinem ſuccedunt ad accipiendas candelas. Si vero iidem Sacri Miniſtri non fuerint Canonici, prius Canonicis fit diſtributio, licet non ſint parati, & Sacris Miniſtris nonniſi poſt Canonicos ante Beneficiatos, & Manſionarios, & tunc tam illi, quam iſti genuflexi candelam accipiunt, & oſculantur candelam, & manum celebrantis, & accedentes, & recedentes ut ſupra cruci genuflexionem faciunt; quid autem canonici collegiatarum præſtare debeant, jam diximus in Decr. 7. hujuſce capitis.

III. Epiſcopo, dum ipſe Sacram functionem peragit, prohibetur mulieribus Candelas diſpenſare, quia cum ipſe in ſua ſede Epiſcopali Candelas pro ſua dignitate diſtribuat, fœminis eaſdem diſtribuere non poteſt, non quia ſit inhibitum mulieribus Candelas diſpenſare, ſed quia eædem prohibentur ab ingreſſu presbyterii, a quo cum etiam arceatur populus, & aliæ laicales perſonæ, idcirco conveniens eſt, nec his Epiſcopus Candelas diſtribuat, ſed magis, quatenus id placeat Epiſcopo, aut ferat Eccleſiæ conſuetudo, deputari poterit aliquis Sacerdos, qui indutus cotta, & ſtola coloris violacei ad cancellos presbyterii laicis minutiores Candelas diſtribuat, maſculis, & fœminis, ſed maſculi oſculabuntur Candelam, & manum Sacerdotis, fœminæ vero ſolam Candelam, abſtinebunt ab oſculo manus Sacerdotis; cui interim, dum diſtribuuntur, ab aliquo Acolytho ſubminiſtrabuntur cum ſolo Candelarum oſculo. Quoniam tamen non ita validis maſculi arceantur de cauſis ab ingreſſu presbyterii, ac fœminæ, idcirco harum nullæ, illorum aliqui permittuntur presbyterium ingredi ad accipiendas Candelas ab Epiſcopo, quando huic ita placuerit.

IV. Quod ſi Sacerdos aliquis, qui Epiſcopus non ſit, Candelas diſtribuat, completa ut ſupra diſtributione ad altare, medius inter ſacros Miniſtros deſcendit ad cancellos, ubi populo utriuſque ſexus candelas pari diſciplina diſpenſat, ſibi ſubminiſtratas a Diacono, & huic ab aliquo Acolytho. Quatenus vero ipſe nolit eas ad cancellos diſtribuere, nil vetat, ut ſupra deputari Sacerdotem aliquem, qui interim illas diſpenſet, dum ipſe Clero, aliiſque ut ſupra diſtribuit. Nos autem non approbamus morem illarum Eccleſiarum, quæ Candelas, & Palmas, quoties multa eſt frequentia populi, per plures Sacerdotes per Eccleſiam diſpenſant, quia ejuſmodi diſpenſatio vix inſeparabilis eſt a confuſione plurima, & abſurdis, unde nonniſi ad cancellos presbyterii eamdem fieri debere putamus.

V. Cum itaque juxta Rubricas Palmarum, & Candelarum ut ſupra diſtributio accedentibus fieri debeat, hinc elucet ratio Decreti, quod nonniſi præſentibus eaſdem mandat diſtribui, & ab hac lege ſolos excipit infirmos, aliosque id genus, qui cum legitime impediti ad Eccleſias accedere non valeant, digni non ſunt, qui a commodis, & ſpiritualibus beneficiis plurimis, quæ a candelis benedictis in nos præſertim emanant, ab Eccleſia repellantur, uti ſunt ſani, aliique, qui dum non accedunt, eoſdem ſpirituales fructus parvipendere videntur. Sancta utique eſt ejuſmodi lex, & eo magis, quod ab expenſis gravioribus Eccleſias eximit, & licet utentium moribus non fuerit recepta, & per contrarium uſum derogata, digna tamen eſt, quæ per Eccleſiaſticas ſanctiones innovetur, & ad praxim deducatur, ſicuti reapſe innovata extitit per ſequens Decretum quod (erit 18. cap. in ord. 210.) definit: *Candelæ in die Purificationis diſtribui tantum debent præſentibus, nullatenus abſentibus, & ne quidem Epiſcopo.* Congr. Concil. 22. Sept. 1736., & 9. Febr. 1737.

VI. Num Candelæ diſtribui debeant accenſæ, vel extinctæ, dubium excitat Gavantus *par. 4. tit. 14. lit. g.*, & Ordinem Romanum allegans, ſatius putat eaſdem accenſas diſtribui, & idipſum ſentit Biſſus *lit. c. num. 61. §. 1.*, licet nec refragentur utrumque poſſe ſervari. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 3. cap. 5. num. 2.* tunc primum accendi imperat, cum inchoatur proceſſio, nec diſſimiliter ſtatuit Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 17.*, licet in præcedenti capite fortaſſe libitum faciat, dum præmiſſo, quod ante proceſſionem, accendi debet Candela Epiſcopi, & pariter omnium aliorum, maxime de Clero, illico ſubdit: *Niſi a principio fuiſſent accenſæ.* Quidquid tamen ſit, omnino diſtribui debent extinctæ, alias quippe vix commode diſtribui poſſent cum tot oſculis, qualia ſuperius deſcripſimus, & ægre vitari poſſet, ne fluens cera ſacras polluat veſtes, ut taceam, quod ut minimum duo deberent eſſe occu-

Cavalieri Tom. IV. H 2 pati

pati in tenendis Candelis Celebrantis, & Diaconi, dum diſtribuito peragit.

VII. Statim ac vero inchoatur diſtributio Candelarum, cantores incipiunt cantare antiphonam *Lumen ad revelationem* quam chorus proſequitur uſque in finem, & integre repetit poſt ſingulos verſus cantici *Nunc dimittis*, qui a ſolis cantoribus decantantur: canticum autem *Nunc dimittis* cantatur quoad ſolos priores tres verſus, quia cum quartus verſus omnimode coincidat cum antiphona, per quam ut ſupra intercalatur quilibet verſus ejuſdem cantici, alias ter ſucceſſive deberet concini *Lumen ad revelationem* cum abſurditate maxima, pro verſu nempe, & pro antecedenti, & ſubſequenti antiphona. Quæ ſi non ſufficiant pro toto diſtributionis tempore, repetenda quidem erunt, ita tamen, ut verſus *Gloria Patri*, ſemel tantum dicatur in fine diſtributionis, ſicuti communiter ſtatuunt Auctores, & præſertim Biſſus *lit. B. num.* 84. §. 11., & Bauldryus *par.* 4. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 22.

VIII. Completa diſtributione Candelarum, & non prius, cantores in choro intonant antiphonam *Exurge*, quam Chorus proſequitur, & interim Celebrans, ſi diſtributio Candelarum terminata ſit ad altare, accedit ad cornu Epiſtolæ, & ibi ſtans in ſuppedaneo manus ſuas lavat, & eas etiam fricat cum medulla panis, atque poſtmodum extergit, neceſſaria miniſtrantibus Acolythis, & ſacris Miniſtris anteriores partes pluvialis illius hinc inde elevantibus. Quod ſi diſtributio ad cancellos Eccleſiæ terminata fuerit, per planum procedit Celebrans ad latus Epiſtolæ, & ibi prope credentiam in plano ut ſupra lavat manus, quibus lotis aſcendit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſubmiſſa voce dicit antiphonam *Exurge* cum ſuo pſalmo, quæ ut repetita fuerit a choro, idem Celebrans ad Crucem converſus, manibus junctis dicit *Oremus*, & poſtea, ſi hoc feſtum acciderit poſt Septuageſimam, & non in die Dominica, illico dicit Diaconus *Flectamus genua* omnibus genufleſtentibus excepto ſolo Celebrante, & Subdiaconus primus omnium ſurgens ſubdit *Levate*, & poſtmodum Celebrans junctis item manibus dicit orationem *Exaudi*, quam poſt *Oremus* idem Celebrans ſtatim recitat, quando Purificationis feſtum venerit ante Septuageſimam, aut in die Dominica, licet poſt Septuageſimam.

IX. Ubi ſacri Miniſtri ſtare debeant, quando reſpective dicunt *Flectamus genua*, & *Levate*, diſſident Auctores; Bauldryus namque, Biſſus, atque Gerlacus Vinitor Diaconum collocant a dexteris Celebrantis, & Subdiaconum a ſiniſtris Diaconi, Nicolaus vero Bralion *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. eoſdem poſt Celebrantem ſtatuit, & cum ejuſmodi modus ſit conformis loco ordinario in quo ſacri Miniſtri prædicta concinunt, hac in parte adhærendum nos eſſe credimus Merato *par.* 4. *tit.* 4. *nu.* 16., ubi eamdem agendi rationem magis laudat, & præſertim quia ſic ſacri iidem Miniſtri facilius, & decentius poſſunt genufleſtere, & adhuc promptè aſſiſtere Celebranti, ad quem propterea de more accedent illico, ut folia vertant, ſi opus eſt.

X. In minoribus vero Eccleſiis omnia ut ſupra præſtabunt, ſi fieri poteſt, ſin, etiam Candelarum benedictio fieri poteſt in ſola ſtola, & ſine ſacris Miniſtris, & abſque cantu, & in defectu Diaconi, Acolythus elevat anteriorem partem pluvialis, dum Sacerdos format ſignum Crucis ſuper Candelas, & Acolythis iiſdem miniſtrantibus aſpergit, & incenſat eaſdem. Poſtea ſua Candela accepta ab aliquo presbytero, ſi adſit, reliquas in medio altaris ſtans diſtribuit clero, & ad cancellos laicis. Dum fit diſtributio cantatur in choro antiphona *Lumen ad revelationem*, & canticum *Nunc dimittis*, ſed ſi cantores deſint, eadem legat Celebrans in cornu Epiſtolæ ante diſtributionem, qua expleta lavat manus, & deinde dicit ut ſupra orationem *Exaudi*, a ſe præmiſſo *Flectamus genua*, ſi dicendum eſt, & ab Acolytho reſponſo *Levate*. A Sacerdote item dicitur *Flectamus genua* iis in Eccleſiis, quæ licet chorales ſint, uſum non habent ſacrorum Miniſtrorum, uti ſunt illæ Ordinis Cappuccinorum, ſed tunc non ab Acolytho, ſed a choro reſpondetur *Levate*. Quotieſcumque autem a Sacerdote dicitur *Flectamus genua*, ſemper genufleſtit, ut docent Biſſus *lit. m. nu.* 151., atque Meratus *loc. cit. nu.* 2., Gavantus enim, dum *par.* 4. *tit.* 14. *lit. i.* dicit, quod Celebrans numquam genufleſtit, loquitur de caſu, in quo habetur aſſiſtentia Diaconi.

XI. Finita oratione, Celebrans accedit ad medium altaris, ubi ſtans imponit incenſum in thuribulum, illudque benedicit more ſolito. Tum Subdiaconus benedictionis accipit Crucem proceſſionalem ſibi allatam ab aliquo Acolytho, & præcedente thuriferario, medius inter ceroferarios vadit ad aditum Cappellæ, ibique ſiſtit ſe verſa facie ad altare, donec omnes de choro, qui eum ſequentur, hinc inde in presbyterio ordinati fuerint. Interim Diaconus cum debitis oſculis Candelam porrigit Celebranti, & mox ipſe accepta item ſua Candela, genufleſtit, ſurgit, & ſtans verſus populum a tergo Celebrantis, alta, & ſonora voce cantat: *Procedamus in pace*, quo dicto chorus reſpondet: *In nomine Chriſti Amen*, & tunc, & non prius Celebrans vertit ſe ad populum, deſcendit in planum, ubi facta reverentia altari, cum oſculis accipit birretum a Diacono, qui etiam accipit ſuum a Cæremoniario, vel ab alio Miniſtro.

XII. Mox hoc ordine inchoatur proceſſio; Præcedit omnium primus thuriferarius, ſequitur crucifer medius inter ceroferarios, poſtea Clerus, & ultimo Celebrans capite tecto, habens Diaconum a ſiniſtris, qui item procedit tecto capite, abſque eo quod elevet pluvialis fimbriam, & omnes Candelas accenſas deferunt manu extima, non tamen thuriferarius, neque crucifer, & ceroferarii. Hæc proceſſio juxta Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. fit *circumcirca Eccleſiam, vel alias ſecundum ritum Eccleſiarum*, & quatenus vel ob pluviam, vel aliam cauſam fieri nequeat extra Eccleſiam, facienda erit intra illam, & tunc Biſſus *lit. P. n.* 221. §. 1., *&* *nu.* 225. §. 4. inchoandum eſſe cenſent a latere Evangelii. Quarti vero *de Proc. ſect.* 1. *punct.* 6. *num.* 11., & Caſtaldus *lib.* 10. *ſect.* 10. *cap.* 1. *num.* 12. a latere Epiſtolæ, & terminandam ad latus Evangelii; nos tamen magis ſtaremus a parte Biſſi, cujus incedendi modus cum ſemper ſit a dexteris, videtur convenientior, & præferendus, niſi obeſſet Cœremonialis Epiſc. figura, quæ proceſſionem incipit a latere Epiſtolæ, illamque terminat ad Evangelii latus.

XIII. In proceſſione cantantur antiphonæ *Adorna thalamum*, & aliæ in Miſſali deſcriptæ, quæ ſi non ſufficiant, repetuntur, & quoties proceſſio ſit admodum brevis, aliquæ omittuntur, ita ut earumdem cantus duret, quamdiu durat proceſſio. Revertens proceſſio dum Eccleſiam ingreditur (vel presbyterium, ſi proceſſio non exiverit Eccleſiam) cantatur reſponſorium *Obtulerunt*; monent autem Auctores, quod tum antiphonæ, tum reſponſorium ejuſmodi ita cantantur a cantoribus, ut a choro debeant proſequi, verſus vero a ſolis cantoribus concini, repetente choro partem reſponſorii, ubi & quoties repetenda eſt. *Ante crucem præcedit thuriferarius, & ante thuriferarium cantores*, ait Cœremoniale *Epiſc. lib.* 2. *cap.* 16., & conſequenter cantores in hac proceſſione incedere facit omnium primos; id tamen Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 14., *& cap.* 16. *num.* 3. intelligendum putat de caſu, in quo cantores ſint muſici, & laici, & quatenus ſint clerici, eoſdem immediate poſt crucem collocat.

XIV. Finito reſponſorio ex toto omnes ſuas Candelas extinguunt, & pergunt in chorum; Celebrans vero, & Miniſtri vadunt in ſacriſtiam, & quatenus hæc valde ab altari diſtet, ad aliquem locum congruum viciniorem, puta retro altare, ubi accipiunt paramenta alba pro Miſſa, ad quam ſolemniter de Purificatione cantandam conſueto ritu procedunt ad altare, quod dum fit præfata proceſſio, exui debet omnibus paramentis violaceis, & albis veſtiri, prout ſequens expoſcit Miſſa, quæ præ ceteris id dumtaxat habet ſpeciale, quod dum in ea cantatur Evangelium, omnes de choro tenent Candelas accenſas, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti uſque ad completam communionem Sacerdotis, aliorumque, ſi adſint communicandi. Celebrans autem ſuam Candelam accenſam dumtaxat tenet, dum a Diacono cantatur Evangelium; Diaconus vero, & Subdiaconus, aliique Miniſtri, qui in ſuis obeundis muneribus impediti ſunt, Candelas numquam tenent, a quibus tenendis eos minime abſolvimus ex Miniſtris, ſi qui ſint, qui non ſunt alias occupati.

XV. Aliquis itaque Acolythus, vel Miniſter paulo ante Evangelium, & ante elevationem SS. Sacramenti lampro lumine de candelabris ceroferariorum, accedet ad chorum cum debitis reverentiis, & primam Candelam cujuſcumque ordinis, vel utriuſque chori accendet; alii vero Clerici ſibi mutuo accendent Candelas, quas extinguent peracto Evangelio, & iterum completa ut ſupra communione. Notat tamen Halden *par.* 2. *tit.* 2. *de feſtis Februarii* 2. *ejuſdem*, quod quando ſupradictæ Candelæ tenentur accenſæ poſt elevationem, tenendæ ſunt non a genuflexis, ſed a ſtantibus, Celebrans autem, poſtquam Diacono benedictionem dederit ante Evangelium, ſe recipit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans accipit a Cæremoniario, vel alio Miniſtro ſuam Candelam accenſam cum oſculis ab ipſo porrigente præditis, eamque tenet, donec per Diaconum abſolutum fuerit Evangelium, quo cantato, reddit eamdem ei, a quo accepit, antequam librum oſculetur.

DECRETUM XIX. CAP. IN ORDINE CCXI.

Quando in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ occurrit feſtum Purificationis B. M. V., in Eccleſiis eidem ſub alio titulo dicatis, ſcilicet Annunciationis &c., Miſſa ſolemnis poſt benedictionem Candelarum, & proceſſionem debet cantari de Dominica. S. R. C. 23. Aug., & 13. Sept. 1704. *in Catanien.*

I. SI *hoc feſtum venerit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, fit tantum Candelarum diſtributio, & proceſſio, & dicitur Miſſa de Dominica*, lex eſt hodiernæ Rubricæ, quæ in caſu retineri quidem mandat Candelarum benedictionem, & proceſſionem, ſed inſimul ſequentem Miſſam dici jubet de occurrenti Dominica, & non de Purificationis feſto, *cujus Miſſa transfertur in ſequentem diem* juxta eamdem Rubricam. Conſimilem diſpoſitionem habet Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16., ſed quia olim hanc exceptionem ſubdebat: *Niſi feſtum ejuſmodi ageretur in aliqua Eccleſia Beatiſſimæ Virgini dicata, quia tunc fieret Miſſa de feſto cum commemoratione Dominicæ*, non defuere ex Auctoribus, qui licitam cenſuerunt ſaltem ſolemnem Miſſam de feſto in quibuſcumque Eccleſiis, quæ Beatæ Mariæ dicatæ forent, licet ſub diverſo titulo ab illo Purificationis.

II. Adverſus Auctores illos præſens prodiit Decretum, quod quidem in Eccleſiis ſub titulo Purificationis erectis, Miſſam de feſto fieri debere declarat, ſecus in illis, quæ ſub aliis titulis Deiparæ ædificatæ forent. In Eccleſiis utique Purificationi conſecratis, quia cum tunc Purificatio ſit primæ claſſis prædictis prævalet Dominicis, nec transferenda eſt,

ſed

ſed celebranda cum officio, & Miſſis omnibus tam privatis, quam ſolemni. Quoniam vero ex eo, quod Eccleſiæ ſub titulo B. Mariæ ſint erectæ, non continuo feſta omnia, quæ de B. Maria ab Eccleſia celebrantur, evadunt duplicia primæ claſſis, ſed ſolum feſtum illud, in quo recolitur particularis ratio illa tituli, hinc eſt, quod in prædictis Dominicis nec officium, nec Miſſam ullam Purificatio conſequi valet in iis Eccleſiis, quæ ſub alio titulo Deiparam tamquam Patronam agnoſcunt.

III. Qua ex ratione poſtmodum factum eſt, ut laudata Cæremonialis verba, quæ generaliorem forſitan apta erant ſuſtinere expoſitionem, ſub Innocentio X. correcta fuerint, & tracta ad ſolum caſum tituli Purificationis, quos ad limites ceteroquin jam prius traxerat Gavantus par. 4. tit. 14. lit. b. *ſed ego cenſeo ſenſum Cæremonialis eſſe de Eccleſia ſub titulo Purificationis B. V., qua ratione ſicut dicitur officium de ea ibidem, ita dici debet & Miſſa.* Hactenus quidem bene Gavantus, & ex eo Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *qu.* 59., ſed in eo, quod poſtmodum ibi ſubdunt, ſcilicet *quod ſi urgeas de quacumque Eccleſia B. V. intelligi tantum illum, duæ Miſſæ erunt cantandæ juxta Rubricam de Transl. feſt. part. 1. tit. 6.*, in oppoſitum habent ſequens Decretum, quod erit 20. cap., in ord. 212. *Si feſtum Purificationis B. M. V. venerit in Dominica Septuageſima, vel Sexageſima, in Eccleſiis dicatis ſub titulo Annunciationis, vel Aſſumptionis debet cantari Miſſa Dominicæ tantum, nec facienda eſt commemoratio Purificationis B. M. V.* S. R. C. 15. Septembris 1736. in *Toletana.* Dictio namque *tantum*, quæ afficit Miſſam Dominicæ, excludit quamlibet aliam Miſſam de Purificatione, uti & ſequentia verba commemorationem ejuſdem.

IV. Et quidem laudata Rubrica, quam prædicti Auctores ad rem perperam allegant, concedit quidem cantari duas Miſſas, unam de die, aliam de feſto, aut ſaltem commemorationem fieri de feſto, ſi de eo non debeat cantari officium illa die, *ſed in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet*, quare cum ubi Eccleſiæ erectæ ſunt ſub titulo Annunciationis, vel Aſſumptionis, aut quolibet alio, qui Purificationis non ſit, ibi non ſit Eccleſiæ titulus, nec ſupponatur haberi concurſus populi ad celebrandum Purificationis feſtum, quod in ſequentem diem debet transferri, rite propterea definiit Decretum, quod ſola Miſſa Dominicæ cantari debet, in hac ne quidem facta Purificationis commemoratione. Diximus *nec ſupponatur haberi concurſus populi, &c.*, quia ſi ſpecialis haberetur concurſus ejuſmodi ad celebrandum nihilominus ea die Purificationis feſtum, tunc utique locum haberet Rubrica, quæ cum disjunctive procedat, favorem duarum ut ſupra Miſſarum, aut ſaltem commemorationis feſti in Miſſa de die nedum expandit ad Eccleſias, ubi titulus eſt Eccleſiæ, ſed etiam in quibus prædictus haberetur concurſus, uti ſcite ponderat Guyetus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 7.

V. Idem eſto judicium, ſi cum Purificationis feſto ſimul occurrat feſtum aliquod primæ claſſis; tunc enim altior expoſcit ritus, ut feſtum primæ claſſis retineatur, Purificatione in ſequentem diem rejecta. An in hoc caſu una cum Purificatione benedictio Candelarum transferri debeat, Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 18. dubium inſtituit, illudque negativa definit, quam nos ſuperius produximus, Miſſalis Rubricam allegans, quæ quoties ob occurſum cum Dominicis privilegiatis feſtum Purificationis transfertur, ſtatuit nihilominus Candelarum benedictionem eſſe retinendam. Potius eſt dubium aliud, quod ibidem pariter excitat, num ſcilicet transferenda ſaltem ſit Candelarum benedictio, ubi loci uſus obtinuit, ſimul cum Purificationis officio etiam publicam feſtivationem transferre; & quæſtionem affirmative dirimit, eo ductus ratione, *quia translato feſto, ea propter benedictio candelarum in Dominica retinetur, ut ei populus commodius adeſſe poſſit*; ubi autem cum officio transfertur feſtivatio, non minus commodi habet populus in die, in qua celebratur Purificatio, cui ceteroquin candelarum Cæremonia videtur adnexa, ſaltem ſi ſpectentur Myſteria, quibus ab Auctoribus putantur innixa. An ejuſmodi limitationem memorata apta ſit ſuſtinere Rubrica, tu judex eſto; Rubrica enim etſi ſimpliciter retinendam eſſe diſponat, dubio procul procedit de Romano ritu, qui quoad officium Purificationem transfert, non quoad ad feſtivationem, quare ubi loci conſuetudo licite transfert etiam feſtivationem, valida item videtur, quatenus ſimilis conſuetudo habeatur, ſuſtinere tranſlationem prædictæ benedictionis, imo & hanc tueri, etiamſi conſuetudo foret transferendi ſolam feſtivationem, non benedictionem, quia hæc connexionem quamdam noſcitur habere cum feſto Purificationis, dum intra hujus Miſſam tenentur in manibus candelæ accenſæ, non vero, ſi Miſſa habeatur de Dominica; unde ſi benedictio prædicta haberi ſimul poteſt cum integro ſuo ritu, & adhuc cum æquali fidelium commodo, fortaſſe laudare non reſiſtit Rubrica, quæ, ut dicebatur, diſponit, pro caſu tranſlationis ſolius officii, non feſtivationis.

VI. At quid, ſi Purificatio incidat in Dominicam 4. poſt Epiphaniam? Ejuſmodi Dominica ex privilegiatis non eſt, quare ritus altior, quo Purificatio præ illa gaudet, eidem Purificationi adjudicat officium, & Miſſas omnes, Dominicæ vero ſolam commemorationem cum 9. lectione homiliæ in officio, & Evangelio in fine Miſſæ; hæc enim una eſt omnium Rubricarum vox, dum feſtum quodlibet, etiam duplex minus, occurrit in aliquam ex Dominicis non privilegiatis.

VII. Reliquum nunc eſt, adnotentur ea, quæ tamquam particularia Candelarum benedictioni competunt, quoties incidit in Dominicam, ſive ſequens Miſſa cum officio de Purificatione fiat, vel de Dominica, aut de feſto altioris ritus. In primis certum eſt, quod debet fieri aſperſio aquæ benedictæ, quæ ſingulis diebus Dominicis a ſua particulari Rubrica facienda mandatur: faciendam autem eam eſſe ante benedictionem candelarum, dubium quodvis amovet Rubrica in Dominica Palmarum poſita, dum in ſimili omnino caſu benedictioni Palmarum præmittit benedictionem luſtralis aquæ. De colore ſtolæ atque pluvialis, in quo debet fieri, ingens quæſtio inſtituenda foret, ſed pro noſtro particulari caſu, in quo ad præfatam aſperſionem non ſequitur immediate Miſſa, ſed candelarum benedictio, jam alias diximus adhibendum ſemper eſſe colorem violaceum, qualem eadem ſubſequens expoſcit candelarum benedictio, etſi poſtmodum in alio colore Miſſa cantanda ſit, aliumque colorem occurrens officium exigat. Sub finem itaque Tertiæ, uti ſuperius diximus, ſuper pallium coloris officio convenientis, quatenus violaceum jam non ſit, ponetur pallium aliud violaceum, & in ſtola, & pluviali violacei coloris Sacerdos de more accedet ad altare, ubi etiam juxta ſolitum faciet aſperſionem aquæ benedictæ, qua completa per orationem *Exaudi*, ad altare aſcendit, illoque oſculato in medio, perget ad cornu Epiſtolæ, ubi de more incipit, & perficit, ut alias benedictionem, & proceſſionem candelarum, excepto ſolum, quod præcedenter ad ultimam orationem *Exaudi* numquam dicitur *Flectamus genua*, etſi tempus ſit poſt Septuageſimam, quia dies Dominica, ait Gavantus *par.* 4. *tit.* 14. *lit. i.*, reſurrectionem Chriſti deſignat, & tempus paſchale, in quo non genuflectimus.

VIII. Finita proceſſione, quatenus ſequens Miſſa ob non occurſum alicujus ex Dominicis privilegiatis facienda quoque non ſit in paramentis violaceis, ab altari amovetur pallium violaceum (niſi id anticipate præſtitum fuerit proceſſionis tempore) ut appareat pallium ſubter latens coloris convenientis Miſſæ, quæ cantari debet, & Sacerdos exuit pluviale, & una cum Miniſtris induit paramenta, qualia expoſcit Miſſa, uti ſuperius diximus. Quatenus vero Miſſa facienda ſit de aliqua ex Dominicis privilegiatis, paramenta omnia tum altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum erunt violacea, & Celebrans exuto pluviali aſſumet caſulam cum manipulo, ſacri vero Miniſtri induent reſpective dalmaticam, & tunicellam cum ſuis manipulis.

IX. Si Miſſa erit de Purificatione, tenentur ut ſupra in manibus candelæ accenſæ ad Evangelium, & elevationem SS. Sacramenti uſque ad completam communionem, ſecus vero, ſi Miſſa fiat de Dominicis privilegiatis, uti diſerte ſtatuit Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16., cujus diſpoſitio trahenda item eſt ad caſum, in quo cantetur Miſſa de Patrono loci, vel Titulari Eccleſiæ, ut notant Bralion, & Biſſus; ſicuti enim obſervat Gavantus *par.* 4. *tit.* 14. *num.* 10., candelæ tenentur accenſæ in honorem Beatæ Virginis, quare in ejus dumtaxat Miſſa tenendæ ſunt, non in Miſſis aliorum.

X. De caſu, in quo officium ſit de Dominica privilegiata, aut de feſto altioris ritus, & nihilominus cantatur Miſſa ſolemnis de feſto Purificationis ob concurſum populi, modo ſuccedit dicere, & cum tunc altera Miſſam Purificationis celebranda ſit Miſſa altera de officio, hæc quidem habebitur poſt horam Tertiam ipſi congruentem, illa vero, cum nullam habeat cum officio connexionem, & reapſe votiva ſit, poſt Nonam, ut videtur erui ex Rubr. Miſſal. *par.* 1. *tit.* 15. *num.* 2., & 5., & Biſſus edocet *lit.* T. *num.* 73. §. 22., nec refragatur Guyetus *lib.* 4. *cap.* 8. *quæſt.* 7. Gavantum allegans. Subdit vero Victorius Novellarienſis *in ſua ſynopſi*, quod tunc aſperſio aquæ benedictæ, ſi occurrat Dominica, fiet ante Miſſam Dominicæ, vel occurrentis feſti, benedictio vero, & diſtributio, atque proceſſio candelarum ante Miſſam Purificationis, ad quam cum ex ſuperius dictis reapſe habeat connexionem pluriman abſit, idipſum nos inficiemur, etſi tunc locum omnino non habeat Rubrica, quæ candelarum benedictionem mandat fieri poſt Tertiam, quia illa diſponit de communi caſu, ſcilicet unius dumtaxat Miſſæ de correnti officio. Ubi vero non urget onus Miſſarum conventualium, omitti poterit Miſſa officii, & cantari ſolummodo Miſſa Purificationis, quæ ſi tunc fiat poſt Tertiam præmiſſa benedictione candelarum, & adhuc aquæ benedictæ, ſi ſimul ſit Dominica, nos tales non ſumus, qui id fieri poſſe refragemur, quoties concurſus populi, ob quem miſſa canitur, id videatur expoſcere.

XI. Candelarum benedictionem alteram producunt Miſſale, & Rituale Romanum, & fieri poteſt quandocumque, & ubicumque locorum, & a quocumque Sacerdote; fit autem vulgari illo ritu ſimplici, ſcilicet per verſum *Adjutorium &c.*, ſubſequentem orationem, & aſperſionem aquæ benedictæ, qui ſuo loco deſcribitur. Non minus tamen illæ, quam illæ in die Purificationis ſolemniori ritu benedictæ, validæ ſunt ad præſtandos ſpirituales effectus, ob quos benedicuntur. Quos effectus ex variis Auctoribus, & ex orationibus, quæ in earum benedictione adhibentur, enumerat Baruffaldus *tit.* 49., ita ut primo valeant contra fulgura, & tempeſtates, & contra malignorum ſpirituum incurſiones. Secundo ad effugandos Dæmones, pravas cogitationes repellendas, divinum auxilium impetrandum, & adhuc ad ſalutem corporalem, & hæc eſt cauſa, ob quam accenditur aliqua ex ejuſmodi candelis coram morientibus in extremo agone. Tertio valent ad ſanitatem animarum, & corporum, ut de locis, ubi fuerint

accenſæ, Dæmon, & quidquid Dæmonis ars eſt machinata, depellatur; ut mentes, & corda noſtra inviſibili igne, & ſplendore Sancti Spiritus illuſtrentur, omniumque peccatorum, & vitiorum cæcitate careant; & ut cernere poſſimus, quæ Deo ſunt placita, & utilia ſaluti, & demum ut ignis charitatis cum lumine fidei in animis noſtris accendatur, qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam deducat, &c.

XII. Hæ candelæ ex cera eſſe debent, non ex alia materia, & earum uſus haberi in rebus honeſtis, & rei ſacræ convenientibus, quinimmo Paſqualigus *de ſacr. nov. leg. to. 2. quæſt.* 834. cum Tamburino *de ſacr. Miſ. lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. *num.* 3. notat, etiam abſque peccato veniali eaſdem adhiberi poſſe ad uſus communes, dummodo honeſtos, atque decentes, in quos etiam ſaltem ſecundario benedici colligunt ex verbis illis primæ orationis, quæ dicitur in die Purificationis, *Ut has candelas ad uſus hominum, & ſanitatem corporum, & animarum &c. benedicere &c.* Qui vero illis abuterentur, eas accendendo in conviviis, choreis, aliiſque id genus caſibus, ſaltem peccaret venialiter, etſi abeſſet contemptus, quo ſtante dubio procul peccatum mortale interveniret.

DECRETUM XXI. CAP. IN ORD. CCXIII.

De ceris, quas quis tenetur tradere in feſto Purificationis, pro publica diſtributione, ea pars, quæ aliquando ſupereſt, non cedit in beneficium Eccleſiæ, ſed illius qui illam adminiſtravit. Congr. Concil. 9. Maii 1719.

I. QUorum ſumptibus maneant cerei, qui publice debent diſtribui, reſpectiva locorum conſuetudo definiat; varia enim prodiere Decreta, quæ rem diverſimode determinant pro locorum, & Eccleſiarum diverſitate, & varietate particularium conſuetudinum. Quod præſens firmat ſanctio, æquitati undique conſonat, videlicet quod qui cereos ſubminiſtrant, Canonici ſint, vel Parochi, aut quicumque alii, horum item beneficio cedat, non Eccleſiæ reliquum ceræ, ſi quid forte ſupererit diſtributione facta, ad cujus dumtaxat effectum prædicti ſubminiſtrantur cerei.

DECRETUM XVI. CAP. IN ORDINE CCXIV.

Cineres diſtribuendi in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi, non vero in modum luti, S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.*

I. A*Nte Miſſam benedicuntur cineres facti de ramis olivarum, ſive aliarum arborum præcedenti anno benedictis*, per hæc verba Rubrica nos inſtruit, quod cineres, quibus conſperguntur fideles, facti eſſe debent ex ramis Olivarum, atque Palmarum, qui præcedenti anno in Dominica Palmarum benedicti fuerunt. Marcus verb. *Cinerum dies* Myſterium producit, quod hæ ramorum binæ ſpecies, cum una, ſcilicet Palmarum, victoriæ, olivarum altera miſericordiæ, paciſque ſymbola ſint, hinc admonentur fideles, quod mediante pœnitentia, & vitiorum victoria, divinæ miſericordiæ reconciliatio acquiritur: *Ut ſicut cineres* (ait Gavantus par. 4. tit. 6. lit. a) *ad humiliationem diſtribuuntur, ita & per humilitatem ſpem habeamus futuræ gloriæ, quam deſignavit proceſſio Palmarum, quare cineres ſunt reliquiæ gloriæ Chriſti, & quaſi ſemen gloriæ noſtræ.*

II. Cineres iſtos debere eſſe aridos, & non in modum luti, rite præſens definit *Decretum*, alias quippe ad conſpergendum minus apti forent, ſed magis ad maculanda fidelium capita, atque capillos, qui ab iiſdem, præſertim exſiccatis, difficile extergi poſſent. Hæc fortaſſe cauſa eſt, ob quam Caſtaldus *lib. 3. ſect. 4. cap. 2. n.* 4. vult cineres bene expurgatos, mundos, & ſubtiliſſimos. Ponuntur in vaſe, aut pelvicula munda *ſuper altare*, ait Miſſale, ſubdit Cœremoniale Epiſc. lib. 2. cap. 19. *a latere Epiſtolæ*, ideſt expoſitore Gavanto *ita ut ſit vas inter Miſſale, & cornu*. Decet autem juxta Biſſum, atque Caſtaldum cooperti maneant, ſi non habeatur operculum ejuſdem materiæ, ex qua eſt vas, velo violaceo uſque ad eorum benedictionem.

III. Hora competenti parari debet altare majus ſimpliciter cum ſex candelabris de more, & ſine aliis ornamentis, quæ ſolemnitatem ſapiunt, color autem antipendii, ſicut & omnium paramentorum debet eſſe violaceus. In altari ex parte Epiſtolæ præparabitur Miſſale apertum ſuper pulvino violaceo, & ſuper credentiam præter conſueta præparabuntur vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, thuribulum cum navicula, pelvis cum medulla panis, & vas aquæ non benedictæ, ac manutergium pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt cinerum diſtributionem, & denique quæcumque alia, quæ adhiberi debent in ſubſequenti Miſſa. Ut autem dicebamus de benedictione candelarum, neceſſe non eſt, ab altari amoveatur SS. Sacramentum, ſi in ejuſdem tabernaculo incluſum lateat, etſi Sacerdos altari debeat terga vertere in diſtributione cinerum.

DECRETUM XXIII. CAP. IN ORDINE CCXV.

Benedictio publica ſacrorum Cinerum facienda in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, non poteſt fieri poſt tertiam, ſed ſervandę ſunt Rubricę, quę præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Janu. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronę.*

I. EN Rubricam particularem hujus diei: *Ante Miſſam finita Nona*; ecquid ad rem unquam clarius eſſe poteſt? Equidem etiam benedictio candelarum ante Miſſam debet fieri, ſed quoniam Miſſa illius diei eſt de feſto 9. lectionum, aut de Dominicis privilegiatis, quæ juxta Rubricas fieri debet poſt Tertiam, poſt hanc etiam trahit prædictam benedictionem; Miſſam vero feriæ IV. Cinerum, cum ſit Miſſa jejuniorum, poſt Nonam Rubricæ cunctæ rejiciunt, & ideo poſt Nonam, neceſſe item eſt, fiat benedictio Cinerum, quæ eſt præſcripta fieri ante eamdem Miſſam. Quod verum eſt, tametſi apud aliquos conſuetudo vigeret eamdem peragendi alio tempore, ſeu poſt aliam horam, ſicuti Camaldulenſibus per ſequens Decretum (erit 24. cap. in ord. 216.) Congr. reſpondit: *Reſponſum fuit obſervandum eſſe Decretum* 22. *Januar.* 1701., *in quo prohibitum fuit fieri Cinerum benedictionem poſt Tertiam, ſed poſt Nonam*. S. R. C. 19. Jan. 1743. *in una Camald. Montis Coronæ.*

II. Dices: Si poſt Nonam fieri debet, populus, qui cum variis curis diſtentus ſit, uſque adeo expectare nequit, nec tunc ad Eccleſiam accurrere, laborioſis operibus intentus, Cinerum particeps eſſe non poterit? Nequaquam; benedictio enim, quæ poſt Nonam fieri mandatur, eſt *Benedictio publica*, ſeu ſolemnis, quare nihil eſt, quod vetet, ſummo mane per aliquem Sacerdotem privatim Cineres benedici, qui deinde ſuis in vaſis per altaria diſtribuantur, ut pro temporis opportunitate votis populi ſatisfieri valeat. Id fieri præſens non refragatur Decretum, quod de publica benedictione loquitur, Auctores laudant, & communis probat Eccleſiarum praxis. Hæc autem privata benedictio fiet per conſuetas orationes, & aſperſionem aquæ benedictæ, omiſſis iis, quæ ad majorem ſolemnitatem ſpectant, ad quam claſſem redigi credimus antiphonam *Exaudi*, incenſationem, & antiphonam *Immutetur*.

III. Ritum ſolemnis benedictionis tunc examinare ſumimus, brevi tamen calamo, quia uberiori fere cuncta in præcedentibus Decretis proſecuti ſumus. Finita Nona, e ſacriſtia exeunt Sacerdos in ſtola, & pluviali, Diaconus in ſtola, & planeta plicata, & Subdiaconus in ſola planeta plicata coloris violacei, omnes ſine manipulis; in Eccleſiis vero minoribus Sacerdos ſuper albam habebit ſolam ſtolam, Diaconus ſimiliter ſtolam, & Subdiaconus erit dumtaxat in alba. Iidem autem cum ceteris Miniſtris ritu, quem deſcripſimus de benedictione candelarum, accedent ad altare, cui præmiſſis reſpective debitis reverentiis, ceroferarii ſuper credentiam candelabra collocant, & Sacerdos medius inter ſacros Miniſtros aſcendit ad idem altare, quod Celebrans oſculatur in medio interim genuflectentibus ſacris Miniſtris, & mox accedit ad librum poſitum in cornu Epiſtolæ, ubi medius inter ſacros Miniſtros, ita tamen ut hi aliquantiſper diſtent ab altari, legit ſubmiſſa voce, & manibus junctis antiphonam *Exaudi, Domine*, quæ interim cantatur in choro, ad modum Introitus Miſſæ.

IV. Deinde Sacerdos perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, non vertens ſed ad populum, dicit manibus junctis *Dominus vobiſcum*, poſtea *Oremus* cruci inclinando de more caput, manibus tamen adhuc junctis, quibus ſimiliter junctis ſequentes quatuor cantat orationes, in quibus dum occurrit ſignum ✠, cum dextera ſuper cineres format crucis ſignum, ſiniſtra interim ſuper altare poſita, & Diacono, qui eſt ad ejus dexteram, elevante anteriorem pluvialis fimbriam. Finitis orationibus, cum oſculis miniſtrante Diacono, imponit, & benedicit de more incenſum in thuribulum, & mox accepto aſperſorio ter aſpergit Cineres aqua benedicta, ſubmiſſe dicens *Aſperges me*, & poſtea nihil dicens ter itidem eoſdem incenſat, in medio ſcilicet, a dexteris, ideſt in parte ſuæ ſiniſtræ oppoſita, & a ſiniſtris.

V. Thurificatione peracta, Celebrans pergit ad altaris medium, ubi ſtat nudo capite converſus ad populum, habens Diaconum a dexteris tenentem vas Cinerum manu dextera, & ſiniſtra elevantem pluvialis fimbriam, & Subdiaconum a ſiniſtris reſpectivam pluvialis fimbriam ſimiliter elevantem, ambos tamen aliquantulum diſtantes ab altaris fronte. Mox accedit dignior de choro in ſuo chorali habitu ſine ſtola, & facta cruci genuflexione, & Celebranti profunda reverentia, aſcendit ad gradum proximiorem ſuppedaneo, ubi ſtans imponit Cineres ſuper caput Celebrantis, ſtantis quidem, & non genuflexi, ſed inclinatum habentis caput, & manus junctas. Imponens autem Cineres, format ſuper caput Celebrantis ſignum crucis, dicens *Memento, homo &c.*

VI. Si ex iis de choro non adſit aliquis in Sacerdotali dignitate conſtitutus, tunc ipſemet Sacerdos genuflexus utroque genu in ſuppedaneo altaris facie ad illud verſa, ſibi ipſi imponit Cineres in capite, nihil dicendo, ſed ſolum formando ſignum crucis ſuper ſuum caput, quaſi Cineres a Chriſto immediate accipiat, Diaconus namque, & ſi Sacerdos eſſet, & multo minus quilibet Miniſter alter, non debet Cineres Celebranti imponere, cum in eo officio ſit Miniſter Celebrantis, & conſequenter illo inferior, ut ſcite ponderat Gavantus *par.* 4. *tit.* 6. *lit. o.*, & cum eo ſtatuunt Biſſus, Bauldryus, atque Corſettus. Dum vero ut ſupra dignior imponit Celebranti Cineres, vel Celebrans ſibi ipſi, non incipiunt a choro cantari antiphonæ *Immutemur*, ſed ſolum dum Celebrans imponit Cineres digniori Sacerdoti, a quo ipſe accepit. *Quæ antiphonæ ſi non ſufficiant, repetantur, quouſque ramorum diſtributio finiatur*, Palmarum Rubrica ſtatuit, inſimul edocens, quid ſimiliter in præſenti diſtributione præſtari debeat.

VII. Poſtquam Celebrans a digniori accepit Cineres, hos imponit eidem digniori genuflexo in ſuppedaneo, deinde Miniſtris ſacris, ac reliquis de Clero, & poſtea laicis utriuſque ſexus, ſed his ad cancellos, non ad altare genuflexis,

ſuper

ſuper cujuſque caput efformans ſignum crucis, & ſemper repetens *Memento, homo &c.*, etſi mulieribus Cineres diſtribuat. Duo tamen particularia habet hæc benedictio, quorum primum eſt, quod accipientes Cineres abſtineant omnes ab oſculo manus Celebrantis, quam commode oſculari non poſſent; alterum vero eſt, quod juxta Cæremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 18.* ad humilitatem *ſi aliquis Princeps, vel Oratores Regum, vel Principum maximorum, vel Rerumpublicarum laici adeſſent, capiunt hac die Cineres poſt Canonicos paratos, Magiſtratus vero, & Officiales, ac alii laici poſt omnes de Clero*, poſt quos omnes ceteroquin magis decens eſſ, quod etiam Principes hac die accipiant Cineres, genuflexi tamen ut ſupra in ſuppedaneo, & manibus junctis.

VIII. Diaconus dum una cum Subdiacono deſcendit Cineres genuflexus accepturus, tradit vas Cinerum Cæremoniario, vel alteri, & acceptis Cineribus illud denuo recipit, & tunc iterum ſe locat ad Celebrantis dexteram, & Subdiaconus ſimiliter ad ſiniſtram, ſicuti prius erant. Quod ſi dignior de choro fuerit Cathedralis Canonicus, Prælatus, vel Eccleſiæ ſuperior, uti & illi, qui Cineres recipiunt poſtmodum, quibus reverentiis, Cæremoniis, & loco Cineres accipiant, jam in præcentibus Decretis nos ſatis diximus, hoc ſolum excepto, quod omnino nullus in hac acceptione oſculatur Cineres, quos recipit, aut imponentis manum. Quantum vero ſpectat ad Canonicos Collegiatarum, de iiſdem procedunt integre, quæ dicebamus de benedictione Candelarum, quare non attentis Auctoribus, ſervanda omnino erunt, quæ ibidem dedimus.

IX. Rituale Boverii *lib. 3. cap. 7. lit. e.* diſtinguit inter eos, qui ſacros Cineres ſuſcipiunt, & quatenus initiati ſint aliquo ordine, aut etiam ſola prima tonſura, imponi iiſdem mandat Cineres ſuper caput (quod Perellius *in Theſau. Inſtit. pag. 3.* ad ſolus reſtringit Sacerdotes) ceteris autem in fronte. At cum hæc diſtinctio nullum habeat fautorem ex probatis Auctoribus, unicuique abſque ullo diſcrimine imponendi erunt ſuper caput, & non ſuper frontem; & maxime quia ultra celebriores Rubricarum interpretes, ſolius capitis meminerunt Rubricæ, & orationes, quæ in benedictione dicuntur, neque alicubi apparet vel leve ſignum diſcriminis ullius. Scite denique monet Gavantus *par. 4. tit. 6. lit. e.*, quod fœminis ſupra velum imponi non debent Cineres, ſed omnino ſuper capillos.

X. Si diſtributio Cinerum terminetur ad cancellos, per planum procedit Celebrans ad latus Epiſtolæ, & ibi lavat manus in angulo altaris, vel prope credentiam cum aqua, & mica panis (easdem lavat in cornu Epiſtolæ ſtans in ſuppedaneo, quoties prædicta diſtributio terminata ſit ad altare) fundente aquam aliquo Acolytho, & ſacris Miniſtris miniſtrantibus manutergium, ſed magis præſtat, ut elevent pluvialis fimbrias, & alter Acolythus manutergium præbeat. Aqua autem, & mica panis, quæ deſervierunt ad lotionem manuum, uti & Cineres, ſi qui ſuperſint, decens eſt, in ſacriſtiam projiciantur. Lotis, & exterſis manibus, Celebrans per gradus laterales aſcendit ad cornu Epiſtolæ (ſe ſolum vertit altare verſus, in eodem cornu Epiſtolæ perſiſtens, quatenus in ſuppedaneo manus laverit) ubi ſtans in ſuppedaneo verſus altare, medius inter ſacros Miniſtros, manibus junctis in tono feriali cantat *Dominus vobiſcum*, poſtea dicit *Oremus* inclinando caput cruci, manibus tamen junctis, quibus ſimiliter junctis Cinerum cæremoniam perficit per recitationem orationis *Concede nobis*, ut in Miſſali.

DECRETUM XXV. CAP. IN ORD. CCXVI.

Ille idem, qui benedixit Candelas in feſto Purificationis B. M. V., vel Cinerum in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 26. Febr. 1628., & 12. Apr. 1640.

I. Digna, quæ ab his exulent commentariis, ſunt duo iſta Decreta; etſi namque in relatores habeant Fagiolt *in Kalen. perpet. ecclesi. in adnot. ad Feb. lit. A. num. 6.*, atque Pittonum *de ſacr. viſib. num. 642.*, nos tamen monet Meratus *par. 4. tit. 6. num. 20.*, quod non obſtante qualibet diligentia in Regeſtis S. R. C. reperiri non poterunt. At quoniam quod hæc ſtatuunt Decreta, jam ab eadem Congregatione definitum extitit 12. Junii 1627., cujus decretum produximus, & late expoſuimus, idcirco præmiſſa lectoris admonitione, grande peccatum committere non credidimus, eadem huc inducentes, ut nobis dumtaxat occaſio ſiat diſtinctim agendi de ſequenti Miſſa. Ut itaque Celebrans explevit orationem *Concede nobis*, deſcendit in planum, ubi depoſito pluviali, vel prope credentiam, vel ad cornu Epiſtolæ ante altare, non in medio (quod tantum Epiſcopis conceditur) accipit manipulum, & planetam violaceam, ſicuti & Miniſtri ſacri ſuos ſumunt manipulos, & deinde tranſeunt ante medium altaris, ubi præmiſſis reſpective debitis reverentiis, Celebrans Miſſam incipit more ſolito.

II. Graduale dicitur cum Tractu *Domine, non ſecundum peccata noſtra*, & de hoc ſpecialis hodie habetur Rubrica: *Supradictus Tractus ab hac die dicitur feria 2., 4. & 6. uſque ad feriam 4. majoris hebdomadæ, niſi proprius aſſignetur.* De eodem Tractu verba facit Micrologus *cap. 50.*, qui non hoc præſcriptum fuiſſe affirmat ætate ſua in Ordine Romano, ſed ex nova devotione inductum. Tres autem prædicti dies ſemper ſpeciali cultu ad pœnitentiam conſecrati fuere, & in iiſdem habitus ſemper fuit populorum cœtus, & oblatio ſacrificii, & ideo illis additus eſt Tractus, qui ſignificat luctum, eadem ratione, qua in iiſdem feriis etiam hodie dicuntur officium Defunctorum, Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales.

III. Dum Celebrans private legit ℣. *Adjuva nos*, ad prima verba genuflectit unico genu, deinde ſurgens perficit eumdem verſum, quo expleto tranſit ad cornu Evangelii, ubi expedite legit Evangelium, ut dum in choro cantores, qui more ſole cantare debent præcedentem tractum, & alia, cantare incipiunt prædictum verſum *Adjuva*, Celebrans cum ſacris Miniſtris ita prompte deſcendat ad ſecundum altaris gradum, ut ad eumdem verſum utroque genu genuflexi eſſe valeant in ſuppedaneo, quo pacto remanent, uti & omnes de choro, qui non cantant, & altaris Miniſtri in locis ſuis, uſquedum idem verſus totus expletus fuerit.

IV. Præfatio eſt propria *Qui corporali jejunio*, & Honorius Auguſtodunenſis *lib. 4. cap. 517.* affirmat a Papa Gelaſio fuiſſe præſcriptam, & Micrologus *loc. cit.* ex Pelagii Decreto quotidie eſſe dicendam. Sane de ea habet hodierna Rubrica: *& dicitur quotidie uſque ad Dominicam Paſſionis, etiam in feſtis, ſi in eis propria non habeatur*; rite autem exponit Meratus *par. 4. tit. 6. num. 20.*, ut dicenda ea ſit etiam in Miſſis votivis, quæ propriam non habent præfationem. Videtur tamen ea incongrue dici in diebus Dominicis, in quibus non jejunatur; ſed ſcite reponit Durandus *lib. 6. cap. 28. num. 11.*, quod licet in iiſdem non jejunetur numero, aut quoad unicam comeſtionem, jejunatur tamen qualitate, idest in cibo quadrageſimali, ſicut in aliis diebus.

V. Recitatis conſuetis orationibus *Poſtcommunio* dictis, & dicto a Celebrante more alias uſitato *Oremus*, Diaconus ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, vertit ſe ad populum per latus ſuum dexterum, nulla facta prius genuflexione, quia non eſt in medio altari, & ita ad populum converſus, cantat manibus junctis: *Humiliate capita veſtra Deo*; quo dicto, omnibus genuflexis manentibus, & capite inclinato præter Celebrantem, per eamdem viam vertit ſe ad Altare, & ibi ſtat a tergo Celebrantis inclinatus, & junctis manibus ad orationem, quam extenſis de more manibus ſubjungit Celebrans. Si autem non ſit Diaconus aſſiſtens in hac Miſſa, ipſe Celebrans perſiſtens in eodem loco ante librum, idipſum junctis manibus dicit, caput inclinans Cruci, & poſtea extenſis manibus ſubdit adnotatam in Miſſali orationem; & hic ritus obſervatur etiam in privatis Miſſis.

VI. *Et hic modus dicendi orationem ſuper populum ſervatur tantummodo in Miſſis de feria uſque ad quartam feriam majoris hebdomadæ*, ſunt Rubricæ verba, per quæ inſtruimur, quod in omni, ac ſola Miſſa feriali de tempore quadrageſimali dicenda eſt oratio ſuper populum, non autem in Miſſis feſtivis, ac votivis, licet celebrentur in colore violaceo, quinimmo nec in Dominicis ipſis diebus, quantumvis officium quadrageſimale celebretur, & in ipſis ut ſupra obſervetur jejunii qualitas, etſi non unica comeſtio. Cur autem ita in prædictis Dominicis? Reponit Gavantus *par. 4. tit. 6. num. 8.*, quia in Dominicis fiebat communio populi; cujus loco ſucceſſit in feriis oratio illa duplex, quod & confirmat Grancolas *lib. 2. cap. 43.*, ubi rem hanc ita deſcribit: *Cum populus olim ſingulis quadrageſimæ diebus communicaret, frigeſcente pietate non communicavit, niſi in Dominicis, aliis autem diebus communionem ſupplebat Eccleſia per peculiarem orationem ab ipſa factam ſuper populum non communicantem.*

VII. Rem aliter explicat Macrus *verb. collecta*, nimirum quod cum priſcis temporibus ſolitum eſſet circa Miſſæ terminum panem benedictum populo diſtribuere, hæc cæremonia relinquebatur jejuniorum tempore, cujus loco addebatur prædicta oratio, Diacono intonante, *Humiliate capita veſtra Deo*, quibus verbis fideles non expectare prædictum benedictum panem monebantur, ne jejunium frangerent. Addit, quod dicebatur *ſecunda benedictio*, quia prima benedictio illarum peracta communione dabatur; & tandem concludit, quod Theologi recentiores, qui tam faciles ſunt ad dilatandum jejunantibus jentaculum, ut quaſi ad integram cœnationem reduxerint, adverterent ſane deberent, quomodo prius Chriſtiani nedum in jejunio ſe unica comeſtione ad ſolis occaſum protracta continebant, ut adhuc in oriente obſervatur, ſed etiam ad guſtandum præfatum fruſtillum benedictæ buccellæ ſcrupulum habebant. Reliquiam vero quamdam veſperarum, quæ cum quadrageſimali tempore intra Miſſam dicerentur inſtar prandii, quæ ſervatur in ſabbato ſancto, poſtmodum ſeparatæ fuerunt retenta collecta, quæ ceteroquin plerumque ea eſt veſperarum, ſatis probabiliter prædictam nonnulli cenſent orationem; qua de re jam nos egimus in to. 5. in prœmialibus *cap. 28. num. 3.*

VIII. Ubi autem Cinerum benedictio fit ſine Miniſtris ſacris, Acolythi immediate Celebranti miniſtrant thuribulum, & aquam benedictam, & eorumdem unus a dexteris elevat partem anteriorem pluvialis, ſi eo Celebrans utatur, dum ſupra Cineres format ſignum crucis, vel eos diſtribuit, & quatenus non ſint in Choro, qui cantent, tunc antiphonæ *Immutemur &c.* dicuntur a Celebrante in cornu Epiſtolæ, antequam Cineres diſtribuat, quibus diſtributis, & dicta oratione *Concede*, miniſterio eorumdem Acolythorum in cornu Epiſtolæ, ut ſupra induit manipulum, & planetam, & Miſſam celebrat de more.

DECRETUM XXVI. CAP. IN ORD. CCXVII.

Evangelium pro ſolemni benedictione Palmarum a Sacerdote Celebrante abſque Diacono, & Subdiacono, canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 27. April. 1697. *in Eugubina*.

I. ALtare hodie parce paratur ſine floribus, vel imaginibus, nil tamen vetat, inter candelabra diſtribuantur rami palmarum, vel olivarum, auro, vel argento decenter ornati. Coloris violacei erunt paramenta altaris, & ab hoc, neceſſe non eſt, amoveatur SS. Sacramentum, ſi in eiuſdem tabernaculo habeatur incluſum. In loco apto ex parte Epiſtolæ collocatur crux proceſſionalis, quæ olim deferebatur detecta, & tanquam in triumphum, nunc autem ratione Myſteriorum, de quibus ſuo loco, defertur velo violaceo contecta. Vitta violacea pro liganda ſuo tempore palma in ſummitate ejuſdem crucis ponetur ſuper credentiam, ſuper quam quoque locabuntur thuribulum cum navicula, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, bacile cum mica panis, & manutergio, & urceus aquæ non benedictæ pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt palmarum diſtributionem. Super eamdem credentiam collocari item poterunt, quæ inſerviunt pro Miſſa ſolemniter decantanda, uti & in loco apto presbyterii præparari ſimiliter poterunt, quæ debent deſervire ad cantandam Paſſionem, & a nobis deſcripta fuerunt in proprio loco.

II. Paretur itidem alia credentia in cornu Epiſtolæ prope altare, ſuper quam ponuntur palmæ, & rami olivarum, qui tegentur mappa munda, vel alio decenti velo, uſquedum fiat eorum benedictio. Palmæ, ſive olivarum rami, qui Celebranti diſtribui debent, vel Eccleſiæ Superiori, Prælatis, aut Magiſtratui, erunt ceteris pulchriores, & eoſdem convenit decenter ornari pro conſuetudine loci, & perſonarum qualitate. Ubi palmarum, & olivarum rami commode haberi non valent, non propterea omittenda erit benedictio, ſed adhibendi erunt virentes rami aliarum arborum, ſicuti per hæc verba *ſive aliarum arborum* Rubrica hujus diei aperte permittit; quarumcumque autem arborum adhibeantur rami, cum nihilominus eadem Rubrica nihil detrahendum, aut immutandum eſſe doceat in orationibus, in quibus mentio fit palmarum, & olivarum, idcirco adhuc illæ recitandæ erunt, perinde ac ſi benedicerentur rami palmarum, & olivarum, in quorum loco in caſu ſuccedunt rami aliarum arborum.

III. Quæ cum ita ſint, nolim to *ſive* Rubricæ ita accipias, quaſi libertatem faciat ſuper ramos palmarum, & olivarum, vel aliarum arborum, ſed magis, quod ramos aliarum arborum dumtaxat vocet in ſubſidium, quatenus nempe rami olivarum, & palmarum non habeantur, aut commode haberi non valeant. Diſcimus namque ex Joan. 12. 13., quod Hebræi cum ramis palmarum obviam iverunt Chriſto, & licet reliqui Evangeliſtæ ramorum arborum ſimpliciter meminerint, quod tamen fuerint palmarum, vel olivarum, non leve argumentum eſt, quod Mons Oliveti, per quem tranſibat Chriſtus, prædictis arboribus plurimum abundat, ut præterea myſteria, quæ palmas, & olivas exigunt, quarum illæ ſymbolum ſunt victoriæ, hæ miſericordiæ, & pacis. In delectu præferendæ videntur arbores illæ, quibus antiquitas uſa eſt in triumphis, cujuſmodi ſunt laurus, & quercus, quatenus hæc tamen eo tempore frondeat. Ex Balſamone ceterum nos edocemur, una cum palmis a Græcis ramos myrtheos benedictos fuiſſe, & ex Grancola ramos cum frondibus excerptos ex palmis, olivis, ſalicibus, buxis, aliiſque arboribus, additis etiam floribus, qui tali tempore poterant inveniri.

IV. *Completa Tertia, & facta aſperſione aquæ more ſolito*, ſunt Rubricæ verba, quæ nos quidem inſtruunt, quod palmarum benedictio fieri debet poſt Tertiam, ſed præmiſſa, & media aſperſione aquæ. Cum benedictio palmarum diei Dominicæ reperiatur addicta, poſt Tertiam utique debet fieri, ut fiat ante Miſſam ſolemnem, quam tamquam feſtivam poſt Tertiam Rubricæ mandant haberi. Non ita tamen poſt Tertiam, ut immediate poſt eamdem debeat haberi, ſed poſt benedictionem aquæ, quæ die quolibet Dominico poſt Tertiam a Rubricis fieri mandatur. Completa itaque Tertia, e ſacriſtia exibit Celebrans indutus ſtola, & pluviali ſine manipulo, cujus nullus eſt uſus cum pluviali. Ante Celebrantem unus poſt alium incedent Subdiaconus, & Diaconus in planetis plicatis, quorum utique (ultra ſtolam Diacono) Gavantus *par. 4. tit. 7. lit. a.* concedit etiam manipulos, quia, ut ipſe ait, reſpective cantaturi ſunt Epiſtolam, & Evangelium in ſequenti benedictione palmarum. Sacros Miniſtros præcedunt de more alii inferiores Miniſtri, & ut ad altare venere, fit aſperſio aquæ benedictæ ritu conſueto, & alias a nobis deſcripto, in cujus fine dum Celebrans dicit orationem *Exaudi*, per aliquem Miniſtrum ponitur Miſſale ſuper altare in cornu Epiſtolæ, & diſcooperiuntur palmarum, & olivarum rami.

V. Abſoluta oratione, idem Celebrans medius inter ſacros Miniſtros hinc inde pluvialis fimbrias elevantes, *procedit ad benedicendos ramos palmarum, & olivarum, ſive aliarum arborum, in medio ante altare, vel ad cornu Epiſtolæ poſitos*, ait Rubrica, & ita ſcite exponit Gavantus *loc. cit. lit. b.*, ut mox aſcendere debeat ad altare pro benedictione ramorum; cum enim jam ſit ad altare, & in veſtibus convenientibus etiam ſequenti benedictioni palmarum, non debet peracta aſperſione pergere ad cornu Epiſtolæ pro ſumendis veſtibus convenientibus, aut reddire in ſacriſtiam, ut iterum accedat ad altare. Hinc Rubrica non habet: *Procedit ad altare*, ſed *procedit ad benedictionem*, quod ut ſupra fit aſcendendo ad altare, ad quod proinde ut devenerit, illud oſculatur in medio, genuflectentibus ſacris Miniſtris, inter quos medius mox accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans ſimiliter medius (ita tamen ut ſacri Miniſtri aliquantiſper diſtent ab altari) legit, non ſe ſignans, antiphonam *Hoſanna filio David*, quæ interim cantatur a choro. Etſi namque Rubrica habeat: *In medio ante altare, vel ad cornu Epiſtolæ poſitos*, commodius eſt, & omnino ſervandum, ut rami benedicendi poſiti ſint ſuper parvulam credentiam ut ſupra ad cornu Epiſtolæ, ut etiam advertit Gavantus *loc. cit. lit. c.*

VI. Statim ac in choro terminata eſt prædicta antiphona, Celebrans perſiſtens in cornu Epiſtolæ, non converſus ad populum, ſed ad altare dicit manibus junctis *Dominus vobiſcum*, quibus etiam junctis dicit *Oremus*, & ſequentem orationem, ſed ad *Oremus* caput erga crucem etiam inclinat. Interim Subdiaconus vadit ad credentiam, ubi depoſita planeta plicata, ſumit ambabus manibus Miſſale, & eodem prorſus ritu, qui tenetur ad Miſſam, procedit ad locum ſolitum, & ibi cantat Epiſtolam, qua cantata, de more pergit ad Celebrantem, & genuflexus ejuſdem manum oſculatur, & mox depoſito Miſſali, reſumit planetam plicatam, qua reſumpta redit ad Celebrantem, ibique eidem a dexteris aſſiſtit, & non defert Miſſale Celebrantis ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epiſtolæ, præmiſſis Epiſtola, Reſponſorio, munda cor meum, & Jube Domine ſuo reſpective tempore in eodem cornu Epiſtolæ, & non in medio altaris, ſed *munda cor meum, & Jube Domine* de more dicit profunde inclinatus verſus crucem, ut tamen dicemus infra, liberum omnino eſt Celebranti recitare tam Epiſtolam, quam ea, quæ ſequuntur, uſque ad Evangelium incluſive.

VII. Poſt Epiſtolam in choro cantatur Reſponſorium *Collegerunt*, vel *In Monte Oliveti*, alterutrum pro libito, & interim Diaconus ſuper credentiam depoſita planeta plicata, & ſumpta de more ſtola latiori, defert Miſſale ante pectus ſuper medium altaris. Deinde eodem Diacono miniſtrante Celebrans perſiſtens in cornu Epiſtolæ, ponit thus cum benedictione in thuribulo, quo facto Diaconus genuflexus in medio altaris ſuper ſuppedaneum, & inclinatus verſus altare, dicit *munda cor meum*, accipit Miſſale, petit Benedictionem a Celebrante ſemper ſtante in eodem cornu Epiſtolæ, & omnia peraguntur a Diacono, Celebrante, & aliis, ſicut in Miſſa ſolemni ad Evangelium, quo terminato, & incenſato Celebrante, Diaconus iterum planetam plicatam reſumit, & accedit ad altare, aſſiſtens ut infra Celebranti.

VIII. Præambula quædam ſunt illa ad benedictionem ramorum, unde Rubrica: *Poſt hæc benedicuntur rami*. Celebrans itaque ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, medius inter ſacros Miniſtros, converſus ad altare dicit *Dominus vobiſcum* manibus junctis, quibus itidem junctis ibidem ſimiliter dicit *Oremus*, & orationem *Auge fidem* in tono feriali, qua finita cantat ſequentem præfationem, in cujus fine inclinatus dicit *Sanctus* (quod etiam cantatur a choro in tono feriali) cum Miniſtris pariter inclinatis, ſicuti & cum bis erectis, & de more ſe ſignantibus ſubjungit verſum *benedictus, qui venit*. Quibus peractis cantat in tono feriali manibus junctis reliquas quinque orationes, ſed ad *Oremus*, & ad nomen *Jeſu* inclinat caput, & ad notam ✠ cum dextera manu format crucis ſignum ſuper palmas, ſiniſtra ſuper altare poſita, & Diacono elevante dexteram pluvialis fimbriam.

IX. Expletis orationibus, miniſtrante cum oſculis de more Diacono Celebrans ponit, & benedicit incenſum in thuribulo, tum ter aſpergit ramos aqua benedicta, dicens ſubmiſſa voce *Aſperges*, & poſtea ter eoſdem adolet incenſo nihil dicens; aſpergit autem, & incenſat in medio, a dexteris ramorum (non Celebrantis) & a ſiniſtris eorum. Poſtremo perſiſtens ut ſupra medius inter ſacros Miniſtros in eodem cornu Epiſtolæ, & converſus ad altare, junctis manibus dicit *Dominus vobiſcum*, poſtea *Oremus* ſe inclinans cruci, & tandem per orationem *Deus qui filium* palmarum benedictionem complet. Deinde fit diſtributio palmarum, & cum in ea ſervari omnino debeant ritus, ac cœremoniæ, quas deſcripſimus ſupra a num. 6. Decreti 16. ad num. 7. ſequentis Decreti, idcirco ne ægre ferat Lector, ſi ad ibi dicta eumdem remittimus, eum dumtaxat advertentes, quod dum fit hæc diſtributio, cantantur a choro antiphonæ *Pueri Hebræorum*, & quatenus non ſufficiant, repetuntur: Peracta autem diſtributione lavat manus cum mica panis, ut ibidem diximus num. 8., & poſtea converſus ad altare in cornu Epiſtolæ dicit junctis manibus *Dominus vobiſcum*, poſtea *Oremus* ſe inclinans cruci, & denique orationem *Omnipotens*.

X. Hactenus de benedictione palmarum, in qua celebrans pluviale, & miniſtri ſacri induunt planetas plicatas, ubi vero celebrans non induit pluviale, nec ſacri miniſtri planetas plicatas induant; nihil tamen impedit, quod benedictio etiam a ſolo celebrante non fiat ſine ſacris miniſtris, ſive in pluviali, vel ſine pluviali. *Cum celebrans utitur pluviali, ſemper deponit manipulum*, ſunt verba Rubricæ miſſalis *tit. 19. num. 4.*, quare dubium non eſt, quod ſive ſolus, ſeu cum ſacris miniſtris celebrans benedictionem peragat, debet eſſe ſine manipulo, ſi utatur pluviali. At quid, ſi pluviale haudquaquam adhibeat? ſic diſponit Rubrica: *Ubi pluviale haberi non poteſt, in benedictionibus, quæ fiunt in altari, celebrans ſtat ſine planeta cum alba, & ſtola*. Ergo ſine manipulo

pulo

pulo ſacerdotali, cujus nullus uſus eſt extra miſſam, ait Gavantus *par* 1. *tit.* 19. *num.* 4., quem ſequuntur Biſſus *lit.* c. *num.* 220., Victorius Novellarienſis *in ſynopſi de Dominica Palmarum*, & noviſſime Meratus *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 11. Ut tamen verum fatear, minus conveniens videtur, quod ſacri Miniſtri appareant in manipulo, & hoc careat celebrans; & maxime quia manipulus prædictis ſacris miniſtris conceditur ob Epiſtolam, & Evangelium, quod debent cantare, cum tamen etiam celebrans quando ſolus functionem peragit, illa debeat cantare, vel ſaltem conveniens ſit, quod illa privatim legat, quoties habet aſſiſtentiam ſacrorum miniſtrorum. Quoniam tamen, quoties celebrans utitur pluviali, eadem vel privatim legit nihilominus ſine manipulo, vel adhoc careat in defectu ſacrorum miniſtrorum, idipſum præſtare debere præfati ſentiunt Auctores, etiam quando pluviali non utitur. Cur vero extra miſſam, uti ſumus in palmarum benedictione, eodem Gavanto teſte *part.* 4. *tit.* 7. *num.* 8. nullus ſit uſus manipuli ſacerdotalis, bene vero ſacrorum miniſtrorum, memoratus ratio ponit Gavantus *par.* 1. *tit.* 19. *num.* 4. quod *de hoc ritu plena ratio penes Auctores deſideratur adhuc*, quare nec tu eam queras a nobis.

XI. Ad ritum quod attinet, nihil ſpeciale nobis adnotandum occurrit, niſi quod quando celebrans ſine ſacris miniſtris palmarum peragit benedictionem, præſens præſcribit Decretum quod Evangelium cantet, non quidem in cornu evangelii, ſed nihilominus in cornu Epiſtolæ, ut præſto nempe ſit ad ſubſequentem illico benedictionem ramorum, qui ex parte epiſtolæ jam ſupponuntur ut ſupra poſiti. Idipſum antecedenter docuerant Biſſus *lit.* B. *num.* 87. §. 20., & Bauldryus *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 4. *nu.* 2., quibus poſtmodum adhæſere Victorius Novellarienſis *in ſynopſi pag.* 33., atque Meratus *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 15. In ceteris idem ritus ſervatur, miniſtrantibus acolythis in iis, quæ ipſi congrue miniſtrare valeant.

DECRETUM XXVII. CAP. IN ORD. CCXVIII.

Epiſcopus Palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium *cum appropinquaſſet*, vel *Altera autem die* poſt Paſſionem, tam ex praxi Cappellæ Pontificiæ, quam ex præſcripto Cæremonialis Epiſc. S. R. C. 28. April. 1708. *in Bracharen.*

I. Silentium Epiſtolæ, & Evangelii benedictionis palmarum, quod per verbum *Debet* Epiſcopo benedicenti palmas videtur injungi, per verbum *Poteſt* ab Auctoribus cujuſvis celebrantis cum ſacris miniſtris arbitrio committitur. Diximus *Celebrantis cum ſacris miniſtris*, quia in horum defectu a celebrante dicantur neceſſe eſt, ne prorſus vacent, quæ benedictioni palmarum per Rubricas præmittenda mandantur. Fallit id tamen in Epiſtola, quæ per aliquem acolythum legi poteſt, & in iis, quæ cantantur a choro; cum enim iſta ſuppleantur per alios, neceſſe non eſt, a celebrante dicantur. Non obſcure Rubricæ id edocent, dum ſolas orationes, & præfationem celebranti committunt, cetera cuncta choro, aut ſacris miniſtris; & ipſum præcedens Decretum meminit Evangelii, non Epiſtolæ, dum celebranti ſine ſacris miniſtris recitationem injungit, quia Epiſtola per acolythum ſolet ſuppleri, ubi Evangelium per eumdem ſuppleri non valet. Non ſic eſt de Evangelio *Altera autem die*, a cujus lectione etſi abſolvatur Epiſcopus, dum ſolemni adſit Miſſæ, abſolvi tamen non poteſt quivis ſacerdos, ſive ſolus celebret miſſam vel cum ſacris Miniſtris; eſt enim ex iis, quæ ſpectat ad Miſſam, eamque integrant, adeoque ex iis, quæ juxta Rubricam VII. a celebrante omnino legi debent, quamvis per ſacros miniſtros decantentur.

II. Peracta ut ſupra oratione *Omnipotens*, per quam completur diſtributio palmarum, celebrans pergit ad medium altaris, ubi ſtans diacono miniſtrante cum oſculis, imponit, & benedicit de more incenſum in thuribulo, & interim aliquis acolythus ligabit vitta violacea in ſummitate crucis proceſſionalis ramuſculum ex palmis, ſeu Olivis benedictis. Mox diaconus depoſito manipulo, accipit ab aliquo acolytho palam celebrantis, quam eidem porrigit cum oſculis ipſius palmæ, & manus illius, & deinde ſuam ab eodem acolytho recipit, quam ipſe diaconus ſiniſtra tenet, celebrans vero dextera. Hoc facto idem diaconus præmiſſa genuflexione altari, convertit ſe ad populum per latus ſuum dexterum, ſtanſque in ſuo gradu poſt celebrantem, cantat *Procedamus in pace*, cui chorus reſpondet *In nomine Chriſti*, *Amen*, & continuo diaconus ſe convertit ad altare, nulla facta genuflexione. Quæ dum a diacono peraguntur; deſcendit ſubdiaconus, genuflectit ſuper infimum gradum altaris, & depoſito manipulo ſtatim accipit crucem proceſſionalem, & medius inter Ceroferarios habentes Candelabra, accedit, ut moris eſt, ad aditum presbyterii præeunte thuriferario, & ibi verſa facie ad altare expectat, donec procedendum eſt.

III. Reſponſo ut ſupra a choro *In nomine Chriſti*, *Amen*, celebrans facta reverentia altari deſcendit in planum, ubi a diacono accipit birretum, ſicut & ipſe diaconus recipit ſuum, & ſtatim ordinatur proceſſio, in qua præcedit thuriferarius, ſequitur ſubdiaconus cum cruce medius inter ceroferarios, poſtea clerus, & ultimo celebrans tecto capite, habens a ſiniſtris diaconum procedentem capite ſimiliter tecto, qui non elevat fimbriam pluvialis, omnes autem ſuam palmam deſerunt manu extima. In hac proceſſione cantantur antiphonæ *Cum appropinquaret*, & aliæ in Miſſali deſcriptæ, & ſi proceſſio brevis eſt, aliquæ omittuntur, ſi longior, aliquæ repetuntur, ita ut duret earum cantus, quamdiu durat proceſſio. Quem autem locum cantores tenere debeant, & ex qua parte proceſſio debeat incipere, jam ſatis diximus agentes de proceſſione candelarum.

IV. Hæc proceſſio exire debet extra Eccleſiam, ad quam quando revertitur, duo aut quatuor cantores tempeſtive intrant in Eccleſiam, cujus fores confeſtim præcluduntur, ad quas cum proceſſio devenerit, ſubdiaconus ſiſtit ſe, clerus per gyrum circumſtat, veluti medium habens celebrantem cum diacono ad hujus ſiniſtram. An in hac temporis circumſtantia ſubdiaconus tenere debeat Crucem cum facie crucifixi converſa ad celebrantem, an vero ad Eccleſiæ portam diſſident Auctores; Gavantus enim *part.* 4. *tit.* 7. *lit.* q., & Biſſus *lit.* P. *num.* 225. §. 5. illam volunt ad celebrantem converſam, ad portam autem, ſicuti in proceſſione defertur, Nicolaus Bralion *cap.* 7. *num.* 9., & præſertim quia ſubdiaconus percutere debet portam haſta ejuſdem crucis, quo in actu videtur, quod ad portam debet eſſe converſa. Has ſententias concilians, tu rem ita definito, ut dum proceſſio ſtat, crux ad celebrantem ſit verſa, ſicuti tenetur in aditu presbyterii, antequam proceſſio incedat, ubi vero ſubdiaconus percutere debet portam, & illico proceſſio incedere, ad portam illa debeat converti.

V. Mox cantores, qui ſunt intus Eccleſiam, ſtantes verſa facie ad proceſſionem, incipiunt ℣. *Gloria laus*, decantant duos primos verſus, quemadmodum diſerte præſcribit Rubrica Miſſalis, quam perperam ita exponit Meratus *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 27., ut verſus omnes decantare debeant uſque ad *Cœtus in Eccleſiis*. Errorem ejuſmodi inconſideranter Meratus ebibit ex ipſo Miſſali, quod non notat ℟. *Gloria laus*, niſi poſt quatuor primos verſus; ſed miror, non viderit errorem irrepſiſſe in Miſſale ex typographorum oſcitantia; Rituale enim, cujus Rubrica omnino conſonat cum ea Miſſalis, poſt duos primos verſus notat ℟. *Gloria laus*, & quando etiam ex ſolo Miſſali res definienda foret, ejuſdem verba, ad quæ potior eſt habenda ratio, diſerte nimis habent de cantoribus, *& decantant duos primos verſus, ſacerdos vero cum aliis extra Eccleſiam repetit eoſdem*, ut exponi valeant de cantu verſuum uſque ad *Cœtus in Eccleſiis*; ſic enim non duos verſus, ſed quatuor cantores dicerent intra Eccleſiam, antequam reſpondeant exiſtentes extra. Cantores itaque intra Eccleſiam cantant duos primos verſus, & mox celebrans cum aliis extra Eccleſiam eoſdem repetit. Denique cantores intus Eccleſiam concinunt alios duos ſequentes verſus, quibus terminatis, iterum qui ſunt extra Eccleſiam, repetunt *Gloria laus*, & ſic ſucceſſive ut in Miſſali, ſeu Rituali.

VI. Duodecim ſunt verſus iſti, & omnino omnes cantari debere, tenet Bauldryus *par.* 4. *cap.* 6. *art.* 3. *num.* 5., ſed obſtat maxime Rubrica, quæ per hæc verba *cantant alios verſus ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur*, vel omnes, vel eorum dumtaxat partem concinere, aperte cleri relinquit arbitrio. Baruffaldus tamen *tit.* 78. *n.* 20. conſulit decantari omnes, ne obtruncetur tam pius ordo metricus, niſi ſit tempus pluvium, vel ita gelidum, ut non niſi cum magno incommodo clerus id valeat abſolvere; & in ejuſdem ſententiam, dummodo integrum ſemper ſtet cleri arbitrium, nos quoque lubentes imus, eo fundamento ducti, quod cum prædicti verſus forent multo plures, ad talem numerum redacti fuerunt, ut ſine magno incommodo a clero omnes dici valeant. Prædicti dum cantantur verſus, juxta Auctores celebrans, & diaconus extra Eccleſiam ſtans tecto capite, nudo ceteri, ſed omnes ſtare poſſe cooperto capite, ſcite putat Bralion, quia proceſſio adhuc tota eſt extra Eccleſiam.

Cantatis præfatis verſibus, vel illorum parte, ſubdiaconus ima parte haſtilis crucis, abſque eo quod crux ab haſtili amota ſit, percutit ſemel tantum, ita ut fragor ab exiſtentibus intus Eccleſiam audiri poſſit, imam partem portæ Eccleſiæ, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intra, aperitur, & proceſſio ingreditur Eccleſiam, & cantores, qui ad locum ſuum intra proceſſionem ſe conſtituunt, cantare incipiunt reſponſorium *Ingrediente Domino*, & chorus illud proſequitur, & non dicitur *Gloria Patri* in ejuſdem fine. Diximus *Percutit ſemel tantum* contra nonnullorum uſum, qui percuſſionem repetunt, quaſi Rubrica non diceret: *Percutit portam, qua ſtatim aperta, proceſſio intrat Eccleſiam*; to enim *ſtatim* locum non dat iterationi percuſſionum. Quod ſi ob pluviam, vel aliud impedimentum proceſſio extra Eccleſiam exira nequeat, fiat intra eam, & quæ ad illius portam præſtanda erant, fiant in veſtibulo ante ingreſſum Cappellæ majoris, uti Gavantus *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 24. ſtatuit, & confirmat Biſſus *lit.* p. *nu.* 225. §. 7.

VIII. Hic ritus eſt Romanæ Eccleſiæ, ſed exemplo Chriſti propius accedere videntur ea loca, ubi in hodierna proceſſione fit egreſſus ab urbe, & ingreſſus ſolemnis, ac veluti triumphalis cum ramis arborum; porta autem urbis clauſa eſt in proceſſionis reditu, quemadmodum obſervatur in ſolemni Principum, & Regum ingreſſu in urbes, ac propterea exiſtentes extra urbem dicunt *Attollite portas*, & qui ſunt intus, reſpondent: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Per *Attollite* enim *portas* alluditur ad portas Sion, quæ in altum ſuſpenſæ erant, & in modum ligneæ vel ferreæ cratis confectæ, ſicuti portæ ſunt urbium præſidio munitarum, quæ extolluntur, vel dejiciuntur pro temporis opportunitate. In hac item proceſſione

alicubi

alicubi veluti in triumphum deportatum fuiſſe SS. Sacramentum in feretro reconditum, vel in tabernaculo geſtatorio vitris clauſo, aut alio vaſculo eleganter elaborato, ſatis oſtendunt auctoritates, quas Grancolas *cap.* 53. allegat, atque ſimul deſcribit proceſſionis ritum cum Evangeliorum libro, aut cruce detecta, qui aliis in locis ſervari ſolebat.

IX. Hymnus *Gloria laus*, qui erat olim 78. verſuum, communiter adſcribitur Theodulpho, ſæculo nono Aurelianenſi Epiſcopo, a quo Andegavis compoſitum ferunt, & Ludovico Pio Imperatori, a quo detinebatur in carcere de quadam conjuratione contra eumdem imputatus, tranſeunti cum palmarum proceſſione e feneſtra carceris decantatum, cujus modulatio hymni ita placuit Imperatori, ut Theodulphum libertate donarit. Narrationem ejuſmodi tamquam fabuloſam nonnulli rejiciunt, utpote quæ non cohæret cum vita illius Principis, in qua apparet, non potuiſſe illum Andegavis eſſe Dominica Palmarum anno 818., quo Theodulphus detinebatur in carcere. Addit Macrus verb. *Palmarum feſtum*, quod antiqui ſcriptores vitæ Ludovici Imperatoris nullam de tali ſucceſſu mentionem faciunt, quinimmo Theodulphum una cum ceteris complicibus nonniſi occaſione nuptiarum Lotharii Ludovici filii liberatum fuiſſe probant. Quibus, ſi addas quod Alcuinus *lib. 1. de div. off. cap.* 14., quem edidit anno 778., meminit ejuſdem hymni, tota fabricæ conſtructa moles profecto ruit. Benedictus XIV. *tom.* 1. *Annot. num.* 108. adhærens Martena *de antiq. Eccl. diſcipl. cap.* 20. *num.* 23., & Bailler *hiſt. hujus Dom. num.* 4., ſatis elegans temperamentum exhibet, ita ut Theodulphus prædicti hymni ſit quidem auctor, qualem eum facit Lupus Ferrarienſis *ep.* 20., qui vivebat tempore Caroli Calvi, licet poſtea eum minime decantaverit Imperatore tranſeunte, nec hac occaſione ab eodem a carcere fuerit liberatus, cum unius veritas ab altera nequaquam pendeat. Ad Alcuinum vero quod attinet, reponit, quod liber *de divinis officiis*, etſi Alcuinum auctorem præſeferat, opus eſt ſcriptoris ſæculi undecimi. Sane pro comperto habet Grancolas, quod prædictus hymnus in Andegavenſi urbe fuerit compoſitus, quia in eo deſcribitur magnifica ramorum proceſſio, quæ ibi fiebat Parochiarum omnium, & Monaſteriorum urbis, & ſuburbiorum, una procedentium ad Cathedralem.

X. De obſeratione, & apertione portarum Eccleſiæ, quæ fit in hac proceſſione, reliquum eſt producantur myſteria, & quoties in ſignum ſolemnis ingreſſus Principum in urbes id non patetur ut ſupra fieri, Myſterium ex D. Bernardo per hæc verba notat Grancolas: *Ut nos admoneamur, cæli portas hominibus fuiſſe interclusas, eaſque nobis Chriſtum per mortem ſuam aperuiſſe*, cum quibus concordant ea Amati Pouget *Inſt. Cat. tom.* 1. *pag.* 835. apud eumdem Benedictum XIV. num. 100. *Ut hinc intelligamus, clauſum hominibus fuiſſe cælum Adamo peccante, nec niſi Chriſti reſurrectione fuiſſe reſeratum.*

DECRETUM XXVIII. CAP. IN ORD. CCXXIX.

Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus, dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. Apr. 1708. *in Bracharen.*

I. CUm proceſſio ad altare devenerit, ſubdiaconus deponit crucem in loco congruo prope credentiam, ſuper quam ceroferarii ſua candelabra collocant, & ſe ſtatim conſtituit ante infimum altaris gradum ex parte Evangelii, ubi (clero interim ad chorum accedente) expectat celebrantem, qui ſe ſiſtit ante infimum altaris gradum, medius inter eumdem ſubdiaconum a ſiniſtris, & diaconum a dexteris, & ibi prædictus celebrans diacono ſuam tradit palmam, quam diaconus ſimul cum ſua conſignat cæremoniario, vel alicui acolytho. Deinde factis reſpective debitis reverentiis altari, ſe retrahunt ad cornu Epiſtolæ, ubi celebrans depoſito pluviali, accipit manipulum, & planetam violaceam, ſicuti etiam ſacri miniſtri recipiunt manipulos, & poſtea accedit iterum cum ſacris Miniſtris ad medium altaris ante infimum ejuſdem gradum, & ibi more ſolito Miſſam incipit, cujus particulares ritus uberi jam calamo proſecuti ſumus in capite de Feria VI. Paraſceves.

II. Epiſcopos autem præſens ſanctio inſtruit, quod quatenus ſolemni huic aſſiſtant Miſſæ, ſedere non debent, neque genuflectere, ſed ſtare diſcooperti, dum cantatur Paſſio, & ſi id præſtare non valeant, abſtineant magis ab interventu Miſſæ, licet interfuerint præcedenti benedictioni palmarum. Cum enim Paſſio ſit de textu Evangelii, quod ex Innoc. III. *l.* 2. *cap.* 47. eſt ſermo ſermonis, verbum verbi, & ſapientiæ, non decet a ſedentibus vel coopertis audiri; cur vero a genuflexis, in qua poſitione major utique reverentia apparet, audiri Decretum, & Rubricæ refugiant, ſed magis a ſtantibus juxta Decretum Anaſtaſii Papæ capit. *Apoſtolica* de conſecr. diſt. 1., in rationem aſſignat Quarti par. 1. *tit.* 17. *n.* 2., ut hac poſitione ſe promptos denotent ad obediendum Evangelio, & in ejus defenſionem paratos ad certamen, & prælium, ut explicat Durandus *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 23.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

De Benedictione Puerperarum.

BEnedictionem hujuſmodi reliquiam quamdam eſſe veteris legis, caput 12. Levitici dubitare non ſinit; ibi namque præcipitur, ne mulieres poſt partum templum ingrediantur, niſi præmiſſa purificatione. Dei Genetrix Maria, quæ *non ſuſcepto ſemine* Jeſum Chriſtum pepererat, legi ſubjecta non erat, ſed nihilominus præ maxima humilitate ſua dedignata non eſt eadem implere, ſeſeque ceteris conformare puerperis. Deiparæ exemplo edoctæ chriſtianæ mulieres, licet nec veteris, quæ plane deſiit, neque novæ legis, cujus nullum extat, adigantur præcepto, piam ac laudabilem induxerunt conſuetudinem nonniſi prævia ſacerdotis benedictione, poſt partum Eccleſiam intrandi. Quæ tamen novæ legi erant addictæ, veteri tempori rigoroſe non crediderе inſiſtendum, & ideo quamvis Beatiſſima Virgo, quæ genuerat maſculum, quadrageſimo a partu die ad templum acceſſerit juxta ejuſdem legis præſcriptum, ipſæ ſive maſculum, aut feminam pariant, nulla habita ratione temporis ad Eccleſiam accedunt, prout circumſtantiæ, & incommoda partus exegerint, atque permiſerint.

Sed Ritualis Romani lubet verba producere: *ſi qua puerpera poſt partum, juxta piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo &c.* Non eſt itaque hoc inſtitutum, niſi *pia, ac laudabilis conſuetudo*, omni expers præcepto, & ſolo innixa conſilio, unde inſtar aliarum, quæ non peperere, modo poſſunt mulieres poſt partum ad Eccleſiam accedere prævia nulla benedictione, quam ſolum, *ſi petierint*, & ad hunc effectum *ad Eccleſiam venire voluerint*, eidem dandam Rubrica demandat. Uti autem acceſſus eſt liber, ita dies acceſſus, ſuper quem propterea tacet Rubrica, cujus verba illa *Pro incolumitate ſua Deo gratias actura*, prædicti acceſſus finalem cauſam aſſignant, ut videlicet puerperæ gratias Deo reddant, non tam ob fœcunditatem ſibi conceſſam, quam *ob incolumitatem ſuam*, quatenus mediante Dei gratia difficilia partus incommoda, ipſumque vitæ periculum incolumes evadere potuerunt.

Num puerperæ ſolæ ad hanc benedictionem accedere debeant, vel ſecum prolem deferre, quæſtio eſt, quæ quatenus ex exemplo Matris, quæ ſecum Filium portavit, definienda foret, ſecum matres deberent Filium habere, unde Quartus ſubjectum hujus benedictionis matrem eſſe aſſerit cum prole recenter edita; quod & ſtatuit Caſtaldus *Prax. lib.* 2. *ſect.* 14. *cap.* 9. *num.* 11., atque confirmat Corſettus, qui *tract.* 2. *par.* 2. *cap.* 8. *ſect.* 2. *num.* 8. etiam prolem exponit, ut ſuper eam ad Dominum preces fundantur. In oppoſitum ſentit Baruffaldus *tit.* 43. *n.* 15., & certe validiori, ne dicam, indubiæ innititur rationi, quia nempe nedum Rituale ſilet ſuper delatione prolis, ſed inſuper in precibus, & orationibus quas in hac benedictione adhiberi præſcribit, ſola mentio fit de matre, nuſquam de filio, quam utique non præteriſſent, quando etiam ipſe deberet deferri. Conſuetudo ipſa generalis Eccleſiæ, quæ abſtinet a delatione prolis, idipſum eſſe oſtendit; & cum ſæpe pueri vix nati moriantur, non ſemel matres privarentur ſpiritualibus fructibus, quos late explicat Quartus, ſi cum prole ad templum tenerentur accedere. Facile extra chorum nonnemini pervicens caput nobis videbitur, ſed quia egimus de benedictione candelarum, quæ ſpectat ad Purificationis feſtum, de benedictione puerperarum, quæ ab eodem feſto trahit originem, ad complementum agere hic poſſe credidimus, uti & in ſubſequentibus capitibus de Nuptiis, & earum benedictione, quæ præcedunt puerperarum benedictionem.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 220. *Regulares non prohibentur in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere. Congr. Concil.* 2. *Julii* 1620. I. Puerperarum benedictionem a ſolo Parocho fieri poſſe, propugnat Laurentius de Franchis *Controv. part.* 2. *quæſt.* 69. *n.* 1., Nicolius *in Floſc. verb. Parochus n.* 17., Pignatellus *to.* 5. *conſul.* 76. *n.* 2. Monacellus *part.* 1. *tit.* 10. *formul.* 18. *n.* 10., & Anacletus *in Decretal. lib.* 3. *tit.* 47. *in fi.*, & duplici ratione ducuntur. Prima eſt, quia hæc benedictio eſt quid conſequens ad contractum Matrimonii, qui privative ſpectat ad Parochum, quare ſicut hac eadem de cauſa Parocho privative competit benedictio ſponſorum, ita & benedictio puerperarum. Secunda eſt, quia prædicta benedictio fieri præcipitur cum ſuperpelliceo, ſtola, & aqua benedicta, quæ cum ſigna juriſdictionis eſſe videantur, ad ſolos Parochos, & non ad Regulares ſpectare dignoſcitur.

II. Secus autumant Quartus, Lezana, aliique Doctores plurimi, quia cum benedictio ejuſmodi in præcepto non ſit, ſed meri conſilii, & devotionis, ſicuti propterea poteſt puerpera eadem benedictionem vel ſuſcipere, aut negligere, ita etiam poterit pro ea ſuſcipienda ad libitum tum Eccleſiam, tum Sacerdotem ſeligere. Hinc apparet diſcrimen a benedictione ſponſorum, quia hæc cadit ſub præcepto, & aliquo modo connexa eſt ſolemnitati Matrimonii. Abs re autem omnino eſt ſecunda ratio, nam cum juxta Rubricas generales in omnibus benedictionibus extra Miſſam Sacerdos ſuperpelliceum, & ſtolam induere debeat, ſequeretur alias, quod benedictiones omnes, etiam commendatio ipſa animæ, & aſperſio aquæ benedictæ in diebus Dominicis, privative ſpectarent ad Parochos. Jam vide, quam diſſona ſit illatio illa, dum ego inſuper ponderare pergo, quod impræſentiarum agitur de benedictione impertienda a Regularibus in propriis Eccleſiis,

in

in quibus nemo eſt, qui iiſdem juriſdictionem contendere valeat, etiam relate ad ſæculares perſonas in iis, quæ Parochis non ſunt reſervata, alias quippe neque Sacramentum Pœnitentiæ, aut Euchariſtiæ iiſdem in propriis Eccleſiis adminiſtrare poſſent, cum ad utriuſque adminiſtrationem requiratur poteſtas juriſdictionis, uti alibi jam ſtatuimus.

III. Dubium quodvis præſens ſanctio diſſipat, quæ Regularibus facultatem admittendi in propriis Eccleſiis puerperas ad purificationem, aperte declarat, neque quod ſubdimus (erit 2. cap. in ord. 221.) Decretum obſiſtere valet: *An prædictis Regularibus Civitatis Antuerpienſis liceat in propriis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere? Reſp. negative. Congr. Concil.* 18. *Nov.* 1662. Niſi namque admittere velimus correctionem legum, quæ quantum fieri poteſt, vitanda eſt ex generali regula, neceſſe utique eſt, hocce Decretum Civitati Antuerpienſi particulare dicere, & particulari de cauſa editum, puta concordiæ, vel immemorabilis conſuetudinis. Ad quæ dicenda nos utique valida mover ratio; quia nempe inter Parochos Loci Inciſæ, & Patres Carmelitas ſuper jure benedicendi mulieres poſt partum diſceptatione facta, ſequens Decretum prodiit, & erit 3. cap. in ord. 222. *An Patres poſſint in propria Eccleſia mulieres poſt partum benedicere, & ad purificationem admittere? Reſp. affirmative.* Ead. Congr. 9. Junii 1708.

IV. Hoc namque Decretum cum duobus præcedentibus poſterius ſit, eam vim habet, ut ad priſtinum validumque ſtatum revocet primum, & aboleat ſecundum, quatenus ſecundum, ut dicebamus, particulare cenſendum non ſit, ſed magis per idem priori derogari, quare cum ex poſterioribus Decretis aliis nullum ſit, quod præfatam facultatem Regularibus contendat, ſed iiſdem quodvis magis faveat, ut conſtabit ex inferius dicendis, inconcuſſum ſit, Regularibus integrum omnino eſſe, atque liberum, puerperas in propriis Eccleſiis benedicere, atque ad purificationem admittere.

D E C R E T A.

Decretum IV. cap. in ord. 223. *An Benedictiones mulierum poſt partum, & Fontis baptiſmalis ſint de juribus mere parochialibus? Reſp. neg., ſed fieri debere a Parochis S. R. C.* 10. *Dec.* 1703. *approbante Clem. XI.* 12. *Janu.* 1704. I. Quem jam ſæpe aperuimus, non eſt, horum Decretorum generalium ſenſum ulterius conemur oſtendere; benedictiones enim ejuſmodi *non eſſe de juribus mere parochialibus*, idem eſt, ac dicere, quod integra ſtant Parochialia jura, tametſi prædictæ benedictiones Parochis privative non competant, quare ſequentia verba *ſed fieri debere a Parochis* ſolum innuunt, quod eædem benedictiones non quidem ſpectant ad jura parochialia, ſed tamen tales ſunt prærogativæ, & præeminentiæ, quæ reſervantur Parochis. An autem relate ad Eccleſias omnes? Nequaquam, ſed ſolum relate ad Eccleſias Laicarum Confraternitatum, ad quarum, & Parochorum controverſias dirimendas edita ſunt ipſa Decreta, ſicuti eorumdem titulus ſe aperte exprimit. Et quidem etiam benedictio fontis baptiſmalis ſub eadem diſpoſitione clauditur, & tamen fieri poſſe vidimus etiam in Eccleſiis, quæ baptiſmales ſunt, licet non parochiales; quinimmo celebratio Miſſæ ſolemnis in feria V. Cœnæ Domini ad octavum dubium ad Parochos non minus ſpectare decernitur, & tamen quis dicet, eam haberi non poſſe in Eccleſiis Collegiatis, & Regularibus, quæ Parochiales non ſunt?

II. Ut dicebamus itaque, compertum eſt, quod præſens decretum Regulares, aliaſque non tangit Eccleſias, ſed ſolum eas Laicalium Confraternitatum; ad quas reſpective dumtaxat, & non ad alias benedictionem mulierum poſt partum reſervat Parochis; an autem hæc reſervatio adhuc ſubſiſtat in penultimo Decreto reſervamus dicere, hic ſolum addentes, quod notat Pittonus *Deciſ. Sacr. Rit. num.* 1232. ſuper hocce Decretum: *Et cum ſit res, quæ pertinet ad purum ritum, huic declarationi ſtandum eſt, & magni facienda, ut ex Rota ait Monacelli in Formul. Legali Practico part.* 4. *in ſupplem. ad* 1. *to. pag.* 23. *ſub num.* 183. Quoties enim huic declarationi ſtandum eſſet, jam ſuperius ubertim habes anguſtos ejuſdem limites, licet nos non videamus, unde præſens res dici valeat pertinens ad purum ritum, cum de ritu benedictionis quæſtio non ſit, ſed de Eccleſiarum jure ſuper prædicta benedictione impertienda. Hæc autem addenda cenſuimus ad reprimendum eorum Auctorum auſum, qui ut hac in re faveant Parochis, Sacram Congregationem Concilii cauſari non timent, quaſi manum in alienam meſſem poſuerit, cum tamen, licet quæque ex Romani Congregationibus æque venerandæ ſint, earumque Decreta, Congregatio Concilii in ſuis reſolutionibus ſi non majori, certe non minori ponderatione procedat.

D E C R E T A.

Decretum V. cap. in ord. 224. *An jus benedicendi puerperas ſpectet privative ad Parochos? Reſp. negative. Congr. Concil. Dec.* 1718. I. In Oppido Novarum Dertonenſis Diœceſis adſunt Eccleſiæ Parochiales SS. Petri, Andreæ, & Nicolai, & adeſt etiam Eccleſia Collegiata, cumque inter Parochos harum Eccleſiarum, & Archipresbyterum memoratæ Eccleſiæ Collegiatæ nonnullæ exortæ fuiſſent contentiones circa exercitium jurium parochialium, inter alia dubia propoſitum fuit declarari: *num jus benedicendi puerperas ſpectaret privative ad Parochos*, & reſponſum extitit *negative*. Hac ex deciſione dubio procul ſit, quod puerperarum benedictio ad Parochos nec privative ſpectat tamquam aliquod jus parochiale, neque tanquam prærogativa iiſdem Parochis reſervata, certe ſi non relate ad Eccleſias omnes, de quibus quæſtio non erat, reſpective ſaltem ad memoratam Eccleſiam Collegiatam, cui propterea declaratur liberum, puerperas quarumcumque præfatarum Eccleſiarum Parochialium ad purificationem admittere.

II. Emanato ejuſmodi Decreto, quod ut minimum Eccleſiæ Collegiatæ puerperarum benedictionem faciebat liberam, ortum eſt dubium, *num e contra jus benedicendi puerperas ſpectaret privative ad Archipresbyterum, & capitulum*, & ſequens (erit 6. cap., in ord. 25.) Decretum prodiit, *Eſt in libertate perperarum accedere ad quamcumque Eccleſiam ſibi bene viſam*. Ead. Congr. 7. Dec. 1720. Dubium eſſe non poteſt, quod præſens Decretum favorem ſuum expandit ad Eccleſias colligantes, ita ut tum Eccleſiis Parochialibus integrum ſit admittere puerperas, quæ pro purificatione ad eaſdem accedunt; & idipſum, ut dicebamus, ut minimum importabant verba præcedentis Decreti, quod dum declarat, prædictam benedictionem non ſpectare privative ad Parochos, in caſu litis pendentis inter Parochos, & Eccleſiam Collegiatam, in ſimul quidem ſtatuit in Eccleſia Collegiata jus benedicendi puerperas, ſed non privative, ſed cumulative cum iiſdem Parochialibus, quibus non contenditur tale jus, ſed ſolum iiſdem declaratur privative non convenire.

III. Verum intellectus hujuſmodi non quadrat admodum amplitudini verborum Decreti, to enim *Ad quamcumque Eccleſiam ſibi bene viſam*, quod ex ſe natum eſt dicere Eccleſiam omnino omnem, minus apte reſtringitur ad prædictas Eccleſias Parochiales, & Collegiatam, cum tamen ſi hæc Congregationi mens ſtetiſſet, congruentiora non deſiderarentur verba, quibus Decretum exprimeretur. Accedit, quod cum Eccleſia Collegiata, etſi ſit loci matrix, ſibi vindicare non valeat jura, vel prærogativas Eccleſiarum Parochialium, nec una Parochialis illas alterius, neceſſe omnino eſt, admiſſio puerperarum ad purificationem neque Parochorum juris ſit; neque præeminentiæ, ſi puerperis ut ſupra declaratur liberum ad Collegiatam, vel Parochiales accedere. Videtur itaque Decreti ſenſum in eo ſitum eſſe, ut puerperarum arbitrio omnino commiſſum ſit, Eccleſiam, & Sacerdotem ſeligere, uti dicebamus in primo Decreto, & præſentis verba præſeferunt.

IV. Ceterum haud abnuo, quod de Eccleſiis confraternitatum nonnulla adhuc difficultas eſſe poteſt; etſi namque to *Quamcumque Eccleſiam*, omnem Eccleſiam dicat, & nullam excipiat, nos tamen monuit Barboſa dict. *Quodcumque*, quod ejuſmodi dictio non includit perſonas in materia, de qua agitur, privilegiatas, unde nec comprehendere poſſe videtur Eccleſias Confraternitatum in noſtro caſu, cum de iiſdem habeatur ſpeciale Decretum, nempe quartum capitis, in quo expreſſe declaratur, eaſdem non poſſe puerperas ad purificationem admittere, ſicuti magis diximus exponentes idem Decretum. Eccleſiis autem Monialium quamvis aſſiſtant privilegia Regularium in iiſdem non collaudamus puerperas ad purificationem admitti, cum ejuſmodi functio, etſi pia, & laudabilis, ſit minus conſona haberi in Eccleſiis, quas inhabitant Virgines Deo ſacratæ, ſicuti conſimili de cauſa in iiſdem prohibita cenſeri rite poteſt benedictio ſponſarum.

V. Hora eſt, deſcendamus ad ritum, & a Rituali aperte edocemur, quod *Sacerdos in hac benedictione induere debet ſuperpelliceum, & ſtolam albam, & cum miniſtro aſpergillum deferente, ad fores Eccleſiæ procedere, ubi puerperam foris ad limina genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem, acqua benedicta aſpergit*. Adminiſtratur hæc benedictio in ſtola coloris albi, qui & uſurpatur ab Eccleſia in Purificatione Deiparæ, in cujus memoriam, & venerationem illa ſuſcipitur, & quia eadem Purificatio colitur cum proceſſione candelarum, & cum luminibus accenſis, credit Quartus, quod hæc ſit cauſa, ob quam puerpera manu geſtat candelam accenſam. Super candelam autem ejuſmodi, aut quæcumque alia, quæ pro loci conſuetudine ſolent ſponte a puerperis offerri Sacerdoti, qui eas ad purificationem admittit, jus nullum, neque partialiter, habet Parochus, quando illæ ad Eccleſias non parochiales accedunt, ſed integre cedunt in beneficium ipſorum Sacerdotum benedicentium, quemadmodum rite firmat Leander *de præcept. Eccl. tract.* 6. *diſp.* 10. *qu.* 10., ubi & affert declarationem Sacræ Congregationis, favore Regularium emanatam.

VI. Mulier foris ad Eccleſiæ limina jubetur genuflectere in ſignum humilitatis, & hoc actu ſe indignam declarat, ut ingrediatur Eccleſiam, cum adhuc impura ſit, & ideo ibi Sacerdotem expectat, qui eam ſuſcipiat. Hinc apparet eliminandum omnino eſſe uſum illarum feminarum, quæ cum erubeſcant ſe ſiſtere ad fores Eccleſiæ, ad ſacriſtiæ portiunculam ſe conferunt, ut ex illa ſuſcipiantur; eſt enim aperte contra verba Rubricæ, atque myſteria; & licet ejuſmodi actus ſit puerperæ liber, quoties tamen ſit, fieri omnino debet juxta normam ab Eccleſia præſcriptam, atque probatam. Mulierem ut ſupra genuflexam Sacerdos aſpergit aqua benedicta, & cum hæc aſperſio fiat ad mundandum, & purificandum, verſiculum *Aſperges me, Domine &c.* rite dicere poterit, licet ſuper hoc Rituale taceat, facta autem aſperſione, idem Sacerdos dicit: *Adjutorium noſtrum, &c.*

VII. Abſolutis hic dici præſcriptis, Sacerdos ad manum dexteram mulieris porrigit extremam partem ſtolæ a ſiniſtra parte colli ſibi pendentem, quam mulier prædicta manu dextera

appre-

apprehendit, ſurgit, & ſtans ad ſiniſtram Sacerdotis, hoc pacto intrat Eccleſiam, ſeu magis in hanc a Secerdote introducitur, qui interim dicit: *Ingredere &c.* Per impoſitionem item ſtolæ ſuper Infantem a Sacerdote in Eccleſiam ducitur parvulus in baptiſmo, cum parvuli manu ſtolam apprehendere nequeant; ſi vero adulta fuerit perſona baptizanda, Sacerdos eam introducit in Eccleſiam manu aprendens illius dexteram prope brachium, vel ei porrigens extremam partem ſtolæ, uti modo dicebamus de puerperis, pro quibus dumtaxat hunc modum conſulto Rituale probat, quia minus decens eſt, quod Sacerdos ſua manu tangat adultæ feminæ brachium, unde & hunc præciſe modum nos teneri debere credimus in baptiſmate feminæ adultæ, licet ut ſupra duplicem Rituale aſſignet, uti ſuo loco magis dicitur.

VIII. *Et ipſa ingreſſa genuflectit coram altari, & orat, gratias agens Deo de beneficiis ſibi collatis, & Sacerdos dicit Kyrie eleiſon &c.* Superius memorato pacto mulier a Sacerdote ducitur uſque ad altare; ad quodnam autem altare, Rituale non explicat, ſed quoniam in precibus, quas ſuper mulierem ad altare Sacerdos debet dicere, habetur *Adora Filium Beatæ Mariæ Virginis &c.*, Baruffuldus credit, quod altare eſſe debeat, in quo aſſervatur SS. Sacramentum, aut quod dedicatum eſt Deiparæ Mariæ, ſed quoniam in unoquoque altari adeſſe ſupponitur Crucifixum Mariæ Filium, ad quem dirigantur præfata Ritualis verba, conſultius eſſe videtur, quod ducatur mulier ad proximum Eccleſiæ altare, tum quia modus iſte commodior eſt, & minus diſtrahit orantes ceteros in Eccleſias, tum quia conformior eſt Ritualis verbis, quod mulieri ingreſſæ ſtatim injungit genuflexionem coram altari; & denique quia nonnumquam in Eccleſiis, in quibus fit benedictio ejuſmodi, neque eſſe poteſt altare SS. Sacramenti, neque B. Virginis, adeo a vero abeſt, quod prædicta Ritualis verba unum illorum exigant. Ubi itaque mulier ad altare devenerit, coram eo mox genuflectit, & orat gratias Deo reddens pro beneficiis ſibi collatis.

IX. Dum mulier orat, Sacerdos dicit *Kyrie eleiſon* cum aliis præſcriptis precibus, quibus finitis illam aſpergit iterum aqua benedicta, in modum crucis, & eam aſpergens dicit: *Pax, & benedictio &c.* quo facto eam derelinquit in Sacriſtiam rediens. Quæ Sacerdos continuatim peragit, nulla habita ratione ad orationem mulieris, quæ orationem ſuam proſequi libere poteſt, & toto tempore, quo Sacerdos ſupradicta præſtat, & quo jam ab altari diſceſſit finita benedictione, abſque eo quod ipſa ab altari diſcedat.

DECRETA.

Decretum 7. cap. in ord. 226. *An valeat Parochus in Eccleſiis monialium Ordinario ſubjectarum, benedictiones mulierum poſt partum, vel ſimiles impartiri? Reſp. negative Congr. Concil.* 23. *Aug.* 1727. Jam diximus, univerſim minime congruere, in Eccleſiis Monialium mulieres admitti ad benedictionem poſt partum, & non deſunt, qui per præſens Decretum cenſuere id diſtricte fieri prohibitum; quam autem perperam, abunde patet ex ipſo Decreto, cujus vis unice ſiſtit, non quidem in inhibenda univerſim benedictione puerperarum in Eccleſiis Monialium, ſed in declarando licitum eſſe non poſſe Parochis tales benedictiones, aliaſque ſimiles agere in Eccleſiis Monialium, etſi iſtæ Ordinariis locorum pareant, & non Regularibus. Inter Cappuccinas, & Parochos Civitatis Novariæ facta eſt hujuſmodi quæſtio, & cum illæ ſubjectæ ſint Ordinario loci putabant Parochi eaſdem cum Eccleſia eſſe quoque ſibi ſubjectas, ac conſequenter in eadem Eccleſia poſſe ad eas benedictiones procedere, ad quas procedunt in propria. Ex Monialium ſubjectione erga locorum Ordinarios nullum juriſdictionis jus exurgere in Parochis jam non ſemel diximus, atque oſtendimus, & hanc doctrinam modo Congregatio laudat, & comprobat, dum in Eccleſiis Monialium, licet Ordinariis ſubjectarum, prædictas benedictiones a Parochis fieri prohibet, ex defectu utique juriſdictionis, quam ut ſupra prætendebant Parochi, non ob inconvenientiam, de qua actum non eſt in agitatione cauſæ, & qua ſtante non ſolis Parochis, ſed quibus libet debuiſſent declarari inhibitæ.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Nuptiis.

PLus æquo Lectorem moraremur, & incaſſum, ſi quæ ad nuptias attinent, hic cuncta exarare vellemus: & maxime cum potiora in Rituali ſatis maneant expreſſa, & paſſim occurrant obvia apud Doctores, qui integris voluminibus, & uberrimis tractatibus rem penitus perſcrutati fuere. Nuptiæ ab *obnubendo* dictæ ſunt, quod feminæ in nuptiis caput ſuum obnubere ſolerent, textu expreſſo in cap. *Nec illud* 8. cauſ. 30. q. 5. *Inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia ſe puellæ obnuberant;* motivum autem hujuſce opertionis ubertim manet expreſſum in cap. *Fœminæ* 7. cauſ. 30. q. 5. *Fœminæ, dum maritantur, ideo velantur, ut noverint ſe ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe, & humiles.*

DECRETA.

Decretum I. cap. in ord. 227. *Ad validitatem matrimonii ſufficit præſentia ſolius Parochi proprii ſponſæ, quando matrimonium in Parochia ſponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficit præſentia ſolius Parochi ſponſi, ſi modo matrimonium contrahatur in Parochia ipſius ſponſi. Congr. Concil.* 1573. *apud Benedictum XIV. to. 2. notif. 13. n. 5.* I. Fidelium matrimonia, quæ abſque Sacerdotis, ſeu Parochi præſentia celebrabantur, illicita olim fuiſſe, teſtimonium reddunt indubium can. *Aliter* & can. *Noſtrates* 30. q. 5., jure autem novo Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. de Reform. cap.* 1., ubi hujus Decretum promulgatum extitit, nulla modo manent, & invalida, niſi ultra duos, aut tres teſtes iiſdem adſtiterit *proprius contrahentium Parochus*, aut Sacerdos alter *de licentia ipſius Parochi, vel Ordinarii*. Si uterque ſponſus ad eamdem Parochiam attineant compertum eſt, quinam ſit Parochus, qui eorum nuptiis debet adeſſe, non ſic tamen eſt, quoties contrahentes diverſarum ſunt Parochiarum. Cum itaque dubitaretur, *num utriuſque Parochi præſentia requireretur, vel ſponſi ne, aut ſponſæ, ſufficeret, ſive an ſaltem etiam alterius Parochi conſenſus deberet accedere*, præſens prodiit Decretum, quod manifeſte nos monet, quod unius ex Parochis præſentia ſufficit, abſque eo quod alterius conſenſus accedat, Parochi ſponſæ poſtea, ſi in Parochia ſponſæ matrimonium contrahatur, Parochi vero ſponſi, ſi in hujus Parochia celebretur.

II. Ratione connexionis juriſdictio quoad unum, trahit ſecum jus etiam quoad alterum *arg. L. ſi communem, ff. quemadmodum ſervit. amitt.* unde matrimonium, cum ſit contractus individuus, id exigit, ut qui eſt Parochus ad conjungendum unum, qualis eſt quilibet relate ad ſuum Parochianum, per neceſſariam conjunctionem ſit ad utrumque, & hæc eſt cauſa, ob quam Tridentinum Parochi aſſiſtentiam exigit in ſingulari numero, & non diſtinguit inter contrahentium Parochos ut hinc daretur intelligi, quod unius præſentia ſufficit, mulieris poſtea ſit, vel viri. Quod vero Parochus ille aſſiſtere debeat, in cujus parochia matrimonium contrahitur, manifeſta vox item eſt Ritualis Romani: *eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia matrimonium celebratur, ſive viri, ſive mulieris.* Pluribus in locis uſus obtinuit, ut aſſiſtat Parochus fœminæ, ſed fere in idem redit uſus ejuſmodi, quia generaliter, & ibi viget conſuetudo matrimonium contrahendi in parochia mulieris.

III. At quid, ſi in domo mulieris aſſiſtat Parochus viri, vel e contra? Pro nullitate pronuntiant plurimi, quibus & Rituale, & præſens Decretum, dum expoſcunt præſentiam Parochi, in cujus parochia matrimonium contrahitur, abunde ſuffragari videntur. In oppoſitum tamen Auctorum fere communis ſtat opinio, quæ firmat in prædictis duobus monumentis non aſſignari Parochum, qui ex neceſſitate intereſſe debet, ſed ex honeſtate, & æquitate, ceterum matrimonium valide contrahi æque poſſe coram Parocho viri, vel mulieris, nedum in propria, ſed etiam in aliena Parochia. Talis namque aſſiſtentia vel non eſt actus juriſdictionis, vel eſt actus juriſdictionis voluntariæ, non contentioſæ, utpote quæ tantummodo fit contrahentibus, ita volentibus, & ſine cauſæ cognitione, unde videre non eſt, cur a Parocho viri præſtari non valeat in parochia mulieris, vel e contra, cum tam auctoricativa aſſiſtentia, quam juriſdictio voluntaria exerceri poſſint, etiam extra proprium territorium, *L. emancipati, ff. de adopt.*

IV. Barboſa *de offic. Paroch. cap. 21. num. 45., & in collect. verbum matrimonium* producit quamdam deciſionem Congregationis Concilii, per quam quæſtio ita definita remanet, & reapſe modo eſt generalis regula in eadem Congregatione probata, ut non amplius ab ea dubitetur ſuper validitate matrimonii, cui, & in quocumque loco aſtiterit unus ex contrahentium Parochis; Tridentinum enim dumtaxat exigit aſſiſtentiam proprii Parochi, nec ullum, ne quidem minimum, verbum habet de obligatione eam præſtandi intra propriam parochiam; quare res relicta videtur diſpoſitioni juris communis, juxta quam, ut dicebamus, juriſdictio voluntaria exerceri valet, etiam extra proprium territorium, ſeu Parochiam.

DECRETA.

Decretum II. cap. in ord. 228. *Parochus, qui matrimonio debet aſſiſtere, eſt Parochus habitationis, ſeu domicilii, non originis, Congr. Concil.* 18. *Nov.* 1702. I. Parochianus quis dicitur ab habitatione, ſeu domicilio, non ab origine, neque portio canonica debetur Eccleſiæ parochiali originis, ſed habitationis, ergo cum Parochus habitationis, ſeu domicilii ſit verus, & proprius Parochus, non ille originis, coram illo non coram hoc matrimonium contrahi debet juxta Tridentini mentem, quod aſſiſtentiam proprii contrahentium Parochi manifeſte expoſcit. *Habitationis, ſeu domicilii* habet Decretum, & nec dubito, quod dictio *ſeu* hic ſtat expoſitive pro *ideſt*, non disjunctive, & per conſequens ad rem, de qua agitur, non ſufficit quæcumque habitatio, ſed requiritur habitatio per modum domicilii, ſicuti diſerte cenſuit eadem Congregatio in ſequenti Decreto, (quod erit 3. cap. in ord. 229.) *Non valet matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi.* Ead. Congreg. 1. Dec. 1640. Hinc namque duo eruuntur, quorum primum eſt, quod habitatio modici temporis, quam habent contrahentes in loco, in quo reperiuntur, non ſufficit ad contrahendum valide matrimonium apud Parochum illius loci, niſi illa habitatio aſſumpta fuerit animo ibi domicilium contrahendi. Alterum vero eſt, quod etſi domicilium impor-

tet

tet habitationem longi temporis, adhuc ſufficienter acquiritne per habitationem paucorum dierum, ſi hæc fuerit aſſumpta cum animo ibi commorandi; hoc enim ipſo domicilium contrahi, tametſi poſtmodum mutetur animus, & locus, etiam ita definit Rota Rom. *in Toletana matrimon.* 10. *Dec.* 1625. *coram Merlino*, unde in hoc caſu matrimonium nedum rite contrahi poterit, ſeu debebit coram Parocho hujuſce habitationis, in caſu autem prædictæ habitationis ſine animo contrahendi domicilium, matrimonium celebrari dumtaxat poterit coram Parocho prioris habitationis, quam contrahentes animo non deſeruerunt.

II. Quod plene confirmatur (erit 4. cap. in ord. 230.) a Decreto, quod ſubdimus: *Vir, & mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes, & ad locum alterius Parochiæ ſolo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferentes, cum Parocho illius loci matrimonium inter ſe invalide contrahunt.* Ead. Congr. 22. Febr. 1631. Nota to *ſolo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi*, quia ſi inſimul habuiſſent animum ibi domicilium contrahendi, quamvis ad tale domicilium aſſumendum dumtaxat moti fuiſſent gratia contrahendi matrimonium, quod ob parentum, vel aliorum impedimenta in priore domicilio difficillime contrahere poterant, matrimonium validum foret, non nullum, utpote contractum coram domicilii Parocho, abſque eo quod fraus opponi valeat, quia ipſi utuntur jure ſuo ad redimendam vexationem. Et quidem cum Antonius Romagnolus Cæſenas captus amore Angelæ pariter Cæſenatis aufugiſſet Forolivium ipſum ſecuta eſt Angela, quæ medio juramento facta declaratione, quo ibi domicilium eligebat cum proteſtatione ſe velle in futurum vivere ſub tutela, & cura ſuæ Aviæ maternæ forolivienſis, matrimonium quod contraxit, paucos poſt dies cum eodem Antonio per verba de præſenti coram Parocho prædictæ Aviæ, validum declaratum extitit, tametſi præfata Angela domicilium Forolivii ſolo animo contrahendi prædictum matrimonium elegiſſet, & ad redimendam propterea parentum vexationem.

III. En Decretum, (quod erit 5. cap. in ord. 231.) *An matrimonium ſuſtineatur in caſu? Reſp. affirmative.* Ead. Congr. 20. Febr. 1723. Ex quo Decreto, volo, item inferas, quod matrimoniis proprius valide aſſiſtit Parochus, etſi ab Ordinario fuerit prohibitus, nam non obſtante prohibitione, quam aſſiſtendi ut ſupra Epiſcopus Forolivienſis fecerat Parocho, adhuc a ſacra Congregatione pronuntiatum extitit pro validitate matrimonii, & quidem recte, quia non poteſt Ordinarius ea facultate expoliare Parochum, quam eidem tribuit Tridentina Synodus. Ad complementum liceat duo alia (ſunt 6., & 7. cap. in ord. 232. 233.) Decreta ſubdere: *Nullum eſt matrimonium contractum ab iis, qui alio perrexerunt ad illud contrahendum, ut majorem facilitatem experirentur.* Ead. Congr. 13. Nov. 1683. *Non ſuſtinetur matrimonium, ad quod contrahendum vir, & mulier alio profecti ſunt cum animo repetendi illico parochiam proprii domicilii.* Ead. Congr. 7. Sept. 1697. In utroque namque caſu defuit animus contrahendi domicilium, adeoque omnino nutat matrimonium ex defectu aſſiſtentiæ proprii Parochi, quæ ex Tridentino eſt omnimode neceſſaria.

D E C R E T A.

Decretum VIII. cap. in ord. 234. *Matrimoniis in perpetuum, vel ad tempus damnatorum ad carceres, aſſiſtere debet Parochus, intra cujus Parochiam ſitæ ſunt carceres; eorum vero, qui damnati non ſunt, ſed in iiſdem detinentur loco cuſtodiæ, Parochus, in cujus Parochia illi proprium habent domicilium.* Congr. Concil. 26. *Maii* 1707. I. Genus duplex diſtinguitur detentorum in carcere, eorum nempe, quorum cauſa cum jam ſit expedita, per ſententiam ad carceres vel in perpetuum, vel ad tempus damnati ſunt, & eorum, quorum cauſa cognoſcitur, & nondum per ſententiam eſt expedita. Qui per ſententiam ut ſupra damnati ſunt, carcer non eſt illis cuſtodia, ſed pœna, & ideo in loco carcerum domicilium dicuntur habere, quoniam *relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet*, uti dicitur *L. Filii ff. ad municipalem*; illi vero, quorum ſententia lata non eſt, detinentur in carceribus, non in pœnam, ſed in cuſtodiam, & ideo dici non poteſt, quod ibi habeant docilium, nec quaſi domicilium, cum perpetuo vivant animo proprium domicilium repetendi. Hinc apparet cauſa, ob quam illi prioris generis coram Parocho carcerum valide contrahunt, non tamen poſterioris; ſed hi contrahere debent coram Parocho proprii domicilii, dummodo illud in Civitate, vel loco habeant, quo ſi careant, niſi aſſiſtat Parochus ſponſæ, arbitramur Parochum carcerum aſſiſtere poſſe.

D E C R E T A.

Decretum 9. cap. in ord. 235. *Matrimonium contractum a puella educanda ad cratem Monaſterii coram teſtibus, & Parocho Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites ſitum eſt monaſterium, validum eſt, etiamſi Parochus fuerit alio prætextu vocatus, niſi aliud obſtet.* Congr. Concil. 19. *Dec.* 1648. I. Puellas, quæ educationis cauſa in monaſteriis detinentur, contrahere volentes, deſponſari debere extra clauſuram, in eam amplius non redituras ſine licentia Sanctæ Sedis, per Sacram Congreg. Epiſc. & Regul. cautum extitit 25. Febr. 1595., & adeo quidem ut Abbatiſſa, quæ ſponſalium inſtrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponenda ſit ab officio, voceque activa, & paſſiva, ſicuti eadem cenſuit Congregatio 20. Sept. 1577., quæ cum inſuper ſtatuerit ſub die 13. Janu. 1634., & 9. Novemb. 1635. quod Ordinarius habita notitia, quod educandæ contraxerint ſponſalia, debet eas a clauſura dimittere, ut locus inquiſitioni remanet, quænam Parochus aſſiſtere debeat matrimoniis prædictarum puellarum, quæ hoc ipſo, quod in domo paterna, vel materna, ſe recipiunt, dubio procul apud ejuſdem, & non Monaſterii Parochum contrahere debent. Quoniam tamen non deſunt loca, in quibus prædicta Decreta non ſunt uſu recepta, & quandoque tot circumſtantiæ urgent, ut ſecus fieri expediat, aut temere attentetur, idcirco quid juris ſit in caſu, diſputandum occurrit.

II. Paſſerinus *de ſtatu hom. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 1. *num.* 896. matrimonia prædictarum puellarum coram confeſſario Monaſterii celebranda eſſe ſtatuit, ſed celebriores in oppoſitum canoniſtæ ſentiunt, qui expoſcunt Parochum, intra cujus limites ſitum eſt Monaſterium, & plurimas Congregationis reſolutiones allegant, quas inter non infimum præſens tenet locum, quæ dum pronunciat ſuper validitate matrimonii contracti coram Parocho Monaſterii, coram hoc indirecte ſtatuit contrahendum illud eſſe. Benedictus XIV. *tom.* 2. *notif.* 19. hanc dumtaxat limitationem adhibet, ut celebrandum ſit coram Parocho domicilii paterni, vel materni, ſi hoc illæ in loco, vel civitate habeant, quatenus autem eo careant, apud Parochum Monaſterii, in quo habent quaſi domicilium. Et ſane conſonum id eſt ſtatuto Cleri Romani *cap.* 3. §. 9., ac additionibus eidem factis ſub Clem. XI. 11. Janu. 1702., & hæc admodum ſuffragatur ratio, quod quaſi domicilium prævalere non poſſe videtur contra verum domicilium paternum, quod puellæ, ut ait Clericatus *de Sacram. Matrim. dec.* 35. *n.* 15., non cenſentur deſerere, per hoc quod cauſa educationis degant in monaſterio, ſed ſolum, quod illud locum habere valeat in defectu veri domicilii, in cujus vicem ſubrogatur, aut quoties Parochus veri domicilii commode aſſiſtere nequeat, ſicuti evenire cenſetur, quoties domicilium, aut Parochia Parentum non adeſt in loco, vel civitate.

III. Ad quæ conſequenter iiſdem ſtatuit, quod famuli, & famulæ, quæ in domibus dominorum degentes, nubere intendunt, contrahere quidem debent coram Parocho ipſorum Dominorum, in quorum domibus habent quaſi domicilium, ſed ſolum in caſu, in quo in loco ipſo, aut civitate non habeant inſuper verum domicilium, apud cujus Parochum in caſu Matrimonium celebrare tenentur. Idipſum ſentit de Collegiorum convictoribus, aliiſque perſonis ſimilibus, & licet oppoſitum firmet de Prætore, Judice, medico, ſcholaribus, & profeſſoribus artium, atque ſcientiarum, quos apud Parochum quaſi domicilii valide matrimonium contrahere, abſolute pronunciat, procedit tamen manifeſte in ſuppoſitione, quod ipſi advenæ ſint, & verum domicilium in loco non habeant, te nihilominus obſtante, quod ſi non in loco, alibi verum habeant domicilium, quia in caſu difficiles redderentur matrimoniorum celebrationes, & incommodæ, ſi Parochus veri domicilii adiri deberet, aut acciri, vel ejuſdem conſenſus expectari, quemadmodum erudite proſequitur, ac rationibus, & exemplis illuſtrat to. 4. *notif.* 21.

IV. Matrimonia puellarum, quæ in conſervatoriis cuſtodiuntur, noſtram modo expectant conſiderationem, & rationis identitas videtur expoſcere, ut quæ ſuperius ſtatuta ſunt de puellis, quæ educationis gratia in monaſteriis immorantur, de iiſdem ſtatui iiſdem debeant, ita ut earumdem illæ, quæ in loco domicilium habent paternum, aut maternum, apud hujus Parochum contrahere debeant, apud vero Parochum, intra cujus limites ſitum eſt conſervatorium, ſi in loco, vel civitate prædictum non habeant domicilium. Benedictus tamen XIV. *cit. notif.* 13. eas privative, conſignat Parocho, intra cujus limites conſervatoria conſiſtunt, ea præcipue ratione ductus, quod vivunt conſervatoriorum ſumptibus, & dotem, dum nuptui traduntur, ab iiſdem conſequuntur, unde tamquam filiæ conſervatoriorum cenſendæ ſunt, & quæ paterno renunciarunt domicilio; quæ ſane ratio non militat de puellis, quæ in Monaſteriis Monialium cauſa educationis detinentur. Ex conſequenti addit univerſam in hoc locorum conſuetudinem, & huic nos tam in hoc, quam in ſuperioribus caſibus magis adhærendum eſſe credimus quoad aſſiſtentiam præſtandam vel a Parocho quaſi vel veri domicilii, quando hic facile, & commode poteſt aſſiſtere, niſi dicere mavis, quod habentes quaſi domicilium paternum; apud utriuſque Parochum valide contrahunt, quia ad utrumque pertinent: ad Parochum quidem quaſi domicilii pro tempore, quo apud eum habent habitationem, & ad Parochum veri domicilii, quatenus hoc haudquaquam animo deſeruere, ſed perpetuo vivunt, animo illud repetendi finitis propriis muneribus, quæ eos alibi detinent, unde & Parochus habitationis eſt, ſi non actu, ſaltem habitu, & in virtute.

D E C R E T A.

Decretum X. cap. in ord. 236. *Matrimonia puellarum expoſitarum, quæ immorantur in hoſpitalibus, celebranda ſunt coram Parocho, intra cujus parochiam hoſpitalia ſita ſunt, & non coram confeſſario, ſeu Cappellano prædictorum hoſpitalium.* Congr. Concil. 22. *Apr.* 1651. I. Id ea ſuadet ratio, quod

matri-

matrimonia celebranda ſunt ex Tridentini præſcripto coram proprio contrahentium Parocho, cujuſmodi non eſt Cappellanus, vel Confeſſarius, cum hoſpitale non ſupponatur parochiam habere, & quidem non obſtante contraria conſuetudine, nam Decretum prodiit Gubernatoribus hoſpitalis exponentibus, *quod Cappellanus hoſpitalis hucuſque prædictis puellis matrimonium adminiſtraverat*. Id tamen fallere poteſt, ſi ſtante conſuetudine interveniat ſcientia, & tolerantia Parochi, vel Ordinarii, qui hoc ipſo cum cenſeantur licentiam præſtare, matrimonia, etſi celebrata coram prædicto Cappellano, licita erunt, & valida, cujus rationis itidem erunt, ſi hoſpitalia ſuper hoc munita erunt privilegio Apoſtolico.

D E C R E T A.

Decretum XI. cap. in ord. 237. *Parochus ruralis non eſt proprius, & verus Parochus, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poteſt. Congr. Concil. 1. Dec.* 1640. I. Num qui habet duplex domicilium, unum in una parochia, aliud in altera, coram alterutro Parocho matrimonium contrahere valeat, Auctores litem inſtituunt, & potior eorumdem portio eam affirmative definit, dummodo ille utrumque domicilium æqualiter habitet æqualitate quidem morali, & ſecundum prudentum exiſtimationem, non mathematicha, & rigoroſa. *Viris prudentibus placuit, in duobus locis poſſe aliquem habere domicilium, ſi utrobique ita ſe inſtruxit, ut non ideo minus apud alteros ſe locaſſe videatur*, dicitur *L. aſſumptio §. viris prudentibus ff. ad municipalem*, quare cum ille, utpote habens domicilium in utraque parochia, utriuſque Parochi ſit parochianus, & non magis unius, quam alterius, cum habitatio ſupponatur æqualis, in una nempe parochia v. g. in hyeme, & in altera in æſtate, coram alterutro Parocho valide matrimonium contrahere poterit. Et quidem adeo, ut quando unam parochiam inhabitat, non teneatur contrahere coram illius Parocho, ſicuti nonnulli limitant, ſed integrum ei ſit, & liberum contrahere ditam coram Paroco illius parochiæ, quam tunc temporis haudquaquam inhabitat. Hujus ratio eſt, quia ille dicitur ſimul, & ſemel habere domicilium in utraque parochia, uti manifeſte conſtat ex laudato textu, & adhuc evidentius eruitur ex cap. 6. de ſepult. in 6., ubi expreſſe definitur, quod qui habet duplicem Parochiam, ſi eligat ſepulturam in diverſo loco, teneatur canonicam portionem inter utramque parochiam dividere, ubi adæquate tribuenda foret parochiæ habitationis pro tempore mortis, ſi ille talis ſimul, & ſemel non gauderet privilegio utriuſque parochiæ.

II. Secus eſt de eo, qui in confinio duarum parochiarum habet domum ſuam, quæ ex una parte habet oſtium in una parochia, ex altera aliud in alia parochia; hic enim pro libertate contrahere non poteſt coram alterutro ex his Parochiis, ſed contrahere tenetur coram eo, in cujus parochia correſpondet aditus magis frequentatus; nam ex aditu judicatur de domo, cui cedat, quemadmodum rite ait Bartolus *in l. 6. ff. de damn. infect.* & concordant Barboſa, Boſſius, Riccius, aliique communiter canoniſtæ.

III. Qui in civitate commorans, ſe rus confert recreationis cauſa, vel pro ruſticanis negotiis, Pontius libertate donat contrahendi matrimonium coram utroque Parocho, utpote qui in utraque parochia domicilium habet, ſed cum in oppoſitum præſens, cui conformes ſunt aliæ plurimæ, ſanctio ſtatuat, dubitari non poteſt ſuper matrimonii nullitate, ſi coram ruris Parocho contrahatur. Hæc item ratio ſuffragatur admodum, quod rus in tali caſu non habitatur pro majori, aut æquali anni parte, nec habitatio ejuſmodi aſſumitur in domicilium, ſed ſola recreationis, vel ruralium negotiorum cauſa. Quod ſi habitaretur pro majori, vel æquali anni parte, & habitatio ejuſmodi haberetur in domicilium, haud dubitaverim, matrimonium eſſe validum, quod coram ruris Parocho celebratum foret, abſque eo quod præſens obſiſtat Decretum, quod ex ipſius verbis reſtrictum noſcitur ad cauſam habitationis *recreationis gratia, vel pro ruſticanis negotiis.*

D E C R E T A.

Decretum XII. cap. in ord. 238. *Ad validitatem Matrimonii non ſufficit præſentia Parochi pure phyſica, ſeu materialis, ſed requiritur moralis humano modo; quænam autem, providendum eſt in caſibus particularibus. Congreg. Concil. 7. Martii* 1700. I. *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat*, verba ſunt Concilii Tridentini, per quæ ad matrimoniorum validitatem diſerte expoſcitur præſentia Parochi. Quænam requiratur, & ſufficiat, ex proemialibus ejuſdem Concilii moralis, ſeu humana eruitur neceſſaria, & inſufficiens pure phyſica, ſeu materialis, in eo nempe ſenſu, ut ſit tantum præſens corpore, non mente. Præſentia namque Parochi, & teſtium ad eum effectum apparet inducta, ut coram Eccleſia teſtificari valeant de mutuo contrahentium conſenſu per verba de præſenti coram ſe exhibito, & per hoc eveti poſſit matrimoniorum repetita congeries cum deſertione validorum jam contractorum, & novorum invalidorum contractione contra fidem priori conjugi præſtitam; ad id autem non ſufficit præſentia pure corporea, & materialis, ſed requiritur moralis, & humana, quinimmo dummodo hæc habeatur, neque neceſſaria eſt corporea, ſeu materialis, quia quilibet teſtificari poteſt de iis, quæ in aliqua diſtantia vidit, ſeu audivit.

Quænam autem, moralis, ſeu humana præſentia ſufficiat, cum in particularibus caſibus providendum eſſe ſanctio definiat, quæ ſubdimus, Decreta commonſtrent: *ſuſtinetur matrimonium* (ſit Decr. 13. cap. in ord. 239.) *etiamſi parochus non intellexerit verba ſponſæ, dum tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtet*. Eadem Congreg. 15. Febr. 1646. Matrimonium iſtud fuerat contractum abſque denunciationibus, & ſine licentia Ordinarii coram teſtibus, & Parocho contradicente, qui audiverat tantummodo verba conſenſus per ſponſum præſtiti, dum præ manibus habens ſponſam dixerat: *queſta è mia moglie;* & ſimul audiverat, & quod ſponſa dixerat nonnulla verba, quæ tamen Parochus non intellexerat. Hinc manifeſte habes primo, quod matrimonium contractum abſque denunciationibus, & licentia Ordinarii validum eſt, dummodo contractum ſit coram teſtibus, & Parocho, in nihilum relevante, quod Parochus ſit invitus, vel contradicat, cum Tridentinum ſolummodo Parochi præſentiam exigat, unde dummodo hæc habeatur, matrimonium eſt validum, quamvis etiam ſub alio prætextu, aut per dolum accitus Parochus foret, ſicuti innumera definiunt Decreta, nec hac in re eſſe poteſt, qui contradicat.

III. Matrimonium vero cum in mutuo contrahentium conſenſu conſiſtat, neceſſe eſt, ſponſi, & ſponſæ interveniat conſenſus, & a Parocho intelligatur, ut de eo teſtificari valeat; præſens tamen nihilominus Decretum ſuper matrimonii validitate pronunciat, tametſi Parochus verba, quæ protulit ſponſa, nequaquam intellexerit, ſed conditionem adjicit, *dum tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis legitime conſtet*. Etſi namque ad Matrimonii validitatem requiratur mutuus conjugum conſenſus, coram Parocho, & teſtibus panditus, & non ſufficiat voluntas contrahendi, ad illius tamen ſubſtantiam, & validitatem non requiruntur verba expreſſa, ſed ſufficiunt ſigna, aut nutus, aliique actus externi internum animum, & conſenſum indicantes. Facta item antecedentia ſuffragantur admodum, promiſſio v. g. Matrimonii, tractatus de illo contrahendo, exploratio mutuæ voluntatis, & vociferatio, & publica denunciatio, ſi quæ præceſſit. Concomitantia itidem facta ad rem multum relevant, acceſſus nempe ſponſæ cum ſponſo ad Eccleſiam Parochialem, appropinquatio ad Parochum, aliaque ſigna, quibus ſi accedat inſuper expreſſio verbalis unius partis ſuper conſenſum, & pars altera loquatur, abſque eo quod appareat ſigna ulla diſſenſus, ſed magis adſint omnia conſenſus, quis dubitare unquam poteſt, quod etiam pars illa ſuum conſenſum non exprimat, tametſi verba a Parocho non intelligantur? Facta denique etiam ſubſequentia non leve conſenſus præſtiti argumentum ſuppeditant, puta ſimultaneus voluntarius egreſſus ab Eccleſia, cohabitatio in figura Matrimonii, & perſeverantia, & inſtantia partium pro illius validitate.

IV. Quæ eo magis vera ſunt, ſi ſaltem duo teſtes deponant ſuper expreſſione conſenſus etiam alterius partis, cujus verba a Parocho intellecta minime fuerunt, unde Decretum aliud, (quod erit 14. cap. in ord. 240.) *Reſponſum fuit pro validitate matrimonii clandeſtine contracti coram Parocho, qui conſenſum ſponſæ non audivit; teſtes tamen adhibiti deponebant de verbis ſponſæ exprimentibus ſuum conſenſum*. Eadem Congreg. 11. Maii 1669. Clandeſtinum hoc Matrimonium dicitur, non utique, quia factum non fuerit coram Parocho, & teſtibus, ſed quia non præmiſſæ fuerunt publicæ denunciationes, nec harum diſpenſatio præceſſit ad formam Concilii. Volo autem ea verba: *Qui conſenſum ſponſæ non audivit*, ita intelligas, ut verum id ſit, tametſi Parochus non intellexerit verba ſponſæ, per quæ conſenſum expreſſit, ſed etiam nulla verba a ſponſa proferri audiverit; id enim ſi ſatis non indicat præſens ſanctio, utique ſequens, (quæ erit 15. cap. in ord. 241.) *validum eſt matrimonium, non obſtante quod Parochus non audiverit verba ſponſæ, non affectate, ſed ex animi turbatione, idem tamen Parochus ex antecedentibus, & ſubſequentibus credebat, ſponſos habuiſſe animum contrahendi, & teſtes quoque deponebant de conſenſu ſponſæ*. Eadem Cong. 28. Nov. 1671

V. Idipſum oſtendit ſequens Decretum, (quod erit 16. cap in ord. 242.) *Pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui tantum audivit verba fœminæ, ſed viri, anuli traditionem aſpexit, teſtibus deponentibus de utriuſque expreſſo conſenſu*, reſpondit ead. Congreg. 11. Martii 1673. Equidem traditio annuli, quando etiam teſtes non deponerent de expreſſo conſenſu, ex iis ſignis eſt, quæ conſenſum ſponſi in tali circumſtantia aperte demonſtrant.

VI. *Reſponſum fuit* (erit Decr. 17. cap. in ord. 243.) *pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui non audivit verba ſponſi; ſponſus pariter teſtatus eſt ipſum nullum verbum dixiſſe coram Parocho; at mater Puellæ cum juramento depoſuit fuiſſe explicitum utriuſdue conjugis conſenſum, & de hoc etiam deponebant plures connubii teſtes, aſſerentes etiam potuiſſe voces conjugum percipi a Parocho*. Ead. Cong. 6. Auguſt. 1712. Hinc autem habes, quod dubitandum non eſt ſuper matrimonii validitate, etiamſi unus conjugum teſtetur, ſe nullum dixiſſe verbum coram Parocho, dummodo adſint teſtes deponentes ſuper expreſſum illius conſenſum.

VII. Fere

VII. Fere conſimile (erit 18. cap. in ord. 244.) eſt ſequens Decretum : *Validum eſt matrimonium celebratum coram Parocho, qui dum Miſſam celebraret, audivit ſponſum dicentem :* Queſta è la mia Spoſa, *ſponſæ vero verba nulla audivit, nec externum aliquem vidit actum, ex quo conſenſus ejuſdem erui poſſit, etſi idipſum deponant duo teſtes, duntaxat addentes, quod ſponſus ſponſæ manu tenebat, dum præſens una mulier & alius teſtis deponunt, utrumque conjugem protuliſſe verba, mutuum conſenſum expreſſe deſignatia.* Ead. Cong. 12. Janu. 1715. Ad eamdem rem ſubdimus Decretum aliud, (& erit 19. cap. in ord. 245.) *Matrimonium, in quo Parochus ſubdole accerſitus, audivit conſenſum ſponſæ, non autem ſponſi, quem ceteroquin conſenſiſſe in eodem actu, depoſuerunt plures ibidem præſentes teſtes, validum declaravit* eadem Sacra Congr. Concil. 6. Maii 1741. Volo autem, ex dictis adnotes, quod pro teſtibus Matrimoniorum admittuntur etiam fœminæ, licet ipſæ jure a teſtificandi poteſtate arceantur ex cap. *mulieres* 33. q. 5.

VIII. Hæc omnia, quod ſubdimus (erit 20. cap. in ord. 246.) ſigillet Decretum : *Matrimonium initum in hiſce circumſtantiis, quod Parochus, & teſtes perceperint conſenſum partium, non ex verbis, ſed ex ſignis, & actibus antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus ad matrimonialem contractum, ſubſiſtere cenſuit* Ead. Congreg. 6. Maii 1741. Et quidem nedum loquendo de mutis, qui per verba conſenſum non valent exprimere, ſed etiam de iis, qui præditi ſunt facultate loquelæ, cujuſmodi erant, de quibus Decretum proceſſit. Haud tamen denegaverim, conſultius eſſe in caſibus omnibus, in quibus per verba utriuſque conjugis conſenſus non probatur expreſſus, conſenſum ad cautelam renovari coram Parocho, & teſtibus juxta formam Concilii; quemadmodum non ſemel cenſuit eadem Congregatio, & præcipue 24. Janu. 1711., & 28. Julii 1730.

D E C R E T A.

Decretum 21. cap. in ord. 247. *Matrimonium initum a ſponſo faciem habente palliatam naſo tenus, invalidum in caſu declaravit Ead. Congr. 19. Sept. 1733.* I. Dubium eſſe non poſſe videtur, quod ut ſatisfiat ſanctioni, & menti Tridentinorum Patrum, debent Parochus, ac teſtes ſic videre, vel taliter cognoſcere contrahentes, ut certo poſſint teſtificari de matrimonio inter eos contracto, alias quippe non evitarentur luctuoſa illa pericula, quæ ex clandeſtinis matrimoniis manantia, avertere voluit ſacrum Concilium, ut obſervant Gratianus *diſc.* 849. *num.* 15., De Juil. *de diſpenſ. matrim. lib.* 3. *cap.* 16. *nu.* 104. Pax Jordan. *Lucubr. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 74., & 103., Tambur. *oper. moral. de matrim. lib.* 8. *tract.* 6. *cap.* 2. §. 3. *num.* 6., Billus *in Hierug. verb. Parochus* §. 71., Rota *dec.* 634. *coram Burat.*, aliique, quorum aliqui peculiariter etiam agunt de ſponſo, aut ſponſa faciem habente tectam velo, & conſtanter ſuper matrimonii nullitate pronunciant.

II. ad caſum præſentis Decreti quod attinet, quædam Gratia Mantona, ſatellitis olim conjux, cupiens uxor fieri Cæſaris, filii Silverii Luciani, cujus ſervitio erat addicta, ſponſalia iniit cum eodem Cæſare, hoc a Fratribus mulieris incuſſo gravi metu. Duos circiter poſt menſes ſub noctem ductus fuit idem adoleſcens domum Parochi, ut cum ea fœmina matrimonium contraheret, ſed opportune commonefactus a Parocho, re infecta diſceſſit. In Eccleſia Parochiali, cui ſubeſt fœmina, trina facta fuit proclamatio de iſto matrimonio, & poſtmodum eadem Mantona comites habens Fratrem, Sororem, aliaſque fœmines infimæ conditionis, Eccleſiam ingreſſa, dum Parochus fidelium confeſſiones exciperet, & improviſo ad ejus pedes provoluta cum homine, qui palliatus erat naſo tenus, hæc edidit verba ; *ſi Parochiano è chiſta mi è marita.* Viciſſim vero homo ille, haudquaquam explicato pallio, dixit : *ſi Parochiano e cheſta mi è megliera*, deindeque Parochi objurgatione perterritus, ſtatim fugam arripuit.

III. Hominem illum fuiſſe Cæſarem contendebat mulier, id negabat Cæſar, & Parochus affirmavit, fœminam quidem ſe tunc noviſſe, non tamen hominem, quinimmo addidit : *con tutto ciò non mi parve l'iſteſſo Ceſare Luciani.* Teſtes ut ſupra adhibiti, & tres aliæ fœminæ, quæ forte per id temporis aderant in Eccleſia, non conveniebant in verbis prolatis a contrahentibus, nec in ſignis externis illius hominis, cum quo matrimonium initum fuerat, & inſuper nec etiam, in uno, eodemque teſtimonio perſiſtebant, nec ſibimet ipſius conſtabant, duæ tamen illæ fœminæ, quæ accitæ fuerant in teſtes matrimonii, recognoverunt Cæſarem poſitum inter duos alios juvenes. Verum huic recognitioni plura objiciebantur a Cæſare, ac illud potiſſimum, quod facta (ut oportebat) non fuerat inter ſimiles. Adducebat inſuper teſtimonium duorum fide dignorum, aſſerentium vidiſſe Cæſarem in domo paterna adſidentem Patri ægrotanti eo tempore, & ultra, in quo matrimonium in ſua Eccleſia a Parocho aſſerebatur contractum.

IV. Dum *in hoc caſu non conſtare de matrimonio contracto inter Cæſarem Lucianum, & Gratiam Mantonam*, Congregatio reſpondit, inſimul nos docet meris præſumptionibus, licet validis, quales huic caſui fortaſſe adſiſtunt, ſponſalia nempe præcedenter inita, acceſſus domum Parochi cauſa contrahendi, & ipſius matrimonii trina proclamatio, non ſatis inſiſti poſſe pro judicando ſuper validitate matrimonii poſtmodum contracti, niſi inſuper contrahentes in actu contractus adeo agniti fuerint a Parocho, & teſtibus, ut hi certum teſtimonium reddere valeant de perſonis, quæ contraxerunt ; alias quippe non ſatis conſultum eſſet fraudibus, & inſidiis, quæ ab una parte alteri, quæ a propoſito contrahendi juſtis forte de cauſis deflexit, parari poſſent. Quæ magis vera eſſe, quiſque percipit, ſi nec ut ſupra validæ præſumptiones aut nullæ præceſſerint. Haud tamen refragarer admodum, ſi quis in caſu prædictarum, vel ſimilium præſumptionum matrimonium illud judicaret validum, cujus contrahentium unus cognitus foret a Parocho, non alter, de quo tamen certe deponunt teſtes, omni exceptione majores, tunc ſiquidem ex prædictis præſumptionibus etiam Parochus redditur certus de perſona, quemadmodum in ſuperioribus vidimus; matrimonium illud eſſe validum, in quo Parochus non audivit niſi conſenſum unius partis, & teſtes deponunt de conſenſu præſtito, etiam a parte altera, quia tunc externa ſigna, ac circumſtantiæ, in quibus magis apparuit conſenſus, quam diſſenſus, admodum deſerviunt ad certiorandum Parochum.

D E C R E T A.

Decretum 22. cap. in ord. 248. *Nonnulli Parochi pro ſua, & matrimonia contrahentium quiete ſupplicant declarari : An conceſſa per Epiſcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a ſacro Concilio vetitis, in iis locis, in quibus diſpoſitio ejuſdem Concilii ad ipſum quoque matrimonii contractum reperitur a conſuetudine extenſa, intelligatur permiſſa traductio ſponſæ, ſeu uxoris ad domum viri ? Reſp. affirmative, dum modo traductio fiat abſque ſolemnitate. Congr. Concil. 10. Junii 1684.* I. Nuptiarum ſolemnitas ex antiquo jure veteri erat prohibita a Septuageſima ad Octavam Paſchæ, tribus hebdomadis ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, & ab Adventu uſque poſt Epiphaniam, textu expreſſo in cap. *Non oportet* 33. q. 4., & cap. *Cappellanus* 4. de Feriis, jure autem novo Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 10. dumtaxat manet inhibita ab Adventu Domini uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive. Dictio *Incluſive*, etſi immediate afficiat *Octavam Paſchæ*, ex communi Doctorum ſenſu referenda non minus eſt ad *diem Epiphaniæ*, ita ut quidem etiam dies ille in prohibitione maneat incluſus, non tamen ejuſdem octava, quam ceteroquin adhuc aperte excludunt laudata verba *uſque ad diem Epiphaniæ*. Inhibitionis autem terminus erit media nox prædictorum duorum dierum, a qua initium ſequentis diei petit Eccleſiaſticus uſus.

II. Quod attinet ad ejuſdem prohibitionis initium, quantum ad feriam IV. Cinerum, quæ in præcedenti die non habet Veſperas, & ne quidem commemorationem ullam, illud communiter Auctores repetunt a media nocte, non ſic tamen quantum ad Adventum, cujus officium cum incipiat in præcedenti Sabbato ad Veſperas, Sanchez, aliique tunc etiam præfatam inhibitionem putant incipere. Non deſunt tamen, & fortaſſe probabilibus, qui nonniſi ad medium noctis item eam inchoare arbitrantur, & ultra conſuetudinem, quæ ſic prohibitionem videtur exponere, ea maxime ſuffragatur ratio, quod Dominica Adventus quoad officium quidem incipit a primis Veſperis, ſed non quoad præcepta, & alia extranea, & maxime oneroſa, quorum initium a media nocte jam Eccleſiaſticam conſuetudinem repetere dicebamus.

III. Verum hiſce temporibus non nuptias Tridentinum inhibet, ſed nuptiarum ſolemnitatem, unde cap. 10. *Antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta Synodus præcipit*; & infra : *In aliis vero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit* ; & can. 11. *Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam &c., anathema ſit.* Hinc eſt, quod feriatis diebus matrimonium licite contrahi, licet non ſolemniter, & cum pompa, ſeu nuptias abſolute non eſſe inhibitas, ſed ſolum nuptias cum ſolemnitate, pompa, & ſtrepitu celebratas, rite intulere Canoniſtæ plurimi, atque Theologi, quos late congerit, & ſequitur Benedictus XIV. *to.* 4. *notif.* 13., unde in cit. cap. *Cappellanus* 4. de Feriis : *Licet ea ſit Romanæ Eccleſiæ conſuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur.*

IV. Rem plane dirimit Rituale Romanum, quod *de ſacram. matrim.*, nedum diſerte monet Parochus, quod feriato tempore manent prohibitæ, non quidem nuptiæ, ſed *ſolemnitates nuptiarum*, ſed inſuper aperte exponit, quid veniat *ſolemnitatum nuptiarum* nomine : *Ut nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia.* Hæc itaque aliaque ſimilia ſunt, quæ eo tempore manent inhibita, non autem matrimonium, de quo idem Rituale ſubdit : *matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt.* Verum licet res ita ſit attento jure communi, juxta quod matrimonialis contractus quocumque tempore, etiam ut ſupra feriato, validus eſt, & licitus, adhuc non deſunt loca plurima, in quibus cum inhibitionem Concilii longæva conſuetudo, aut particularium diſpoſitio ſynodorum extenderit ad ipſum matrimonii contractum, ibi nec contractus ipſe feriatis temporibus licite celebrari poteſt, ſed requiritur licentia a reſpectiva Epiſcopali Curia, & media hac licentia matrimonium, quod alias fuiſſet validum, ſed illicitum, redditur quoque licitum, quemadmodum indirecte præſens ſanctio definit.

V. Num, in vim juris communis, aut licentiæ Epiſcopalis, ubi hæc exigitur, matrimonio feriatis temporibus contracto, liceat

liceat traductio ſponſæ ad domum viri, ac carnalis copula, difficultas inſurgit, quam multis allegatis negative definit Fagnanus *in cap. Cappellanus de Feriis*, & reapſe id videtur conſonum antiquis canonibus, ſi rigoroſa eorumdem attendatur expreſſio, & multo magis Congregationis deciſionibus plurimis, per quas tum traductio ſponſæ, tum carnalis copula diſerte manent inhibita. Tridentinum nec ſuum denegat ſuffragium, nam dum *ſeſſ. 24. de Reform. cap.* 1. matrimonium conſummandum non eſſe aſſerat, niſi poſt habitam benedictionem, conſequenter ſtatuit matrimonium, quod feriato tempore contractum extitit, conſummari non poſe, niſi poſt tempus feriatum, quo dumtaxat tempore benedictio poteſt obtineri. Verum in oppoſitum preſens definit Decretum, quod dum traductionem ſponſæ, dummodo fiat abſque ſolemnitatibus, declarat licitam, utique talem declarat etiam carnalem copulam, quæ attenta humana fragilitate ex traductione ſponſæ adeo faciliter ſequitur, ut Ritnale Romanum mandet Parochis, ut moneant conjuges, ne ante benedictionem Sacerdotalem in eadem domo cohabitent, neque ſimul maneant, niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus, adeo eos putat labiles; quis itaque contendet nobis, quod dum præſens Decretum indulget ſuper traductione ſponſæ ad domum viri, non item indulgeat ſuper carnalem copulam?

VI. Ad canones antiquos quod attinet, hi quidem rigoroſis verbis abſtinentiam ab actu matrimoniali commendant, ſed ſi exacte excogitentur, non progrediuntur adeo, ut præceptum dicant, ſed conſilium, ut nempe illis temporibus, quæ ſacrata ſunt pietatis officiis, mente elatiore, & magis libera vacent orationi; quo in ſenſu etiam Tridentinum procedere, non eſt, conemur oſtendere, cum ejuſdem, quæ ſubdimus, manifeſte verba pandant: *Præterea eadem ſancta ſynodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent;* & ad hæc conſonanter accipienda ſunt, quæ ex Tridentino deprompta, ad rem habet Ritnale Romam. Congregationum Decreta ita celebriores exponunt Theologi, ut eorum inhibitio ſiſtat in traductione ſponſæ ſolemni, cum planſu ſcilicet, comitatu, ſtrepitu, choræis, conviviis, & cantu; & nequaquam pertingat ad privatam, quæ fit ſine ſtrepitu, & ſolemnitate. Copulam item carnalem, quæ per eaſdem reſolutiones videtur inhibita, illam eſſe aſſerunt, quæ ſequitur ad traductionem, publicam, atque ſolemnem ſponſæ, non ad privatam; hanc enim Eccleſia humanæ fragilitati compatiens, tolerat, atque permittit, ſicuti privatam ipſam traductionem ſponſæ tolerandam eſſe cenſuit.

D E C R E T A.

Decretum 23. cap. in ord. 249. *Denuntiationes matrimonii fieri poſſunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. Congr. Epiſ. & Regul.* 18. *Decemb.* 1580. I. Ad detegenda impedimenta, ſi quæ vel ex dirimentibus, vel impedientibus ſunt inter matrimonium contrahere volentes, *præcepit ſancta Tridentina ſynodus, ut impoſterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur*. Denuntiationes ejuſmodi, quid quid ſcribat Menochius *conſ. 69. n. 30. lib.* 1., unanimini Doctorum calculo de ſubſtantia matrimonii non ſunt, eas namque Tridentinum non afficit clauſula irritante, qua in eodem contextu apparet affecta aſſiſtentia Parochi, & teſtium, quæ propterea ſi deſit, matrimonium minime ſubſiſtit, nec ſuper eam locum nullum habet diſpenſatio Epiſcopi, ubi diſpenſatio denuntiationum arbitrio, & judicio Epiſcopi reperitur commiſſa, & adhuc ſi matrimonium attentetur nullis præmiſſis denuntiationibus, nec harum habita diſpenſatione, conſtanter, atque perpetuo declaratur validum a Decretis, quæ ſuperius vidimus pronuntiare ſuper validitate matrimonii coram Parocho, & teſtibus furtim contracti, & minime proclamati. Ad rem tamen nobis liceat (ſit 24. cap. in ord. 250.) Decretum aliud producere: *matrimonium ſi contrahatur per Procuratorem, omiſſis denuntiationibus, eſt validum, licet mandati procuræ traditione præceptum fuerit, ut matrimonium deberet contrahi juxta Ritum S. Romanæ Eccleſiæ*. Congreg. Concil. 12. Julii 1721. Si namque Procurator, qui nulliter agit, dum excedit mandatum procuræ, omiſſis denuntiationibus adhuc valide contrahit, etſi ipſi præceptum ſit, ut matrimonium contrahat juxta Ritum Romanæ Eccleſiæ, qui prævias denuntiationes exigit, profecto fas eſt, quod Ritus Romanæ Eccleſiæ ad validitatem matrimonialis contractus haudquaquam denuntiationes præexigat. Ecce autem rationem, ob quam valide nihilominus cenſetur contrahere, quia nempe quando exprimitur in commiſſione forma juris communis eo modo, quo juri communi ineſt, non inducitur nova forma, ſed tantum expreſſa cenſetur admonitio, ut jus commune ſervetur, ſicuti advertit Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 11. *quæſt.* 1. *num.* 18.

II. *Ter* autem denuntiationes fieri jubentur, & abſit, quod in ternario numero ego aliquod myſterium effingam, ſed magis dixero, id ſtatutum eſſe, ut per trinam publicationem matrimonium ſufficienter, & plene divulgetur in populo, qui cum frequentior diebus feſtivis aſſiſtat in Eccleſia, propterea eædem denuntiationes faciendæ mandantur *in tribus continuis diebus feſtivis*. Ter itaque ſunt quidem faciendæ, ſed non omnes eadem die fieri poſſunt, ſed in *tribus* diſtinctis diebus fieri debent, ut divulgationis congruum habeatur ſpatium. Dies illi debent eſſe *feſtivi* ob uberiorem, ut dicebam, affluentiam populi, additur vero *continui*, ſcilicet quod inter unam publicationem, & alteram non medient alii dies feſtivi, ne inde Parochiani tardiores evadant ad deferenda impedimenta, & interim obliviſcantur præcedentium denuntiationum. Ut Concilii verba præſeferunt, ita regulariter fieri debet, ſed non adeo eſt verbis inſiſtendum, ut ſi ſalvus manet finis, quem in tali præceptione ſibi Eccleſia præſtituit, aliter fieri non poſſit; unde communiter Auctores prædictas denuntiationes etiam licitas faciunt in diebus profeſſis, aut ferialibus, dummodo magnus adſit in Eccleſia concurſus populi, nec refragantur, quod prædicti dies per aliquod feſtum interrumpi valeant, ſi non ſit talis diſtantia, aut temporis intervallum, ut inde ſequi poſſit in Parochianis tarditas in deferendis impedimentis, aut oblivio præcedentium denuntiationum.

III. Quinimmo tres dies feſtivos, in quibus denuntiationes fieri debent, non poſſe ita eſſe continuos, ſeu ſibi ita ſuccedere, uti ſibi ſuccedunt feſta Paſchalia ſine ulla interruptione dierum ferialium, communior tuetur ſententia, neque deſunt plurima Concilia Provincialia, quæ inter unam denuntiationem & alteram, volunt, ſaltem unus, vel duo dies interponantur; contendunt namque, quod alias populus non haberet ſufficiens tempus apponendi, aut detegendi impedimenta, qui eſt finis legis. Nullam dierum ferialium interpolationem neceſſariam putant Hurtadus, aliique plures, & horum opinio, quæ conformis eſt verbis Concilii, huic etiam fini ſufficienter conſulere videtur, quatenus in trium dierum intervallo unuſquiſque cogitare poteſt, & etiam commode deponere, ſi quod impedimentum repeterit. Verum quoniam hujus ſententiæ Patroni, ipſi ad Concilia Provincialia, quæ ad ſummum obligare ajunt in Provinciis, & Diœceſibus quæ ſubſunt iiſdem Conciliis, reponunt, quod illud intervallum præſcribunt, non tamquam de neceſſitate, ſed de convenentia, ad melius, non ad neceſſe eſſe, nobis lubet dicere, quod quidem ſaltem omnes denuntiationes tribus non diebus ſibi immediate ſuccedentibus debent fieri, ita tamen, ut ſi adſint circumſtantiæ aliquæ, quæ matrimonii accelerationem exigant, etiam omnes fieri valeant tribus diebus feſtivis immediate continuis; Tridentini enim Decretum correctivum eſt juris naturæ, juxta quod ſufficit utriuſque contrahentis liber conſenſus, unde dictat juris regula, quod ſtricte ſit accipiendum.

IV. His, aliiſque ſimilibus argumentis utuntur aliqui ad probandum, quod ſiſtendo in rigore juris, & præciſa quarumque ordinatione, quæ poteſt eſſe, & quidem congrue, in aliquibus Eccleſiis, poſt eadem die, qua facta eſt ultima denuntiatio, celebrari matrimonium, quia Tridentinum nullum tempus ſtatuit inter denuntiationes, & Matrimonium contrahendum, ſed ſimpliciter habet: *Quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur*. Verum cum denuntiationes, & quidem adhuc tertia, fiant ad effectum, ut detegantur impedimenta, conſtat aperte, quod abſque eo quod congruum ſaltem aliquod detur tempus, ſi matrimonium immediate fiat poſt tertiam denuntiationem, aperte agitur contra finem ipſius Conciliis, & rite dixeris, ſi adhuc contra ejuſdem verba, quia dum ait *ſi nullum legitimum opponatur impedimentum*, conſequenter innuit tempus aliquod dandum eſſe poſt denuntiationes, quo impedimenta opponi poſſint. Concilium autem cum tempus minime determinet, illud, ubi per ſpecialia jura, aut longævam conſuetudinem determinatum non eſt, relinquit prudentis Parochi judicio, qui propterea juxta rerum contingentiam, ac circumſtantias Matrimonii celebrationem prorogare, vel accelerare poterit, nunquam tamen illico poſt ultimam denuntiationem, immo crederem neque intra eamdem diem, niſi ad id cogeret ſumma neceſſitas.

V. Quas denuntiationes etiam feriato tempore, quo nempe matrimonium ſolemniter contrahi prohibetur, fieri poſſe principalis nos præſens docet ſanctio; nullus enim aſſignabilis eſt textus canonicus, qui eaſdem prædicto vetet tempore, quinimmo cum canonum non deſint plurimi, de quibus in præcedenti Decreto, qui Matrimonium ipſum, dummodo ſine ſolemnitate, tali tempore fieri poſſe declarent, quis unquam dubitare poteſt, quod eodem tempore non liceant ſolæ denuntiationes? Hoc unum ego ſcio, quod magis Matrimonium, quam denuntiationes, avocat a ſpiritualibus, & convertit ad carnalia, atque profana, unde haud poſſum illicitas prædicto tempore denuntiationes credere, ubi licite Matrimonium contrahitur. At quid, ubi pro Matrimonio licentia exigitur Epiſcopalis? Eritne itidem neceſſaria pro denuntiationibus? Nequaquam; odioſa namque lex iſta extendi non poteſt ad denuntiationes, niſi etiam pro illis conſuetudo loci, aut ſynodorum particularium diſpoſitio expreſſe procedat.

D E C R E T A.

Decretum XXV. cap. in ord. 251. *In Eccleſia, quæ ſimul parochialis eſt & collegiata, denuntiationes matrimoniorum, & ordinandorum, aliæque ſimiles functiones parochiales, arbitrio Parochi fieri poſſunt vel in Miſſa parochiali, vel conventuali, quando pro utraque habeatur concurſus populi. Congr. Conc.* 8. *Julii* 1724. I. Quod *in Eccleſia* denuntiationes fiant, Tridentinum item præcipit, & id exigit honeſtas actionis, quæ cum ad perficiendum Sacramentum ordinetur, locum

ſaltem

ſaltem de congruo expoſcit ſacrum. Diximus *ſaltem de congruo*, quia nos haud contrarii eſſe poſſumus inſignibus Doctoribus illis, qui etiam extra Eccleſiam eaſdem fieri poſſe autumant, dummodo habeatur magnus concurſus populi. In oppoſitum ſentit Baruffaldus, qui propterea *tit.* 41. *num.* 118. ſubdit, quod alias poſſet Parochus nundinarum tempore in publicis plateis matrimonia promulgare. Verum nos nun adeo progredimur, ut perperam Auctor ille, ſed contenti ſumus, probare quidem denuntiationes matrimoniorum etiam extra Eccleſiam fieri poſſe, ſed occaſione alicujus functionis Sacræ, puta ſacrarum miſſionum, concionum, aut proceſſionum, aliiſque in ſimilibus circumſtantiis, in quibus prædictas denuntiationes nullatenus dedecere putamus, & maxime quia eæ ordinantur ad Sacramentum matrimonii, quod extra Eccleſiam nedum valide, ſed etiam licite celebrari valet.

II. Hinc intellectum habes verborum *Inter Miſſarum ſolemnia*, per quæ Tridentina ſynodus occaſionem aſſignat prædictas faciendi denuntiationes, non adeo reſtringi ad Miſſarum ſolemnia, ut etiam fieri non valeant ad quamcumque aliam functionem ſacram, ad quam habeatur notabilis concurſus populi; non enim Tridentinum aſſignat in occaſionem *Miſſarum ſolemnia*, niſi quia cum ad hæc frequentior accurrat populus, ſatis apta ſunt fini, qui eſt, ut matrimonium divulgetur. Decretum, quod ſubdimus (erit 26. cap. in ord. 252.) dum ad veſperas fieri etiam poſſe ſtatuit, nos plane inſtruit, etiam ad quamlibet ſacram functionem aliquam nedum ex ſuperius recenſitis, ſed etiam quibuſlibet aliis, quæ frequentia populi deſtitutæ non ſint, ut expoſitio SS. Sacramenti; æque fieri poſſe: *Denuntiationes Matrimoniales ex juxta cauſa poſſunt etiam fieri diebus feſtivis, dum cantantur veſperæ.* Congreg. Concil. 25. Oct. 1586.

III. Quæ licet ita ſint, abſit tamen, quod ego refrager, quod per Miſſarum ſolemnia, quibus Tridentinum alligat matrimoniales denuntiationes, non veniat Parochialis Miſſa, quam diebus feſtivis cum concione Parochus habere debet, & ſolet ad populum, qui propterea turmatim convenit; ſed non me latet, quod ſi Eccleſia Parochialis Inſimul ſit Collegiata (idipſum dicito, ſi ſit Regularis, vel Reſidentialis, in qua ultra parochialem Miſſam habeatur conventualis) Parochi arbitrio præſens committit ſanctio, eaſdem denuntiationes facere vel in Miſſa Parochiali, aut conventuali, & hanc ſolum conditionem adiicit; *Quando pro utraque habeatur populi concurſus*, adeo verum eſt, quod hac in re non tam inſpicienda ſunt nuda verba ſynodi, quam ejuſdem finis. Hinc non dubitamus aſſerere, quod ſi ad Parochialem Miſſam modicus haberetur concurſus populi, magnus vero ad conventualem, ad hanc, & non ad illam denuntiationes fieri deberent, quia Decretum quidem pronuntiat pro arbitrio Parochi, ſed procedit ſub ſuppoſitione concurſus populi ad utramque Miſſam, ad cujus aliquam ſi deeſſet ille, non ſtaret amplius arbitrium, ſed denuntiationes ad Miſſam, ad quam eſt concurſus populi, deberent fieri. Ad rem confert admodum, quod in ſynodo XI. Diœceſana Mediolanenſi reperitur ſtatutum, ut videlicet *denuntiationes Matrimoniorum, dierum feſtorum, vigiliarum, ſeu jejuniorum, & hujuſmodi parochialia officia omnia inter Miſſæ conventualis ſolemnia præſtentur, ubi collegiatæ Eccleſiæ ſunt parochiales*; quod cum ſtatutum fuerit, quia ad Miſſam conventualem ſupponitur, uti reapſe uſuvenit, accurrere frequentior populus, ubertim conſtat, quod in ejuſmodi denuntiationibus, aliiſque ſimilibus, quæ fieri mandantur, ut res ad communem deveniant populi notitiam, major habenda eſt ratio concurſus populi, qui eſt finis legis, quam verborum ipſius legis, *quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni*, ſicuti dicitur in cap. *Humanæ aures* 11. cauſ. 21. quæſt. 5.

IV. Si a nobis quæras, a quonam denuntiationes fieri debeant, quæſtionem ubertim diriment ea Tridentini verba: *Ter a proprio contrahentium parocho publice denuntietur;* non ita tamen neceſſe eſt, ab eodem fiant, ut alterum eligere nequeat, qui ejuſdem nomine eaſdem faciat. Etſi namque Tridentinum delegandi facultatem expreſſe non faciat Parocho, eam tamen illi facit implicite, dum illi tribuit facultatem deputandi alterum, qui nomine ſuo aſſiſtat Matrimoniis ipſis; ſi poteſt namque id, quod majus eſt, delegare, cur non poterit id, quod minus eſt? Fallor, ſi non dixeris, idipſum per præſens definiri Decretum, dum arbitrio committit Parochi denuntiationes haberi vel ad Miſſam Parochialem, vel conventualem; conventualis enim Miſſa non ſolet cantari a Parocho, ſed id muneris ſpectat ad eos de choro. Num vero delegari valeat, qui ſacerdos non ſit, dubium ex eo valet inſurgere, quod ſolus item ſacerdos deputari poteſt ad aſſiſtendum Matrimoniis; ſed diſpar admodum eſt ratio inter unam delegationem, & alteram, ut idem de utraque judicium habeatur, unde cum denuntiationes ex iis rebus ſint, ad quas faciendas neque laicus eſt impar, quidem convenit, quod fiant per Eccleſiaſticum, maxime ſi fiant in Eccleſia, ſed ex ſe delegabiles etiam ſunt perſonis laicis, & reapſe, ſi Boſſio, & Sanchez credere volumus, non deſunt loca, in quibus publica fiunt præconis voce, vel per æditous.

V. Quod vero proprius Parochus Matrimoniis quidem valeat aſſiſtere, etſi ſacerdos ipſe non ſit, non tamen delegare alterum, qui non fuerit Sacerdos, communior tenet ſententia, & iis utitur Tridentini verbis: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia &c.*, in quibus cum Parochus exigatur indefinite ſine ulla expreſſione qualitatis, in delegato autem requiratur Sacerdotii qualitas, argumentum inde validum ſequi videtur, quod Parochus, licet nondum Sacerdos, matrimoniis valeat aſſiſtere, non tamen ad id delegari poteſt aliquis, qui Sacerdos non fuerit. Diſparis hujuſce diſpoſitionis poteſt eſſe ratio, quod Parochus, licet ſit ſolum diaconus, eſt omni fide dignus, omnique exceptione major, cum ſit ſpecialiter electus ad beneficium Parochiale, & habeat ratione officii publicam auctoritatem; hæ autem rationes cum deſint in iis, qui a Parocho delegantur, idcirco in his Tridentinum voluit qualitatem Sacerdotii, ut convenientius, & fide dignius haberetur teſtimonium, & ut per eam ſuppleretur dignitas, & præcellentia, quæ præexiſtit in delegante.

VI. Contendunt alii, quod Parochus, qui Sacerdos non eſt, aſſiſtere nequeat, tum ob verba illa Tridentini *vel alio Sacerdote*, quæ cum ſint relativa, & repetant qualitatem ejus, cujus eſt perſona expreſſa, deſignant, quod ſicuti perſona delegata debet eſſe Sacerdos, ita & delegans debet eſſe talis. Tum quia Parochus debet eſſe talis. Tum quia Parochus debet ſponſos conjungere, & benedicere Eccleſiæ nomine. Verum ad primum facilis eſt reſponſio, dictionem nempe illam *vel alio Sacerdote* intelligendam eſſe de alteritate perſonæ, non cum omnibus qualitatibus præcedentibus præſuppoſitis in relato, ſed cum qualitate præciſe requiſita in ſubjecto delegato. Sane *Matthæi* 28., & *Marci* 15. dicitur, quod Chriſtus fuit crucifixus, & *cum eo alii duo latrones*, & tamen quis auderet ex illa dictione *alii duo latrones* nefandam illam blaſphemiam objicere Chriſto, quod fuerit nempe latro? Ad 2. dicito, quod munus aſſiſtendi Matrimoniis non eſt actus ordinis, quinimo nec rigoroſæ juriſdictionis, unde exerceri poteſt a Parocho, qui Sacerdos non eſt, ſicuti Epiſcopus non conſecratus exercere poteſt omnia, quæ ad juriſdictionem pertinent. Benedictio autem per illa verba *ego vos conjungo &c.*, non eſt ita Sacerdotalis, ut non poſſit competere diacono, nec illa neceſſaria eſt ad validitatem matrimonii, quemadmodum manifeſte evincunt Decreta omnia ſuperius producta, dum ea matrimonia, quæ fiunt coram Parocho reluctante, & eadem verba minime pronuntiante, declarant valida.

VI. Num alter Parochus, qui Sacerdos non ſit, delegari valeat, quæſtio eſt, quæ affirmative definienda videtur, quia Tridentinum contentum eſt matrimonium celebretur *præſente Parocho*, nec addit *proprio*, & quando etiam to *proprio* ſubintelligi deberet, qualitas Parochi ſupplere apta eſt qualitatem Sacerdotis, quemadmodum nos ipſi dicebamus, dum Parochum non Sacerdotem valide aſſiſtere ſtatuimus. Verum extra dubium eſt ex præcedentibus, & ſubſequentibus, quod ibi ſermo eſt de Parocho proprio, etſi Tridentinum Parochum indefinite nominet, & reapſe ipſe ſolus eſt, qui in contrahentes juriſdictionem habet, & qui eorum matrimoniis valet aſſiſtere, & conſequenter etiam aſſiſtendi facultatem facere, quare ad id, quod ſubditur, reſpondentes dicimus, quod qualitas Parochi ſolummodo dignificat perſonam, cui inexiſtit, in ordine ad ſuos ſubditos, & ad munera ſuæ Parœciæ obeunda, non in ordine ad alios non ſubditos, reſpectu quorum quoad hunc effectum perinde eſt, ac ſi ille non eſſet Parochus, atque adeo ut ſit delegabilis, in eo præexigitur Sacerdotii qualitas a jure in illis verbis præſcripta *vel alio Sacerdote*. Hoc ipſo autem, quiſquis Sacerdos, ex delegatione Ordinarii, vel Parochi poteſt matrimoniis aſſiſtere, eſto alterius diœceſis ſit, vel parochiæ, tum quia Tridentinum facultatem delegandi non limitat ad Sacerdotem ejuſdem diœceſis, aut parochiæ, & inſuper actiones delegati ſunt moraliter actiones delegantis, ac dum delegatus aſſiſtit, perinde eſt, ac ſi delegans ipſe aſſiſteret.

D E C R E T A.

Decretum 27. cap. in ord. 253. *Non poteſt Parochus in Eccleſiis Monialium Ordinario ſubjectarum aſſiſtere matrimoniis, vel eorum denuntiationes facere. Congr. Concil. 23. Aug.* 1727.

I. Non quia præciſe in Parochiali Eccleſia Matrimonia celebrari valeant, aut denuntiationes fieri, nunc ab his exercendis in Eccleſiis Monialium prohibetur Parochus, ſed ob defectum juriſdictionis, quam nullam habet in Eccleſiis Monialium, etſi locorum Ordinariis pareant, ut non ſemel alias diximus. Etſi namque matrimoniis aſſiſtere non ſit actus juriſdictionis contentioſæ, cum fiat ſine ſtrepitu, & forma judicii, adeoque etiam licite fiat extra limites propriæ juriſdictionis, aſſiſtentia tamen, quæ fit publice in Eccleſia, uti & denuntiationes propter publicitatem, quam præſeferunt, valde imitantur juriſdictionem contentioſam, & ideo cum Rector poſſit eſſe rationabiliter invitus, quando Eccleſia non eſt ſubordinata Parocho, non illa poſſunt licite præſtari ſine conſenſu Rectoris ipſius Eccleſiæ. Hinc habes, ad quos trahas limites, quando diximus, quod unus Parochus poteſt matrimoniis aſſiſtere in parochia alterius; id namque ſolummodo verum eſt, quando aſſiſtentia præſtatur privatim in domo, non autem publice in Eccleſia.

II. Neceſſe itaque haud eſt, denuntiationes præciſe fiant in parochiali Eccleſia, ſed arbitrio Parochi etiam fieri poſſunt in aliis ſibi ſubordinatis, dummodo ibidem adſit maxima frequentia populi. Quod ſi contrahentes ſint diverſarum parochiarum, in utraque Parochia denuntiationes faciendas eſſe, probat Boſſius ex iis Tridentini verbis: *Ter a proprio contrahentium Parocho denuntietur*; hæc tamen verba non id ſufficienter probare videntur, cum matrimonium itidem

contrahi debeat *coram proprio contrahentium Parocho*, & tamen ſufficit, quod Parochus unius illos conjungat. Id magis erui poſſe crederem ex fine detegendi impedimenta, cui plene conſultum non foret, ſi denuntiationes non fierent in utraque parochia, cum in ea mulieris non ita facile detegi valeant impedimenta viri, ſicuti in hujus parochia, & e contra; & hæc eſt cauſa, ob quam Rituale Romanum mandandum eſſe credidit: *Si vero vir, & mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denuntiationes.*

III. Quo ex fine Auctores magis probant denuntiationes fieri in parochia a qua, quam in qua, quando unus, vel ambo conjuges, qui contrahere debent, recenter veniunt ab altera Parochia, & Parochia, in qua tunc moram trahunt, vix inhabitare cœperunt, quia tunc facilius nempe eſt, impedimenta innoteſcant in Parochia præcedentis, quam præſentis habitationis. Equidem id videtur minus conſonum Tridentini verbis, quæ denuntiationes demandant *proprio contrahentium Parocho*, cujus rationis reapſe dumtaxat eſt Parochus illius parochiæ, quam tunc inhabitant, non illius, quam inhabitabant, ſed reponit Roſignolus, quod ita quidem eſt de Parocho quoad aſſiſtentiam præſtandam matrimoniis, non vero quoad Parochum, qui facere debet denuntiationis, quæ in caſu faciendæ ſunt a Parocho antiquæ habitationis, attento, ſi non rigoroſe verbis, Tridentini fine, cujus potior debet haberi ratio.

IV. Si quis vero ex conjugibus duo domicilia æque habeat in diverſis Parochiis, neceſſe non eſt, denuntiationes fiant in utraque, ſed ſufficit, habeantur in una, in qualibet autem earum ad arbitrium, congruenter tamen fient in ea, in qua matrimonium eſt celebrandum. Juſta exiſtente cauſa denuntiationes vel omnes, vel in partem a locorum Ordinariis diſpenſari poſſunt, ſed quoties diſpenſatio non fit ſuper omnibus, in iis, quæ fient, a Parocho admoneri debet populus de denuntiationibus illis, quæ remittuntur, ne dum populus expectat ultimam denuntiationem, impedimenta deferre negligat. *Si infra duos menſes poſt factas denuntiationes, matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur*, præſcriptio eſt Ritualis Romani, quæ tamen nimis anguſta, atque reſtricta videtur Barboſæ, qui propterea eam ad quatuor menſes ampliat. Modus autem faciendi denuntiationes, in Rituali ſatis manet expreſſus, unde noſtram non exigit conſiderationem, quam propterea convertimus ad ritum, qui teneri debet in celebratione matrimonii.

V. Præmiſſis publicationibus, ſi nullum obſtet legitimum impedimentum, hoc pacto devenitur ad celebrationem matrimonii, quod in Eccleſia maxime celebrari decet, ſed & domi valet contrahi, ſicuti aperte ait Rituale ipſum. Parochus itaque induit ſuperpelliceum, & ſtolam albam, cum Aſperſorio. Virum, & Mulierem, quos parentum, vel propinquorum ſuorum præſentia cohoneſtari decet, coram tribus, vel duobus teſtibus, vulgari, ſeu vernaculo, ut omnes tum contrahentes, tum teſtes vim interrogationis intelligere valeant, de conſenſu in matrimonium interrogat, utrumque ſingillatim, primo quidem virum, poſtea mulierem, verbis autem, ut in eodem Rituali, ſed in vernaculum ſermonem redditis, licet præjudicium nullum inferretur matrimonii validitati, ſi proferrentur latino ſermone, vel quocumque alio, quem probe contrahentes, & teſtes callerent. Non ſufficit autem conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & abſolutus, non conditionatus, & exprimi quidem debet aliquo ſigno ſenſibili; qui tamen loqui valent, tolerari non debet, illum exprimant nutibus, aut aliis ſignis, ſed præciſe verbis.

VI. Mutuo contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat, eos invicem jungere dexteras in ſignum mutuæ fidei, quæ nullo meliori ſigno exprimi valet, quam per manuum conjunctionem, qua olim antiqui exprimebant concordiam. Dum dexteræ junctæ ſunt, Sacerdos pronuntiat verba *Ego conjungo vos*, & dum dicit *In nomine Patris &c.*, ſuper manus facit ſignum crucis, per quod benedicit contractum illum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis. Verba *ego conjungo vos* non requiruntur ad matrimonii validitatem, unde etſi non pronuntientur, haudquaquam nutat matrimonialis contractus; etſi namque Tridentinum ea dici mandet, & qui ſecus faceret, contra Concilii præceptum graviter peccaret, non tamen Tridentinum ea afficit clauſula irritante, ſed ſolum præſentiam Parochi, & teſtium, quare quoties hæc interſit, matrimonium ſubſiſtit, quamvis Parochus prædicta verba minime pronuntiet. Quæ verba non adeo dici præſcripta ſunt, ut eorum loco ſubrogari nequeant quæcumque alia verba *juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum*, ſicuti diſerte ajunt Rituale Romanum, ac Tridentina Synodus. *Poſtea eos aſpergit aqua benedicta*, Rituale ſubdit; nec ego dubito, quod prius ſponſus aſpergendus ſit, quam ſponſa. Quartus vero *de Benedict.* 205. *&* 46. aſperſionis hujuſmodi effectus enumerans, inquit, quod *ſanctificat prædicta verba, corroborat contractum, & gratiam concordiæ, & fidelitatis inſtillat.*

VII. Mox Sacerdos pergit ad benedictionem anuli per preces a Rituali præſcriptas poſt quas eumdem aſpergit anulum aqua benedicta in modum crucis, & deinde eum tradit ſponſo, qui illum imponit in digito anulari ſiniſtræ manus ſponſæ, ſacerdote dicente *In nomine Patris &c.*, & interim faciente ſuper eos ſignum Crucis, poſt quod illico ſubjungit *Confirma hoc Deus &c.* cum reliquis precibus, & oratione in eodem Rituali poſitis. Per hæc expletur ritus matrimonialis contractus, qui ſervari poteſt, & omnino debet, etiam quando matrimonium contrahitur tempore feriato, quo, ut vidimus, nuptiæ contrahi minime prohibentur, ſed in iiſdem adhiberi ſolemnitates, quas inter primarium tenet locum nuptiarum benedictio, de qua reſervamus agere in ſequenti capite.

VIII. *In primis nuptiis anulus a ſponſo ſponſæ datur; fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur: Unde & quarto digito anulus idem inſeritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat*, ut dicitur in cap. *Feminæ* 7. cauſ. 30. q. 5., & huc ſpectat, quod ait S. Ambroſius dum *ſerm.* 90. Beatam Agnetem inducit de Chriſto unico ſuo ſponſo loquentem: *Anulo fidei ſuæ ſubarrhavit me.* Nedum autem in primis nuptiis, ſed etiam in ſecundis ſponſæ traditur anulus ob eamdem cauſam, cujus rotunditas deſignat amorem conjugum debere eſſe infinitum, ſeu numquam habere finem uſque ad mortem. Antiquiſſimus eſt autem anulorum uſus, & proprium eorum locum digitum omnis adeo intellexit antiquitas, ut Plautus facete irrideat Pœnos, quod aures anulis ornarent, ac ſi in manibus digitos non haberent, ſed noſtro ſæculo haberet Plautus, quod affatim rideret, ſi feminarum aures paſſim anulis pendentibus perforatas conſpiceretur, & verendum ſane eſt, ne & nares more Indorum anulis conſtringant.

IX. Qua manu, & quo digito olim geſtaretur anulus, certo definiri non poteſt, videtur tamen probabilius, quod indifferenter geſtatus fuerit quacumque manu, & quolibet digito, & quod hac in re varius admodum fuerit uſus pro varietate locorum, & anulorum; negari tamen non poteſt, quin antiquus ſit uſus exornandi digitum minimo proximum manus ſiniſtræ anulo pronubo, eo quod ex Ægyptiorum ſententia diceretur, tenuiſſimum inde nervum ad cordis penetralia tendere. Fabuloſum alii cenſent, quod dicitur de iſto nervo, & veroſimilius aſſerunt, quod cum anuli ut ſupra indifferenter geſtarentur, uſus luxuriantis ætatis ſignatura pretioſis gemmis cœpit inſculpere, & hinc factum eſt, ut uſus anulorum exemptus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt, ne crebro motu, & officio manus dexteræ pretioſi lapides frangerentur. Electus autem fuit digitus minimo proximus, quaſi aptior, & tutior ceteris, cui anulus pretioſus commendaretur.

X. Plinius *l.* 33. *c.* 1. id factum credidit, quia læva manus minus patet intuentium oculis; cum enim qui primo anulos invenerunt, propter rei novitatem eos in propatulo geſtare erubeſcerent, ſiniſtræ tanquam magis latenti eos dederunt, ut evitarent aliorum cenſuram. Baruffaldus *tit.* 42. *n.* 66. majorem commoditatem in ſolam cauſam aſſignat, quod manus dextera facilius capit anulum, illum imponit digito, & ab hoc eruit. Benedictio vero, quæ adhibetur matrimoniali anulo, operatur per modum interceſſionis, ut ſponſi vera, & ſincera dilectione ſe mutuo proſequantur, & inſuper faſcinationes amovet, quibus non raro Magi, & Striges infeſtare ſolent connubia. De manu Sacerdotis ſponſus accipit anulum, quem imponit digito ſponſæ, ad demonſtrandam authoritatem Eccleſiæ, in cujus tantum poteſtate fiunt Sacramenta, ad quorum unum ordinatur traditio anuli; etſi autem mutua debeat eſſe fides, & vinculum ſit commune, adhuc ſponſus imponit anulum digito ſponſæ, & non hæc illi, eo quod femina ſubdita eſt viro.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Benedictione Nuptiarum.

SPonſo, & Sponſæ benedictionem impertiri antiquiſſimus mos eſt, cujus meminiſſe inveniuntur S. Evariſtus, Hormiſda, & Nicolaus primus Summi Pontifices, & non leve ejuſdem veſtigium, ſeu magis præceptum habetur in cap. *Aliter* 1., cap. *Nullus* 2., cap. *Noſtrates* 3., & cap. *Sponſus* 5. 30. qu. 5. Dixi *ſeu magis præceptum*, quia licet non defuerint, qui nuptiales benedictiones crediderunt eſſe ſolummodo de conſilio adhibendas, nunc in aſtruendo præcepto convenit turba Doctorum, cui conformis, & eſt communis praxis. Modo dubium reſtringitur, an hujuſmodi præceptum obliget ſub lethali, vel tantum ſub veniali, ſed potior Auctorum portio non plectit gravi culpa eos, qui ſecluſo contemptu, aut ſcandalo prædictam benedictionem recipere negligunt; non eſt quippe, niſi ſacramentale quoddam, & profecto non videtur tanti momenti, ut ejuſdem prætermiſſio gravi noxæ jure cenſeri poſſit obnoxia.

DECRETA.

Decretum I. cap. in ord. 254. *Benedicendi ſunt Sponſus, & Sponſa, licet contractis ſponſalibus per verba de futuro, antequam coram Parocho, & teſtibus matrimonium contraxerint, invicem ſe cognoverint. Congreg. Concil.* 2. *Octobr.* 1593. I. Certi, & explorati juris eſt, impertiendam eſſe benedictionem primis utrique nuptiis, hoc eſt, ſi tam vir, quam mulier jam tunc primum conjugio ſe devinciant, & eo uſque cœlibem vitam duxerint, vel ſaltem duxiſſe exiſtimentur. Æque certum eſt, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, ſi ſint nuptiæ ſecundæ ex parte utriuſque contrahentis, jamque in primis nuptiis benedictionem acceperint; tametſi nec

bene-

benedici debeant, ſi ſint nuptiæ ſecundæ ex parte viri tantum, non autem mulieris, vel vice verſa ex parte mulieris, non autem viri, quod in *cap.* Vir autem *extr. de ſecundis nuptiis* videtur ſtatui: *Vir autem, vel mulier ad bigamiam tranſiens, non debet a Presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.* Disjunctiva namque illa *vir autem, vel mulier* non ad utroſque conjunctive refertur, ſed ad alterum eorum, ſive fuerit maſculus, vel femina, qui fuerit benedictus, abſque eo quod officere valeant ea verba textus *ad bigamiam tranſiens*, & bigamia proprie non ſit, ubi non eſt conſummatio ſecundi matrimonii; laudata enim verba Hoſtienſi interprete reddunt *ad ſecundas nuptias tranſiens*; & id maxime verum eſt attenta *fine prohibitionis*, qui duplex potiſſimum eſt, alter, quia cum benedictiones inductæ fuerint ad indicandam unionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, & quidem illius ut unius ſponſi cum una ſponſa, non poſſunt ordinari ad ſignificandam aliam unionem diverſam a prima, ut bene notavit D. Thomas *in 4. diſt. 42. quæſt. 3. art. 2. ad 2.* Alter eſt, quia hujuſmodi benedictiones, quæ comparantur, ac conſecrationes Eccleſiæ, Altarium, & Virginum, ex diſpoſitione juris nequeunt iterari, quia vilipenderentur; quare cum neuter conjux abſque altero benedici valeat, & per benedictionem unius alter benedictionem participet, quicumque ex dictis duobus finibus fruſtraretur, ſi iterum benedicerentur nuptiæ, ſive maritus fuerit in aliis nuptiis benedictus, ſive uxor.

II. Quamvis in jure ita ſtatutum fuerit, ſi tamen alicubi contraria conſuetudine tale jus fuerit præſcriptum, poteſt licite conſuetudo ſervari per textum *in c. fin. de conſuet.*, quod procedit etiam in ſacramentalibus *in c. de trina, & ibi gloſſa de conſecr. diſt. 4., & cap. 2. de tempor. ordin.*, quamobrem in hoc attendenda erit conſuetudo inveterata cujuſcumque regionis, juxta quam alicubi benedicenda erit illa perſona, quæ benedictionem nunquam accepit, alicubi utraque. Verum Rituale Romanum, cui conſona ſunt ſuperius tradita, etſi probet conſuetudinem eas benedicendi nuptias, in quibus mulier primo nubit, quamvis vir ad ſecundas tranſeat nuptias, non tamen illas, in quibus mulier ſecundo nubit, etiamſi vir nunquam uxorem duxerit, & idem ego crederem ab iis omnibus, qui Romano ritui addicti ſunt, inſtituto ejuſmodi ſatius inſiſti; benedictio enim, uti apparet ex verbis textus, proprie cadit ſuper mulierem, quæ & ea indiget ad antiquas minas eidem in matre viventium Heva Gen. 3. a Deo factas, quando matrimonium erat contractus mere naturalis, nunc aliquo modo effugiendas in lege nova, in qua idem matrimonium elevatum extitit ad rationem Sacramenti: *Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eas in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiamſi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiamſi ejus vir nunquam uxorem duxerit.*

III. Hinc habes, haud deeſſe caſum, in quo Viduæ nuptiæ etiam benedici poſſunt, cum nempe ipſa in primis nuptiis benedictionem haudquaquam accepit, uti evenit in iis, qui primas nuptias contraxerunt ſine Parocho in locis, in quibus Tridentinum non eſt promulgatum, aut in quibus etſi promulgatum fuerit, inveniri non potuit Parochus, qui eorum nuptiis aſſiſteret, vel cum contraxerint in hæreſi, poſtea converſi, mortuo priore conjuge, ad ſecundas nuptias commigrant, ſive denique quolibet alio caſu, in quo primæ nuptiæ benedictæ non fuerint. Rituale namque inhibitionem limitat ad caſum, *in quo conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint*, & concordat laudatum caput *Vir autem*, dum in rationem producit: *Quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.*

IV. Num ſi primæ nuptiæ, quæ benedictæ fuerunt, ex aliquo impedimento ſint invalidæ, poſſit, & debeat iterari benedictio in aliis nuptiis, quæ valide celebrantur, dubium eſt, quod Roſignolus ita cum diſtinctione dirimit. Vel cognito impedimento, & obtenta ſuper impedimento diſpenſatione renovatur matrimonium inter eoſdem, vel abſolute diſſoluto priori matrimonio ob tale impedimentum, uterque conjux cum aliis novum contrahit matrimonium. In primo ſenſu ſi impedimentum, ob quod matrimonium eſt invalidum, eſt notorium, cenſet, quod benedictio repeti debeat, ſecus, ſi ſit occultum, & hanc dat rationem, quod in priori caſu repeti debet, non in poſteriori forma Concilii, ſeu novus exhiberi conſenſus coram Parocho, adeoque idipſum eſſe debet de benedictione, quæ eſt quid minus, & conſequens. Si vero dubium in poſteriori ſenſu accipiatur, putat, benedictionem eſſe impertiendam, quia illæ nuptiæ, etſi ſecundæ appareant, realiter tamen primæ ſunt, cum primæ fuerint invalidæ, adeoque habendæ perinde ac ſi minime præceſſiſſent. Sanchez tamen, aliique probabilius ſentire videntur, dum aſſerunt benedictiones non reſpicere proprie nuptias, ſed ferri in perſonas, in quibus permanent, adeoque non eſſe iterandas. Et hoc nonniſi ob hujuſmodi permanentiam a nova benedictione abſtineri mandatur, dum per mortem diſſoluto priori matrimonio, conjux ſuperſtes ad alias nuptias pertranſit.

V. Ex dictis, volumus, inferas, quod nos præſens docet Decretum, benedicendas nempe eſſe nuptias, quas nedum contrahunt Virgines, ſed etiam corrupti. Superius enim diximus, quod eorum benedicendæ ſunt nuptiæ, qui ſecundo nubunt, dummodo in prioribus non fuerint benedicti; conſtat autem, quod hujuſmodi corrupti ſunt. Quod nedum dictum eſſe volumus de iis, qui corrupti ſunt per præcedentes legitimas nuptias, ſed etiam de illis, qui per peccatum, quales ſunt, de quibus loquitur ſanctio, ii videlicet, qui ſolis contractis ſponſalibus ſe commiſcent, antequam in legitima forma coram Parocho, & teſtibus matrimonium contraxere; nullus enim adducibilis eſt textus canonicus, qui eoſdem a recipienda benedictione prohibeat, quinimo omnes in eo conveniunt, ut benedicendas edicant primas nuptias, abſque eo quod a benedictione corruptos repellant.

VI. Ubi autem laudatum caput *Aliter* commendat conjugibus, ut poſt Sacerdotalem benedictionem *biduo, vel triduo caſtitatem cuſtodiant*, caput *Sponſus* contentum eſt, eamdem ſervent in ſequenti nocte: *Qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.* Conſilium dicunt iſti canones, non imponunt præceptum, etſi non dixeris, per contrariam conſuetudinem abrogatos eſſe, certe eorumdem tranſgreſſio culpæ non manet obnoxia, unde ſcite Gloſſa: *Pro reverentia, ergo non erit peccatum, ſi ſecus fiat.* Præ ceteris labili hac in re Tridentinum humanæ compatiens fragilitati, *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 1.* contentum eſt: conjuges poſt contractum matrimonium in caſtitate permaneant ante benedictionem in templo ſuſcipiendam, eam tamen dumtaxat conſuluit, nec conſilio ſuo ſatis conſultum fore credidit, niſi quoque cohabitationis perículoſa tolleretur occaſio: *Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Id autem hiſce verbis Rituale Romanum explicat: *Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium conſumment, nec etiam ſimul maneant, niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus*, adeo difficilem a re uxoria abſtinentiam cenſet, ſi conjuges non ſeparatim vivant, vel niſi aliqui adſint præſentes.

VII. Si qui ſecus faciant, an peccent, quæſtionem quidem Auctores inſtituunt, ſed in eo conveniunt, ut eoſdem a lethali noxa abſolvant; cum enim Matrimonium ſit valide contractum, ad ejuſdem conſummationem legitimum jus habent conjuges, nec Tridentinum abſtinentiam præcipit, ſed dumtaxat conſulit, quare niſi alicubi habeatur ſpecialis lex, aut grave mandatum, mortiferum peccatum eſſe non poteſt matrimonialis copula, quam nec veniali ego eam obnoxiam arbitror, ſaltem ſi probabile adſit incontinentiæ periculum, aut juſta alia, & rationabilis habeatur cauſa, qualis profecto ineſt iis, quorum benedictio diu differri debet, uti evenit in illis, qui cum nubant initio Adventus, vel quadrageſimæ, benedici non debent, niſi poſt Epiphaniam, aut octavam Paſchatis. Hoc ſane probat Decretum 22. præcedentis capitis, quod dum declarat licitam traductionem ſponſæ quadrageſimali tempore, qua Matrimonium fuerat initum, ad domum viri, inſimul definit omni prorſus vacare culpa Matrimonialem copulam ante Sacerdotalem benedictionem habitam, ſaltem quando Matrimonii conſummatio diu deberet protrahi.

D E C R E T A.

Decretum II. cap. in ord. 255. *Jus benedicendi ſponſos ſpectat privative ad Parochos. Congr. Concil. 3. Dec. 1718.* I. Vox hæc eſt Tridentini ſeſſ. 24. de Reform. cap. 1. *Statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe, quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante.* Eodem pacto proprium Parochum Tridentinum exigit ad aſſiſtendum, quam ad benedicendum Matrimonio, unde ſicuti ad aſſiſtendum requiritur proprius contrahentium Parochus, & ſufficit Parochus utriuslibet ſponſi, quando hi ad diverſas Parochias ſpectant, ita etiam ad benedicendum. Et quidem taliter, ut quemadmodum licere diximus, Parocho feminæ aſſiſtere in Parochia viri, & e contra, ſic & benedicere æque valeant, dummodo uti aſſiſtentia, ita & benedictio non habeantur publice, & ſolemniter, ſed privatim in domibus, & abſque ſolemnitate. Solemnitas namque, atque publicitas important juriſdictionem quamdam in loco, in quo fiunt, unde quoties aſſiſtentia, vel benedictio cum ſolemnitate, & publicitate habeantur, fieri debent ab habente juriſdictionem in tali loco.

II. Benedictio eſt actus conſequens ad contractum Matrimonialem, & cum eo conjunctus, unde quidem convenit, præſtetur illa ab eo Parocho, qui contractui interfuit, ſed quoniam ſunt duæ inſimul actiones dividuæ, nihil vetat, aſſiſtentiam ab uno præſtari Parocho, benedictionem ab altero, unde quando dividantur, aut benedictio differatur, bene poteſt Parochus mulieris aſſiſtere v. g. contractui, & viri Parochus eum benedicere, aut e contra. Quod ſi contractus celebretur coram Parocho feminæ, & hæc ſtatim traducatur ad domum viri, benedictio, a viri Parocho nedum poteſt, ſed debet fieri, quia mulier ad domum viri traducta, efficitur de ejus foro, & ſtatim evadit Parochiana illius Parochi, cujus Parochiam Maritus incolit; translatio enim domicilii eam prorſus ſubtrahit a juriſdictione illius Parochi, in cujus Parochia ante traductionem morabatur, & eamdem plene ſub-

jicit juriſdictioni illius Parochi, intra cujus Parochiæ limites ſitum eſt domicilium, quod de novo aſſumit. Univerſim vero benedictio congrue ab eo præſtatur Parocho, qui Matrimonio aſſiſtit.

III. Ita autem benedictio privative ut ſupra convenit proprio contrahentium Parocho, ut dempto Ordinario, qui ſimilem facultatem habet, ipſe ſolus alterum Sacerdotem delegare valeat ad eamdem benedictionem impertiendam, ad eum prorſus modum, quem in præcedenti capite deſcripſimus agentes de aſſiſtentia ad contractum Matrimonialem. *Neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe*, ſic Tridentinum ſtatuit, quod per ſequentia verba abrogat quamcumque contrariam conſuetudinem, etiam immemorabilem, & privilegium quodlibet: *Quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante*. Quæ advertantur, digna ſunt ea verba *Alii Sacerdoti*: diſerte enim denotant, quod dummodo Sacerdos ſit, quivis delegari poteſt, Sacerdos Regularis ſit, vel ſæcularis, ſicut de Sacerdote Regulari, de quo potior difficultas eſſe poterat, ſequens (erit 3. cap. in ord. 256.) definit Decretum: *Regulares poſſunt benedicere ſponſos cum licentia Parochi*. Congr. Concil. 19. Martii 1708.

IV. Pœnas, quæ manent benedicentes ſponſorum nuptiis ſine licentia eorumdem Parochi, vel Ordinarii, eadem deſcribit Sancta Tridentina Synodus: *Quod ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive Sæcularis, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur*. Pœna igitur eſt ſuſpenſio latæ, non ferendæ ſententiæ, cujus abſolutio reſervata eſt Ordinario illius Parochi, a quo benedictio impertienda erat. An ſuſpenſio iſta ſit ab officio, & beneficio, Tridentinum non explicat; & hæc eſt cauſa, ob quam Doctores variant, eam volentibus pluribus a ſolo officio, aliis item a beneficio. Præ ſæculari Sacerdotem Regularem Navarrus, aliique quoque plectunt excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſervata, de qua *in Clem. 1. de privil.*, ſed non deſunt alii plurimi, qui ab incurſu excommunicationis eumdem liberant. Quod certi ſtatui poteſt, eſt, quod ſuſpenſionis pœna lata dumtaxat eſt contra *benedicentes*, unde non extenditur ad eum, qui deputaret alium ad benedicendum, aut ei mandaret, vel conſuleret ad prædictam impertiendam benedictionem; pœnæ enim illatæ contra exercentes non extenduntur ad mandantes, & conſulentes, niſi exprimatur. Ea item verba *Auſus fuerit* ingentem important temeritatem, quæ non poteſt eſſe cum ignorantia, licet craſſa, unde ad incurrendam ſuſpenſionem requiritur plena ſcientia, & quæcumque ignorantia excuſare poteſt ab incurſu illius.

D E C R E T A.

Decretum IV. cap. in ord. 257. *Benedictio contrahentium Matrimonia, non eſt facienda a Parocho extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia. Congr. Concil. 17. Apr. 1649.* I. Id maxime congruit dignitati actionis, quam propterea Tridentinum cit. cap. nuncupat *benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam*. Potiori ponderatione dignum eſt Ritualis mandatum: *Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari decet, ſed ſi domi celebratum fuerit præſente Parocho, & teſtibus, ſponſi veniant ad Eccleſiam benedictionem accepturi*, quaſi major habenda ſit ratio de benedictione, quam de Matrimonio, cum tamen Matrimonium ſit Sacramentum, quid majus, & principale, benedictio vero dumtaxat quid Sacramentale, minus, ac conſequens, & propterea magis, certe non minus deceat, illud, quam illa in Eccleſia celebretur. Ita ſane, ſed nihilominus Matrimonium extra Eccleſiam celebrari permittitur, non benedictionem diſpenſari, non quidem per ſe, & ratione majoris decentiæ, ſed per accidens, & ratione Miſſæ, intra quam benedictio ſatis congrue præſcripta eſt diſpenſari, unde Rituale: *ſed tantum benedictionem illis conferat, celebrata miſſa, ut infra dicetur*. Infra autem habetur: *ſi benedicendæ ſunt nuptiæ, Parochus miſſam pro ſponſo, & ſponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur*.

II. Hinc habes, quod ſi domi, in qua matrimonium contrahitur, habeatur adnexum Oratorium publicum, aut privatum, neceſſe non eſt, quod ſponſi pergant ad Eccleſiam benedictionem accepturi, ſed in eo recipere eamdem poſſunt media Miſſa ibi celebrata. Roſignolus *de matrim. to. 1. contractu 15. prænot. 38. num. 15.* nonnullis allegatis Auctoribus definit quidem, quod benedictiones nuptiales fieri debent in Eccleſia, ſed etiam extra hanc, adeoque etiam extra occaſionem Miſſæ, quæ extra Eccleſiam, vel Oratorium celebrari non poteſt, fieri poſſe ſtatuit, ſi Epiſcopus, ſeu Ordinarius diſpenſaverit, & hac ratione utitur, quia nempe benedictionis actio cum pertineat ad ſacramentalia, & non ſit gravis momenti, ſicuti ſine gravi noxa poteſt omitti, ita accedente Epiſcopi auctoritate ſine aliqua labe poteſt de uno in alium locum transferri. Idipſum ſentit *num. 25.* (& fortaſſe etiam non ſtante diſpenſatione Epiſcopi, cujus non meminit) dum benedictiones nuptiales, quas regulariter aſſerit fieri mane inter Miſſarum ſolemnia, non improbat fieri poſſe alio diei tempore, puta in veſperis, niſi ex ſpeciali aliqua cauſa in aliquo loco ſtatutum ſit, ut non fiant, niſi mane, abſque facultate Ordinarii; poſtmeridiano enim tempore celebrari nequit Miſſa. Et quidem orationes, & preces, quibus Eccleſia utitur in benedictione ſponſorum, cum Miſſa tantam connexionem non habent, ut etiam extra Miſſam æque bene ſuper ſponſos recitari non valeant; Miſſa enim de ſponſo, & ſponſa, quam in tali occaſione Sacerdos celebrat, non integrat benedictionis preces, cum omiſſioni maneat obnoxia, quoties occurrit dies Dominica, aut alius dies feſtus. Crederem ego itaque, quod prædictæ benedictionis preces, etiam ſeparatim a Miſſa, & extra Eccleſiam, ſuper ſponſos valeant recitari; Tridentinum enim nec verbum habet de iiſdem intra Miſſam recitandis, & ſi benedictionem in templo ſuſcipiendam eſſe aſſerit, id non præcipit, ſed ſuadet tanquam convenientius, quemadmodum Beyerlinck *verb. Benedictio tit. 4.* ſcite ponderat, & non obſcure indicat verbum *Hortatur*, quo Tridentinum ſuam diſpoſitionem afficit. An autem id poſſit fieri ſine diſpenſatione Epiſcopi, non crederem; obſtat enim laudata Ritualis lex, ac communis uſus: quibus contraire cuique non poteſt eſſe liberum, ſed requiritur diſpenſatio Epiſcopi, qui cauſam probet, niſi adeo urgens inſtet cauſa, quæ ad Epiſcopum non patiatur acceſſum, ut ſi quis, quam corrupit, puellam ducere nollet, niſi illico benediceretur eorum nuptiis.

III. Feriatis temporibus, de quibus egimus in Decreto 22. præcedentis capitis, non nuptias inhiberi diximus, ſed nuptiarum ſolemnitates, quas cum Rituale exponat per *nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia*, dubium eſſe non poteſt, quod nuptiarum benedictio iiſdem temporibus manet inhibita, & quidem adeo, ut de culpa lethali nemo dubitet, ſi quis huic contraveniret præcepto, ſicuti hanc ad rem recoli poſſunt Sanchez *lib. 7. diſp. 7. num. 3.*, Pontius *lib. 6. cap. 8. num. 8.*, Roſignolus *to. 1. contractu 15. prænot. 3. num. 4.*, Leander *to. 1. part. 2. tract. 9. diſp. 7. quæſt. 78.*, Giribaldus *tract. 10. de matrim. dub. 3. num. 21.*, *& 22.*, aliique communiter tum Canoniſtæ, tum Theologi, quos inter cum lis quædam ſit ſuper qualitate peccati ſtante parvitate ſæcularium pomparum, nemo tamen eorum peccatum mortale denegat, quando agitur de benedictione nuptiarum, unde Coroninus *lib. 5. de ſacram. matrim. cap. 4. num. 282.* quæſtionem inſtituens, *utrum hæc prohibitio ſit ſub mortali*, reponit: *Quoad benedictionem omnes affirmant*.

IV. Num ſub prohibitione itidem cadat benedictio, quam interveniente Epiſcopi diſpenſatione extra Eccleſiam, ac extra Miſſarum ſolemnia privatim fieri poſſe dicebamus, non levis modo inſurgit quæſtio, quam ſatis probabiliter negative definiri poſſe credimus. Quærit Giribaldus *lo. cit. n. 19.* quid veniat per ſolemnitates nuptiarum, quæ feriatis temporibus prohibentur, & opportunam admodum hanc reſponſionem exhibet: *Per ſolemnitatem prohibitam nuptiarum intelligi benedictionem ſolemnem, quæ ſcilicet ſolemniter intra Miſſæ ſacrificium in Eccleſia celebratur, necnon ſæcularem pompam cum feſtivis lætitiæ ſignis, traductionem ſponſæ in domum ſponſi cum plauſu, comitatu, & ſtrepitu, convivia, choreas, cantus, & ſimilia juxta communiorem Doctorum ſententiam*. Si itaque benedictio, quæ prohibetur, eſt *benedictio ſolemnis, quæ ſcilicet ſolemniter intra Miſſæ ſacrificium in Eccleſia celebratur*, utique prohibita non erit illa, de qua agimus, cum abſque ulla ſolemnitate fiat extra Eccleſiam, atque Miſſæ ſacrificium.

V. Hac in re id volumus obſervari, quod Tridentinum nullibi prohibet a feriatis temporibus benedictionem nuptiarum, ſed dumtaxat earumdem *ſolemnitates*, inter quas Rituale quidem una cum Auctoribus enumerat *nuptias benedicere*, ſed non minus *ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia*, ſed cum nihilominus Decretum 22. præcedentis capitis declaret licitam ſponſæ traductionem, dummodo fiat abſque ſolemnitate, quidni etiam licita erit prædicta nuptiarum benedictio, quæ expoliata dignoſcitur quacumque ſolemnitate? Si ea nuptiarum benedictio a Rituali cenſeatur inhiberi, quæ ab ipſo adhibenda aſſignatur, ejuſdem Ritualis diſpoſitioni ſatisfieri videtur; illa autem eſt, quæ fit publice in Eccleſia mediante Miſſa de ſponſo, & ſponſa, aut alia de feſto cum particularibus precibus in illa aſſignatis, unde Biſſus *verb. Benedictio num. 72. §. 8.* habet: *Benedictio nuptiarum fit cum Miſſa, quæ habetur pro ſponſo, & ſponſa in Miſſali in fine Miſſarum votivarum*, & hanc addit eſſe benedictionem, quæ temporibus feriatis prohibita manet; *Hæc benedictio nuptiarum fieri non poteſt a prima Dominica Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſive, quo tempore prohibentur nuptiæ*. Cum itaque ejuſmodi certe non ſit benedictio, de qua agitur, non videtur in inhibitione comprehendi. An autem in ea comprehenſa maneat benedictio, quæ quidem fieret cum iiſdem Miſſa, & precibus, ſed non in publica Eccleſia, ſed in privato Oratorio, nonnullis videri poteſt, quod non, quaſi ratione loci privati, in qua agitur, a ſolemnitate deficiat; hac tamen de re judicent alii, ego quippe tuto judicium proferre non audeo, cum dempto loco, qui fortaſſe ad rem parum relevat, in caſu concurrant omnia, quæ juxta Rubricas benedictionem ſolemnem efficiunt. Nos denique monet Benedictus XIV. *to. 4. notif. 13.*, quod etſi temporibus feriatis nuptiæ cum præſcripta Miſſa benedici non valeant, nihil tamen eſt, unde ſit vetitum, recens contracto matrimonio coram

con-

contrahentibus a Parocho Miſſam de die celebrari, ſponſoſque in ea communicari, dummodo abſtineatur a precibus pro benedictione inſtitutis.

D E C R E T A.

Decretum V. cap. in ord. 258. *Nuptiarum benedictio non poteſt fieri, niſi inter Miſſarum ſolemnia. Congr. Conc. 13. Julii* 1630. I. Decreti uberem jam expoſitionem habes in præcedenti ſanctione, quare adnotare pergimus qualitatem Miſſæ, quæ in tali circumſtantia dici debet, & illico occurrit nobis Ritualis Rubrica, quæ Miſſam pro ſponſo, & ſponſa faciendam eſſe demandat: *His expletis* (ſtatim ſcilicet ac perfectus eſt matrimonialis contractus, ita tamen, ut non neceſſe ſit nuptias illico benedici, ſed harum benedictio differri valeat ad tempus magis opportunum) *ſi benedicendæ ſunt nuptiæ* (uti namque vidimus, non ſemper nuptiæ benedici debent, neo poſſunt) *Parochus Miſſam pro ſponſo, & ſponſa* (& ecce Miſſam, quæ celebrari præſcribitur) *ut in Miſſali Romano celebret* (quæ nempe pro ſponſo, & ſponſa in Miſſali Romano habetur inter votivas) *ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur*, & ad hæc exponenda continuo properare ducimus.

II. *Si benedictio nuptiarum facienda ſit die Dominica, vel alio die feſto, dicatur Miſſa de Dominica, vel feſto*, ita præſcribit Rubrica, quæ in Miſſali Romano præmittitur Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa, & per eam edocemur, quod ſi incidat dies Dominica, vel alius dies feſtus (quid veniat hujus nomine, dicemus infra) dicenda non eſt Miſſa pro ſponſo, & ſponſa, ſed Miſſa de Dominica, vel feſto, & hæc *cum Gloria in excelſis, & Credo*, non quidem ſemper, ſed dumtaxat, *ſi illa Miſſa id requirit*, ut eadem ſubdit Rubrica, quæ per hæc verba *& cum commemoratione ſequentis Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa*, in Miſſa de die fieri mandat commemorationem Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa, & per ſequentia *& reliquis quæ pro communione, & complemento benedictionis in ea habentur*, in ea itidem ſuo loco recitari orationes *Propitiare*, & *Deus qui poteſtate*, quæ pro communione deſerviunt, & inſuper orationem *Deus Abraham*, quæ pro complemento benedictionis, perinde ac ſi Miſſa ipſa pro ſponſo, & ſponſa diceretur; ritu autem, quem nos infra reſervamus deſcribere.

III. Ex quo hæc Rubrica in occurſu diei Dominicæ, vel alterius diei feſti celebrari jubeat Miſſam Dominicæ, ſeu feſti, infert Gavantus *par.* 4. *tit.* 17. *num.* 22., quod dicenda ſemper eſt Miſſa pro ſponſo, & ſponſa extra diem feſtum de præcepto, & Gavantum ſequuntur Meratus *part.* 1. *tit.* 4. *n.* 10., Benedictus XIV. *to.* 4. *notif.* 13., & Guyetus, dum *lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 22. refert, & non reprobat Gavanti interpretationem, idipſum ſentire videtur. To *Alio die feſto*, quem ponit Rubrica, equidem hæc interpretatio de ſuo addit to *de præcepto*, ſed nihilominus Rubricæ ipſi videtur conſona, quia cum dictio *Alius* interpretibus Juriſtis fere omnibus, ſit relativa ad præcedentia, & repetitiva ſimilium, etiam in qualitate, eum ſenſum reddit, ut per to *Alio die feſto* veniat dies feſtus de præcepto, qualis eſt Dominica, de qua præcedenter Rubrica loquitur. Accedit, quod *dies feſtus* abſolute prolatus, communiter accipitur pro *die feſtivo de præcepto*, nec aliter in caſu ſumi poſſe videtur, quia ſi acciperetur *pro die, in quo occurrit feſtum*, ſeu officium de ſancto, cum Rubrica non addat *duplex*, hinc ſequeretur, quod dici non poſſet Miſſa pro ſponſo, & ſponſa in die, in quo occurrit officium de ſancto ſemiduplici, vel ſimplici, quorum utrumque a Rubricis qualificatur *feſti* nomine, cum tamen quæcumque aliæ Miſſæ votivæ utile reperiant ſpatium in diebus omnibus, in quibus non occurrit feſtum duplex, vel privilegiatum, & ſolum Rubrica aſſerat, quod iiſdem diebus non debent dici *paſſim, niſi rationabili de cauſa*, quæ certe noſtro aſſiſtit caſui, nempe circumſtantia nuptiarum benedicendarum, quam tanti Rubrica facit, ut commemorationem Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa jubeat in Miſſa de die, quando Miſſa pro ſponſo, & ſponſa dici non poteſt.

IV. Hæc ſunt profecto plurima, & tanta, ut eorum impetui vix obſiſti valeat; ſed quoniam inde ſequitur, a Rubricarum legibus nimis exorbitans, & ſine ſufficienti cauſa, Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa privilegium fieri, nos adoptare maluimus ſententiam Halden, qui *par.* 3. *tit.* 7. to *vel alio die feſto* intelligendum cenſet *de alio die feſto duplici*, ita ut quotieſcumque occurrit officium duplex (& per conſequens quodcumque aliud privilegiatum contra Miſſas votivas) Miſſa pro ſponſo, & ſponſa dici nequeat, ſed debeat dici Miſſa de currenti officio cum ſola commemoratione ejuſdem Miſſæ. Et quidem Rubricæ tum generales, tum particulares conveniunt in eo omnes, ut in feſto duplici nulla Miſſa votiva privata, ne quidem pro re gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa, aut ob feſtum ſolemniter celebratum, ſive quamcumque ob rationem aliam dici valeat, & ſi quam permittunt, utique dumtaxat ſolemnem, vel ſaltem cantatam, & hanc adhuc admodum parce, & exceptis feſtis, ſaltem ſolemnioribus. Ex Miſſis item de Requiem, quibus favorabiliores extant Rubricæ, nulla privata in feſto duplici dici poteſt, ne quidem præſente corpore, niſi fortaſſe una loco ſolemnis, ubi hæc haberi non poteſt ex defectu miniſtrorum; & quantum ad ſolemnes ipſas, atque cantatas non deſunt feſta plurima, præſertim ſolemniora, quæ licet feſtiva non ſint de præcepto, adhuc in exceptis expreſſe ſunt poſita. Rubricis uniſona ſunt Decreta, quæ licet quandoque in duplicibus admittant Miſſas votivas, loquuntur tamen de ſolemnibus, & cantatis, & adhuc cum exceptione dierum, nec aliquod reperire eſt, quod ſuper privatis indulgeat.

V. Quæ omnia cum ſint ſapienter diſpoſita, & conſtanti conſuetudine in Eccleſia ſervata, quis credere unquam poteſt, quod Eccleſia tam facile ab iiſdem receſſerit, permittendo Miſſam privatam pro ſponſo, & ſponſa, nedum in feſtis duplicibus minoribus, ſed etiam in majoribus, & ſolemnioribus, iis dumtaxat exceptis, quæ ſunt feſtiva de præcepto? Quis eamdem privatam Miſſam putabit licitam iis diebus, quibus neque licet ſolemnis de Titulari, aut feſto ſolemni, quod transfertur, neque Defunctorum præſente corpore? Quis, quando manet inhibita Miſſa ipſa ſolemnis pro re gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa? Et res levis momenti, & cauſa privata, qualis eſt nuptiarum benedictio, quæ in Auctorum ſenſu reſpicit leve, & privatum commodum, & ſine noxa, ſaltem gravi, prorſus omitti poteſt, & certe æque bene ſuppleri cum Miſſa de die, tam facile diebus omnibus, ne quidem excluſis ſolemnioribus, quæ feſtivæ de præcepto non ſunt, aut privilegiatis contra quodcumque feſtum, uti ſunt feria IV. Cinerum, hebdomada major &c., obtinebit Miſſam privatam propriam, quam res gravis, aut publica Eccleſiæ cauſa nullatenus aſſequi valet, quinimmo neque ſolemnem, ſaltem in prædictis diebus omnibus?

VI. Abſurda hæc adeo nos eſſe credimus, ut abſit, ea putemus ſtatuta per memoratam Rubricam, quæ propterea ita exponenda venit, ut to *Alio die feſto* addendum ſit, vel magis ſubintelligendum *duplici*, ita ut ſenſus ſit, quod in occurſu diei Dominicæ, vel feſti duplicis dicenda ſit Miſſa de dominica, vel feſto, quemadmodum jam diſponunt de aliis Miſſis votivis Rubricæ generales, quarum diſpoſitioni etiam Miſſa pro ſponſo, & ſponſa cenſetur relicta. Diximus *vel magis ſubintelligendum*, quia Rubrica, de qua agitur, non reperitur in Miſſalibus veteribus, & ſignanter in eo, quod præ manibus habemus, anno 1578. apud Junctas Venetiis impreſſo, ſed Miſſa pro ſponſo, & ſponſa regebatur Rubrica, quæ tunc erat, & etiam nunc eſt in Miſſali, qua & reguntur ceteræ Miſſæ votivæ, incipiendo a Miſſa *pro eligendo Summo Pontifice*, quibus eſt præfixa. Cantat autem ejuſmodi Rubrica: *Aliæ Miſſæ votivæ pro diverſis rebus, quæ dici poſſunt quacumque die, niſi fuerit Dominica vel Officium duplex*, quare cum ſub hac Rubrica comprehenderetur etiam Miſſa pro ſponſo, & ſponſa, nec haberetur illa ſpecialis, de qua dicebamus, certum redditur, quod prædicta Miſſa non poterat olim dici, nedum in diebus Dominicis, & aliis feſtis de præcepto, ſed nec in officiis duplicibus. Cum vero poſtmodum putatum fuerit, in Miſſa de die, quando impedita manet propria, faciendam eſſe commemorationem de Miſſa pro ſponſo, & ſponſa, quod minime notabatur in miſſalibus antiquis, invecta fuit prædicta ſpecialis Rubrica, quæ propterea dum notat *Die Dominica, vel alio die feſto*, to *alio die feſto* non incongrue accipitur *de feſto duplici* juxta præcedentem Rubricam, a qua eadem Miſſa regebatur.

VII. Quæ ex eo lubentiores dicimus, quod Rubrica adhuc de alio die feſto de præcepto accepta, hunc ſenſum minime reſpuit, quinimmo hujuſmodi diſpoſitio, quæ nulla affecta eſt particula reſtrictiva, trahenda eſt ad omnes caſus ſimiles, nam diſpoſitum in uno caſu, cenſetur diſpoſitum pro omni alio caſu ſimili, cujuſmodi eſt caſus quilibet occurrentis feſti duplicis, aut officii, quod juxta Rubricam Miſſas votivas reſpuit. Et maxime quia cum non agatur de ſubſtituenda Miſſa lugubri, quæ fortaſſe cum diebus feſtivis de præcepto ſpecialem oppoſitionem habet, ſed de Miſſa, quæ celebranda eſt in colore albo, ſpecialis non videtur militare ratio, ob quam vetita ea eſſe poſſit in diebus feſtivis de præcepto, & non in duplicibus, & maxime ſolemnioribus, quæ ſane magis expoſcunt conformem ſibi Miſſam, quam dies pure feſtivi, quemadmodum nos edocent Rubricæ ipſæ, atque Auctores, dum in diebus Dominicis, & feſtivis ordinariis admittunt Miſſam ſolemnem pro re gravi, aut publica Eccleſiæ cauſa, aliaſque ſimiles, etiam de Requiem præſente corpore, non tamen in diebus non feſtivis, quæ ſunt ex ſolemnibus primæ claſſis. Accedit denique, quod Miſſa pro ſponſo, & ſponſa privilegio unius orationis non videtur diſtincta, ſed magis comprehenſa in iis verbis Rubricæ IX. num. 14. *In aliis autem dicuntur plures, ut in feſtis ſimplicibus*, unde non videtur dici apta, aut permiſſa in die, quo officium duplex recurrit.

VIII. Ex dictis habes, nutare illationem Gavanti, quia quando etiam Rubrica diſponeret de alio die feſtivo de præcepto, adhuc deberet pertrahi ad alios quoslibet caſus ſimiles. Dictio *Alius*, ut jam diximus in præcedenti capite, non ſemper eſt repetitiva ſimilium in qualitate, ſed etiam contentatur alteritate ſubjecti, unde in Evangelio de Chriſto dicitur: *Et cum eo ducebantur alii duo nequam*, & tamen quis hanc injuriam inureret Chriſto? Quantum attinet ad divina officia, verum non eſt, quod dies feſtus abſolute prolatus, ſtet præciſe pro die feſtivo de præcepto, æque namque dicit diem cum feſtivitate, & ſolemnitate celebratum, quod, nec incongrue accipitur pro die, in quo feſtum aliquod, ſaltem duplex, quod ſolemne eſt, & dici ſolet, occurrit. Etſi autem Rubrica non habeat to *duplex*, addi tamen, vel ſubintelligi debere diximus, atque probavimus, & ideo inde non ſequitur, quod Miſſa pro ſponſo, & ſponſa dici non poſſit, quoties occurrit feſtum ſemiduplex, vel ſimplex. Non refragamur autem, quod circumſtantia nuptiarum benedicendarum ſit rationabilis cauſa dicendi Miſſam pro ſponſo, & ſponſa in diebus, qui univerſim admittunt Miſſas votivas, immo lubentes dicimus, quod dicenda ea eſt,

cum Rituale aſſerat: *Si benedicenda ſunt nuptiæ, Parochus Miſſam pro ſponſo, & ſponſa ut in Miſſali Romano celebret.*

IX. Miſſa illa dicitur in colore albo, & cum per Rubricas nullo privilegio decorata inveniatur, celebrabitur inſtar aliarum communium Miſſarum votivarum, ſcilicet ſine *Gloria in excelſis*, & ſine *Credo*, & cum triplici oratione, quarum ſecunda erit de officio, & tertia, quæ in Miſſa de die diceretur ſecundo loco. Dicto *Pater noſter*, Sacerdos, antequam incipiat *Libera nos quæſumus Domine*, genuflectit SS. Sacramento, deinde ſe retrahit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans, tenente librum miniſtro, verſus ſponſum, & ſponſam ante altare genuflexos, dicit ſuper eos orationes *Propitiare*, & *Deus qui poteſtate*, & his dictis revertitur ad medium Altaris, ubi præmiſſa iterum genuflexione eidem SS. Sacramento, dicit *Libera nos*, & reliqua more ſolito. Non Rubrica, ſed Gavantus monet, quod poterit ſuo loco dari Pax cum inſtrumento ſponſo, & ſponſæ; Rubrica vero de Sacerdote ulterius addit: *Poſtquam ſumpſerit ſanguinem, communicet ſponſos, & proſequatur Miſſam*, ſed cum hæc communio fiat ritu ordinario in communione fidelium teneri ſolito, jam ſuo loco eum late deſcripſimus.

X. *Dicto* Benedicamus, *vel ſi Miſſæ illius diei conveniat*, Ite Miſſa eſt, *Sacerdos antequam populum benedicat, converſus ad ſponſum, & ſponſam dicat*: Deus Abraham &c. Rubricæ verba iſta ſunt, per quæ edocetur Parochus, quod communicatis ſponſis, more ſolito debet proſequi Miſſæ reliquum, ſed quod poſtquam dixerit *Benedicamus Domino*, vel *Ite Miſſa eſt* juxta exigentiam Miſſæ, quam celebrat, non debet procedere ad benedictionem populi, ſed converti ad ſponſum, & ſponſam, atque ſuper eos dicere orationem *Deus Abraham*. Gavantus ad hoc agendum Sacerdotem tranſire facit ad cornu Epiſtolæ, & quidem bene, unde antequam diſcedat ab altaris medio, ſe inclinabit cruci: quod vero in rationem idem Auctor ſubjicit, ſcilicet *ut de vicino libro commode legat*, a nobis probari non poteſt, ſed dicimus, quod miniſter ante eum debet tenere librum; vix enim fieri poteſt, quod Sacerdos converſus ſit (id maxime de facie intelligitur) ad ſponſos, & quod commode legat de vicino libro ſuper altare poſito.

XI. *Moneat eos Sacerdos ſermone gravi, ut ſibi invicem ſervent fidem: orationis tempore, & præſertim jejuniorum, ac ſolemnitatum, caſti maneant, & vir uxorem, atque uxor virum diligat, & in timore Dei permaneant.* Prædicta oratione peracta, & per miniſtrum remoto miſſali, quod ante Sacerdotem ſuſtinebat, Sacerdos ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, ſermone brevi, & gravi ſponſos moneat ſuper id, quod laudata Rubrica innuit, ſed quantum ad caſtitatem attinet, hiſce temporibus, in quibus refrigeſcit charitas, conſultius eſſe crederem, abſtinere ab inſinuandis rigidioribus ſententiis, quæ lethalis culpæ damnant in prædictis, aliiſque ſimilibus circumſtantiis Matrimonialem copulam. *Poſtea eos aſpergat aqua benedicta*, ſubdit Rubrica, quæ ita non debeat intelligi, ut aſperſio illa facienda ſit mediis digitis intinctis in aqua benedicta, ſed medio aſpergillo, & cum ſigno crucis ſuper eos, eo modo addit Gavantus, qui præſcribitur in Rituali Romano in benedictione mulieris poſt partum. An dum fit aſperſio illa, debeat Sacerdos dicere *Pax, & benedictio &c.*, ut dicitur in benedictione mulieris poſt partum, dicendum videtur affirmative, ſi facienda ea eſt, ut Gavantus aſſerit, ſed quoniam Rubrica abſtinet a recenſendis verbis, & Gavantus ſiſtit in aſſignando modo, ſcilicet crucis, quo fieri debet aſperſio, & nulla dicenda aſſignat verba, a dicendis laudatis verbis abſtinendum eſſe cenſeo, præſertim quia media ſolita benedictione, quæ ſtatim dari debet de more in fine Miſſæ, medii etiam verbis ſponſi benedicti remanent, ad differentiam benedictionis mulieris poſt partum, in qua congrue ea verba dicuntur, quia non ſubſequitur benedictio generalis. *Et dicto* Placeat tibi Sancta Trinitas, *det benedictionem, & legat, ut ſolitum eſt, Evangelium S. Joannis* In principio erat verbum &c., ejuſdem hæc ultima ſunt Rubricæ verba, unde facta ut ſupra aſperſione, Sacerdos tradit aſpergillum miniſtro, redit ad medium altaris, dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*, dat benedictionem more ſolito, & poſtea tranſit ad legendum Evangelium S. Joannis *in principio*. Hoc tamen Evangelium non ſemper legendum erit, ſed ſolum, quoties ita ferunt Rubricæ, quoties nempe dicta eſt Miſſa pro ſponſo, & ſponſa, aut Miſſa de die, in quo non occurrit aliud Evangelium dicendum, nam ſi aliud Evangelium occurrat, hoc dici debet, & non illud S. Joannis, quando dicitur Miſſa de die.

XII. Quando vero dicitur Miſſa de die, in ea præſtantur omnia erga ſponſos, quæ præſtanda deſcripſimus, ipſa vero Miſſa legitur, uti diceretur extra talem circumſtantiam, ſcilicet cum ſuo colore, Gloria, Credo, & orationibus, ac reliquis, quæ eadem expoſcit Miſſa, & ſolum ultra orationes, ac alia, quæ præſtanda diximus erga ſponſos in Miſſa de die fit commemoratio Miſſæ pro ſponſo, & ſponſa more ſolito pro ratione ejuſdem Miſſæ. Guyetus *lib. 4. cap.* 21. *qu.* 22. hanc commemorationem tacendam eſſe putat in duplicibus primæ claſſis, tu vero ſubens adjice, etiam ſecundæ claſſis ob ea, quæ nos dedimus in capite de oratione XL. horarum; unio enim ejuſdem cum oratione Miſſæ ſub una concluſione putatur communiter privilegium ſolius Miſſæ ſolemnis.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Feria VI. in Paraſceve.

PAraſceve vox græca eſt ſonans præparationem, quare apud Judæos eo nomine feria ſexta appellari conſuevit, quippe qui ea die cibos pro Sabbato pararent, quo opus omnino interdicebatur *Exod.* 16. 23. & 35. 2. 3. Qua die Chriſtus in crucem ſublatus eſt, per *Paraſceven* ita deſcribunt Evangeliſtæ, ut inſequens Sabbatum per *alteram diem, quæ eſt poſt Paraſceven*, deſignet Matthæus 27. 62., & concordes animadvertant omnes, Jeſu Chriſti cadaver e cruce feſtinanter depoſitum, in proximiorem tumulum illatum fuiſſe, quod die Paraſceves in veſperam inclinante, Sabbati feſtum ad ſolis occaſum, ſive ad primum ſyderum ortum ſubiret. Hinc factum eſt, ut Paraſceve nomen, quod cunctis commune erat ſextis feriis, in Eccleſia dumtaxat ſit reliquum ad deſignandam feriam VI. majoris hebdomadæ, qua in hominum redemptionem Jeſus Chriſtus conſecravit Sanguine ſuo. Nos itaque, qui Dominicam cœnam, quam pridie quam pateretur, Chriſtus inſtituit, longo examine proſecuti ſumus una cum iis omnibus, quæ ad dictorum complementum, vel quomodocumque alias poterant attinere, nunc merito gradum facimus ad ſubſequentem feriam VI., in qua Eccleſia tota eſt in recolenda Chriſti morte.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 259. *Sacerdotes tam ſæculares, etiam privilegiati, non poſſunt in feria VI. Paraſceves, occaſione SS. Annuntiationis in dicta feria occurrentis celebrare in quavis Eccleſia, ſeu oratorio aliquam Miſſam ſolemnem, vel privatam, nec facere feſtum, vel parare, aut ornare Eccleſias, aut altaria, licet dicata Beatiſſimæ virgini, etiam Annuntiatæ, cum ob doloroſam mortis Noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint cooperta ſacra imagines & altaria ſpoliata, ſed tantum fieri ſolita Sacra functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus feria V. in cœna Domini collocari ſolet venerabile in aliquo altari, vel alio decenti loco, vulgo vocato* il ſepolcro, *& per hanc prohibitionem pro feria VI. in Paraſceve non poſſunt in feria V. in cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privata, ſed ſolum conventualis juxta ritum Sanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta. Clemens XI.* 15. *Martii* 1712. I. Antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina, atque traditio eſt, hac die, qua paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta, & ſeipſum obtulit Chriſtus, incruentum Miſſæ ſacrificium minime offerre; hinc ſi incidat Annuntiationis feſtum, *ob ſpecialem reverentiam Dominicæ* (ſic ſe Decreta exprimunt) *Incarnationis* in aliam ſtatam diem, in qua integre, & ſolemniter, ut par eſt, celebrari queat, illud transferri quoad chorum, & forum, & idipſum præſtat de pluribus aliis feſtis de præcepto, quæ ſimili privilegio donata fuere; cætera vero transfert quoad ſolum chorum, retinet feſtivationem quoad abſtinentiam ab operibus ſervilibus, cujus obſervantia non pugnat, ſed eſt admodum apta tali diei, in qua nos a cæteris curis expeditos, facit liberius aſſurgere in doloroſam mortis noſtri Redemptoris recordationem, ſed quantum ad onus audiendi Miſſam, ſuper eo magis fideles diſpenſandos eſſe cenſuit, quam Miſſam aliquam permittendam, uti præſtat in præcedenti feria V., ſi aliquod feſtum de præcepto occurrat. Hæc fuſe *in com.* 1. *cap.* 13. *Decr.* 13. & *ſeq.* a nobis fuerunt tradita, atque diſcuſſa, nunc curſim propterea dumtaxat repetita, ut hinc habeas cauſam, ob quam impræſentiarum in occurſu feſti SS. Annuntiationis, licet Titulus, vel Patronus Eccleſiæ foret, Miſſa quælibet, ſolemnis, vel privata, in quavis Eccleſia ſeu oratorio declaratur illicita. Quod verum conſequenter erit, nedum in occurſu prædicti feſti, ſed cujuſcumque alterius, Titulus ſit, vel Patronus, de præcepto quoad forum, & chorum, aut quoad ſolum chorum, vel forum, transferatur, ſive non transferatur ut ſupra in ſtatam aliquam diem. Ad rem admodum opportuna ſunt ea ſanctionis verba: *cum ob doloroſam mortis noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint cooperta ſacræ Imagines, & altaria ſpoliata*; ſi namque altaria debent eſſe *ſpoliata*, profecto turpia ſunt, in quibus miſſæ ſacrificium offeratur.

II. Quæ, uti & ſequentia, quæ eadem ſanctio tenet, cum ſervari ſtatuta ſint *a Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam Regularibus, etiam privilegiatis*, nullus omnino ſit, quicumque ſit ille, aut quolibet privilegio gaudeat, vel conſuetudine præſcripta, ſive immemorabili, qui ſub quolibet prætextu a prædictæ diſpoſitionis obſervantia ſe audeat diſpenſare. Hi namque ſunt ex ritibus, qui Myſteriis plurimis ſunt innixi, ad recolendam Chriſti mortem præcipue inſtituti, qui ſicuti communis eſt Redemptor, ita illi, convenit, ſint communes quibuſcumque hominibus a Diabolica ſervitute per eum avulſis, ne dum tota Eccleſia in mœrore eſt, & triſtitia inſtar Apoſtolorum, qui percuſſo Paſtore diſperſi ſunt, & uſque ad diem Paſchatis in triſtitia jejunaverunt, ex fidelibus habeantur, qui inter communia mœroris argomenta cum difformitate maxima ab Eccleſiæ corpore diſcrepent.

IV. *Nec facere feſtum*, en inhibitio altera, per quam vetatur

tatur retineri Annuntiationis feſtum, quod jam in ejuſmodi caſu per Decreta plurima in feria ſecunda poſt Dominicam in albis, tanquam in die propria, quoad forum, & chorum celebrari mandatur. Quod ſi ad Decretorum præſcriptum celebratur quidem in prædicta feria ſecunda, & nihilominus placeat, non quidem tanquam de præcepto, quod ut ſupra transfertur, ſed tanquam ex devotione in præfata feria ſexta pariter idem feſtum excolere, non quoad celebrationem, & auditionem Miſſarum, quæ prorſus manent inhibitæ, ſed quantum ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus, abſit, ut nos id excogitemus inhibitum, qui jam abſtinentiam ejuſmodi qualitati diei apprime congruere diximus, & hoc pacto celebrandum eſſe quodcumque aliud feſtum de præcepto, quod ea die occurreret, & privilegio translationis quoad forum minime gauderet. Legitimus itaque Decreti ſenſus eſt, quod in prædicta feria VI. licitum non eſt celebrare feſtum aliquod cum Miſſarum oblatione, aut illud facere quoad externam ſolemnitatem, & pompam, quam minus decet haberi in die, quæ dedicata eſt luctui mortis noſtri Redemptoris, *ob cujus recordationem*, ſic Sanctio ſtatim declarat, *parari, vel ornari non poſſe Eccleſias, aut altaria, licet dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annuntiatæ, ſed nihilominus tenendas eſſe coopertas ſacras imagines, & altaria ſpoliata.*

V. Quod altaria teneantur ſpoliata, particulare id eſt hiſce diebus ob Myſteria, quæ in Decr. 9. cap. 2. recenſuimus; non ſic tamen eſt de crucibus, & imaginibus, quas a Sabbato præcedenti Dominicam Paſſionis Eccleſia in uſu habet contegere, qua de re in proprio capite, unde ſequentia arripimus verba Decreti: *ſed tantum fieri ſolita functio, prout præſcribit Miſſale Romanum*, & hæc adhuc fieri nequit in quibuſcumque Eccleſiis, *ſed ſolum in illis, in quibus feria V. in cœna Domini collocari ſolet venerabile in aliquo altari, vel alio decenti loco, vulgo vocato il ſepulcro*, cujus conſequenter rationis niſi fuerit Eccleſia, etſi ejuſdem Titularis occurrat, a prædicta etiam functione ſe abſtinere debebit, cui nec certe vacare poteſt ad præſcriptum Miſſalis Romani, quod proceſſionem demandat ab altare ſepulcri. Quænam ſint ejuſmodi Eccleſiæ, jam definitum fuit in Dec. 2. cap. 5., quare pergimus adnotare, quod Miſſa, quæ hodie celebratur, vera Miſſa non eſt, cum in ea non conſecretur corpus Chriſti, ſed jam conſecratum, & a die præcedenti reſervatum, a Sacerdote ſumatur. Miſſam ſiccam dixerunt aliqui, quos erroris incuſat, ſi non conſecratio, ſumptio Corporis Chriſti, qua etiam caret Miſſa ſicca, unde Decretum non Miſſam, ſed *ſolitam functionem* ſcite eamdem nuncupat.

VI. Sollicitudo, quam Sanctio exhibet, ne ex ſpeciali prohibitione Miſſarum privatarum in hac feria, in præcedenti feria V., & ſubſequenti Sabbato eruantur permiſſæ, uberrimum argumentum eſt omnimodæ earumdem inhibitionis; ſed quoniam hac de re alloquimur alibi, reliquum dumtaxat eſt, percurramus præparanda ad prædictam functionem hujus diei, quam per ſequentia Decreta ſeorſim deſcribere reſervamus.

D E C R E T A.

Decretum II. cap. in ord. 260. *Il velo umerale ſarà di colore bianco in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sagramento, anco nel Venerdì Santo. Inſtructio Clementina num.* 11. I. Inprimis igitur altare majus cum totis gradibus erit omnino nudum ad exprimendam, ait Rabanus *lib.* 3. *cap.* 37., omnimodam nuditatem Chriſti in cruce pendentis, & ſuper illud ponentur ſua candelabra obſcuri coloris, ferrea, aut lignea cum candelis ceræ communis, non albæ in mæroris argumentum; ſed cerei erunt extincti, ut apti ſint deſignare ſolis, & aſtrorum eccliplim, ac denſas tenebras, quæ in Chriſti morte univerſam contexerunt terram. In medio altaris erit de more crux, quam violaceo velo tectam volunt Bauldryus *par.* 4. *cap.* 10. *art.* 1., & Turrinus *par.* 6. *ſect.* 2. *c.* 2. & probabilius ipſe Meratus *par.* 4. *tit.* 9. *num.* 2. Verum nos deterendum non eſſe credimus Gavantum, qui *par.* 4. *tit.* 9. *lib.* 6. cruci velum nigrum aſſignat; hac enim die, qua Eccleſia recolit Chriſti mortem ut realiter geſtam, præ ceteris diebus, quibus ſoli memoriæ Dominicæ paſſionis incumbit, colorem nigrum adeo prælegit, ut eo nedum utatur ad Miſſam in paramentis celebrantis, & Miniſtrorum, ſed etiam contra conſuetum morem in proceſſione Sacramenti, in quo latet Chriſtus vivens, atque glorioſus; quanto itaque magis adhiberi debebit in contegenda cruce, quæ non ſolam memoriam mortis Chriſti, ſed mortem ipſam, ac realem crucifixionem hodie nobis objicit? Talis enim color, qui ex ſe præſefert mœſtitiam, obſcuritatem, & tenebras, apprime quadrat morti Chriſti, quem privavit lumine vitæ, ad tenebras ſepulcri detruſit, & nos, qui ejuſdem mortis cauſa fuimus, in ſumma triſtitia conſtituit, quæ cum non adeo exprimat color violaceus, hujus propterea rite uſus eſt diebus, qui memoriæ Dominicæ paſſionis ſunt conſecrati. Sane Eccleſia, quæ colori feſtorum, quæ paſſionis tempore occurrunt, velum crucis minime accommodat, dum nihilominus in feria V. cœnæ Domini illud mutat in album, ſatis nobis deſignat, prædictum velum accommodandum eſſe, ſi non colori feſtorum, certe communium myſteriorum, quæ tunc temporis de Chriſto celebrat; quare ſicuti propterea in prædicta feria V. velum cruci adhibet album, quidni nigrum erit in ſubſequenti feria VI. cujus myſterium in colore nigro de Chriſto recolitur?

II. Tabernaculum SS. Eucharistiæ erit pariter nudum, & quatenus ratione imaginum in eo exiſtentium, contegi debeat, id in mane fiat conopæo nigro, quod quippe inducit uniformitatem, exprimit mœſtitiam, & ſignum eſt mortis, neque ducit incongruitatem ullam ad SS. Euchariſtiam, qua tabernaculum ſupponitur patenter vacuum, & ejuſdem oſtiolum apertum, ne ibi, quod non eſt, populus Sacramentum adoret. In hoc caſu differens admodum ratio eſt de conopæo altaris in Defunctorum ſolemniis, in quibus *tom.* 1. *Decr.* 1. *part.* 2. *tit.* 18. *lit.* a.; in hoc enim caſu non ſupponitur oſtiolum tabernaculi apertum, qualiter in præſenti caſu eſſe debere diximus.

III. Credentia ſimiliter erit nuda, & paulo ante officium tegetur mappa linea alba a nulla parte pendente, vel tantillum ad ſummum per latere. Super ipſam collocabuntur burſa, quaſi jacens, cum purificatorio, habens intus corporale mundum: cuſſinus cum duobus Miſſalibus coopertis, ſi fieri poteſt, tegumentis nigris: pelvicula cum ampullis aquæ, & vini omnino vitreis, & manutergium: mappa oblonga plicata, ſuo tempore extendenda ſuper altare: ſtola latior pro Diacono: velum parvum nigrum pro tegendo calice, dum poſt officium portatur ad credentiam, vas vitreum ad purificandos, & purificatorium ad tergendos digitos, ſi forte celebrans tetigerit Sacramentum, dum illud deponit in patena: Lanx denique, ſeu pelvis ad recipiendas oblationes, quæ ut infra fiunt cruci.

IV. In presbyterio præparabuntur tres cuſſini coriacei, vel ex alia materia coloris violacei, non tamen ex iis, qui in altari pro Miſſali deſerviunt, ſuo tempore ut infra ponendi pro celebrante, & ſacris Miniſtris, dum ante altare procumbunt, magnus pulvinus ex ſerico villoſo violaceo, vel ex alia materia ſerica, velum album ſerico violaceo contextum, & denique tapes, ſeu pannus violaceus ut infra adhibendi tempore adorationis crucis. Verſus cornu Evangelii in remoto loco ponentur tria legilia nuda cum tribus miſſalibus pro decantanda paſſione, & in loco ſolito ex parte Epiſtolæ ſcamnum oblongum omnino nudum, in quo celebrans cum miniſtris ſedere valeat. Aderit denique in loco congruo crotalum, pulſandum elevationis tempore.

V. Prope ſacellum ſepulcri præſto erit baldachinum album, & velum humerale ſimiliter album; hoc enim perperam ſuper credentiam altaris majoris nonnulli collocant, cum ejuſdem uſus dumtaxat haberi debeat ad altare ſepulcri. Quod autem debeat eſſe album, Decreti verba dubitandi locum adimunt, ſed nec ratio deficit; quia licet Chriſtus hodie recolatur ut mortuus, in Euchariſtia tamen, quæ per proceſſionem defertur, vivus eſt, atque glorioſus; uti autem id deſignat velum humerale album, ita illud paramenta nihilominus nigra celebrantis, & miniſtrorum. In promptu itidem ibi erunt intorticia, & candelæ diſtribuendæ, & accendendæ pro proceſſione.

D E C R E T A.

Decretum III. cap. in ord. 261. *Conſuetudo immemorabilis, quod Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in feria VI. Paraſceves decantetur a Canonicis, debet ſervari, non obſtante Cæremoniali, in quo diſponitur, eam a cantoribus decantandam eſſe. S. R. C. 7. Julii* 1612. in Viterbien. I. Hodiernam functionem explanaturi, exordimur ab horis minoribus officii canonici, quæ dicuntur in choro ſubmiſſa voce, & ſine lumine, & interim celebrans, & ſacri Miniſtri (hi plicatas) induunt planetas nigras, & acolythi cottas. Finita nona, ad quam expiravit Chriſtus, ad cujus quaſi funus accedunt, conſueto ordine, ut ad Miſſam, pergunt ad altare, omnes junctis manibus; neque enim ſacri Miniſtri aliquid deferunt, neque thuriferarius thuribulum, nec ceroferarii candelabra. Ut ad altare venerunt, deponunt de more birreta, tum omnes, etiam ipſe celebrans, genuflectunt cruci unico genu, & deinde celebrans, & ſacri Miniſtri ſe proſternunt, ponentes genua in plana terra, & brachia ſuper cuſſinos circa finem nonæ per aliquem Miniſtrum ſuper infimum altaris gradum poſitos, & ibi proſtrati aliquantulum orant; quo tempore etiam clerus in choro, & populus per Eccleſiam genuflexus orat inclinato capite, quo pacto ſimiliter orant retro celebrantem acolythi, ſed hi citius ceteris ſurgunt, & unam tobaleam, quæ juxta Durandum *lib.* 6. *cap.* 77. ſyndonem monumenti ſignificat, extendunt ſuper altare, ita ut nihil, aut parum hinc, inde pendeat.

II. Quo facto ſurgit celebrans cum ſacris Miniſtris, & aſcendit ad altare, quod celebrans oſculatur in medio, genuflectentibus ſacris Miniſtris, qui una cum celebrante mox tranſeunt ad cornu Epiſtolæ, & ibi ita ſe conſtituunt, ut celebrans ſit in ſuppedaneo, diaconus in ſecundo gradu a dexteris celebrantis, & ſubdiaconus in tertio, vel in plano in recta linea a dexteris diaconi. Tum celebrans ſubmiſſa voce legit prophetiam *Hæc dicit Dominus*, qua finita, abſque eo quod a Miniſtris reſpondeatur *Deo gratias*, proſequitur ſequentem tractum. Interim lector, non ſubdiaconus, Miſſale arripit, & præmiſſa genuflexione cruci ante altaris medium, eamdem prophetiam cantet, nunquam tamen antequam inceperit celebrans, in tono prophetiarum, & in loco, ubi cantari ſolet Epiſtola, & illa completa redit ad altaris medium, ubi genuflexione cruci facta, pergit ad deponendum Miſſale, non oſculata manu celebrantis, nec ab eo benedictione recepta.

III. Finita per lectorem prophetia, in choro cantatur tra-

ctus, circa cujus finem Miniſtri ſacri unus poſt aliam ſe ſtatuunt retro celebrantem, qui perſiſtens in eodem loco, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicit *Oremus*, mox diaconus *Flectamus genua*, & hæc dicens primus omnium genuflectit, ſtatimque omnes cum eo pariter genuflectunt ſolo celebrante excepto. Subdiaconus omnium primus ſurgens, & alii cum eo, dicit *Levate* (& ſic ſemper fit in ſimili caſu) & poſtea celebrans cantat orationem manibus extenſis, diacono perſiſtente in eodem loco, ſubdiaconus vero cum ſolitis genuflexionibus vadit ad credentiam, ubi depoſita planeta, & accepto Miſſali pergit ritu ſolito ad cantandam lectionem alteram in tono, & cornu Epiſtolæ, quam cum tractu ſimiliter ſubmiſſa voce legit celebrans, aſſiſtente ſibi diacono a dexteris, qui in fine non reſpondet *Deo gratias*. Subdiaconus finita lectione genuflectit cruci ante altaris medium, & deinde ſine oſculo manus celebrantis, & abſque ejuſdem benedictione vadit ad credentiam, ubi reſumpta planeta redit ad celebrantem aſſiſtens ei a dexteris diaconi in cornu epiſtolæ.

IV. Poſtquam celebrans ſubmiſſa ut ſupra voce primam legerit prophetiam cum tractu ſequenti, ſi vult, poteſt Sacerdos cum ſacris Miniſtris ſedere in ſcamno oblongo, ad quod pergit per breviorem viam, & per eamdem accedit ad idem cornu Epiſtolæ tempore congruo pro dicendo ut ſupra *Oremus*. Idipſum facere poteſt completa ſecunda prophetia cum ſequenti tractu, & tunc ſubdiaconus, ut indutus eſt planetam, perget ad ſedendum cum celebrante, qui una cum ſacris Miniſtris circa finem tractus ſurget, & per breviorem viam ibit ad idem cornu Epiſtolæ pro legenda paſſione, ut dicemus infra. Dum in choro cantatur idem tractus, per acolythos diſponuntur tria legilia nuda in recta linea in plano, ubi cantari ſolet Evangelium, & ſi præcedenter non fuerint politi, ſuper ea ponuntur tres codices pro paſſione cantanda. Etſi autem conveniens ſit, quod verſus omnes tractus a choro decantentur, & Meratus ex integro cantandos eſſe edoceat *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 30., nos adhærere malumus eidem Merato, qui *par.* 4. *tit.* 9. *num.* 18. ex communi Urbis praxi ſenſit ſufficere, ſi decantentur aliqui maxime ſtante paucitate cantorum.

V. Myſteria ita Auctores explicant. Miſſa incipitur a lectionibus, ut antiquitus fieri ſolebat, nec opus eſt hac die invitari populus, qui jam ſupponitur attentus ad mortem Domini, quæ dum recolitur, non convenit adhiberi ſolemnitatem ullam, & hæc eſt cauſa, ob quam omittuntur oſcula, & benedictio, uti omittuntur etiam in Miſſis defunctorum. Lectio canitur ſine titulo, quia cum titulus ſit caput lectionis, nos ſumus ſine capite, cum Chriſtus ſupponatur occiſus. Duæ præmittuntur lectiones, quia Chriſtus mortuus eſt pro duobus populis, Hebræo ſcilicet, & Gentili, & morte ſua redemit duas partes hominis, corpus nempe & animam. Prima eſt Oſee, in qua agitur de redemptione, ſepultura, & reſurrectione Chriſti; ſecunda vero deſumpta eſt ex libro Exodi, & in ea ſermo eſt de feſto Paſchatis, in quod mors Chriſti incidit, & ut inde nos præparemur ad digne noſtrum celebrandum. In primo tractu miratur Eccleſia de Dei bonitate, & modo, quo dignatus eſt noſtram operari ſalutem, ſecundus deſignat Chriſti conflictum contra Dæmonem, & ſynagogam, qui cum fuerit longus, & aſper, idcirco ille pluribus conſtat verſibus. Oratio reſpicit ad proditionem, & pœnam Judæ, ac ad confeſſionem, & præmium boni latronis, quæ omnia hac die evenere.

VI. *Finito tractu*, ait Rubrica, *dicitur Paſſio*, ideſt cantatur, non quidem a celebrante una cum Miniſtris ſacris, ut nonnullæ in uſu habent Eccleſiæ, utique expreſſe contra Rubricam, quæ ſtatim addit: *Quam celebrans ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ*. At quid, ſi cantores deſint? Gavantus *par.* 4. *tit.* 9. *lit. g.* muneris facit diaconi totam cantare Paſſionem, ſed Meratus *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 30. Gavantum rite deſerit, quia nimis improbus labor foret, ſi diaconus variis modulationibus nunc Chriſti, nunc Evangeliſtæ, nunc turbarum perſonam deberet induere, & ad riſum potius, quam ad pietatem moveretur populus, quare magis approbat, quod in cantorum defectu celebrans induat perſonam Chriſti, diaconus evangeliſtæ, & ſubdiaconus turbarum.

VII. Itaque circa finem tractus e ſacriſtia exibunt tres diaconi, induti amictu, alba, manipulo, & ſtola diaconali coloris nigri, & hoc ordine ad altare procedent. Antecedit cœremoniarius, tum ille ſolus, qui agit Evangeliſtam, deinde qui turbas, & ultimus, qui refert perſonam Chriſti, ſequentibus tribus clericis, indutis ſuperpelliceo ſine candelabris, & ſine incenſo. Ita expreſſe diſponit Cæremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 20., ubi ſimiliter vult, quod Evangeliſta ambabus manibus portet Miſſale ante pectus, & quod unum dumtaxat Miſſale in hac functione adhibeatur, ita ut illud inter ſe ſe mutuent prædicti diaconi miniſterio clericorum, quando opus eſt, & ad nutum cæremoniarii. At quoniam modus ille eſt valde incommodus, idcirco ſatius Auctores reputant, quod vel quiſquis ut ſupra ſuum librum deferat, vel adhuc melius, quod tria Miſſalia per acolythos præparentur ſuper legilia, uti nos ſuperius diximus. Quod ſi ſervetur uſus trium Miſſalium ſuper legilia, recte notat Braulion, quod non amplius neceſſarius erit interventus trium prædictorum clericorum, qui ſolum expoſcuntur pro ſuſtinendis libris ante diaconos, & mutuandis, quando opus eſt, ad nutum cœremoniarii.

VIII. Si quiſquis ex diaconis ſuum librum defert, illum ut ſupra ambabus manibus portat ante pectus, incedens nudo capite, & hoc pacto illum Evangeliſta deferet, ſi ipſe ſolus librum portet, reliqui vero incedent nudo capite junctis manibus, qua ratione & incedet Evangeliſta, ſi librum non portet, ſed ſuper legilia jam habeantur Miſſalia præparata. Cum pervenerint ad altare, genuflectunt aliquantulum pauſantes ſuper infimum altaris gradum, ita ut qui perſonam Chriſti agit, ſit in medio, qui Evangeliſtæ, a dexteris, & qui turbarum, a ſiniſtris, & ſimiliter in plano faciunt tres prædicti clerici, ſi interſint. Tum ſurgunt, benedictionem non petunt, ſed facta cruci genuflexione accedunt ad legilia, & ibi ſtant in recta linea facie verſa ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur.

IX. Gavantus *par.* 4. *tit.* 9. *lit. g.*, Bauldryus, Braulion, & A Portu ita eoſdem collocant, ut qui Evangeliſtam agit, medium locum teneat, qui Chriſtum, dexteram, & qui turbas, ſiniſtram Evangeliſtæ. Caſtaldus, Biſſus, Gerlacus Vinitor, Chriſtianus, Lohner, & alii, illum, qui perſonam Chriſti gerit, in medio collocant, qui Evangeliſtæ, a dexteris, & qui turbarum, a ſiniſtris; & opponentibus alium eſſe uſum Cappellæ Pontificiæ, reſpondet Biſſus, ideo ibi medium locum teneri ab Evangeliſta, quia omnes tres unico utuntur libro, & cum Evangeliſta plura cantet, quam alii, commodius medium occupat locum ut facilius commodare poſſit librum modo huic, modo alteri cantori. Meratus *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 30. inſurgit contra Biſſum, & erroris eumdem inſimulat, quatenus Capellam Pontificiam uno tantum libro uti aſſerit, & inſuper opponit praxim Baſilicæ Lateranenſis, quæ ut ſupra cantores collocat, etſi utantur ſinguli ſuo codice. At cum Gavantus *loc. cit.* in Cappella Pontificia teſtetur uſum unius dumtaxat libri, & idipſum facile credi poſſit de Baſilica Lateranenſi, utpote quod conforme eſt cœremoniali Epiſc., ideo in hac rerum varietate, ubi trium Miſſalium uſus eſt, adoptandus magis videtur ſecundus agendi modus, qui cantores rite diſtribuit ſecundum dignitatem eorum, quorum repræſentant perſonas. Tres autem clerici, quoties ut ſupra aſſiſtant, ſtabunt facie verſa ad diaconos, & qui medius eſt, teneat ipſum librum, quem inter ſe ſe mutuabunt ad cœremoniarii nutum; at ſi tria adhibeantur Miſſalia, quiſquis ſuum teneat, neque unquam illud alteri commodet, & quatenus ſuper legilia eſſent polita, apponet eorum quilibet manus ad reſpectivum lectorile, quaſi librum tenens.

X. Quod denique ad prædictos ſpectat Diaconos, nos Decretum edocet, quod ubi eſt conſuetudo immemorabilis, ut Paſſio decantetur a canonicis, ſervari debet, quamvis cœremoniale Epiſcoporum capellanis, vel cantoribus id committat muneris. Cum namque conſuetudo ejuſmodi vigeret in Cathedrali Viterbienſi, petitum fuit declarari, an ſervanda foret Epiſcopo, vel eo impedito prima dignitate Miſſam celebrante, & S. R. C. reſpondit: *Cœremonialem librum non obſtare, nec tollere immemorabiles, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum; & licet in eo dicatur quod Paſſio in Dominica Palmarum, & feria ſexta in Paraſceve decantetur a cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a canonicis decantari poſſit, & debeat, maxime ubi viget conſuetudo, quod a canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbienſi, quam conſuetudinem omnino ſervandam eſſe cenſuit, & declaravit*. Ponderatione autem indigent ea Decreti verba: *Maxime ubi viget conſuetudo*; aperte enim deſignant, quod ubi conſuetudo non eſt, non tenentur quidem canonici ad cantandam Paſſionem, ſed quod nihilominus illam cantare poſſunt non obſtante diſpoſitione cœremonialis, quæ per hoc, quod a cantoribus cantandam aſſerat, non propterea canonicorum excluſiva eſt, & aliarum digniorum perſonarum. Idem judicium facito in ſimilibus.

D E C R E T A.

Decretum IV. cap. in ord. 262. *Ubi non viget immemorabilis conſuetudo, ut Evangelium Dominicæ Paſſionis decantetur a canonicis Collegiatarum in Dominica Palmarum, & feria VI. Paraſceves, ab Epiſcopo cogi non poſſunt ad illud decantandum, non obſtante, quod ex immemoriali conſuetudine decantetur a canonicis Eccleſiæ Cathedralis. Congr. Concil.* 2. *Julii* 1718. I. Epiſcopus Lucanus in actu viſitationis Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Martini Terræ Petræ Sanctæ, Decretum fecit, quod in ea caneretur a canonicis Evangelium Dominicæ Paſſionis in Dominica Palmarum, & feria VI. Paraſceves, cum enim id præſtaretur a Cathedrali Eccleſia, putavit præſtandum etiam eſſe ab Eccleſiis inferioribus, quæ, decens eſt, ſe illi conforment in ſacris ritibus. In oppoſitum tamen rite cenſuit Congregatio, quæ propterea prædictum Decretum exequendum non eſſe credidit; cum enim cœremoniale Epiſcoporum, quæ eſt agendorum regula, non canonicos, ſed capellanos obliget, non ultra oneris iiſdem imponere poterat Epiſcopus, quos nec afficiebat conſuetudo ulla, ſed magis favebat contraria, ad effectum non ſuffragante conſuetudine Cathedralis, cujus obligatio ad ceteras pertranſire non poteſt Eccleſias. Opportune autem Decretum Paſſionem *Evangelium* nuncupat, ut hinc pateat illarum Eccleſiarum abſurdum plurimum, quæ ad decantandam turbarum partem admittunt clericos ſacro diaconatus Ordine minime inſignitos; etſi enim turbæ ſynagogam repræſentent, adhuc textus Evangelii eſt, qui conſequenter nonniſi a diaconis publice legi poteſt, & in ſtola diaconali, cujus delatio eſt inhibita inferioribus clericis.

II. *Pulpiti* autem nomine, ſuper quod hodierna Rubrica Paſſionem legi mandat, Evangelii locum venire poſſe, ex S. Cypriano *Epiſt.* 33. notat Gavantus *loc. cit.*, & communis

expli-

explicat Eccleſiarum praxis; cœremoniale autem Epiſc. locorum conſuetudinem ſervari poſſe probat, legendi nempe illam vel in cornu Evangelii, vel ſuper pulpitum, quorum utrumque tuto ſervari poterit, ſed quatenus legatur in pulpitu, ſeu ambone, ſcite Caſtaldus monet, quod tunc prædicti clerici aſſiſtent retro diaconos cantantes Paſſionem. Uti autem ſuperius diximus, quod legilia debent eſſe nuda in ſigno nuditatis Chriſti, ita idipſum pronuntiamus de pulpito, & id extendi laudamus ad quoſcumque dies alios, in quibus etſi Chriſtus nudus in cruce minime pependerit, dum tamen ejuſdem Paſſio legitur, eadem ſit præſentatio.

III. Uno tantum die olim legebatur Paſſio, & ſecundum Matthæum, qui mos adhuc reliquus eſt in Eccleſia Mediolanenſi, quæ ſolum in feria VI. Paraſceves eamdem legunt, licet ſecundum Joannem. At cum quilibet ex quatuor Evangeliſtis Paſſionem Chriſti deſcripſerit, ex inſtitutione Alexandri Papæ in Romana Eccleſia ſecundum eorum quemlibet modo legitur eo ordine, quo ipſi ſcripſerunt temporis attenta ſerie, unde in Dominica Palmarum legitur ſecundum Matthæum, qui primus ſcripſit, in feria tertia ſecundum Marcum, qui ſecundus, in feria quarta ſecundum Lucam, qui tertius, & in feria ſexta ſecundum Joannem, qui ultimus, ſed hæc præ illis currenti feriæ quadrat, quia ipſe teſtis ocularis Paſſioni Chriſti adfuit, quæ hodie geſta eſt. Notæ autem illæ ✠ C S eodem Gavanto teſte *par. 4. tit. 7. n.* 19. non multa gaudent antiquitatis laude, & incertum habent Auctorem; deſignant autem *Chriſtum*, *Choriſtam*, *& Synagogam*, vel ut aliis placet, *Chriſtum*, *Cantorem*, *& Succenſorem*.

D E C R E T A.

Decretum V. cap. in ord. 263. *Paſſio in Miſſis privatis legi debet a celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 4. Aug.* 1663. in una Dalmatiarum. I. Finito per chorum tractu, & prædictis tribus diaconis ut ſupra conſtitutis, mox eorum ille, qui Evangeliſtam agit, abſolute Paſſionem incipit; non enim præmittit ℣. *Dominus vobiſcum*, non petit benedictionem non incenſat librum, nec hunc ſignat, nec ſeipſum, neque per ceroferarios deferuntur luminaria. Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ, paulatim converſus ad cantores Paſſionis, ſubmiſſa voce eandem legit, Miniſtris ſacris ſtantibus apud eum, ut ad introitum Miſſæ. Dubium non eſt, quod ibi Paſſionem uſque ad ſecundam partem, quæ Evangelii locum tenet, celebrans debet legere, non ſic autem eſt de ſecunda, circa quam Doctores in diverſa ſinduntur placita, quæ, ut evitetur confuſio, diſtinctim referemus una cum iis, quæ reſpective favere, & obeſſe queunt, ſic ſternentes viam ad ſententiam noſtram, quam ultimo ponemus loco.

II. Primi ſentiunt, ſecundam etiam partem continuandam eſſe in cornu Epiſtolæ, & favorabile videntur habere cœremoniale Epiſc., quod *lib. 2. cap.* 25. habet: *In cornu Epiſtolæ leget ſecrete ex libro ſuper altare poſito Paſſionem uſque ad finem*. Secundi prima parte lecta in cornu Epiſtolæ, celebrantem cum Miniſtris tranſire faciunt ad cornu Evangelii, & ibi legere partem alteram; ſed id in aſtantibus poteſt eſſe occaſio diſtractionis plurimæ, & minus præſenti Decreto videtur conſonum, quod in cornu Epiſtolæ Paſſionem a celebrante legi jubet, cœremoniale vero addit *uſque ad finem*, adeoque etiam quoad ſecundam partem, quæ ad Paſſionem quoque ſpectat. Tertii totam primam partem in cornu Epiſtolæ a celebrante legi mandant, ſed ſecundam eidem reſervant legendam, poſtquam pauſavit aliquantulum genuflexus ad verba *tradidit ſpiritum* per cantores decantata. Ajunt enim, quod tunc celebrans cum Miniſtris redit ad cornu Epiſtolæ, ubi inclinatus dicit *munda cor meum*, & poſtea legit ſecundam partem, dum cantores proſequuntur reliquum Paſſionis uſque ad eamdem ſecundam partem. Quæ ſententia etſi forte non peccet in Decretum, quatenus totam Paſſionem in cornu Epiſtolæ facit legere, certe tamen peccat in cœremoniale Epiſc., quod poſt genuflexionem in prædicta verba *tradidit ſpiritum*, ſtatim ſubdit: *Omnes ſurgunt, ſtantes, & audientes reliquum Paſſionis, uſqurquo legendum ſit in cornu Evangelii*; ſi autem ſtare omnes debent, audientes reliquum Paſſionis, quomodo celebrans unquam occupatus eſſe poteſt in legenda ſecunda Paſſionis parte? Accedit, quod per ea verba *uſque ad finem*, quæ pronuntiat de Sacerdote legente Paſſionem in cornu Epiſtolæ, videtur indicere, quod ibi tota Paſſio a celebrante continenter legi debeat, & non diſcrete; qualis lectio a producta ſententia laudatur. Quarti denique volunt, quod poſt cantatam a cantoribus totam primam partem, celebrans in medio altaris dicat *munda cor meum*, ſubdiacono transferente interim librum ad cornu Evangelii, ubi accedens Sacerdos, reliquam legit Paſſionis partem, dum diaconus Miſſæ pro illa cantanda deponit planetam plicatam, accipit latiorem ſtolam, defert librum ad altare, & dicit *munda cor meum*, & dum etiam tria legilia, quæ inſervierunt pro cantoribus, amoventur.

III. Ex his agendi rationibus hanc ultimam, dum eam præ ceteris ad longum refert, & explicat, videtur approbare Meratus *par. 4. tit. 7. n.* 31., utique tamen perperam, quia manifeſte eſt contra cœremoniale Epiſc., quod per laudata verba *uſque ad finem* adeo totam Paſſionem, & quidem quoad ſecundam etiam partem, in cornu Epiſtolæ a celebrante continenter legi jubet, & hac lecta audiri Paſſionis reliquum, uſquequo legendum ſit in cornu Evangelii, ut Epiſcopum, qui alias tranſire debere ad cornu Evangelii, lecturus partem alteram, ſedere faciat, dum cantores recedunt, & diaconus deponit planetam, & alia ut ſupra præſtat pro legenda altera Paſſionis parte in tono Evangelii. Hæc autem quidem diſponit cœremoniale Epiſcopo celebrante, ſed cum ſequenti capite 26. eadem omnino facienda ſtatuat *Epiſcopo non celebrante, ſed præſente, aut etiam abſente, & in Collegiatis Eccleſiis*, dubio procul in communem uſum manent diſpoſita.

IV. Ut tamen verum fatear, Meratus *par. 4. tit. 9. n.* 18. apertius tertiam ex productis ſententiis approbat, ita ut celebrans poſt genuflexionem ad verba *tradidit ſpiritum*, redire debeat ad cornu Epiſtolæ, ibi dicere *munda cor meum*, & legere Paſſionis partem alteram, dum cantores proſequuntur Paſſionis reliquum uſque ad ſecundam partem. Vult ibi pariter, quod Sacerdoti legenti ſecundam partem, aſſiſtant Miniſtri ad dexteram, ſicuti ad primam partem ejuſdem Paſſionis, adeoque diaconus, ſed vix hæc ſtatuit (quis crederet) in ſeq. num. 18. eumdem diaconum facit pergere ad credentiam, deponere planetam, accipere ſtolam latiorem, portare Miſſale ad altare, & genuflexum dicere *munda cor meum*, ut præſto ſit ad cantandam ſecundam Paſſionis partem, ſtatim ac cantores terminaverint primam. Quam iſta cœremoniali Epiſc. diſſonent, opus non eſt, conemur oſtendere, ſed quæ ex eodem produximus, tantum lector recolat.

V. Nos itaque a prima ſententia diſcedendum non eſſe credimus, quæ Miſſali, Decreto, & cœremoniali videtur undequaque conſona. Celebrans itaque in cornu Epiſtolæ conſtitutus, aſſiſtentibus ut ſupra ſacris Miniſtris, paululum converſus ad cantores, ſubmiſſa voce leget totam Paſſionem uſque ad finem, & quidem etiam ſecundam partem, cui in eodem cornu perſiſtens, præmittit *munda cor meum*, non vero *Jube, Domine*, in hac feria ſexta, in qua ex particulari Rubrica *non petitur benedictio* (dicit vero etiam *Jube, Domine* in aliis diebus in quibus legitur Paſſio) in hac namque circumſtantia temporis, ne adſtantibus fiat occaſio diſtractionis ullæ, non putamus Sacerdotem debere ad medium altaris progredi pro dicendo *munda cor meum*, licet tales non ſimus, qui velimus plurimum inſiſtere, ſi quis obedientiam contenderet præſtandam eſſe, etiam in hoc caſu, Rubricæ VI. Miſſalis, cui nulla particularis Rubrica derogat, nec ulla exceptio reperitur facta, maxime quia inde plura non fieret populo diſtractionis cauſa. Neque vero hodie, neque diebus aliis, quibus dicitur Paſſio, celebrans ut ſupra legens prædictam ſecundam partem, præmittit *Dominus vobiſcum*, neque ſignat ſeipſum, aut librum.

VI. Num celebrans in hac privata lectione genuflectere debeat ad verba *tradidit ſpiritum*, negant Gavantus *par. 4. tit. 9. lit. h.*, Biſſus *lit. m. num.* 150. §. 3., Bauldryus, Vinitor, & Arnaudus, & in rationem producunt, quia celebrans non legit Paſſionem in cornu Evangelii. Affirmant Caſtaldus *lib. 3. ſect. 5. num. 6.*, & Nicolaus Braulion, qui genuflexiones, quæ præſcribuntur in Miſſa, a celebrante fieri debere contendunt, & dum ipſe privatim legit, & dum fiunt in choro, aut a cantoribus & ad rationem adverſariorum reponunt, nil intereſſe, quod legatur in cornu Epiſtolæ, quia nihil vetat, & in hoc cornu genuflexiones fieri. Alias quippe nec ad nomen *Jeſu* deberet ſe inclinare, nec genuflectere ad *Incarnatus eſt*, quod pugnat communi praxi, & rectæ rationi. Si autem dicatur in præſenti caſu abſtinendum eſſe, ne aliquis de choro, aut populo ſimiliter genuflectat, reſpondet Braulion, quod vigilis cœremoniarii erit muneris id incommodi cavere, & tollere.

VII. Verum nos a Gavanti magis ſtamus parte, hac tamen ratione ducti, quia ut celebrans obſequeretur Rubricæ, nedum deberet genuflectere cum ſacris Miniſtris, ſed etiam genuflexus paululum pauſare, quod vix in praxim deduci poteſt, abſque eo quod diſtractio, & commotio talis fiat in populo, quæ nec a vigili cœremoniario impediri valeat. Ea itaque, quæ ſine ſtrepitu, ac ſolemnitate, & commotione populi fieri poſſunt, Sacerdos præſtare debet, ut ſe inclinare ad nomen Jeſu, genuflectere ad *Incarnatus &c.*, ſecus vero ea, quæ ſine diſtractione, & commotione populi evenire nequeunt, cujuſmodi eſt præfata genuflexio, & pauſatio, & præſertim in hac circumſtantia, in qua populus attentus eſt ad hiſtoriam mortis Chriſti. Ceterum etſi tunc non genuflectar, adhuc Rubricæ obedientiam præſtat, quatenus genuflectit, & pauſat, quando dicta verba cantantur ab Evangeliſta, unde & Rubrica ipſa Miſſalis reſervat Sacerdotis oſculum ſuper Evangelium poſt decantationem ejuſdem Evangelii per diaconum ſolemniter habitam. Sacerdos autem, dum ipſe legit Paſſionem, ſe inclinet verſus crucem, dum ipſe nominat nomen Jeſu, non autem, dum illud cantores nominant, niſi poſtquam ipſe Paſſione lecta, attentus manet ad lectionem ejuſdem per cantores habitam.

VIII. Poſtquam autem ut ſupra totam paſſionem privatim legerit, celebrans cum ſacris miniſtris vertit ſe ad cantores, & ſtat, ut ſolet ad Miſſam, dum cantatur Evangelium, & ſimiliter ſtat diaconus ad ejus ſiniſtram, & ſubdiaconus ad ſiniſtram diaconi. Cum ventum fuerit ad verba *Tradidit ſpiritum*, genuflectunt omnes utroque genu, cantores verſus librum, reliqui in ſuo loco verſus crucem altaris, celebrans vero, & miniſtri ſacri accedunt ad altaris medium, & deſcendentes ad ſecundum gradum, genuflectunt in ſuppedaneo, non genuflectet tamen Evangeliſta, niſi a ſe prolatis omnibus dictis verbis. Sic genuflexi pauſant omnes aliquantulum, ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter*, nec celebrans

manu

manu dat ſurgendi ſignum, ſed pro ſigno deſervit ipſum ſurgere Evangeliſtæ, quo ſurgente ſurgunt omnes, & celebrans cum miniſtri; ſacris redeunt ad locum ſuum, ibi ſtantes ut prius, dum cantores proſequuntur reliquum paſſionis uſque ad eam partem, quæ ſtat loco Evangelii. Quo facto cantores factis debitis genuflexionibus, & reverentiis, eodem ordine, quo venerunt, ad ſacriſtiam redeunt, & per acolythos removentur ſegilia.

IX. Quæ hucuſque dedimus, communia item ſunt diebus aliis, in quibus legitur paſſio, niſi quod Sacerdos privatim ut ſupra lecturus ſecundam paſſionis partem, poſt *munda cor meum* benedictionem petit, dicens: *Jube, Domine*. Dominica Palmarum id etiam particulare habet, quod exceptis cantoribus, & acolythis, omnes, dum paſſio canitur, tenent in manu palmas, in dextera ii de choro, aliique, celebrans vero & miniſtri ſacri in ſiniſtra, ut omnes tres uniſormes ſint in tenenda palma, quia diaconus quoad dexteram occupatus eſt in vertendis foliis Sacerdoti interim privatim paſſionem legenti; hinc rite infert Braulion, quod dum celebrans paſſione lecta, ut ſupra ad cantores converſus manet, tum ipſe, tum ſacri miniſtri palmas tenere debent in manu dextera. Tres item dies alii, in quibus legitur paſſio, id habent commune, quod diaconus Miſſæ cantaturus ſecundam paſſionis partem, nedum dicit *munda cor meum*, ſed etiam benedictionem petit de more, ut in aliis Miſſis, celebrans imponit incenſum in thuribulum, & diaconus incenſat librum, non tamen eumdem ſignat, neque ſeipſum, non præmittit *Dominus vobiſcum* nec deferuntur luminaria, ceroferarii tamen hinc inde aſſiſtunt, dum legitur Evangelium, quo finito ſubdiaconus defert librum oſculandum celebranti, qui ſtatim de more incenſatur a diacono.

X. In feria autem ſexta Paraſceves abſoluta per cantores prima paſſionis parte, diaconus cum debitis reverentiis vadit ad credentiam, deponit planetam, accipit ſtolam latiorem, & ſumpto Miſſali genuflexus, in loco ſolito ante altare, dicit *munda cor meum*, in cujus fine benedictione minime petita, nec impoſito incenſo in thuribulo, de more vadit ad cornu Evangelii, ubi ſubdiacono tenente librum, & ceroferarii hinc inde aſſiſtentibus, ſed ſine candelabris, cantat in tono Evangelii reliquam paſſionis partem, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, & omiſſis itidem tum incenſatione libri, tum ſigno ipſius libri, & ſui ipſius. Ad quam paſſionis partem celebrans ſtet manibus junctis ante pectus in cornu Epiſtolæ converſa facie ad diaconum, quod ſimiliter præſtat acolythus prope credentiam. Abſoluta prædicta paſſionis parte, ſubdiaconus illico claudit librum, illumque tradit Cæremoniario, vel acolytho abſque eo quod eumdem portet oſculandum celebranti, qui nec incenſatur a diacono.

XI. Ne interponatur mora aliqua inter divina officia, ſunt, qui poſt genuflexionem factam ad *tradidit ſpiritum*, diaconum faciunt recta pergere ad credentiam ad deponendam planetam, & præſtanda omnia alia, quorum ſuperius meminimus, ut præſto ſit ad cantandum Evangelium, ſtatim ac per cantores abſoluta fuit prima paſſionis pars; ſed quoniam ex ſuperius dictis modus iſte aperte pugnat cum cæremoniali Epiſcoporum, & decet maxime, quod omnes attenti maneant ad hiſtoriam paſſionis, idcirco ad praxim minime deducetur, quia ut notat Braulion, nulla fit interruptio officii, quamvis nihil cantetur, dummodo celebrans aut miniſtri ad altare ſua munia exequantur. Dum diaconus ſupradicta præſtat, Cæremoniale Epiſcoporum Epiſcopum ſedere facit, ſed cum brevis admodum ſit morula, non præſtat, quod alter celebrans pergat ad ſedendum, ſed magis ſtabit in altaris medio verſa facie ad crucem cum ſubdiacono a ſiniſtris ejus ſimiliter converſo.

XII. Hactenus de Miſſa ſolemni, in qua cantatur paſſio, & de ritu legendi eamdem paſſionem a Sacerdote privatim, dum per cantores eadem cantatur paſſio, nunc de Miſſis privatis, in quibus legitur paſſio; etſi enim hæ locum non habeant in feria VI., in qua omnes privatæ ſunt omnino vetitæ, ſpatium tamen reperiunt in Dominica Palmarum, & ſubſequentibus feria tertia, & quarta, in his ergo diebus paſſio a celebrante legi debet in cornu Evangelii, etſi in Miſſa ſolemni in cornu Epiſtolæ ab eodem legenda ſit. Equidem Rubrica poſita in Dominica palmarum, non exprimit, quo loco legenda illa ſit, nec in Miſſis privatis, nec in ſolemni, ſed cum paſſio deſumpta ſit ex Evangelio, videre non eſt, cur in cornu Evangelii legi non debeat.

XIII. Dices: ſi res ita ſe habet, quare in Miſſa ſolemni legitur ab eodem in cornu Epiſtolæ? Facilis eſt reſponſio; dictam enim ob cauſam etiam in Miſſa ſolemni a cantoribus, & diacono canitur in cornu Evangelii, a ſolo celebrante autem in cornu Epiſtolæ, ut ea lecta vertere ſe ſoleat, ut moris eſt in aliis Miſſis, ad cantores ipſos, abſque eo quod cum adſtantium diſtractione a cornu Evangelii cogatur tranſire, dum canitur paſſio, ad cornu Epiſtolæ, in quo, moris eſt, Sacerdotem ſe convertere ad diaconum cantantem Evangelium & hæc eſt cauſa, ob quam ex Cæremoniali Epiſc. præſcripto *l. 2. c. 25.*, dum Sacerdos ipſe intra Miſſam ſolemnem in cornu Epiſtolæ ſecrete paſſionem legit, aliquantulum converſus eſſe debet ad ipſos cantores, ut quoad fieri poteſt, ſervetur Rubrica, quæ Sacerdotem exigit in cornu Epiſtolæ converſum ad diaconum, dum in Miſſa ſolemni cantat Evangelium. Ob longitudinem namque paſſionis non adjudicavit Eccleſia, prius legendam eſſe illam a celebrante in cornu Evangelii, uti fit de Evangelio in aliis Miſſis, antequam paſſio per cantores concineretur. Eapropter Rubrica, quæ inſerta cernitur in Miſſa feriæ VI. *Quam*, ſcilicet paſſionem, *celebrans ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ*, rite traducta fuit etiam ad dies alios, in quibus legitur paſſio; in ea autem ſermo tantummodo eſt de Miſſa ſolemni, quæ ſolum agitur in prædicta feria VI., & ſolum Celebrantem nominat, quia adhuc in eadem feria a cantoribus decantari debet in cornu Evangelii, & ideo etiam in prædictis diebus a cantoribus decantabitur in cornu Evangelii, in quo etiam Sacerdos illam leget in Miſſis privatis, & ſolus celebrans illam ſubmiſſe leget in cornu Epiſtolæ intra Miſſam ſolemnem.

DECRETA.

Decretum VI. cap. in ord. 264. *In adoratione crucis feria VI. in Paraſceve debent celebrans, & Miniſtri deponere etiam manipulos. S. R. C. 15. Septemb. 1736.* in Toletana I. Terminato ut ſupra Evangelio, ſeu ea paſſionis parte, quæ ſtat loco Evangelii, mox diaconus, & ſubdiaconus pares manibus junctis procedunt ad medium altaris, & ibi facta genuflexione ſe conſtituunt retro celebrantem, qui perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, ſe ad altare converſus, manibus junctis abſolute incipit primam monitionem *Oremus dilectiſſimi*, eaque finita extendens, & jungens manus, & caput cruci inclinans, dicit *Oremus*, diaconus *Flectamus genua*, & ſubdiaconus *Levate* omnibus genuflectentibus, & ſurgentibus eo ritu, quem ſuperius deſcripſimus. Tum celebrans cantat primam orationem, extenſis manibus, & in tono orationis ferialis. Eodem ritu, & tono cantantur deinde reliquæ monitiones, & orationes, abſque eo quod addi, vel mutari queat monitio aliqua, aut oratio, nominando v. g. Regem, vel Dominum loci niſi habeatur ſpeciale indultum, aut conſuetudo prævia ad Bullam Pii V., poſt quam nihil addi, miſceri, aut mutari in iis, quæ ſpectant ad divina officia, late evincunt tradita in to. 1. cap. 41.

II. Si Sedes Apoſtolica vacet, omittitur monitio, & oratio pro Papa, ad cujus nomen, quando illam dicit, celebrans inclinat caput verſus librum inclinatione omnium minima, quod etiam præſtant omnes alii. In monitione pro Imperatore ſi non eſt coronatus, juxta Rubricam additur *Electo*, & quidem præcedenter ad *Imperatore*, ita ut dicatur. *Oremus & pro Chriſtianiſſimo electo Imperatore*, appoſito ejuſdem nomine ubi habetur litera *N.* At quid, ſi Imperator fuerit defunctus? Mutatur monitio, & in ea dicitur *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus &c.*, & ſic adhuc convenit cum ſequenti oratione, ut ejuſdem textum conſideranti patebit. Ajes, cur ſimiliter non præſtatur, quando vacat Sedes Apoſtolica? Quia Eccleſia, cujus monitio, & oratio ſubrogari deberent, peculiari ſua monitione, & oratione non caruit. Quomodo autem ſtet inhibitio Bullæ Pianæ, etſi Imperatore mortuo fiat prædicta mutatio, infra, ubi de cereo paſchali, reſervamus dicere.

III. Monitio pro Judæis in fine non habet *Amen*, unde Rubrica in ejuſdem fine: *& non reſpondetur* Amen, *ſed ſtatim dicitur*. Auctores inſudant admodum in inquiſitione myſterii, utique tamen perperam, quia id commune eſt etiam præcedentibus monitionibus omnibus ex illa generali regula, quod orationes non ſunt, ſed monitiones ad orandum, ut rite advertit Gavantus *par. 4. tit. 9. num.* 10. Nihilominus autem prædictæ monitioni præ ceteris additur memorata rubrica, quia cum illa deſinat in *Chriſtum Dominum noſtrum*, poſt quæ in orationibus reſponderi ſolet *Amen*, idipſum facile reſponderet aliquis ex clero. Equidem monitio ſubſequens pro Paganis quoque deſinit in *Dominum noſtrum*, ſed non propterea eidem addita eſt rubrica ulla quia per præcedentem pro Judæis clerus ſupponitur ſufficienter inſtructus.

IV. Cur poſt monitionem de Judæis non dicatur *Oremus*, nec *Flectamus genua*, uti fit in ceteris illis, hanc *loc. cit.* Gavantus adducit cauſam, quia nempe Hebræi genibus flexis illuſerunt Chriſto, unde in deteſtationem tanti criminis haud putavit Eccleſia genibus flexis pro iiſdem orandum eſſe. Ita quidem bene pro omiſſione *Flectamus genua*; at quod addit pro omiſſione *Oremus*, nempe *omitti, quia oratur pro iis utcumque non ſalvandis, niſi in fine mundi*, non multum arridet nobis, qui infinitam Dei Miſericordiam, etiam erga obduratos, & pervicaces, intra ullos horremus coercere limites; quare magis diceremus, omitti *Oremus*, quia ex more orandi, quem hac die ſervat Eccleſia, ſecum traheret *Flectamus genua*, quod productam ob cauſam debet omitti.

V. Dum dicuntur ultimæ ex præfatis orationibus, acolythi extendunt tapete magnum, ſeu pannum violaceum in plano presbyterii (ſi presbiterium fuerit nimis anguſtum, id fiat ante presbyterium in medium ſpatii) ante gradus altaris in medio, & ſuper infimum altaris gradum ponunt cuſſinum, & & ſuper cuſſinum velum pretioſum violaceo ſerico intextum, & in delectu mappam ſericam. Celebrans completis orationibus deſcendit extra cornu Epiſtolæ ad partem poſteriorem altaris, ubi deponit planetam, quam pariter deponit ſubdiaconus, & per acolythos aſportantur ad credentiam, perſiſtente diacono in ſua latiori ſtola. An celebrans cum Miniſtris deponere etiam debeat manipulos, negant communiter Auctores, quod de ſolius caſulæ depoſitione loquatur rubrica. Meratus tamen *part. 4. tit. 9. num.* 22. ab omnibus etiam manipulos deponendos eſſe cenſet, & præſens Decretum, nulla-

tenus

tenus de eo dubitans, in confirmationem allegat, licet poſtea ſui minus conſcius, de ejuſdem legitimitate quaſi dubitans, in Indice Decr. Miſſalis num. 693. hæc verba habeat: *In extendendo hoc decreto irrepſit forſan aliquis error ſcriptoris, ut aliquando evenit, quia ex rubrica Miſſalis potius deducitur non eſſe deponendum manipulum in dicta circumſtantia, unde opus eſt, ut hoc diligenter examinetur.*

VI. Rem itaque, quam ipſe, priuſquam ſuper depoſitione manipulorum abſolute pronuntiaret, diligentius examinare debuiſſet, nos arripientes, non videmus, unde rubrica poſſit cenſeri contraria. Ipſa quidem depoſitionis caſulæ dumtaxat meminit, ſed non propterea excludit depoſitionem manipulorum, alias quippe, quia eadem rubrica meminit ſolius depoſitionis caſulæ Sacerdotis, non deberet ſubdiaconus planetam deponere, qua tamen eumdem exuunt Meratus ipſe, & quique Auctores. Uſus capellæ Pontificiæ (ſi fides ſit eidem Merato *lo. cit. n.* 31.) deponit manipulos, cum quibus alias celebrans, atque miniſtri nonniſi terram verrerent in ſubſequenti adoratione, & oſculo crucis, & ideo prædictum ſilentium rubricæ non ſatis ſundamenti ſuppeditat dubitandi ſuper legitimitate Decreti, errores namque probandi ſunt, non ſupponendi.

VII. Tum celebrans medius inter ſacros miniſtros accedit ad angulum cornu altaris in parte Epiſtolæ, ut ſit quaſi collateralis, candelabris ſuper altare poſitis, ibique ſe collocat in ſecundo gradu facie ad populum verſa, & ſtatim diaconus relicto ibi celebrante cum ſubdiacono a ſiniſtris, procedit per planum ad medium altaris, ubi unico genu ſacta genuflexione cruci, expectat, donec eandem crucem ſibi conſignet Cœremoniarius, qui propterea facta prius genuflexione, eam de altari devote capit. Diaconus crucem accipit crucifixi facie ad ſe converſa, & hoc pacto per planum eandem portat, & tradit celebranti ſine oſculis, & poſtea ad hujus dexteram ſe collocat.

VIII. Mox celebrans ſiniſtra manu tenens crucem, cum dextera adjuvantibus ſacris miniſtris, ſi opus eſt, diſcooperit crucis ſummitatem uſque ad ejuſdem crucis tranſverſum, ita tamen ut crucifixi caput non appareat. Interim accedit acolythus, qui renibus ad populum verſis, tenet Miſſale apertum ante celebrantem, qui ambabus manibus crucem elevans uſque ad altitudinem oculorum, eam oſtendit populo, voce gravi aliquantulum demiſſa (ut citra indecentiam ſecundo, & tertio altius cantare valeat) in cantu ſolus incipit *Ecce lignum crucis*, & poſtea una cum miniſtris, nedum ſacris, ſed etiam Cœremoniario, & Clericis, qui ſunt circa altare, juxta Cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. proſequitur *In quo ſalus mundi pependit*, & chorus reſpondet *Venite adoremus*, quo tempore omnes ex miniſtris, & de choro (præter ſolum celebrantem, & miniſtrum tenentem librum) *ſe proſternunt*, ait Miſſale, non quidem uſque ad terram, quia chorus ſic proſtratus vix cantare poſſet, ſed ſolum media genuflexione utroque genu, & capite aliquantiſper demiſſo, ſicuti non obſcure indicat Cœremon. Epiſcop. *loc. cit.*, & Rubriciſtæ explicant.

IX. Deinde procedit celebrans ad anteriorem angulum ejuſdem cornu Epiſtolæ, ubi ſcilicet dici ſolet introitus Miſſæ, & medius inter diaconum ſtantem a dexteris ſuper ſuppedaneum altaris, & ſubdiaconum a ſiniſtris ſuper gradum proximiorem ſuppedaneo, verſa facie ad populum, detegit dexterum brachium, & caput crucifixi, tum paulo altius, quam prius, ambabus manibus attollit crucem, & cantat *Ecce lignum crucis* cum ceteris omnibus, ut in prima vice. Tum celebrans cum miniſtris procedit ante medium altaris, & ſtans verſus populum, totam diſcooperit crucem, quam illico tenens ambabus manibus, altius elevat, quam primo, & ſecundo, & altiori etiam voce cantat *Ecce lignum Crucis* cum reliquis ut ſupra. Ut autem celebrans crucem detexit, tradit velum ſubdiacono, & hic cœremoniario, vel alicui acolytho, qui illud defert ad credentiam.

D E C R E T A.

Decretum VII. cap. in ord. 265. *Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur cruci feria VI. in Paraſceve, dentur magiſtris Cœremoniarum ſervanda eſt. S. R. C.* 29. *Nov.* 1603. in Beneventana. I. Denudata ut ſupra cruce, celebrans nulla reverentia altari facta, deſcendit per latus Evangelii, ambabus manibus elevatam crucem deferens, crucifixi facie ad populum converſa, ſolo cœremoniario comite, qui fimbrias albæ elevat, ſi opus eſt, illamque portat ad locum præparatum, ubi genuflexus eam ponit ſuper pulvinum, ita ut caput crucifixi cum tranſverſo crucis ſit ſuper cuſſinum verſus altare, pedes vero ſuper tapete verſus populum. Quam crucem, ſi opus eſt, firmat etiam laqueolis adjuvante cœremoniario pariter genuflexo, qui juxta cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. & 26. paulo ante ponere debet lancem prope ipſum pulvinum, ubi pecuniæ, quæ cruci offeruntur, projiciantur, a dexteris adorantis. De his pecuniis præſens Decretum ſtatuit, quod quatenus conſuetudo ferat, ut dentur cœremoniarum magiſtris, ſervanda ea eſt, utpote qui cum altari inſerviant in ſacrorum directione rituum, conveniens quoque eſt, de ipſo altari vivant, alias vero expendendæ illæ erunt in pios uſus juxta Eccleſiarum laudabiles conſuetudines, vel neceſſitates. Unicuique, etiam ex aliis crucibus, quæ, ut dicemus infra, per Eccleſiam diſtribuuntur pro adoratione populi, ſua apponetur lanx ad eumdem effectum, & licet cœremoniale *pecunias* offerendas eſſe dicat, nil tamen vetat, & alias res offerri pro majori commoditate populi, uti reapſe uſus eſt in pluribus ruralibus Eccleſiis, unde Decretum conſulto non *pecunias*, ſed *oblationes* notaſſe credimus, quæ quoque ut ſupra diſtribuendæ erunt.

II. Quæ dum ut ſupra præſtat celebrans, omnes genuflexi manent, miniſtri ſacri in ſuppedaneo manibus junctis, facie verſa ad populum, clericus de libro, quem tenet clauſum, in ſecundo gradu verſus altare, ceteri vero, etiam de choro, in loco ſuo converſa facie quaſi ad crucem, & manibus item junctis. Turrinus *par.* 3. *ſeſſ.* 2. *cap.* 2. tempore, quo cum cruce de altari deſcendit celebrans, miniſtros quoque ſacros facit deſcendere, & poſtea genuflexos manere prope ſcamnum, in quo ad Miſſam ſolent ſedere, donec idem celebrans aptaverit ut ſupra crucem. Cum Merato *par.* 4. *tit.* 9. *num.* 27. utrumque modum approbamus, ſed quatenus ſervetur poſterior, etiam clericus de libro hunc ad credentiam deferat, & prope hanc genuflectat verſa facie ad crucem. Aptata cruce ſurgit celebrans, & facta genuflexione cruci, vadit ad ſcamnum oblongum paratum ex parte Epiſtolæ, ubi capite tecto ſedens, adjuvantibus acolythi extrahit calceamenta, vel deponit crepidas, quarum uſus in hac functione videtur laudabilior. Si prope idem ſcamnum genuflexi fuerint ſacri miniſtri, dum ſurgit celebrans, etiam ipſi ſurgunt, & facta cruci genuflexione, cum eodem celebrante ſedent in ſcamno, & ſimiliter deponunt calceamenta, vel crepidas. Si vero in ſuppedaneo genuflexi manſerint, cum eo item ſurgunt, genuflectunt cruci, & pergunt ad ſedendum in ſcamno, & ad deponenda calceamenta, vel crepidas, & clericus de libro item ſurgens genuflectit cruci, & portat librum ad credentiam, prope quam ſi fuerit genuflexus, ſurgit, & cruci genuflectit.

III. Celebrans depoſitis calceis ſurgit, & detecto capite manibus junctis ſolus procedit per planum ad adorationem crucis, & quia trina genuflexione hæc adoratio debet perfici, primo genuflectet in aliqua diſtantia a cruce, & capite reclinato ſuper manus junctas aliquantulum orabit, ſed ne nimis protrahatur functio, Gavantus *par.* 4. *tit.* 9. *lit.* O ab eo laudat dumtaxat dici: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Deinde ſurgens accedit ad locum, ubi ſecundo genuflectendum eſt, & ibidem præſtat, quod in prima adoratione. Tum progreditur ad locum cruci propinquum, ubi idipſum faciet, & mox adhuc genuflexus crucem oſculatur, prius tamen cruci offerens pecunias, quas volet offerre. Qua in parte crux ſit oſculanda, Rubrica non explicat, & Gavantus in membris pluribus ſentire videtur, ſed diſcedendum non eſt a Biſſo, Bauldryo, Braulion, aliiſque, qui ſolos pedes oſculandos ſtatuunt; quia alias nimis protraheretur adoratio. Quod ſi plura membra oſculari placeat, puta quinque vulnera, ſaltem ob reverentiam certe abſtinendum eſt ab oris oſculo. Hoc facto ſurgit celebrans, genuflectit cruci unico genu, & redit ad ſcamnum, ubi adjuvantibus acolythis ſumit crepidas, ſeu calceamenta, & poſtea planetam, & manipulum, & deinde tecto capite ſedet in ſcamno, expectans miniſtros ſacros, qui ut infra pergunt ad crucis adorationem.

IV. Peracta adoratione a celebrante, miniſtri ſacri, ambo ſimul procedunt ad crucis adorationem, eamque perficiunt, ut dictum eſt de celebrante, ita tamen ut diaconus ſit a dexteris, ſubdiaconus a ſiniſtris, quaſi in medio crucem habentes, & diaconus primus oſculabitur crucem, ſed non ſurgit prius, quam eamdem pariter oſculatus fuerit ſubdiaconus, qui tunc cum diacono ſimul ſurgit, & ambo præmiſſa cruci adoratione, pergunt per planum ad locum, ubi prius depoſuerunt calceamenta, & ibi facta celebranti inclinatione, ea reſumunt, & ſubdiaconus reſumit etiam planetam plicatam cum manipulo, diaconus vero ſolum manipulum, & remanet in ſua ſtola latiori. Mox pergunt ad ſedendum cum celebrante, huic ſe prius inclinantes, & ſedent tecto capite, voceque demiſſa legunt cum celebrante improperia ex Miſſali, quod ante ipſum genuflexus ſuſtinet acolythus, vel illud tenent ſacri ipſi miniſtri, donec acolythus peregerit adorationem, qua habita ut ſupra genuflexus ſuſtinebit librum, & terminatis improperiis illum collocabit apertum ſuper altare in cornu Epiſtolæ.

V. Inde depoſitis calceis ſuccedent ad adorationem alii miniſtri, & ſeniores de clero, bini per ordinem, eadem omnino peragent ritu ſuperius deſcripto. Ne autem functio protrahatur plurimum, ita ſine mora ſuccedent, ut dum diaconus, & ſubdiaconus ſurgunt a primo loco, quo adoraverunt, præſto ſint duo alii, qui ibi genuflectant, & dum illi ſurgunt è ſecundo, hi pertranſibunt ad ſecundum, & alii duo genuflectent in primo, & quando diaconus, & ſubdiaconus oſculata cruce recedunt, duo proximi occupabunt eorum locum, & qui erant in prima adoratione, gradientur ad ſecundam, & alii duo illico ſuccedent in prima, & ſic ſine mora ſucceſſive. Dum procedunt ad adorationem, aut ab ea recedunt, pari paſſu gradientur, & ſi eos ante celebrantem tranſire contigerit, eidem ſe inclinabunt, nec ab adoratione unus prius ſurget, quam alter coadorans, nec prius ſecundi ſurgent ab una proſtratione, quam alii ſurgant ab altera, nec unus majori tempore orabit, vel plura crucifixi membra oſculabitur, quam alter, ſed omnes in cunctis erunt omnino æquales. Clerus adoratione peracta, pergit ad ſuum locum, & acolythi ad credentiam, & calceamenta induunt.

VI. Si

VI. Si præſens ſit proprius Epiſc., juxta cær. Ep. *l.* 2. *c.* 26. ante celebrantem primus crucem adorat: poſt celebrantem vero, ſed ante miniſtros Prælati extranei, laici autem, licet ſint ex magiſtratu, & adhuc Principes, poſt clerum, ſed hi calceamenta minime deponunt. Pro aliis vero laicis, ſive maſculis, aut feminis extendatur in loco apto tapetum cum cuſſino, & velo, & aliquis Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola nigra, illuc deferat crucem aliam adorandam, acolytho præcedente, qui ibi remanebit genuflectens, devote aſſiſtens ad impediendum populi tumultum, & quatenus ob copiam populi non ſufficiat una crux, ponatur aliæ in aliis locis, & decet maxime, quod habeatur una crux, pro adoratione marium, alia pro feminarum, vel ſaltem non omnes promiſcue ad adorationem procedant.

VII. Bauldryus, Benvenuti, & A porto nos ſcite edocent, quod dum celebrans ponit, ut ſupra, crucem ſuper pulvinum, a ſacriſta denudari debent omnes aliæ cruces, quæ ſunt per Eccleſiam, non tamen imagines, quarum denudatio reſervatur ſequenti ſabbato. Eodem pariter tempore ponuntur ut ſupra aliæ cruces pro adoratione populi, ut hujus adoratio ceſſare poſſit, dum deſinit illa cleri. Quæ omnia ſervari item debent in Regularium Eccleſiis, ſed hæ abſtinebunt ab oppoſitione lancis circa crucem, quæ deſervit pro adoratione Cleri, qui paupertatis voto manet obſtrictus. Earum vero Eccleſiarum uſum, quæ ut citius expediatur ſacra functio, miniſtros faciunt ſuccedere ad crucis adorationem tempora, quo celebrans tranſit ad ſecundam, & tertiam adorationem, etſi nos non probemus, utpote qui cæremoniali eſt minus conſonus, tolerari tamen poſſe credimus, ubi valde copioſus eſt Clerus.

VIII. Statim ac incipit adoratio, incipiunt in choro cantari improperia, & horum omnia, vel pars cantantur, prout multitudo, vel paucitas adorantium exquiſiverit, & quatenus non ſufficiant, repetuntur ab hymno *Pange lingua*. In his iniquæ hominum ingratitudini, quæ in Chriſtum deſævit uſque ad mortem crucis, exprobantur beneficia ſumma, & beneficia magna, quibus nos cumulare dignatus eſt Dominus Deus, quem propterea in fine cujuſque pro miſericordia deprecamur, cantantes illud validum, & celebre Triſagion, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis*. Canitur latine, & græce, primo tamen græce quia in Eccleſia græca ortum habuit, & eſt valde celebre. Cum ſub Theodoſio Juniore, & Proclo Patriarcha occaſione terræmotus, qui quatuor menſium ſpatio invaleſcens, Conſtantinopolim quatiebat, iidem cum univerſo populo ſupplices, atque ferventer ad Deum preces funderent, repente puer raptus fuit in aerem, ſed clamante populo *Kyrie eleiſon, Domine, miſerere*, delapſus eſt puer, qui eum monuit, ut caneret *Agios o theos, Agios Iſchyros, Agios athanatos eleiſon imas*, quo per eumdem populum cantato terræmotus continuo ceſſavit. Ut itaque Eccleſia Romana alludat divinæ voci per præfatum puerum auditæ, & ſimul ira divina quieſcat, græce primo prædictum cantat triſagion, & illud nonniſi latine repetit, ut proprio idiomata exponat quod græce primitus dixit.

D E C R E T A.

Decretum VIII. cap. in ord. 266. *In proceſſione feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo ratum officium, & ſacram functionem in pontificalibus non peragente, non ſunt a geſtantibus haſtas baldachini adhibenda pluvialia, ſed ſolum cottæ. Sacra Rituum Congregat.* 15. *Septembris* 1736. in Toletana. I. Circa finem adorationis crucis ceroferarii accendunt ſex Candelas altaris, & etiam duas ſuorum candelabrorum ſuper credentiam exiſtentium, & diaconus vadit (ſubdiacono interim ſtante nudo capite) ad credentiam, & accepta burſa cum purificatorio deſuper poſito, ambabus manibus ad oculos uſque eam elevatam tenens, per breviorem viam (non pergit namque per planum, ut alias, ante altaris medium, quia ibi adhuc eſt crux, quæ adoratur) portat ad altare, ubi more ſolito extrahit, & explicat corporale, & prope hoc ex parte Epiſtolæ ponit purificatorium, quo facto per breviorem item viam redit ad locum ſuum, ubi cum ſubdiacono ſedet tecto capite. Quod ſi crux ante presbyterii fores adorationi exhibita fuerit, incedet diaconus per planum de more ante altaris medium, & ibi facta genuflexione cruci, aſcendet ad altare ad explicandum ut ſupra corporale, & per eamdem viam iterata genuflexione cruci pergit ad ſedendum, ſe prius inclinans Sacerdoti in receſſu, & acceſſu, & quoties ante eumdem tranſit.

II. Eodem tempore acolythus ut ſupra per ſuppedaneum, vel per planum incedens, & genuflectens cruci, transfert Miſſale ad latus Evangelii, illudque apertum ſuper cuſſinum prope corporale collocat, & in ſacriſtia, vel choro paratur alter ſubdiaconus alba, & planeta plicata nigra ſine manipulo pro deferenda cruce, & parantur itidem illi, qui baldachini haſtas deferre debent, cum pluvialibus nigris, ſi Epiſcopus pontificaliter celebret, ſin autem, ſolis cottis ſine ſtola, quemadmodum rite præſens deſinit ſanctio infra cæremoniali Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 26. Interim deferuntur quoque ad altare duo thuribula, igne in iiſdem poſito.

III. Finita adoratione ſurgit diaconus (& cum eo itidem ſubdiaconus, qui tamen ſtans apud celebrantem remanet) & facta reverentia eidem celebranti accedit ad locum, ubi eſt crux, cui facta genuflexione, unico genu, reverenter illam capit, & ambabus manibus eamdem uſque ad oculos elevatam nulli reverentiam faciens, reportat ad altare, ubi in ſuo loco adjuvante ſacriſta, vel cæremoniario illam collocat inter candelabra, ut tradit Memoriale Rituum *num.* 19. Tranſeunti cruci ſurgens celebrans, cum ſubdiacono, nudo capite, genuflectit, & poſtea celebrans ſedet iterum tecto capite. Diaconus aptata ut ſupra cruce, huic genuflectit, & per breviorem viam incedens, præmiſſa celebranti inclinatione, ſedet ad hujus dexteram, & ſubdiaconus ad ſiniſtram, ambo cooperto capite. Acolythi removent pannum cum velo, & cuſſino, & quoties cruces aliæ adorandæ expoſitæ ut ſupra fuerint, per alios Sacerdotes cotta, & ſtola nigra indutos, aſportantur in ſacriſtiam, & removentur itidem tapetia cum lancibus per alios Miniſtros. In loco autem, ubi repoſitum latet SS. Sacramentum, accenduntur omnia luminaria, & per ſacriſtam extenditur corporale ſuper altare.

IV. Subdiaconus alter, qui noviter paratus eſt, accipit crucem proceſſionalem denudatam, & medius inter ceroferarios deferentes candelabra cum cereis accenſis, ſiſtit ſe cum iiſdem extra cancellos facie verſa ad altare, cujus cruci non genuflectunt, nec ſe inclinant, duo vero thuriferarii ſine incenſo in thuribulis, facta cruci genuflexione ibi ſe quoque collocant poſt ſubdiaconum, ut commodius primi incedant. Hoc facto ſequenti ordine ad locum ſepulchri ordinatur proceſſio. Omnium primi incedunt thuriferarii, poſtea ſubdiaconus medius inter ceroferarios, deinde clerus, & poſt hunc illi, qui haſtas baldachini deferre debent, & denique incedit ſubdiaconus, quem ſequitur diaconus, & poſtremo celebrans manibus junctis, & juxta Biſſum, & Bauldryum etiam nudo capite, ſed latius caput obtegent, quia inceſſus iſte non eſt proceſſio, ut advertunt A porto, Caſtaldus, & Chriſtiani. Omnes autem, antequam incedant, unico genu ſalutabunt crucem altaris.

V. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, cruciferarius, & ceroferarii ſiſtunt ſe extra, & prope ſacellum, & ibi immobiles ſtant, nec unquam genuflectunt; thuriferarii intrant ſacellum, in hujus limine facta genuflexione utroque genu, & profunda inclinatione, accedunt ad altare; & hinc inde genuflexi manent in loco, in quo alios non impediant. Clerus facta genuflexione itidem, & inclinatione, hinc inde ſe collocat in locis ſuis, vel intra, aut extra cancellos, ut diximus in præcedenti feria, & ibi genuflexus manet. Miniſtri ſacri, & celebrans ante fores ſacelli deponunt birretta, & ſtatim ſacellum ingreſſi unus poſt alium, omnes ſimul genuflectunt utroque genu cum profunda inclinatione, deinde ſurgunt, & accedentes ad altare, in hujus primo gradu genuflectunt. Ut ſupra genuflexi præter cruciferarium, & ceroferarios, qui tunc ſtantes claudunt ingreſſum presbyterii, omnes aliquantulum orant, ait Biſſus *lit. P. num.* 226. §. 9. per ſpatium unius *Miſerere*; & interim accenduntur intortitia, & clero diſtribuuntur candelæ accenſæ, aut accenduntur, ſi prius fuerint diſtributæ.

VI. Oratione facta, diaconus ſolus ſurgit, & manibus junctis aſcendit ad altare, & ibi facta genuflexione unico genu aperit capſulam, a qua non extrahit Sacramentum, ſed repetita genuflexione in ſuppedaneo, deſcendit ad dexteram celebrantis, ubi non genuflectit, ſed illico ſurgit celebrans cum ſubdiacono, & nulla genuflexione facta miniſtrante diacono ſine oſculis, imponit incenſum ſine benedictione in thuribulo, quod genuflexus ſuſtinet primus thuriferarius, qui mox paululum recedit ex parte Epiſtolæ, cedens locum ſecundo thuriferario, in cujus thuribulo thus imponit pariter celebrans ex priori navicula; quo facto genuflexione prævia ſecundus thuriferarius cum thuribulo recedit ad cornu Evangelii, ibique manet genuflexus, & primus thuriferarius cum debita genuflexione accedit ad diaconum, a quo recipit naviculam, & eidem tradit thuribulum, cum quo celebrans ter incenſat Sacramentum ante, & poſt facta profunda inclinatione, & ſacris Miniſtris interim elevantibus partem poſteriorem planetæ circa brachia. Tum per diaconum reſtituitur thuribulum thuriferario, qui genuflexione facta recedit, & genuflectit in plano ſacelli e regione alterius thuriferarii, quorum uterque agitat thuribulum, ne ignis extinguatur.

VII. Mox per ſacros Miniſtros imponitur humeris celebrantis velum oblongum coloris albi, & firmatur aciculis, vel vittis ſericis, ne decidat, & ſuper ejuſdem brachia, & manus extenditur. Tum Celebrans, & Miniſtri ſacri ſe erigunt, & nulla genuflexione facta aſcendunt ad altare, ſed celebrans, & ſubdiaconus genuflectunt in ſuppedaneo, diaconus vero pergit uſque ad ipſum altare, ubi facta genuflexione unico genu ſine capitis inclinatione, extrahit de capſula calicem SS. Sacramenti ſuo velo coopertum, quem dextera tenens per nodum, ſiniſtra per pedem, vertens ſe per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, convertit ſe ad celebrantem, & ſtans calicem tradit idem celebranti ut ſupra genuflexo, qui ſiniſtra eum recipit per nodum, & ſuper eumdem calicem ponit dexteram, quam diaconus cooperit cum extremitatibus veli humeralis. Mox idem diaconus genuflectit unico genu in eodem loco, in quo eſt, Sacramentum adorans, remanente interim ut ſupra genuflexo celebrante, qui ſtatim cum ſubdiacono aſcendit in ſuppedaneum, ubi medius inter diaconum a dexteris, & ſubdiaconum a ſiniſtris, ex parte Epiſtolæ cum Sacramento vertit ſe ad populum, & cum eo itidem ita ſe vertunt ſacri Miniſtri, ut nunquam reſpective relinquant dexteram, vel ſiniſtram celebrantis. Non enim putamus,

tamus, quod hodie diaconus poſt adorationem Sacramenti neceſſe ſit, ut heri, deſcendet ad celebrantis dexteram, quia cum hodie celebrans ſit in planeta, non debet pluvialis fimbriam, quæ celebranti aſcendenti impedimento eſſe poſſet elevare; haud tamen denegaverimus, ita poſſe deſcendere, ut illico mox item ut ſupra aſcendat cum celebrante, qui eodem tempore, quo diaconus ſe conſtituit ad ejus dexteram, ſimul ſe erigit cum ſubdiacono. Capſula autem, cum per extractionem calicis ſupponatur Sacramento remanere vacua, non obſervabitur, ſed relinquetur aperta.

VIII. Statim ac Sacerdos cum SS, Sacramento converſus eſt ad populum cantores adhuc genuflexi incipiunt hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, & continuo omnes ſurgunt, & Sacramento facta genuflexione unico genu, ut citius ſurgant, & expeditiores ſint ad incedendum, proſequentes eumdem hymnum proceſſionaliter progrediuntur ad altare majus eodem prorſus ordine, & ritu, quo heſterna die venerunt ad altare ſepulchri. Dum celebrans deſcendit cum SS. Sacramento proceſſionem ingreſſus, præſto erit, qui elevabit umbellam ſericam coloris albi ſuper caput celebrantis, uſquedum ſe ſuppoſuerit baldachino ad ſacelli fores. Celebrans autem Sacramentum reverenter portat medius inter ſacros Miniſtros, qui planetam non elevant, ſed ſuſtinent celebrantis brachia, ſi opus eſt. Cum iiſdem Miniſtris celebrans ſubmiſſa voce recitat præfatum hymnum, qui quatenus non ſufficiat, tum ab ipſo, tum a clero repeti poterit, ſic tamen ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantum in fine.

IX. Ne vero Sacerdos, quando cum SS. Sacramento ad populum converſus eſt, expectare cogatur, ſed magis illico valeat ab altari deſcendere, & ſe baldachino ſupponere, Ritualibus, & Inſtructioni Clementinæ, aliiſque, ex quibus ſuperiorem ritum excerpſimus, magis videtur conſonum, quod poſt incenſationem non aſcendat diaconus ad exporrigendum Sacerdoti calicem, niſi poſtquam proceſſio ita progreſſa eſt, ut Sacerdos ipſe ſtatim eam intrare poſſit, quemadmodum idipſum faciendum diximus præcedenti die in proceſſione ad ſepulcrum,

D E C R E T A.

Decretum IX. cap. in ord. 267. *Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur feria VI. in Paraſceve, incenſandi iterum SS. Sacramentum poſt incenſationem oblatorum, omittendo conſuetam crucis incenſationem, cum ſit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Auguſt.* 1697. in Panormitana.

I. Ut proceſſio ad altare devenit, ſtatim crucifer, & ceroferarii presbyterium ingreſſi, nulla cruci altaris inclinatione facta, deponit ille crucem proceſſionalem in loco congruo ex parte Epiſtolæ, ubi pariter manet genuflexus uſque in finem; ceroferarii vero deponunt candelabra ſuper credentiam, & poſtea genuflectunt in plano, ut ad Miſſam. Clerus presbyterium item ingreditur, & non genuflectens cruci altaris, procumbit in genua hinc inde, vel quaſi in gyrum, & quatenus chorus ſit prope, & ante altare, genuflectit in ſuis locis, ſeu ſtallis. Præcedentibus thuriferariis celebrans medius inter ſacros miniſtros intrat denique presbyterium, ad cujus cancellos cum ſe ſiſtant deferentes baldachinum, prompta erit umbella elevanda ſuper caput celebrantis uſque ad gradus altaris; clerus vero hinc inde ut ſupra genuflexus cum candelis accenſis, quæ non extinguuntur, niſi communione completa, tranſeunti Sacramento caput profunde inclinat.

II. Celebrans, quidquid Auctores edoceant, juxta Inſtructionem Clementinam ſe ſiſtet in plano ante infimum altaris gradum, habens ſubdiaconum a ſiniſtris in hoc gradu genuflexum, & ibi ſtans calicem conſignabit diacono genuflexo utroque genu in ſuppedaneo, renibus aliquantiſper verſis ad cornu Epiſtolæ. Diaconus e calice primum removet extremitates veli humeralis, poſtea ita eum accipit; ut per nodum dextera illum teneat, & ſiniſtra regat ejuſdem pedem, & poſtea ibi genuflexus tantillum expectat, donec celebrans genuflexus ſuper eumdem infimum altaris gradum, cum profunda inclinatione Sacramentum adoret. Mox per ſubdiaconum, vel alium miniſtrum auſertur e celebrantis humeris velum oblongum & diaconus ſurgens collocat calicem in medio altaris, ſuo adhuc coopertum velo albo, quod a vitta ſolutum, extendit, uti fit in initio Miſſæ, ſed caveat, ne patena e calice decidat. Tum idem diaconus præmiſſa genuflexione unico genu, deſcendit ad dexteram celebrantis, ubi non genuflectit, ſed ſurgenti illico Sacerdoti cum ſubdiacono miniſtrat incenſum ex navicula primi thuriferarii ſine oſculis, & celebrans ter imponit incenſum ſine benedictione in thuribulo. Incenſo impoſito, genuflectunt omnes, & celebrans accepto a diacono thuribulo, ter incenſat Sacramentum more ſolito, factis debitis inclinationibus ante, & poſt, & ſacris Miniſtris elevantibus hinc inde partem poſteriorem planetæ circa brachia. Poſt hanc incenſationem recedit ſecundus thuriferarius in ſacriſtiam, ubi depoſitis navicula, & thuribulo, redit in presbyterium, ubi accepta navicula primi thuriferarii, gerit perſonam navicularii, in receſſu autem, & acceſſu Sacramentum ſalutat unico genu.

III. Incenſato ut ſupra Sacramento, celebrans cum ſacris miniſtris ſurgit, & aſcendit ad altare, ubi ab omnibus genuflexione facta unico genu, diaconus removet velum e calice, quod per aliquem acolythum plicatur, & portatur ad credentiam. Removet quoque patenam, & pallam, hanc ponit ſuper altare, illam ſuſtinet aliquantiſper elevatam ante celebrantem, qui accepto calice ſuper eam verſat ſacram hoſtiam, hanc, ſi fieri poteſt, non tangendo manibus, & quatenus eam tetigerit, ſtatim digitos abluit in aliquo vaſe ad id præparato. Tum Sacerdos depoſito calice ſuper corporale verſus cornu Epiſtolæ, accipit patenam a diacono, & nihil dicens, nec ullum faciens crucis ſignum, hoſtiam ex ea ſuper corporale in medio deponit; patenam vero non collocat, ut alias, ſubtus, ſed ſuper corporale ob reverentiam ſacrarum ſpecierum, quas tetigit, & quarum fragmentum aliquod poteſt in ea eſſe reliquum. Interim ſubdiaconus tranſit ad dexteram diaconi, qui calice non exterſo nec ante, nec poſt ob ſacras ut ſupra ſpecies, imponit vinum in calice, & ſubinde ſubdiaconus parum aquæ, non petens benedictionem a celebrante, qui proinde nec eam benedicit, nec dicit ſuper eam orationem *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.*

IV. Diaconus ſtatim ſine oſculis tradit calicem celebranti, qui nihil dicens, neque ullo cum eo facto crucis ſigno, illum deponit ſuper corporale poſt hoſtiam, ut fieri ſolet in Miſſa, & diaconus nulla facta genuflexione (quia in eo non eſt Sacramentum) eumdem ſua palla cooperit. Subdiaconus, qui hodie patenam non ſuſtinet, poſt infuſionem aquæ tranſit cum debitis genuflexionibus ad ſiniſtram celebrantis, qui miniſtrante diacono ſine oſculis, imponit incenſum in thuribulo ſine benedictione, & nihil dicendo, deinde accepto thuribulo, genuflectit ſimul cum ſacris Miniſtris unico genu, tum ſurgens *incenſat oblata, & altare more ſolito* juxta Rubricam, in oblatorum incenſatione dicens, *Incenſum iſtud &c.*, & altaris, *Dirigatur &c.*

V. Controvertunt Auctores, an poſt incenſationem oblatotorum thurificanda ſit crux altaris, & negant Tonellius *lib. 3. cap. 2. §. 2. & 11.*, Biſſus *lit. F. n. 45. §. 33.*, aliique, quibus acceſſerunt A Portu, aliique Rubriciſtæ, quia præſente figurato debet ceſſare cultus figuræ, adeoque cum inter oblata incenſetur Sacramentum, crux non erit incenſanda. Gavantus, Bauldryus, atque Caſtaldus nulla mentione facta de crucis incenſatione, ſimiliter ſtatuunt, oblata, & altare more ſolito eſſe incenſanda, & *more ſolito* thurificari debere; definit etiam aperte Rubrica hujus diei, cui præſens ſanctio innixa, proſcribit nonnullorum uſum, qui incenſatis oblatis, crucem non incenſabant, ſed loco crucis iterum SS. Sacramentum. *Mos* namque *ſolitus* fert, quod incenſatis oblatis crux incenſetur, & non quod omiſſa crucis incenſatione, iterum diſtincta thurificatione honoretur aliquod ex oblatis, cujuſmodi in caſu noſtro eſt Sacramentum, ut magis dicemus in ſequenti Decreto.

D E C R E T A.

Decretum X. cap. in ord. 268. *In feria IV. Paraſceves thurificanda ſunt oblata, ſed poſt thurificationem oblatorum non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio crucis, ſed crux, & altare thurificanda ſunt eodem prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5. Julii* 1696. in Panormitana.

I. Idipſum, quod præcedens, definit ſanctio præſens, ſolumque quæ ponderentur, digna ſunt verba: *eo prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis*; adeo enim diſerte deſignant, quod incenſatio facienda eſt, perinde ac fit in Miſſis, in quibus deficit præſentia Sacramenti, ut per dictionem *prorſus* excludant quamcumque alteram incenſandi rationem, & per ſequentia verba, *Non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante SS. Sacramentum*, aſſignent totam differentiam ab aliis Miſſis, & eſt, quod Sacerdos debet genuflectere unico genu, quotieſcumque pertranſit ante SS. Sacramentum, nedum in incenſatione, ſed etiam poſt incenſationem; quam ad rem habet & Rubrica diei: *Genuflectens ante, & poſt, & quandocumque tranſit ante Sacramentum.*

II. Ad rationem Tonellii, aliorumque, de quibus in præcedenti Decreto, reponit Victorius Novellarienſis *in Synopſi pag.* 69. quod ſicuti incenſatur altare, quamvis ſit figura Chriſti, ita etſi crux ſit Chriſti figura, incenſato Sacramento in incenſatione oblatorum, bene poterit incenſari; Meratus vero *par. 4. tit. 9. num.* 56., qui incenſandam non eſſe ſentit crucem, quando eſt expoſitum SS. Sacramentum, in diſparitate aſſignat, quod eatenus nihilominus in hac die crux incenſatur, quia in ea ſulget crucis myſterium; cui tanquam principali inſtrumento noſtræ ſalutis hac eadem die præ ceteris Eccleſia ipſa ſigna ſpecialia cultus exhibet. Ceterum diſpar admodum videtur ratio de caſu præſentis feriæ, & expoſiti Sacramenti, quia in primo Sacramentum non aſſequitur particularem, ſolemnemque incenſationem, ſed ſolum thurificatur inter oblata, unde relinquit locum thurificationi ſpeciali crucis, non ſic in ſecundo, in quo diſtincta, particulari, ſolemnique incenſatione honoratur. Itidem Sacramentum, quando eſt expoſitum, potiori utique jure præ cruce expoſcit incenſationem particularem, atque diſtinctam, qua habita ſuperfluere videtur ea crucis, ſeu figuræ ejuſdem, ſed hac de re in aliis non ſemel capitibus redibit ſermo.

III. Incenſatione altaris peracta, celebrans in cornu Epiſtolæ diacono reddit thuribulum, dicens *Accendat in nobis &c.*, qui illud recipit ſine oſculis, nec celebrantem incenſat, neque aliquem alium ſed illico thuribulum conſignat acolytho, qui illud deponit. Mox celebrans per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi verſa facie ad populum (cavens, ne in ſe vertendo terga vertat Sacramento) lavat manus, nihil dicens, aquam, & pelvim miniſtrante acolytho,

lytho, habent a ſiniſtris ſubdiaconum verſa facie ad celebrantem, & renibus ad populum, & diaconum a dexteris ſimiliter converſum, qui ſubminiſtrat manutergium, quia hodie in aliis miniſteriis non eſt impeditus, ut advertit Bauldryus *par. 3. cap.* 13. *num.* 14., *&* *par.* 4. *cap.* 10. *art.* 4. *num.* 15. Lotis manibus celebrans per eoſdem gradus aſcendit ad medium altaris, & diaconus una cum eo vadit ad librum, factis ab utroque debitis genuflexionibus, ſubdiaconus vero pergit per planum in medium altaris, ubi præmiſſa genuflexione ſe ſiſtit ante infimum ejuſdem gradum. Sacerdos mediocriter inclinatus, & junctis manibus ſuper altare poſitis, ut alias, dicit ſubmiſſa voce *in ſpiritu humilitatis &c.*, & hac oratione peracta, oſculatur altare, genuflectit unico genu, ſurgit, & converſus ad populum renibus verſis ad cornu Evangelii, dicit *Orate fratres*, ideoque *more ſolito*, ait Rubrica, adeoque duo prima verba dumtaxat clara voce, cetera vero ſubmiſſa. Deinde non perficiens circulum, per eumdem viam revertitur ad medium altaris, ſicuti eadem Rubrica aperte demandat, ne Sacerdos perficiendo circulum, terga vertat Sacramento, qui tamen ut ad altaris medium devenit, Sacramentum adorans, unicum genu iterum flectit, proſequens reliqua ejuſdem precis.

IV. In medium nunc prodeat ipſa Rubrica: *Et per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum, & conſequenter omiſſis aliis dicit: Oremus præceptis ſalutaribus &c.* Gavantus, cui de more ſubſcribit Meratus *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 62. inde concludit: *Si omiſſis aliis, ergo non dicitur* ſuſcipiat, *neque aliud quidpiam, quod hic non ſit deſcriptum.* Verum primo dubium non eſt, quod to *Conſequenter* a Rubrica hic non ſumitur illative, ex eo namque, quod *per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum*, invalidum prorſus ſit argumentum ad omiſſionem aliorum, quare nec eſt ambigendum, quod to *conſequenter* ibi ſtat pro *poſtea*. Dubium ſecundo non eſt, quod ea Rubricæ verba *& conſequenter omiſſis aliis dicit &c.*, cadunt ſuper ipſum celebrantem, qui propterea debet omittere, quæcumque alia ab eodem dicuntur in aliis Miſſis; ſed cum *ſuſcipiat* non ſit ex iis, quæ a celebrante dicuntur, ſed a ſubdiacono, ex allegatis Rubricæ verbis ſatis deduci non poſſe videtur, quod ſit omittendum, quinimmo magis dicendum, cum ſit acceſſorium quoddam ad *orate fratres*, quod ex ejuſdem Rubricæ præſcripto *more ſolito* eſt dicendum. Quoniam tamen Rubrica hujus diei, eo quod agat de functione ab aliis valde diverſa, diſerte ſe explicat circa dicenda, quinimmo ea producit, non contenta eadem adnotare, etſi ex iis ſint, quæ in aliis Miſſis item dicuntur, lubens aſſentior, quod illa verba *& conſequenter Omiſſis aliis*, quæ ex ſe, & ut jacent in prædicta Rubrica, apta ſunt intelligi tam de iis, quæ a celebrante, quam a quolibet alio dici deberent, importent omiſſionem *ſuſcipiat*, quia integre refert precem *orate fratres*, neque in fine addit ℟. *ſuſcipiat*, ubi in fine aliarum precum aperte adnotat, ſi quid iiſdem eſt reſpondendum, unde in fine *Pater noſter*, & ſubſequentis orationis *libera nos* habet. ℟. *Amen.*

D E C R E T A.

Decretum XI. cap. in Ord. 269. *Celebrans in Paraſceve mittat particulam in calicem ſine aliquo crucis ſigno, neque ſe ſignet cum calice. S. R. C.* 28. *Aug.* 1627. in una urbis. I. Peracta itaque prece *orate fratres*, junctis manibus, & alta voce celebrans cantare incipit *Oremus*, *Præceptis Salutaribus &c.*, & mox ſubdit *Pater noſter*, alta quidem voce, ſeu extenſis de more manibus, in cujus fine Chorus reſpondet, *ſed libera nos a malo*, & ſacerdos ſecreto ſubdit *Amen*, quo dicto, alta adhuc voce ſine *Oremus*, & in tono orationis Miſſæ ferialis dicit *Libera nos &c.* manibus item extenſis, & in fine chorus alta voce reſpondet, *Amen*. Quando celebrans dicere incipit *Oremus*, *præceptis &c.*, diaconus relinquit, ejuſdem ſiniſtram, & deſcendit ad ſecundum gradum poſt celebrantem, & ante ſubdiaconum ſtantem in plano, & ibi ſtat uſque ad elevationem hoſtiæ excluſive, & ad librum accedit Cœremoniarius, in cujus defectu permanebit ipſe diaconus ad aſſiſtentiam libri, ſi & quouſque opus erit pro foliis ejuſdem vertendis. Celebrans quoque in fine orationis dominicæ non ſumit hodie, ut fit in aliis Miſſis, patenam, neque cum ea ſe ſignat, dum in ſequenti oratione dicit, *Da propitius pacem.*

II. Reſponſo a choro ut ſupra, *Amen*, genuflectit celebrans unico genu uſque ad terram, deinde erectus accipit patenam, & eam ſubmittit hoſtiæ, & ſtatim ſola dextera inter pollicem, & indicem accipiens hoſtiam, eam elevat altius ſolito juxta Cœrem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 26., ita ut ab omnibus videri commode queat, figens ſemper in eam oculos, & advertens, ne corporalis limites tunc excedat. Patenam vero non elevat, ſed eam ſuper corporale poſitam, manu ſiniſtra tenet, ita ut pollex, & index dictæ manus nitantur patenæ, reliqui digiti ponantur ſuper corporale. Diaconus, & ſubdiaconus ante elevationem hinc inde genuflectunt in ſuppedaneo, non tamen elevant planetam celebrantis, nec hoſtia ab aliquo incenſatur, ſed ſolum cum crotalo, uti ſuperius diximus, dari poteſt unum, vel alterum ſignum ad advertendum populum. Cœremoniarius vero quatenus adſit ut ſupra aſſiſtens libro, genuflectet ſuper ultimum gradum lateralem cornu Evangelii.

III. Quando celebrans incipit declinare hoſtiam, diaconus & ſubdiaconus ſurgunt, & debitis genuflexionibus præſtitis ſubdiaconus accedit ad ſiniſtram celebrantis ad aſſiſtendum libro, & diaconus ad dexteram, ubi ſtatim diſcooperit calicem, nec tunc genuflectit, quia in eo non eſt Sacramentum. Ita communiter Auctores edocent, quibus unicus adverſatur Nicolaus de Braullon *par.* 3. *cap.* 12. *n.* 13., qui diaconum ad librum collocat, & ſubdiaconum ad dexteram, quia cum Rubrica hujus diei nihil novi præſcribat, nihil, ait ipſe, eſt innovandum. Celebrans itaque immediate hoſtiam declinat, non ſuper patenam, ut ſtatuunt Rubriciſtæ fere omnes, ſed ſuper calicem ut ſupra detectum, quemadmodum noviſſime mandat Memoriale Rituum *n.* 22. & non obſcure indicant ea Rubricæ verba. *Et ſtatim ſupra calicem dividit in tres partes;* dictio namque *ſtatim* dilationem nullam admittit, & regulariter accipitur ſine temporis intervallo.

IV. Hoſtiam ut ſupra declinatam mox Sacerdos dividit in tres partes, quarum duas majores collocat ſuper patenam, tertiam vero parvam immittit in calice *more ſolito*, ait Rubrica, quam præſens ſanctio ita explicat, ut propterea faciendum minime ſit ſupra calicem ſignum crucis, cum enim ex Rubrica ipſa, dum Sacerdos dividit, & in calicem immittit hoſtiam, nihil debeat dicere, omittere etiam debet ſignum crucis, quod correſpondet verbis *Pax Domini*, quæ in aliis Miſſis dicuntur. Sacerdos itaque ut ſupra dividens, & immittens hoſtiam, non diſtribuit verba alias dici conſueta, nempe *Per eumdem &c. Qui tecum &c.* & *per omnia &c.*, ſed hæc præcedenter dicit in concluſione orationis, antequam accipiat patenam, & hoſtiam elevet; ſubſequentem vero precem, ſcilicet *Pax Domini* prorſus omittit, & nihil penitus dicens, ut ſupra hoſtiam dividit, & immittit in calicem, quem ſtatim cooperit ſacer miniſter, qui aſſiſtit ad dexteram celebrantis, diaconus ille ſit, vel ſubdiaconus juxta ſuperiores ſententias, licet nos credamus ſatius, quod a dexteris ſubdiaconus aſſiſtat, ut alias, tum quia ſic ſervatur Rubrica generalis, cui per particularem aliquam non eſt derogatum, tum quia ſic evitatur eorumdem tranſitus ad latus aliud, dum Sacerdos dicit orationem *Perceptio corporis tui*, ſed ſolum tranſeunt, ut in aliis Miſſis.

V. Cooperto calice celebrans cum Sacris Miniſtris mox genuflectit, & ſtatim ſurgens, inclinatus, & manibus junctis ſuper altare poſitis, ſecrete dicit tertiam ex tribus orationibus ante communionem dici conſuetis, ſcilicet *Perceptio corporis tui*, & interim quatenus diaconus aſſiſtat a dexteris, & ſubdiaconus a ſiniſtris, ſua loca invicem mutant. Omittit autem celebrans *Agnus Dei*, pacis oſculum, ac duas primas orationes, ſed tantum ut ſupra dicit tertiam, qua peracta celebrans devotius ſolito, & reverentius cum ſacris miniſtris genuflectit unico genu, & ſe erigens dicit ſecreto *Panem Cœleſtem*, & accipit hoſtiam cum patena, ut moris eſt, atque dicit ter more item ſolito, *Domine non ſum dignus* mediocriter inclinatus, & ter ſibi percutiens pectus, ſacris miniſtris interim ſimiliter inclinatis, & percutientibus ſibi pectus. Quo tertia vice dicto, celebrans erectus ſignat ſe dextera cum Sacramento, dicens more ſolito *Corpus Domini noſtri*, & more item ſolito Sacramentum ſumit, miniſtris ſacris interim ſtantibus profunde inclinatis, & manibus junctis.

VI. Sumpta hoſtia, ſe Sacerdos erigit (& ſimul cum eo ſe quoque erigunt Sacri miniſtri), & manibus ante pectus junctis, aliquantulum quieſcit in meditatione SS. Sacramenti. Mox ſubdiaconus calicem detegit, & facta ab omnibus genuflexione ob particulam hoſtiæ conſecratæ in calice exiſtentem, celebrans fragmenta de more colligit, extergit patenam ſuper calicem, & deinde omiſſis omnibus, quæ dici ſolent ante ſumptionem ſanguinis, patenam ſupponens mento, ex calice reverenter ſumit cum vino, & aqua intus exiſtente particulam hoſtiæ conſecratæ, nec ſe ſignat cum calice, aut aliquid dicit; non enim hodie celebrans ſumit ſanguinem, ut præcedenter ad communionem debeat dicere *Sanguis Domini noſtri* ad quæ verba Sacerdos cum calice ſe ſignare ſolet.

VII. Acolythus defert ampullas aquæ, & vini, eaſque de more conſignat ſubdiacono, qui in calicem infundit vinum, & aquam ſuper celebrantis digitos (non enim Sacerdos in hac Miſſa ſumit purificationem, pro qua deſervit prima ſumptio calicis, ex quo non bibit Chriſti ſanguinem, ſed vinum cum aqua) qui depoſito calice, & extersis de more digitis, ſumit ablutionem in medio altaris, ut alias. Deinde inclinatus, & manibus ante pectus junctis, non tamen ſuper altare poſitis, dicit *Quod ore ſumpſimus*, accommodante interim calicem ſubdiacono cum velo nigro, qui, vel magis Cœremoniarius præmiſſa genuflexione cruci altaris, eumdem defert ad credentiam. Abſoluta oratione *Quod ore*, celebrans nihil aliud dicit, & diaconus illico claudit librum, qui una cum cuſſino, vel legili per aliquem acolythum portatur itidem ad credentiam, ad quam vadit etiam ipſe diaconus, ibique depoſita ſtola latiori reſumit planetam plicatam, & redit ad altare ad dexteram celebrantis, ad cujus ſiniſtram ſe transfert ſubdiaconus. His expletis celebrans cum ſacris miniſtris deſcendit in planum, ubi ab omnibus facta genuflexione cruci, birretum una cum iiſdem accipit, & redit in ſacriſtiam ordine, quo venerunt ad altare.

VIII. Quandonam extinguendi ſint cerei, quos clerus in manibus tenet, non una eſt vox Auctorum; nam Gavantus *par.* 4. *tit.* 9. *lit.* *u.* id faciendum cenſet, dum a celebrante fit digitorum ablutio, & non prius. Biſſus vero poſt ſumptam ablutionem, & uterque iſte modus probatur a Merato *ibid. n.* 72., & ſimul rejicitur Caſtaldus, qui immediate poſt ſumptionem calicis cereos extinguendos eſſe docet, quia cum tunc Sacramentum in altari non amplius remaneat, ait ipſe, cur extingui non poterunt? Quod ſi fieri differatur ad tempus,

in

in quo poſt ſumptionem ſacerdos ſurgit a meditatione SS. Sacramenti, abſit, ut me refragatorem habeat, bene vero, ſi prius, quia tunc facile in eadem meditatione perturbaretur ſacerdos per prædictam extinctionem, & collectionem cereorum, quæ vix ſine ſtrepitu fieri valet. Hoc itaque tempore, vel dum fit digitorum ablutio, acolythi colligent cereos, extinguent, & aſportabunt, & clerus ſurgens perget in Chorum ad dicendas veſperas, quæ dum dicuntur, duæ tantum candelæ ardent in altari juxta Victorium Novellarienſem *In ſynopſi pag.* 101., ſex vero ſecundum Meratum *loc. cit.* Veſperæ dicuntur ſine cantu, ut heri, & quatenus exiguus ſit Clericorum numerus, intervenire eiſdem etiam poterit celebrans ipſe cum Miniſtris, depoſitis paramentis.

X. Dum in choro dicuntur veſperæ, per acolythos denudatur altare, & credentia, & omnia aſportantur in ſacriſtiam, & poſt veſperas extinguuntur candelæ. Eodem item tempore per aliquem Sacerdotem ad priorem, ſeu alium locum reportatur crux ad ſatisfaciendum votis populi, qui ad ejuſdem adorationem prius accedere non valuit; ut ſupra enim prius aſportata fuit, non quia expiraret tempus eam adorandi, ſed ne ſubſequentem proceſſionem, atque functionem interturbaret adoratio crucis; ſupponetur autem cruci cuſſinus cum reliquis aliis, ut in prima adoratione, ſicuti ſcite edocet Gavantus *part. 4. tit. 9. ſub n. 20. lit. o.* Veſperarum quoque tempore, vel iiſdem finitis, ab aliquo Sacerdote in cotta, & ſtola coloris albi, & velo humerali pariter albo, comitibus Clericis faces ardentes geſtantibus, ex Gavanto *ibid. num.* 23. plures Doctores edocent, reportandam eſſe pyxidem a ſepulchri capſula ad aliud ſacellum in loco remotiori præparatum, ſed id apud nos locum non habet, qui a producto Decreto S. R. C. 15. Maii 1745. inſtructi, ſuperius diximus, feria V. in Cœna Domini eam non eſſe collocandam in prædicta capſula, ſed in loco decenti, & congruo extra Eccleſiam, ubi aſſervari, quoque debet, & retineri etiam in ſubſequenti feria VI., & Sabbato uſque ad Miſſam.

XI. Nos denique monet Memoriale Rituum *n.* 4., quod completis veſperis dandum eſt ſignum cum crotalo pro ſalutatione Angelica, ad quam genuflectent omnes, & perſoluta ſolita oratione ſurgunt, & unico genu facta cruci altaris genuflexione recedunt. Idipſum fiat in præcedenti Feria V.

D E C R E T A.

Decretum XII. cap. in ord. 270. *An in feria VI. hebdomadæ ſanctæ poſſit diſcooperiri crux ante Eccleſiam collegiatam? Reſp. negative. Congreg. Concil. 3. Dec.* 1718., & *7. Dec.* 1720.

I. Nolo, ita Decretum accipias, quaſi prima crucis diſcooperitio inter jura Eccleſiæ Matricis connumerari debeat, ſicuti inter ea enumeratur prima pulſatio campanarum in Sabbato Sancto. Id ſatis oſtendit communis praxis Eccleſiarum, quæ ad prædictam diſcooperitionem independenter ubique procedunt, abſque eo quod uſquequaque ullæ ex matricibus id ſibi juris deberi prætenderint, contentæ honore, quem ipſis antiquiora jura faciunt ſuper prima pulſatione campanarum in Sabbato Sancto, per quam præ ceteris earumdem ubertim ſuperioritas declaratur, & dignitas.

II. Primam pulſationem campanarum in ſabbato ſancto inter & primam crucis diſcooperitionem in præcedenti feria VI. nimis utique magna apparet ratio diſcriminis, ut inde idem judicium haberi valeat, aut eadem excogitari juris diſpoſitio; illa namque ſiſtit in pulſatione campanarum turris, quarum ſonus intra Eccleſiæ limites non manet coercitus, nec ſacras illius diei functiones impedit, quæ propterea æque bene per inferiores Eccleſias peraguntur cum ſono campanularum intra Eccleſias ipſas; quando eæ turris in matrice nondum fuerint pulſatæ. Non ſic eſt de diſcooperitione crucis in Paraſceve, quæ nedum intra Eccleſiæ terminos omnino manet coercita, ſed quatenus fieri non poſſet, niſi poſtquam in matrice acta fuiſſet, functiones illius diei vel ſaltem præcipuam, cujuſmodi eſt crucis detectio, in inferioribus impediret Eccleſiis, quæ nunquam tuto poſſent ad eam procedere.

III. Cum itaque functiones hebdomadæ ſanctæ, quas tanquam ſacras, & Myſteriis plenas veneranda probat antiquitas, in Miſſales fuerint invectæ, ut nedum a Cathedralibus, & Collegiatis fiant Eccleſiis, ſed etiam ab inferioribus, & adeo, ut noviſſime Benedictus XIII. quaſcumque Parochiales ad eas peragendas adſtrinxerit, profecto neceſſe eſt, alius excogitetur Decreti ſenſus, & eſt, ut iis in Eccleſiis, in quibus non fiunt prædictæ functiones, crux detegi minime poſſit, antequam in Eccleſia matrice, vel quaſi matrice fuerit detecta, ne per privatam crucis detectionem, & expoſitionem, quæ fieret in ejuſmodi Eccleſiis, abripiatur, vel minuatur concurſus populi publicæ, & ſolemni ejuſdem detectioni, & adorationi, quæ inter divina officia ex Rubricarum præſcripto in inſignioribus Eccleſiis fieri ſolet.

IV. Equidem Decretum editum fuit *in Derthonen.* occaſione litium inter Archipresbyterum Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Novarum, & Eccleſias Parochiales SS. Petri, Andreæ, & Nicolai ejuſdem Oppidi circa exercitium jurium Parochialium, ſed nobis, niſi inſpecta fuerit particularis ratio aliqua, juvat credere, quod prædictæ Parochiales ex iis eſſent, quæ præfatis functionibus minime incumberent; & præſertim quia nec verbum fit in Decreto de Eccleſiis Regularibus, quas utique opus fuiſſet in diſpoſitione ſpeciatim nominare, quatenus prædicta prima detectio juris privativi Eccleſiæ Collegiatæ declarari debuiſſet. Ceterum Parochialibus ipſis, in quarum præjudicium præſens prodiit Decretum, modo licere credimus crucem in prædicta feria inter ſacram functionem detegere nullo habito reſpectu ad præfatam Collegiatam, quia dum Benedictus XIII. eaſdem ad functiones hebdomadæ ſanctæ adſtrinxit, conſequenter & crucem ut ſupra detegere indulſit, ſine quo indulto functio feriæ VI. Paraſceves commode haberi non valet. Diximus *inter ſacram functionem*, quia ſi hanc non obſtante Decreto Benedicti XIII. prædictæ Parochiales minime peragerent, in integrum reſpectu earum diſpoſitionem Decreti ſtare putamus inſtar illarum Eccleſiarum, quæ functiones hebdomadæ majoris non ſolent peragere.

V. Aliam lubet addere cauſam, quæ fortaſſe Decreti potiſſima eſt; cum enim Paſſionis tempore ſanctorum, & crucifixi imaginem pluribus ex cauſis, & myſterioſis rationibus opertam Eccleſia tenere ſoleat, præſens Decretum edidit ad ablegandum nonnullarum inferiorum Eccleſiarum abuſum, quæ nulla ratione habita ad tempus præſcriptum tenere crucifixum anticipate diſcooperire audebant, & detectum exponere. Quæ tamen ita volumus eſſe dicta abſque præjudicio ſacrarum functionum, atque piorum exercitiorum, ut ſi quæ anticipatiorem crucifixi diſcooperitionem exigat, optime quidem fieri valeat, ſuo tamen tempori reſervata illa, quæ ab Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia fieri mandatur. Hinc tuto infer, quod non obſtante præſenti Decreto a concionatore, in quacumque Eccleſia prædicet, verſus concionis finem procedi poteſt ad ſolitam crucifixi detectionem, illumque de more publice exponi fidelium oſculis; & idipſum erit de aliis ſolitis ſimilibus pietatis cauſis, ut magis videbitur in Decr. ult. cap. 10., ubi in ſero feriæ V. Cœnæ Domini, aut in mane ſequentis feriæ juxta ſolitum exponi, aut per proceſſionem crucifixus detectus aſportari conceditur.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De vera cruce, ejus imagine, & Sanctorum Reliquiis.

CRucem eam *veram* dicimus, quam Chriſtus pro nobis moriens, pretioſiſſimo ſuo conſecravit ſanguine, ad differentiam aliarum crucum, quæ non ſunt, niſi illius imagines, quatenus nobis ſignificant Chriſtum in alia ſimili pro nobis pependiſſe. In Urbe Jeruſalem juxta S. Paulinum *Ep. 31. ad Sever.* quotannis proponebatur illa populo adoranda; & hinc in univerſam Eccleſiam devenit communis diſciplina ſpecialiter publico cultui exponendi in feria VI. Paraſceves ſacroſanctam crucem; non quidem eam, aut ejuſdem portionem, in qua Dominus crucifixus eſt, cum ubique non habeatur, ſed quæ ad ſimilitudinem veræ crucis facta eſt, ſicuti Amalarius *lib. 1. de div. off. cap.* 14. per hæc verba ponderat. *Fuerunt quidam, qui volebant dicere, ſe velle eamdem crucem adorare, in qua Dominus crucifixus eſt. Utinam in omnibus Eccleſiis haberetur! & præ ceteris merito veneraretur. Quamvis omnis Eccleſia eam non poſſit habere, tamen non deeſt eis virtus ſanctæ crucis in ſuis crucibus, quæ ad ſimilitudinem ſanctæ crucis factæ ſunt.*

Nemo eſt, qui Proteſtantium querelas ignoret, ac ſæva jurgia, quæ in catholicos jactant, propterea quod hi palam prædicta ſacra Paraſceves die ante crucem ut ſupra proſternantur, eam adorent, atque reverenter oſculentur. Ritum hunc præ ceteris inter cæremonias ſuperſtitioſas rejiciunt, ac idololatria infectas, unde Kempius *de oſculis diſſ.* 6. §. 19.

Luce Sacerdotes duo circum altare ſequenti
Idolum portant humeris Chriſti in cruce fixi.
. . . .
. . . . Hinc proſtrati corpore toto
Omnibus infigunt perfoſſis baſia membris,
Ligneum & idolum ſummo venerantur honore.
Hos dein certatim raſorum turba ſequuntur,
Impietatis ut artifices ad talia ſemper
Præcedunt: poſt quos tractabile vulgus adorat.

Verum nonniſi per ſummam impietatem hæc objectantur catholicis, quorum cultus, quem cruci deferunt, cum reſpectivus ſit, & relativus, non ſiſtit in cruce, ſed aſcendit ad Chriſtum per eam repræſentatum. Quæ pertractare cum præſentis non ſit inſtituti, ſed magis ſupponere, abſit, quod ego proferam SS. Patrum teſtimonia, vel unanimem catholicorum conſenſum, ſed magis lubens adjicio preces, quæ in prædicta circumſtantia a Sacramentario Gregoriano dicendæ aſſignantur: *Deus, qui Unigeniti tui Domini noſtri J. C. pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es; concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam ejus crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur.* Super quæ verba *de div. off. lib. 1. cap.* 14. rite Amalarius ſcribit: *Quem deprecor, ipſum adoro, proſternor corpore ante crucem, mente ante Dominum &c. Veneror crucem, per quam redemptus ſum, ſed illum deprecor, qui redemit.*

Cultus itaque, qui veræ cruci, aut ejus defertur imagini, latriæ quidem eſt, ſed relativus; hæc tamen eſt differentia veram crucem inter & ejus imaginem, quod præ hac illi etiam cultum abſolutum concedunt nonnulli, eo quod contactu membrorum Chriſti ſanctificata fuit, & tincta ejuſdem ſanguine, cujus non paucas guttulas in ea adhuc reliquas eſſe, eique adhærere plurimi Doctores affirmant. Nobis non adeo ineſt otii, ut ſententiam ejuſmodi vel probare, aut velimus refellere,

fellere,

fellere, quare contenti ſumus Lectorem monere, quod quatenus veræ cruci cultus abſolutus concedi debeat, hic non erit latriæ, ſed hyperduliæ, qualem dumtaxat in cap. 10. conceſſimus Deiparæ, & humanitati Chriſti, licet potiori jure ad Chriſtum attineat; Duliæ vero cultus dicitur, qui adhibetur Sanctorum imaginibus, ſtatuis, atque Reliquiis, de quibus itidem ratione affinitatis materiæ hic pertractata ſumimus.

DECRETA.

Decretum I. cap. in ord. 271. *In proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel lignum SS. Crucis, tam clerus, quam Sacerdotes detecto capite incedere debent; in aliis vero proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel ſtatuæ Sanctorum, tunc ſæculares, & Eccleſiaſtici, qui eas deferunt, detecto capite, alii vero clerici poſſunt incedere tecto capite, quando vero non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar cleri poteſt incedere capite cooperto.* S. R. C. 2. Sept. 1690. in Cajetana. I. præ Sanctorum ſtatuis, imaginibus, atque reliquiis ſpecialis honor decernitur veræ cruci, ut nempe in proceſſionibus, in quibus ea defertur, nedum qui eam deferunt, ſed etiam qui comitantur, ſæculares ſint, vel Eccleſiaſtici, detecto capite incedere debeant proceſſionum inſtar, in quibus circumgeſtatur SS. Sacramentum, ubi in proceſſionibus, in quibus deferuntur Sanctorum ſtatuæ, vel reliquiæ, Decretum contentum eſt, capite aperto incedant, qui eaſdem deferunt, atque ſæculares (ne quidem excluſis Magiſtratibus, quibus dumtaxat indulgetur cooperitio capitis in proceſſionibus ſine reliquiis) qui proceſſionem comitantur, ſed quoad alios clericos, qui proceſſionem integrant, birreti uſum aperte concedit. Deciſio quidem manifeſta eſt, ſed non eſt ita facile ejuſdem excogitare cauſam. Hanc ſi colloces in reſpectivo latriæ cultu, ſe ſtatim nobis offerunt veræ crucis, ac Chriſti imagines, quibus talis cultus communis eſt, non tamen honos. Si in cultu abſoluto hyperduliæ, cultus hujuſmodi, quem communior non probat opinio, prædicti honoris fundamentum non ſatis ſolidum eſſe poſſe videtur, quando etiam hyperduliæ cultus non competeret Deiparæ Mariæ, quæ in diſpoſitione Decreti Sanctorum nomine comprehenſa fuiſſe manet.

II. Apparet itaque ſatis probabile, quod veræ cruci *tanquam reliquiæ Chriſti non ſolo contactu, ſed inſuper pretioſiſſimo ejuſdem ſanguine dignificatæ*, ſtudatus honor factus fuerit, & in vera cruce quibuſcumque aliis conſimilibus Chriſti reliquiis, quæ Chriſti contactu ſimul & ſanguine conſecratæ fuerunt, quales ſunt clavi, lancea, ſpinæ, aliæque res ſimiles, quas propterea ſacra ipſa Congregatio in ſuo Decreto 21. Junii 1632. *ſpeciali nota, & cultu dignas* nuncupaſſe reperitur. His conſequenter adde, quæ ad Chriſti humanitatem pertinent, puta præputium, ſanguinem in paſſione fuſum, & cetera, ſi quæ ſunt, ejuſmodi, non tamen Deiparam Mariam, quæ cum ex ſe adorabilis ſit adoratione abſoluta ratione propriæ excellentiæ, non obſtante prædicto contactu, qui eidem potiori jure convenit, ne quidem reſpectivo latriæ cultu colitur, qui in ipſa non ſiſteret, ſed pro termino haberet Chriſtum. Hinc apparet ſpecialis honor præ Deipara decretus humanitati Chriſti ob ſpecialem ejuſdem excellentiam ratione unionis ad verbum, qua cum careat Mater Chriſti, idcirco nec præfatus honor eidem adjudicatus fuit, quamvis jure adoretur hyperduliæ cultu, tanquam omnium noſtrum Regina, & Domina.

III. *Licitum eſt Epiſcopo* (ſit Decr. 2. cap. in ord. 272.) *incedere cum mitra, quando defert reliquiam ligni ſanctiſſimæ crucis in proceſſionibus.* S. R. C. 14. Junii 1692. *in Materanen.*, quæ per hoc Decretum præcedenti quamdam limitationem adhibet, videlicet quod Epiſcopus uti poteſt mitra, quando in proceſſione defert reliquiam ligni SS. crucis, & a fortiori ſi ſanctorum reliquias, aut quoties intereſt proceſſionibus aliis, demptis dumtaxat iis, in quibus circumgeſtatur SS. Sacramentum. Conſonum id eſt cæremoniali Epiſc., quod *lib. 2. cap. 32.* in proceſſionibus iſtaniſtum Epiſcopum indutum mitra, reliquias portare facit, & in ſubſequenti cap. 33. eumdem exigit detecto capite, dum portat SS. Sacramentum, & poſt Epiſcopum jubet *immediate ſuccedere miniſtrum de mitra ſervientem cum cotta, & velo ad collum, mitram ipſam manibus geſtantem.* Quæ quam rite ſtatuta ſint, abunde comprobat differentia maxima, quæ eſt inter Chriſtum Deum, & hominem, & ejus reliquias, ſanctoſque puros homines.

IV. *Epiſcopus in publicis proceſſionibus* (erit Decr. 3. cap. in ord. 273.) *cum cappa, & birreto, non inter dignitates, ſed ſolus incedere debet. Quod ſi deferatur aliqua imago, ſeu reliquia, ipſe cum cappa, & birreto debet incedere poſt imaginem, ſeu reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium.* S. R. C. 18. Oct. 1628. *in una Ord. Minor. de obſerv.* Præcipue deſignatur locus, in quo incedit Epiſcopus in publicis proceſſionibus, & in his ſi non deferatur imago aliqua, aut reliquia, incedit ille, non inter dignitates, ſed ſolus omnium de clero ultimus cum cappa, & birreto; ſi deferatur vero imago, aut reliquia, poſt hanc cum cappa item, & birreto, niſi adſit conſuetudo in contrarium, quo in caſu conſuetudo ſervanda erit.

DECRETA.

Decretum IV. cap. in ord. 274. *Non eſt genuflectendum a Capitulo, & Clero proceſſionaliter tranſeuntibus ante altare, in quo recondita eſt reliquia SS. Crucis.* S. R. C. 15. Sept. 1736. in Brixien. I. Exteriora adorationis ſigna ſecundum ſe eſſe adiaphora, & indifferenter tribui poſſe tam Deo, quam creaturis, & ſolum ex intentione determinari, & ex objecto, cui exhibentur, in cap. 10. jam late diximus, & ubertim conſtat ex ipſis cæremoniis Eccleſiaſticis, nam dum genuflectimus Deiparæ ad verba *Ave maris ſtella*, eſt actus hyperduliæ, dum vero Sacerdos ex Rubricarum præſcripto caput dumtaxat inclinat cruci, latriæ adhuc cultus eſt. Quæ licet ita ſint, Tonellius *lib. 3. cap. 3. num.* 17. adhuc ſcite advertit, quod quamvis in privata oratione poſſit quiſquis pro ſua devotione, & ad libitum uſurpare quodcumque ex prædictis indifferentibus ſignis; in ſacris tamen functionibus, quando hoc, vel illud adhiberi debeat, ſtandum eſt Rubricis, harum interpretibus, & Congregationum Decretis. Hinc cum per hæc genuflexio SS. Sacramento in tabernaculo recondito decernatur, & veluti prærogativa ei propria quaſi reſervetur, adhibenda ea non eſt reliquiæ SS. Crucis in altari reconditæ, non ſolum a clero proceſſionaliter tranſeunte ante prædictum altare, ſed neque a quocumque alio extra proceſſionis caſum.

II. Tonellius *lo. cit. n.* 20. ad rem enarravit: *Quod etiam colligi poteſt ex ipſa Rubrica Miſſalis, quæ loquens de ingreſſu Sacerdotis ad altare, præcipit tantummodo genuflexionem in caſu, in quo ibi ſit tabernaculum cum SS. Sacramento; quod ſi a celebrante facienda eſſet genuflexio etiam veræ cruci, id addidiſſet; ſed cum non addiderit, & aliequin cultus latriæ exprimatur etiam, ut dictum eſt, per profundam capitis inclinationem, credi poteſt, Eccleſiam hoc feciſſe ad diſtinguendum cultum externum exhibendum cruci ab eo, qui exhibetur SS. Sacramento, cum in hoc adoretur Chriſtus præſentialiter*, inquit Tamburinus *in Decal. lib. 2. cap. 4. §. 5. n. 3., in illa vero repræſentative.* Hinc Victorius Novellarienſis *in ſua Synopſi append. de vera cruce* adverſarios contendentes genuflectendum veræ cruci, ut per genuflexionem diſtinguatur a ceteris crucibus, quæ ſunt tantum veræ crucis imagines, reponit: *Ad hoc reſpondeo, quod ob ſimilem rationem potius urget neceſſitas omittendi genuflexionem, ut ſcilicet in hujuſmodi externis ſignis appareat diſtinctio inter latriæ cultum abſolutum, qui debetur Sacramento, & cultum reſpectivum, qui debetur veræ cruci.* Sive itaque celebretur Miſſa, aut quæcumque alia divina officia ad altare, in quo aſſervatur portio aliqua ligni veræ crucis, ſufficiet ſolita inclinatio capitis, & idipſum eſt iis de Chriſti reliquiis, quorum ſuperius meminimus.

III. De vera cruce publice expoſita, ſequens (erit 5. cap. in ord. 275.) aliter diſponit Decretum: *Tranſeuntes ante expoſitam reliquiam S. Crucis, utrum debeant genua uſque ad terram genuflectere, vel etiam an ſufficiat ſemigenuflexio, uti ſolet fieri coram Epiſcopo: & utrum eadem genuflexio facienda ſit ante prædictam reliquiam S. Crucis, quæ licet non ſit expoſita, aſſervatur tamen incluſa in aliqua altari, aut etiam quando expoſita eſt, ſed non apparet, ex eo quod pars hæc, quæ reſpicit populum, habeat figuram Chriſti crucifixi? Et reſponſum fuit: ſi loco principe reliquia SS. Crucis ſuper altare fuerit expoſita, tunc tranſeuntes ante illam, unico genu uſque ad terram flexo venerare debent; diverſimode vero ſola capitis inclinatione, ſi præfata reliquia recondita erit intra cuſtodiam.* S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.* Reliquia itaque SS. Crucis adoranda eſt ſola capitis inclinatione, quando intra cuſtodiam recondita latet, & in hoc rite diſtinguitur a SS. Sacramento, quod licet in tabernaculo incluſum, unius flexione genu venerari præcipitur. Non minus perbella eſt deciſionis pars altera, quæ reliquiæ crucis publice expoſitæ, genuflexionem cum unico genu uſque ad terram flexo decernit; ſic enim veram crucem diſtinguit ſimiliter a Sacramento, quod dum proſtat expoſitum, utroque genu eſt adorandum, & inſimul ab imagine ejuſdem crucis, quæ juxta Rubricas ſolam exigit profundam capitis inclinationem.

IV. *Si loco principe ſuper altare fuerit expoſita*, conditio quædam eſt, per quam inſtruimur, quod ad hoc ut crucis reliquia gaudeat genuflexionis honore, debet eſſe principe loco poſita; ſi namque una ſimul exponeretur quid aliud, quod in expoſitione principem locum teneret, is honor tribuendus foret, quem principale poſcit, atque primarium, non quem acceſſorium, & ſecundarium. Nollem autem tu *ſuper altare* adeo tibi faceſſat negotii, ut ſi crucis reliquia exponeretur in aperto cuſtodiæ oſtiolo, eidem exhibendum non putes genuflexionis honorem; Decreta enim, quæ SS. Sacramento velato, aut in pyxide ad tabernaculi oſtiolum expoſito, genuflexionem utroque genu decernunt, locum non tollunt, ſed aperta relinquunt genuflexioni cum unico tantum genu erga crucem ſimili modo expoſitam.

V. Num Sacerdos Miſſam celebraturus incedens, ſi tranſeat ante altare, in quo reliquia SS. crucis aut recondita lateat, vel patet expoſita, huic genuflectere reſpective, ſeu inclinare ſe debeat aperto, vel cooperto capite, quæſtio ſuccedit, quam nos ita dirimimus, ut aperto capite ſit inclinandum, aut genuflectendum, ſi præ manibus calicem minime teneat, cooperto autem, ſi calicem geſtet; hoc namque in caſu dexteram ſuper calicem tenere debet, ne aliquid ab eo decidat, ſicuti hac de cauſa ſine apertione capitis ſe Sacerdos inclinat cruci, dum exit e ſacriſtia, vel tranſit ante altare majus, & genuflectit pertranſiens ante altare, in quo aſſervatur SS. Sacramentum, cum apertione vero etiam capitis, quando præ manibus calicem minime gerit. Ita Hyppolitus a

portu

portu, aliique Auctores plurimi contra Gavantum *par. 2. tit. 2. lit. e.*, cui ceteroquin aſſentimur, dum firmat, reliquiarum, quæ inter candelabra ornamenti cauſa diſtribuuntur, nullam habendam eſſe rationem, ſed ſolius altaris, addimuſque dumtaxat, quod ſi ſanctorum reliquiæ venerationis gratia ſolemniter expoſitæ ſint in altari, in cujus tabernaculo incluſum eſt SS. Sacramentum, ſufficit, quod iiſdem Sacerdos unicum flectat genu, abſque eo quod alia exhibeatur reverentia reliquiæ expoſitæ, ſanctorum iſta ſit, vel SS. crucis.

D E C R E T A.

Decretum VI. cap. in ord. 276. *Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda a celebrante genuflexo. S. R. C. 15. Sept. 1736.* in Brixien. I. Diſcrimen aliud rite aſſignatur veram crucem inter & SS. Sacramentum, videlicet quod ubi hoc incenſandum eſt a Sacerdote genuflexo, illa incenſari debet a Sacerdote ſtante, & in hoc convenit cum veræ crucis imagine, ſanctorum ſtatuis, atque reliquiis, quæ a Sacerdote ſtante, ſimiliter incenſantur. Reliquiæ tamen SS. crucis, atque ſanctorum cum Sacramento id habent commune, quod poſt earum expoſitionem, aut delationem in proceſſione, cum iiſdem benedici poteſt populus. In oppoſitum ſentit Tonellius, qui *lib. 3. cap. 2. §. 4. n. 6.* ſcribit: *Hic adverte, quod in finem aliarum proceſſionum, quæ fiunt ſive cum SS. Cruce, ſive cum reliquiis ſanctorum, & ſacris imaginibus, non debet dari benedictio, cum nullibi talis benedictio præſcribatur, niſi cum SS. Sacramento.* Caſtaldum allegans Baruffaldus *tit. 89. num. 29.* ſolam benedictionem admittit cum reliquia SS. crucis, non cum iis ſanctorum, niſi in caſibus, quos illico ſubdit: *Non autem benedici debet populus cum dictis reliquiis, niſi ſint ſanctæ crucis. Iſta benedictio cum ſacris reliquiis tunc tantum permittitur, quando fiat proceſſio cum dictis pro impetranda aliqua gratia ab illis, videlicet pro impetranda pluvia, vel aeris ſerenitate, vel pro fluminum intumeſcentia coercenda: tunc benedicitur aer, flumen &c. præcedente cantu antiphonæ, & orationis*, unde cum reliquiis Sanctorum benedici nunquam poſſet populus.

II. Ad reliquiam Sanctæ crucis quod attinet; modo dubium non eſt, cum id aperte definiat ſequens (erit 7. cap., in ord. 275.) Decretum: *Poſt expoſitionem Reliquiæ SS. Crucis, vel poſt ejus delationem in proceſſione, benedicendus eſt populus cum ipſa.* Ead. Congr. in eod. Decr., quod haud dubitaverim extendere ad ceteras Chriſti reliquias, quas ſuperius cum SS. cruce pares fecimus. Reſtringitur itaque dubium ad Sanctorum potiſſime imagines, atque Reliquias, ſed cum eidem Benedictus XIV. *to. 3. notif. 6. §. 4.* manus appoſuerit, contenti nos ſumus tranſcribere, quæ ille ibidem aurea ſumma de more eruditione: *Non crediamo però, che ciò, che non è ſtato veduto dal Tonelli, non poſſa vederſi dagli altri. Nella deſcrizione della oſtenſione delle Reliquie fatta dalla S. M. di Clemente XI. furono radunate le autorità de' Dottori, che approvano la conſuetudine di benedire colle Reliquie, come molto bene oſſerva l' erudito Sig. Canonico Moretti nella ſua accurata diſſertazione de ritu oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum ſtampata in Roma l' anno 1721., e che l' Autore con tanta confuſione volle dedicare a noi. Ecco le di lui parole nel §. 60.* Ex verbis Auctorum elici videbis conſuetudinem benedicendi (*parla delle Reliquie*) eodem tempore, ac pluribus in locis datam.

III. *Si aggiunge, non dirò la conſuetudine di queſta Dioceſe, ma della S. Sede maeſtra de' Riti, avendo noi cogli occhi proprj veduto la S. M. di Clemente XI. benedire in S. Pietro di Roma il popolo colle ſacre Reliquie della Croce, della Veronica, e della Lancia, ed avendo ancor noi fatta più volte la ſteſſa funzione, quando eravamo canonico nella ſuddetta Baſilica, eſſendo riſervato il maneggiarle ai ſoli canonici della medeſima.*

IV. *Non parleremo de' Greci, che hanno queſto medeſimo rito, come ſi vede ne' loro menei al giorno 14. di Settembre: ma diremo, che nel 1161. facendoſi la tranſlazione delle ſacre Reliquie, o ſia del piede di Santo Aldegonde, il Prelato ne fece oſtenſione, e con eſſo diede la benedizione:* Omnibus oſtendit, & facta benedictione, omnibus ſe humiliter inclinantibus, in loco, a quo ſuſtulerat, repoſuit, *come ſi vede appreſſo il Bollando al giorno 30. di Gennajo; Che nel 1205. avendo Filippo Auguſto* Re *di Francia conſegnato ad Enrico Abate del moniſtero di S. Dionigi le inſigni Reliquie, che avevo ricevuto da Balduino Imperatore, l' Abate le poſe in un luogo decente,* data benedictione cum Reliquiis, *ſono parole del Rigordo de geſtis Philippi Auguſti, e che finalmente il Pontefice Pio II. avendo avuto il prezioſo regalo del capo di S. Andrea da Demetrio fratello di Coſtantino ultimo Imperadore, che fu ucciſo, quando Coſtantinopoli fu eſpugnata da' Turchi, lo portò in quella gran proceſſione, in cui ſi viddero acceſe più di tre mila Torce, e prima di metterlo nel luogo, ove ancor oggi ſi ritrova nella Baſilica vaticana, benediſſe con eſſo il popolo,* ſuperatoque ſummo gradu vertit ſe ad multitudinem, & benedixit ei, ſacrum oſtendens verticem, *parla della teſta de S. Andrea, e le parole ſono ricavate dal lib. 8. de' di lui commentarj.*

V. *Se il Tonelli foſſe ſtato più ſtudioſo della ſacra Antichità, averebbe vedute, e le predette, e le altre coſe, e non averebbe così francamente riprovato l' uſo di dare la benedizione colle Sacre Reliquie. Per la qual coſa, portandoſi, come di ſopra ſi è detto, le Reliquie de' Santi approvate, ed autenticate, approviamo, e lodiamo, che con eſſe ſi dia la benedizione.* His autem, quod ſubdimus (erit 8. cap. in ord. 278.) nos addimus Decretum: *Poteſt permitti, quod hebdomadarius, aut alius canonicus poſt proceſſionem in feſto alicujus Sancti, ſtans ad altare majus benedicat populum, habens tantum ſuperpelliceum, & ſtolam, ſicuti in aliis proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ reliquiæ, cum alba, ſtola, & pluviali* S. R. C. 5. Julii 1698. *in Callen.* In primis namque permittitur, quod poſt proceſſionem, in qua non deferuntur Reliquiæ, Sacerdos ſtans ad altare majus, manu populum benedicat, habens tamen *tantum ſuperpelliceum, & ſtolam*, in quibus dumtaxat licitum eſſe poteſt ſimplici Sacerdoti benedictionem ſuper populum impertiri, quemadmodum definiit Benedictus XIV. in encyclica littera *Exemplis* 29. Mart. 1748., & ſimul comprobat eruditione plurima. Quod ſi in proceſſione circumferatur reliquia, quia tunc non manu, ſed cum reliquia benedicit, benedicere permittitur in alba, ſtola & pluviali, in quibus eamdem reliquiam per proceſſionem detulit. Dubium itaque modo nec amplius eſſe poteſt, quin licita item ſit benedictio populi cum ſanctorum reliquiis, non tantum aeris, fluminis, aliorumve ſimilium, ut Baruffaldus aſſerit.

D E C R E T A.

Decretum 9. cap., in ord. 279. *Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in proceſſionibus per civitates, & oppida, non debent deferri ſub baldachino. S. R. C. 23. Martii* 1686. in Calagurritana. I. Decretum ita legit Meratus, ſed vice *Reliquiæ Sanctorum* ſubſtituit *ſacra ſpina*. Pittonus allegans Monacellum *in Formul. leg. pract. par. 4. in ſupplem. ad 2. to. pag. mihi 45. num. 32.* Pittoni lectio videtur conſona Decreto alteri (erit 10. cap. in ord. 280.) quod propterea, ut Sacræ ſpinæ in proceſſione ſub baldachino deferantur, ſuffragium exigit immemorabilis conſuetudinis: *Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt ſpinam D. N. J. C., præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub baldachino proceſſionaliter deferre* S. R. C. 12. Julii 1740. *in una urbis, & orbis.* Si autem ita eſt de ſacris ſpinis, quæ ſunt ſpeciali nota, & cultu dignæ, multo utique magis de Sanctorum reliquiis. Verum non deſunt apud Nicollum *in Floſc. verb. Proceſſio num.* 9. antiquiora duo Decreta (*erunt* 11. 12. cap., in ord. 281. 282.) quæ & Deiparæ, & Sanctorum imagines in proceſſione ſub baldachino deferri concedunt: *Imaginem B. V. cum baldachino, & intortitiis in proceſſione deferre prohibendum non eſt, modo petatur ab Ordinario licentia, ut occurri poſſit abuſibus.* Congr. Epiſc. 11. Martii 1579. 20. Dec. 1609., 12. Martii 1613., & 10. Jul. 1621. *Idem eſt de imaginibus, ſive ſtatuis Sanctorum.* Ead. Congr. 19. Jul. 1647.

II. Baruffaldus *tit. 89. n. 29.* producta Decreta ita ad concordiam revocat, ut illa, quæ uſum baldachini prohibent, intelligenda ſint de proceſſionibus minus ſolemnibus, quæ vero permittunt, de ſolemnibus, & celebrioribus, ad quarum majorem ſolemnitatem, dubium non eſt, quod baldachinum deſerviat. Refert Benedictus XIV. de canoniz. *lib. 4. par. 2.*, quod cum ferrum lanceæ, quo latus Chriſti perfoſſum fuit, a Bajazete Turcarum Tyranno dono datum fuiſſet Innocentio Papæ VIII., die 1. Maii 1492. ad civitatem Anconitanam devenit, & proceſſionaliter per civitatem delatum fuit ab Archiepiſcopo Arelatenſi, *Antianis civitatis baldachinum deferentibus.* Quæ de baldachino in ſua univerſali Bibliotheca Coronelli exaravit, hic nobis lubet tranſcribere: *Arneſe, che ſi porta, o tiene affiſſo ſopra le coſe ſacre per difenderle dalle immondezze, in ſegno di onore, e riverenza. Il baldachino altro è portatile, altro ſtabile, il portatile è quello, che portaſi con quattro, o più aſte ſopra il Venerabile, e Reliquie de' Santi, ogni qual volta ſi portano in proceſſione; ſopra al Sommo Pontefice nelle funzioni ſolenni; ed anche ſopra i gran Principi, Legati Apoſtolici, e Veſcovi, quando ſi ricevono ſolennemente in qualche luogo. Trovaſi ancora uſato per accompagnare i cadaveri de' Perſonaggi grandi, come leggeſi negli Annali Colmarienſi nel 1276., e nella ſtoria Bologneſe del Ghirardacci 1260. Il baldachino fiſſo, o ſtabile (oltre l' uſo nelle coſe ſacre) è uſato parimente ſopra i ſeggi de' Veſcovi, Principi, o gran Perſonaggi &c.* Uti autem ex his aperte eruitur, quod baldachinum ad ſolemnitatem deſervit, & honorem, ita videtur erui, quod SS. Sacramento, cui Ritualia illud attribuunt, non privative convenit, neque tanquam unum ex ſignis proteſtativis divinitatis, atque adeo quod etiam adhiberi poteſt Reliquiis, dum per proceſſionem ſolemniter deferuntur, abſtinendum vero in proceſſionibus minus ſolemnibus, in quibus ut deferatur, Decretum 1704. ſuffragium immemorabilis conſuetudinis fortaſſe exigit.

III. De velo humerali dicere ſupereſt, quod adhiberi poſſe a deferente Reliquiam SS. crucis, per ſequens Decretum (erit 13. cap., in ord. 283.) definitum extitit: *Conſuetudo deferendi Reliquiam SS. crucis manibus opertis cum velo a ſpatulis pendente poteſt retineri.* S. R. C. 16. Sept. 1742. *in Bracharen.* Idipſum dicito de reliquiis, Chriſti reliquiis, quas in Decreto primo memoravi, non tamen laudarem id extendi ad Sanctorum reliquias, licet nulla prohibitio appareat. Etſi autem in comprobanda conſuetudine Decretum ſiſtat, haud dubitarem eamdem, ubi non eſt, invehi poſſe; non apparet quippe, unde reprehendi ea valeat, præcipue loquendo de prædictis Chriſti reliquiis, quæ a ſacra ipſa Congregatione *ſpeciali nota, & cultu digna* dicuntur.

D E C R E T A.

Decretum 14. cap. in ord. 284. *Jus deferendi SS. Sacramentum, & Reliquias in proceſſionibus ſpectat ad hebdomadarium Miſſarum ſolemnium peragendarum poſt proceſſionem, vel ad illum, qui immediate ante proceſſionem eadem peregerit, privative quoad reliquos, etiam Dignitates, & ſeniores Canonicos, tam abſente, quam nolente Epiſcopo prædicta munia obire. S. R. C. 26. Jan.* 1658. in Cajetan. I. Nihil frequentius dicendum nobis accidit, quam quod ad eam ſpectat ſubſequans proceſſio, qui præcedentem Miſſam, aut veſperas ſolemniter celebravit, & idipſum eſſe de eo, qui ſubſequentem Miſſam debet facere, aut veſperas, evincunt late tradita in cap. de Benedict. Candelar., Ciner., & Palmar., & quæ inferius trademus in cap. de Aqua Luſtrali, de Bened. Fontis Baptiſm., quare dubium eſſe non poteſt, quod jus deferendi SS. Sacramentum, aut Reliquias in proceſſionibus ſpectat ad celebrantem præcedentem, vel ſubſequentem Miſſam, aut veſperas, quando vel Epiſcopus abeſt, ſive prædicta non vult exercere munia. Difficultas itaque dumtaxat ſupereſt ſuper colorem paramentorum, in quibus proceſſio fieri debet, & quantum ad Sacramentum attinet, etſi colorem album exigat, ab Inſtructione jam cautum vidimus, quod nihilominus in uſu eſſe debet color præcedentis Miſſæ, adde, vel veſperarum, ſi poſt has proceſſio fiat, quidni igitur idipſum erit de proceſſione Reliquiarum, etſi Rituale *tit.* 89. expoſcat *colorem album, vel rubeum, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, expoſcunt?* Uti igitur Rubrica, quæ pro SS. Sacramento colorem album exigit, Inſtructione Clementina interprete intelligitur de caſu, in quo proceſſio non ſubſequatur immediate ad Miſſam, quæ in alio colore celebrata ſit, ita quis dubitare unquam poteſt, quin ſimili modo intelligenda ſit Ritualis Rubrica, quæ in proceſſione Reliquiarum poſtulat colorem album, aut rubeum?

II. At quid de caſu, in quo Miſſa ſubſequitur, aut ſolemnes veſperæ? Cum tunc proceſſio cum ſubſequentibus Miſſa, aut veſperis unam veluti functionem integret, color is adhibendus videtur, quem item expoſcunt Miſſa, aut veſperæ eorum inſtar, quæ tradimus de aſperſione aquæ benedictæ, atque ſuperius in Decr. 46. cap. 7. dicebamus de expoſitione Sacramenti, quæ fit ante Miſſam, aut veſperas. Verum quæ definita ſunt de Proceſſione Candelarum, præſentem quæſtionem dirimant; cum enim de Rubricarum præſcripto facienda illa ſit in paramentis violaceis, etſi ſubſequens Miſſa de Purificatione fiat in albis, non leve utique exurgit argumentum, quod & in caſu noſtro proceſſio debet fieri in paramentis illius coloris, quem poſtulat Sanctus, cujus Reliquiæ per proceſſionem deferuntur, Miſſa vero in paramentis illius coloris, quem exigit Miſſæ qualitas. Conſultior ut minimum eſt hæc agendi ratio, ſed ſi quis contendere vellet, quod etiam in præcedenti proceſſione uſurpari valeat color ſequentis Miſſæ, aut Veſperarum, nolo ego jurgium inſiſtere productius.

III. Diximus, *quem exigit Miſſæ qualitas*, quia proceſſio, aut præciſus concurſus populi non eſt ſufficiens titulus ad Miſſam ſolemnem habendam de ſancto, cujus feſtivitas agitur, aut proceſſio inſtituitur, qua de re loci hujus non eſt pertractare; quare præ manibus arripientes verba illa *Omnes procedant decantantes litanias cum invocatione ſanctorum, quorum reliquiæ deferuntur*, quæ Rituale habet de proceſſione in translatione ſacrarum reliquiarum, advertendum dumtaxat ducimus, quod non continuo invocari poſſunt nomina ſanctorum, quorum reliquiæ deferuntur in proceſſione, ſed tantummodo quoties ſolemniter transferuntur, quo de caſu dumtaxat diſponit Rubrica, cui non contrait Decretum S. R. C. 22. Martii 1631. diſtricte inhibens additionem quamlibet, non quia ſolemnitas particularis ſuperet omne Decretum, aut quia non ſit additio perpetua, ſed tantum pro illa occaſione, uti Baruffaldus aſſerit, ſed quia pro caſu habetur ſpecialis conceſſio, Rubrica nempe Ritualis Romani, quæ per ſacram Congregationem approbata eſt, atque ſervari mandata.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Cruce in altari, & ſacris imaginibus.

QUamvis Dominica Paſſio revera contigerit in feria VI. Paraſceves, in qua propterea ad honorandos cruciatus, & mortem Chriſti ex Apoſtolica inſtitutione feſtum ad noſtram uſque ætatem vidimus fuiſſe traductum, ſummaque ſemper religione cuſtoditum, adhuc duarum hebdomadum, quibus ad illud ſancte, & digne recolendum diſponamur, & præparemur, ſpatium ab Eccleſia conſtitutum extitit, cui capropter inditum eſt *Paſſionis* nomen, & Dominica, a qua illud incipit, *Dominica de Paſſione* reperitur inſcripta. Id eſt inſtar temporis, quod conſimili de cauſa ex Eccleſiæ inſtitutione Dominicam præit Nativitatem, ſeu Domini adventum, cui nomen, quod proprie ipſi convenit Nativitatis feſto, nihilominus comperitur fuiſſe attributum, nempe *Adventus Domini*. Hoc Paſſionis tempore cruces, & imagines in uſu habet Eccleſia contegere, & tenere velatas, & de hoc ritu nunc nos ſumimus agere; quantum autem ad earum attinet diſcooperitionem, lector recolat, quæ de cruce dedimus in cap. de feria VI. Paraſceves, & de imaginibus reſervamus agere in cap. de ſabbato ſancto.

In hoc ritu agnoſcit Grancolas *lib.* 2. *cap.* 51. veſtigium quoddam veteris Eccleſiæ ſimplicitatis in ſuis officiis: *velantur imagines in Eccleſiis, ut repræſentetur antiqua ſimplicitas Altarium, & Eccleſiarum, quæ nec imagines habeant, nec ornamenta, reddaturque veluti ſenſibilis populorum oculis triſtitia, & cultus in conſideratione dolorum Jeſu Chriſti*. Verum etſi nos probemus, quod de ſenſibilis triſtitiæ, & luctus cauſa producitur, abſit, demus unquam, quod cruces, ſacræque imagines exularint a ſacris ædibus, & quod ad crucem attinet, cum in præcedenti capite ſua ponderatione minime caruerit, teſtimonium Luſitani ferant, qui Meliaporem profecti inter rudera, & templi, quod S. Thomas Apoſtolus extrui curaverat, vetuſtiſſimi veſtigia deprehenderunt cruces lapideas; immo verſus orientalem plagam adhuc ſuperſtes eſſe ſacellum, intus, & foris lapideis crucibus e vetere diſciplina ornatum, tradit Maffæus *lib.* 8. *hiſt. Indicæ*, qui *lib.* 4. etiam aliud producit evidens argumentum uſus imaginis crucis in templis ex Apoſtolica traditione, dum refert, quod in Urbe Goa Luſitani illius victores, dum mœniorum, & templorum profanorum demolitioni intendebant, repererunt æneam imaginem Chriſti in cruce pendentis. Non modicum itidem monumentum eſt conſuetudo a primis Chriſtianæ Religionis fundatoribus ad nos uſque traſmiſſa, in templis, quocumque nomine appellentur, crucem erigendi loco editiore, ut introeuntibus palam proponeretur conſpicienda, ſub qua cruce quibuſdam in locis hi verſus ſcripti leguntur:

> Nam Deus eſt quod imago docet: ſed non Deus ipſa,
> Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in illa.

Cruces itidem in altaribus ipſis collocatas fuiſſe Acta manuſcripta S. Martialis, Chriſti Domini Diſcipuli, quæ Romæ habentur, abunde comprobant; cum enim certior factus ille eſſet de nece Apoſtolorum Petri, & Pauli, juſſit ſtatim perfici Oratorium, in quo crucem auream ante aram collocavit. Etiam in templo a Conſtantino magno in honorem Archangeli Michælis ædificato, memorat Sozomenus, & Nicephorus crucis imaginem in altari ſtatutam fuiſſe, & moris ejuſmodi non leve argumentum item ſuppeditat Metaphraſtes in Actis S. Gregorii Martyris Armeniæ Epiſcopi, quæ a Surio die 30. Sept. relata ſunt, dum tradit, quod in admirabili viſione, quam ille habuit, nedum conſpexit altaria ignea, ſed inſuper ſuper eorum quodlibet crucem pariter igneam. Taceo, licet quæ recolantur, certe digna ſint, quæ tradunt Horatius Turſellinus *lib.* 1. *vit. Franc. Xaver. cap.* 16., Olorius *lib.* 3. *hiſt.*, & Maffæus *lib.* 2. *hiſt.* de cruce ab Apoſtolicis uſque temporibus apud Indos in altari adhuc reliqua, contentus ex Ciaconio *cap.* 35. *de ſignis SS. crucis* exemplum quoddam producere, quod crucis appoſitionem in altari tempore Miſſæ cœlitus comprobatam oſtendit. Cum namque in Urbe Caravacana Sacerdos quidam, jubente Agareno Rege, Miſſam celebraturus, dum ſacris veſtibus indutus, conſpexiſſet in altari crucem deeſſe, conſiſtit, & religionis ſcrupulo tactus, illam ordiri detrectabat, cum ſubito Angelorum miniſterio crux ibi depoſita eſt, quæ ad noſtra uſque tempora videtur, totoque orbe celeberrima eſt, & miraculis inſignis.

Sacrarum vero imaginum, ac picturarum antiquitatem in templis monumentis plurimis fuſe demonſtrat Trombelli *to.* 2. *par. alt. diſſert.* 9. *cap.* 68., illiſque triplicem ob cauſam Eccleſias decoratas fuiſſe oſtendit, ut iiſdem nempe ornarentur, ut hiſtorica facta, quibus inſtrueretur populus, exprimerentur; & ut denique venerarentur illi, qui ab iiſdem repræſentabantur. Duo priora capita noſtro ſunt aliena inſtituto, & in comprobationem noviſſimi ex allegato Auctore contenti ſumus in medium afferre effigiem S. Martini, quam Venantius Fortunatus *ſub finem lib.* 4. *de vita S. Martini to.* 8. *Biblio. Patriſ. Patr.* hoc pacto deſcribit:

> Eſt ibi Baſilicæ culmen Pauli, atque Joannis.
> Hic paries retinet ſancti ſub imagine formam,
> Amplectenda ipſo dulci pictura colore.
> Sub pedibus Juſti paries habet ante feneſtram.
> Lycnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 285. *In altari, in quo adeſt magna ſtatua SS. Crucifixi non eſt neceſſe, ut ponatur alia crux, dum celebratur Miſſa. S. R. C.* 16. *Junii* 1663. in Roſſanen. I. *Sicut Eccleſia ſine cruce ſtare non poteſt, ita & ſine arbore navis infirma eſt*, effatum generale eſt S. Maximi *ſerm olim* 56. *alias* 52. *inter Ambroſianos, nunc attributo S. Maximo, & inſcripto de cruce, & ſepultura Domini*, quod uti antiquiſſimam, & apud omnes receptam abunde comprobat conſuetudinem, qua in Eccleſiis cruces collocabantur, ſic imaginis ejuſdem crucis in ſacris ædibus collocandæ vehementem neceſſitatem inculcat. *Super altare collocetur crux in medio*, ait propterea Rubrica XX. de altari, in quo faciendum eſt Miſſæ ſacrificium, & crucem in altari eſſe collocandam tamquam ſignum Regis in Regia, & memoriale Dominicæ Paſſionis, ſeu Chriſti ſacrificii cruenti, unanimes conveniunt Auctores, & ſolum diſputant, num prædicta Rubrica ſit præceptiva, & obliget ſub gravi? Affirmat Averſa *de ſacrif. Miſſæ quæſt.* 11. *ſect.* 3., quia nedum a laudata Rubrica crux apponi mandatur, ſed etiam ab aliis, quæ inter præceptivas communiter recenſentur. Et quidem in fine collectæ Sacerdos verſus crucem ſe inclinare, & crucem ipſam in Miſſa ſolemni incenſare jubetur; id autem præſtare non poteſt, ſi crux non ſit in altari, quare ſicuti incenſatio, & inclinatio ſub præcepto cadere cen-

re cen-

re cenſentur, ita & crucis uſus, erga quam illæ fieri debent.

II. In oppoſitum tamen militat ſententia communior, quæ prædictum ritum onn cenſet in præcepto ſub gravi eſſe conſtitutum, cum de eo neque conſtet in jure, neque ex conſuetudine, quæ hoc animo fuerit inducta, ſed præciſe ſervari ex majori devotione, & ad ſatisfaciendum Rubricæ directivæ, cujus rationis putat laudatam Rubricam; ad id autem, quod in contrarium ex aliis Rubricis producitur, reponit Quarti *par.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. in inclinatione, aliiſque verſus crucem præſtandis, non præcipi crucis uſum, ſed ſolum ſupponi eam ibi adeſſe ex communi uſu, & directione Rubricæ, unde quatenus minime adſit, verſus altaris imaginem illa eſſe præſtanda. Vert *to.* 4. *pag.* 30. ulterius progreditur, & docet, quod remotioribus ſæculis nulla crux apponebatur in altari tempore Miſſæ, ſed ſolummodo uſus erat Chriſti imaginis, quæ in Miſſæ canone ante *Te igitur* etiamnum collocari ſolet, & quod cum poſtea canonis tempore, & præſertim conſecrationis crux cœperit exponi, & deinde majoris celebrantium devotionis gratia per totum Miſſæ tempus, inde facta eſt ornamentum ſtabile altaris per ſacriſtarum inertiam, qui abſoluta una Miſſa non putarunt amovendam eſſe crucem, ut iterum eam ad altare deferrent alterius Miſſæ tempore. Huc fortaſſe attinere queunt ea verba Innocentii III. lib. 3. cap. 2. *Inter Præfationem, & Canonem in pleriſque ſacramentariis imago Chriſti depingitur, ut non ſolum intellectus litteræ, verum etiam aſpectus picturæ memoriam Dominicæ Paſſionis inſpiret. Et forte divina factum eſt providentia, licet humana ſit induſtria procuratum, ut ab ea littera canon inciperet, quæ ſui forma ſignum crucis oſtendit, & exprimit in figura. Thau namque myſterium crucis inſinuat, dicente Domino per Prophetam Ezech. 9. ſigna Thau in frontibus virorum dolentium, & gementium &c.*

III. Quidquid allegati ſenſerint Auctores, præſens ſanctio ſupponit neceſſariam eſſe crucem in altari, in quo faciendum eſt Miſſæ ſacrificium; dum enim declarat non eſſe neceſſariam, quando habetur æquivalens, ſeu magna ſtatua SS. Crucifixi, ejuſdem profecto neceſſitatem aſtruit in æquivalentis defectu. Verum hac in re opus haud eſt illationibus uti, cum ſtatim referenda jora non deſint, quæ per verbum *debet* crucis præceptum inſinuant, non meram conſuetudinem ex directione Rubricæ. Et quidem ad antiquitatem hujuſce ritus quod attinet, ex Apoſtolica traditione promanare credit Juenin *de ſacram. diſſert.* 5. *de Euch. ſacram. quæſt.* 8. *cap.* 4. *art.* 3., ubi habet: *ſic fert Eccleſiarum omnium conſuetudo: cujus quidem cum in conciliis, aut in Patribus initium non reperiatur, ad ipſos Apoſtolos juxta Auguſtini principium refundi debet. Decuit etiam, ut ritus, de quo agitur, obtineret; par enim eſt, ut Chriſti Paſſio Sacerdotis ſacrificantis oculis obverſetur, quam Miſſam ad vivum exhibet.* Quæ recolantur, digna etiam ſunt, quæ habet Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 8., ubi & Dallæi, & Binghami errores arguit, qui anno 336. vetuſtiorem non eſſe cenſent crucom appoſitionem in Eccleſiis.

IV. Ad rem apprime quoque facit teſtimonium Chryſoſtomi, qui *lib. contra Gentiles, & Jud. de Chriſti divinitate to.* 1. *pag.* 570. manifeſte commonſtrat, quod prædictum extremi ſupplicii ſymbolum, olim maledictum execrabile, nunc deſiderabile, amabile factum, a ſacra ipſa menſa, ſeu altari minime exulabat. *Hoc in ſacra menſa, hoc in Sacerdotum Ordinationibus, hoc rurſum cum corpore Chriſti in myſtica cœna refulget &c.* Canonem tertium Concilii II. Turonenſis celebrati anno 567. nonnulli addunt, in quo cavetur: *Ut Corpus Domini in altari, non in armario, ſed ſub crucis titulo componatur*; ſed nobis magis lubet recenſere Conſt. *Accepimus* 26. Julii 1746., in qua Bened. XIV. mira eruditione demonſtrat ejuſmodi vetuſtatem ritus apud quoſque chriſtianæ fidei aſſeclas, & inſimul neceſſitatem ſtatuit.

V. Num ſufficit crux nuda ſine imagine crucifixi, eſt quæſtio altera, quam affirmative definit Biſſus *lit. A. num.* 254., & docitur, quia Rubrica ſolam crucem exquirit, neque ſe exprimit circa imaginem crucifixi. Mecatus *par.* 1. *tit.* 20. *nu.* 6. adhærens Biſſo, & Quarti autumat ſatisfieri diſpoſitioni Rubricæ, ſi ponatur ſola crux ſine ulla imagine crucifixi, licet ſit optimum conſilium, quod etiam crucifixi imago in cruce habeatur; & in hac parte deſerere videtur Gavantum, qui *ibidem lit. u.* in cruce rite etiam imaginem crucifixi expoſtulat, circa quam etſi fortaſſe non ſe ſatis exprimat laudata Rubrica, hujus tamen ſenſum ubertim aperit cœremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 12., ubi diſerte crucem expoſcit cum imagine crucifixi, unde & tertium Decretum capitis ſola cruce contentum non eſt; ſed addit *cum imagine crucifixi appoſita*. Hæc ſententia ubertim modo probari videtur, cum in cit. Conſt. Bened. XIV. de ea habeat: *cum tamen cœremoniale Epiſcoporum crucem una & crucifixum nominet, idque communi Eccleſiæ conſuetudini conſentaneum ſit, hanc ideo ſententiam probandam nemo ſapiens dubitabit.* Quem allegat, Claudius la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *de ſacrif. Miſſæ num.* 318. fatetur veterem communem uſum, ob quem propterea ſine imagine crucifixi, quæ pendeat e cruce, rem divinam fieri non poſſe ſtatuit, niſi neceſſitas intervenerit. Eumdem vero ritum plene comprobat, quod idem ſapientiſſimus Pontifex addit, videlicet quod *initio Eccleſiæ, cum fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, ſi Chriſtum crucifixum publice adorandum proponerent, crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque inciſum, vel depictum cruci apponebant Agnum, qui typus amantiſſimi ſalvatoris ſemper habitus eſt, ut eo ſaltem modo crucifixi imaginem exhiberent.*

VI. Ad præſens Decretum quod attinet controvertitur inter Doctores, an icon, ſeu tabula picta, vel ſtatua Chriſti crucifixi ſit idonea ſupplere appoſitionem crucis in altari, & negat Gavantus, tum quia Rubrica abſque ulla limitatione inter candelabra crucem præſcribit, tum quia in Miſſa ſolemni eſt incenſanda. In oppoſitum ſentit Quarti, quia per iconem, ſeu crucifixi ſtatuam, quæ eſt in proſpectu, & ob oculos Sacerdotis, jam habetur finis intentus a Rubrica, quæ dum crucem exigit inter candelabra, debet intelligi regolariter, quando ſcilicet non habetur æquivalens, cujuſmodi eſt icon, ſeu ſtatua crucifixi, quæ propterea loco crucis in caſu erit incenſanda.

VII. Hæc ſententia ſaltem quoad ſtatuam crucifixi per præſens probatur Decretum, quod lubens extendo ad crucem item depictam, dummodo ſuper crucem depicta quoque ſit imago crucifixi; & hoc eadem ipſa de cauſa, ob quam crucifixus exigitur in reali ipſa cruce, quia nempe imago crucifixi validior eſt ad excitandam memoriam Paſſionis Chriſti, quod eſt finis apponendæ crucis in altari. Quam ſententiam in cit. Conſt. laudat idem Benedictus XIV. ſequentem addens conditionem. *Dummodo crucifixus in majori tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ ceteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur.* Idipſum autem etiam productum Decretum ſenſiſſe videtur, dum non quamcumque ſtatuam crucifixi putat ſufficere, ſed *magnam*, expoſcit, ut magis dicemus in ſequenti Decreto, quod priuſquam adducamus, nobis liceat lectorem monere, quod ſanctiones ejuſmodi præciſe ſiſtunt decernendo, quod in altari, in quo ut ſupra crucifixus pictus, vel cælatus apparet, neceſſe non eſt apponi crucem, ſed ſi hæc nihilominus apponeretur, nihil inde fieret contra ſacros ritus.

D E C R E T A.

Decretum II. cap. in ord. 286. *Crux parva cum imagine crucifixi poſita ſuper tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia crux in medio candelabrorum. S. R. C.* 16. *Junii* 1663. in Roſſanen. I. Dubium non eſt, quod Miſſalis Rubrica, quæ in altari crucem expoſtulat, de altari loquitur, in quo faciendum eſt Miſſæ ſacrificium, & ideo monet Gavantus non eſſe contra eamdem Rubricam, ſi non apponatur crux in altari, in quo Miſſa fieri non debet. Ejuſmodi erat olim altare, in quo aſſervabatur Sanctiſſimum Sacramentum, in eo namque antiquitus celebratum non eſſe, nec decens eſſe, quod nunc in eo celebretur, teſtatur cœremoniale Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 12., & prædicti moris veſtigium adhuc reliquum eſt in nonnullis Eccleſiis urbis, quæ propterea, ait idem Gavantus *part.* 1. *tit.* 20. *lit. u.*, abſtinent ab apponenda cruce in altari, in quo populo diſtribuitur ſacra ſynaxis. Verum quoniam cœremoniale Epiſc. in altari, in quo SS. Sacramentum latet incluſum, celebrari abſolute non inhibet, & aliunde id fieri Miſſale aperte permittit *tit.* 2. *n.* 4. & *tit.* 4. *nu.* 6., modernior Eccleſiarum uſus, nimis rigide non adhærens cœremonialis monito, a celebrando in prædicto altari non abſtinet. Quia tamen laudata Miſſalis Rubrica in altari, in quo celebrandum eſt, crucem expoſtulat, & minus fortaſſe decens eſt, tali vexillo, a quo provenit redemptio noſtra, prælatum altare iri ſpoliatum, Eccleſiarum quarumdam diſciplina invexit parvulam quamdam crucem cum imagine crucifixi, ut ſic & prædictæ pareret Rubricæ, & inſimul conſuleret decenti altaris ornatui.

II. Parvulam crucem ejuſmodi in Miſſa non ſufficere præſens ſanctio declarat, quæ propterea aliam crucem expoſtulat in medio candelabrorum; & dubium non eſt, quod conſonanter ad prædictam Rubricam, quæ nedum in altaris medio crucem exquirit, *ſed & candelabra ſaltem duo hinc inde in utroque ejus latere*, & Innocentius III. *lib.* 2. *cap.* 21. notat myſterium, ut nempe ſignificetur, quod Chriſtus per crucem fecit utraque unum, ſeu quod mediator eſt utriuſque populi, Judaici nempe, & Gentilis, qui per candelabra deſignantur. Crux autem illa, ex cœremon. Epiſcop. notat Gavantus *debet eſſe prælta, ita ut pes crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, & crux ipſa tota candelabris ſuperemineat, cum imagine SS. crucifixi verſa ad anteriorem altaris faciem*, ut videlicet denotetur, quod Chriſtus etiam in cruce major eſt ſuper omnes populos ſignificatos in candelabris.

III. Sane ſubſequens ſanctio, quæ agit de caſu Sacramenti in altari expoſiti, diſerte in altari poſtulat crucem *de more*; de more autem eſt, quod apponatur crux magna inter candelabra, qualem ſuperius deſcripſimus; quare quidquid ſit de caſu Sacramenti expoſiti, de quo diſponit dictum Decretum, & nos infra reſervamus agere, ex eo ſaltem eruitur, quod a fortiori magna crux eſſe debet in altari, in quo celebrari debet, Sacramento minime expoſito, licet intra tabernaculum clauſo. Hanc ſibi *de ſacrif. Miſſæ part.* 4. *ſect.* 1. *numer.* 18. ſtetiſſe ſententiam fatetur Benedictus XIV. in cit. Conſt., quam dum laudat, utique etiam probare videtur. Ceterum non leve ſuffragium in idipſum nobis præcedens ſanctio ſuppeditat, dum *magnam* ſtatuam crucifixi expoſtulat; talis enim crux, & crucifixi imago eſſe debet, quæ apta ſit inſervire finibus, ob quos in altari apponi mandatur, quæ ſcilicet ſit ob oculos Sacerdotis, hujus advertentiam fugere invalida, & ex ſe idonea in eodem excitare memoriam Dominicæ Paſſionis, cujuſmodi non ſunt cruces parvulæ, & præſertim non poſitæ in loco ſolito, ſed in loco minus conſpicuo, ſuper tabernaculum nempe, aliudve ſimile.

IV. Nolim denique, dum crucem alteram in medio candelabrorum expoſcit, ita accipias, quaſi utraque crux ſit neceſſaria, cum & in altari, in quo non aſſervatur SS. Sacramentum, unica ſufficiat crux de more poſita inter candelabra; neque quod crux de more magna requiratur ad ornatum altaris, cum crux parva ſolummodo declaretur inſufficiens *in Miſſa;* neque denique quod crux, ſaltem parva, ſit ſemper ſtatuenda in altari, in quo latet SS. Euchariſtia, quia Decreti ſcopus præciſe ſiſtit in declaranda cruce parva invalida ad reddendum altare aptum, ut in eo celebretur, quidquid ſit poſtea de ſufficientia, vel neceſſitate crucis, & qualis, ad altaris ornatum, ad quod definiendum haudquaquam deſcendit, & nos infra dicere reſervamus.

D E C R E T A.

Decretum III. cap. in ord. 287. *Super altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, crux de more collocari debet, cum imagine crucifixi appoſita. S. R. C. 14. Maji* 1707. in una Senarum. I. Num in altari, in quo publice SS. Sacramentum patet expoſitum, apponenda de more ſit crux Miſſæ tempore, quæſtio eſt, quæ Auctores in varia ſcidit placita. Gavantus *part. 2. tit. 14. num. 6.*, Biſſus *lit. c. nu.* 584. §. 1., aliique plurimi ſententiæ adhærent negativæ, & ea ratione ducuntur, quod ubi eſt figuratum, debet ceſſare figura, & ut minimum crux in caſu neceſſaria non eſt ad repræſentandum Chriſtum, qui in Euchariſtia realiter præſens eſt, & patenter ob oculos Sacerdotis. Et hinc apparet ratio diſcriminis, ob quam crux exigitur in altari, in cujus tabernaculo Sacramentum latet incluſum, quia nempe etſi Chriſtus tunc realiter præſens ſit in altari ratione ſpecierum Euchariſticarum, non eſt tamen patenter præſens, & ob oculos Sacerdotis, in quo propterea minus aptus eſt pios illos excitare actus, propter quos crux apponitur in altari.

II. In oppoſitum pronuntiant Paſqualigus *to. 1. de ſacrif. nov. leg. qu.* 715. *nu. 2.*, Henao *to. 2. de ſacrif. Miſſæ diſp.* 25. *ſect. 5. num. 9.*, Oliverius Bonartius *de Miſſæ ſacrif. lib. 1. cap. 19. nu. 3.*, & cæremonialia Excalceatorum SS. Trinitatis, & Ordinis S. Mariæ de Mercede, quibus poſt productum Decretum noviſſime acceſſit Meratus *part. 1. tit. 20. num. 7.*, & *part. 2. tit. 14. num. 7.*, ubi parvam crucem exigit in prædicto altari, & Decretum cenſet conforme Rubricæ, quæ cum indefinite crucem in altari, in quo eſt celebrandum, expoſtulet, nullam exceptionem videtur admittere. Addit vero, quod figuratum, ſeu Chriſtus realiter quidem præſens eſt in ſpeciebus Euchariſticis, ſed ob oculos fidei, & mentis, non ob oculos corporis, ob quos conſequenter Rubrica præſentiam figuræ, ſeu crucis rite valet expoſcere, tamquam quæ facilius in memoriam revocat Chriſti Paſſionem, ejuſque cruentum ſacrificium; quæ quidem memoria, attenta infirmitate noſtrarum diſtractionum, magis ex crucis ſenſibilis aſpectu, quam ex ipſa hoſtia in nobis excitatur, ſicuti fatetur Gavantus ipſe *loc. cit.* ut firmet requiri crucem in altari, in quo reconditum eſt Sacramentum.

III. Quarti medium iter incedit, & crucem neceſſariam non eſſe putat, quia Sacramentum palam expoſitum, ex ſe aptum eſt deſervire ad fines, ob quos crux apponitur, ſed nec arbitratur inconveniens, ſi nihilominus apponatur, quoniam inconveniens non eſt, quod ubi eſt perſona Principis, ſint etiam ejus Inſignia, & imago; alias quippe cum peracta conſecratione Chriſtus conſtituatur illico realiter præſens, neceſſe foret crucem ſtatim ab altari removere, quod eſt contra Romanum uſum. Axioma igitur illud, *ubi eſt figuratum, debet ceſſare figura*, intelligendum apparet de ſacrificiis veteris legis, quæ erant figura ſacrificii crucis, & Chriſti crucifixi, non vero de imagine crucis, & crucifixi, qua repræſentatur ipſa realis crucifixio jam conſummata, & ponitur ob oculos corporis, quod SS. Euchariſtia minime præſtat; unde & uſus obtinuit, quod in ipſa hoſtia conſecrata habeatur nihiloſecius impreſſa imago crucifixi.

IV. Hinc facile apparet ratio Decreti, in cujus efformatione cum varia fuerint, ac diſcrepantia ſuffragia, nos admonet Benedictus XIV. *in cit. Conſt.*, quod cautum deinde fuit, ne ipſum Decretum in lucem ederetur; & hæc eſt cauſa, ob quam idem Decretum, quod nihilominus foras erupit, univerſali Eccleſiarum uſu receptum non extitit; quinimmo cum res iterum deducta fuerit in examen, S. R. C. perpendens utramque partem Rubriciſtarum auctoritate, & ratione probabili eſſe ſuffultam, decernendum putavit, ut quælibet Eccleſia morem, & inſtitutum, quod antea ſervaverat, in poſterum quoque retineat, ut magis dicemus in ſequenti Decreto.

D E C R E T A.

Decretum IV. cap. in ord. 288. *Decretum S. R. C. de anno* 1707. *præcipiens, quod in altari, ubi eſt publice expoſitum SS. Sacramentum, tempore Miſſæ crux de more collocetur, apud aliquas Eccleſias non eſt in viridi obſervantia, & hac de cauſa Inſtructio pro oratione XL. horarum Clem. IX. Bened. XIII. & Clem. XII. Summorum Pontificum juſſu edita, ſub ſilentio præterit, an locanda, an vero removenda ſit hujuſmodi crux; linquens quemlibet in ſua praxi. Sac. Rit.* C. 2. Septemb. 1741. I. Ut dicebamus, præcedens Decretum, quod non obſtante expoſitione SS. Sacramenti in altari crucem exigit Miſſæ tempore, apud quaſdam Eccleſias non fuit uſu receptum, quinimmo a S. ipſa Congregatione in lucem edi prohibitum, quia licet votorum pluralitate captum fuiſſet, diſcrepantia tamen admodum fuerunt ferentium ſuffragia. Hæc fuit cauſa, ob quam cum poſtmodum edita fuerit Inſtructio Romana pro oratione XL. horarum, quæ eſt admodum accurata in recenſendis, qui obſervari debent, ſacris ritibus, ſub ſilentio præterire cenſuit, an in altari, in quo Miſſa fit pro repoſitione, collocanda foret crux, vel removenda tempore Miſſæ, ſic linquens quemlibet, ut Decretum præſens aſſerit, in ſua praxi, eam ſcilicet apponendi, vel removendi. Decreti autem ſenſum per ſequentia verba nobis ſatis aperit in cit. Conſt. Benedictus XIV. *Nempe, ut quælibet Eccleſia vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi crux, in altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi ſacra Euchariſtia publice proſtet; neque nova diſciplina excitetur in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſueto jampridem invaluerit.*

II. Hac itaque in re uterque modus pro placito ab Eccleſiis uſurpari non poteſt, ſed quælibet Eccleſia ſuæ conſuetudini ſtare tenetur, ita ut Eccleſia, quæ crucem apponere ſolebat, ab ea apponenda abſtinere non valeat, & e contra. Quod dictum ſit de Eccleſiis matricibus, & Diœceſibus, non de individuis, & filialibus, quæ ſi alicubi inter ſe ſe diſcrepent, & a primaria matrice, ſeu cathedrali, hujus praxi ſe conformare debere credimus; patens eſt enim intentio Benedicti XIV., ut idem mos, & ritus conformitas in eadem Diœceſi teneatur, & quod non ritus unus in una, alter in altera Eccleſia ejuſdem Diœceſis cum difformitate obſervetur; æquum autem eſt, quod filiæ matri præſtent conformitatis obſequium, non mater filiabus.

III. Ita quidem eſt, ſed quatenus ex integro res definienda foret, nos magis ſtaremus ex parte Quarti, ita ut dum Sacramentum proſtat expoſitum, neceſſarium quidem non ſit, pro Miſſa in altari crucem apponi, ſed nec inconveniens, immo fortaſſe magis congruum, ſi apponatur, quia imago crucis, & crucifixi Sacerdoti objiciunt ipſam realem crucifixionem jam conſummatam, eamque ponunt ob ejuſdem oculos corporis, ad quæ munia præſtanda non adeo apta eſt SS. Euchariſtia, licet patenter expoſita. Accedit, quod appoſitionem crucis aperte præſcribit præcedens Decretum, cui reipſe non derogatur per præſens, ſed magis hoc eſt pure permiſſivum, ut videlicet Eccleſiæ, quæ illi obſecutæ non ſunt, nec eidem obſequi teneantur, ſed ſe tueri ita valeant in ſua praxi, ut tamen prædicto Decreto parere non prohibeantur.

IV. Ubi autem, & quoties apponitur, *de more*, præcedens ait Decretum, debet apponi, adeoque magna in altaris medio inter candelabra, & non parva ſuper tabernaculum, aut in alio loco inſolito. Quoties namque eſt apponenda, talis debet eſſe, quæ ſit apta finibus, ob quos apponitur, cujuſmodi non eſt crux parvula ſuper tabernaculum collocata, alias a ſecundo Decreto non declararetur inſufficiens in Miſſa. In appoſitionem autem crucis ea cautela ſervanda certe eſt, ut numquam impediat aſpectum Sacramenti expoſiti, & hoc ſemper ſit in altiori, & eminentiori loco, quam crux ipſa, ſaltem ſi poteſt fieri. Ubivis vero indubie crux de more magna collocari debet in altari, quando celebratur Miſſa pro exponendo SS. Sacramento, quia nonniſi in ejuſdem fine Sacramentum exponitur, & tunc ſolummodo ante expoſitionem removenda eſt, non illico poſt conſecrationem, quo tempore neque removetur in aliis Miſſis, etſi in altari realiter præſens ſit Chriſtus Dominus in ſpeciebus Euchariſticis, quare quando Decretum aſſerit, quod Inſtructio ſuper crucem ſilentium ſervat, id debet intelligi pro loco, in quo agit de Miſſa repoſitionis, non expoſitionis; nam de hac dubium eſſe non poteſt procedere allatam Rubricam Miſſalis, quæ crucem in altari poſtulat, cum prædicta Miſſa ſe omnino habeat inſtar aliarum Miſſarum.

V. Quod in Decr. 10. cap. 16. dicebamus, promimus Decretum, (& erit 5. cap. in ord. 289.) *Dum incenſatur altare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum crux quoque incenſari.* S. R. C. 29. Novemb. 1738. *in una Carthaginen. Hiſpan.* Cujus ſenſus eſt, quod ubi ſuper altare conſuetudo eſt poni crucem tempore ſacrificii, facta incenſatione Sacramenti publice expoſiti, incenſanda non eſt crux, ſed hujus incenſatione omiſſa eſt illico procedendum ad altaris thurificationem, ut magis diximus in §. 30. num. 5. cap. 8., & rationem dedimus in Decr. 10. cap. 16., ob quam incenſato Sacramento, nihilominus in feria VI. Paraſceves proceditur ad crucis incenſationem.

D E C R E T A.

Decretum VI. cap. in ord. 290. *Res divina fieri non poteſt in altari, in quo exigua ſolum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibetur, ſed crucifixus inter candelabra ita prominere debet, ut Sacerdos celebrans, ac populus ſacrificio aſſiſtens, eumdem crucifixum facile, & commode intueri poſſint. Bened. XIV.* 16. *Jul.* 1746. *Conſt.* Accepimus. I. Zelus Domus Dei, quo Benedictus XIV. ſibi commiſſam gubernat Eccleſiam, eamque indeſinenter ſalutaribus præceptis, monitis, & eruditionibus colit, & inſtruit, noviſſime eumdem permovit ad edendam laudatam Conſtitutionem, ut particularium nonnullarum Eccleſiarum, quas pervaſerat, nuperam conſuetudinem e medio tolleret, quæ licet pietatem, ac religionem præſeferret, Eccleſiæ tamen inſtitutis, ac diſciplinæ plurimum adverſabatur. Abuſus autem in eo ſitus erat, quod *in altaribus, in quibus ſa-*

ctum

erum fieri conſuevit, præter majorem tabulam, quæ vel depictam, vel inciſam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, vel memoriam altare conſecratum eſt, adjungi capit alia minor tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, ita ut crux auferatur, quæ juxta Rubricas inter candelabra collocari debet. Cum vero neminem lateat, rem divinam confici non poſſe, niſi crux cum imagine SS. crucifixi ſuper altari conſtituatur, hinc minori tabulæ ſuperadditur exiguus adeo crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio diſtingui fermo poſſit, niſi hic diligenter perſcrutetur, utrum ſuper altari revera crucifixi imago propoſita fuerit.

II. Ipſiſſimis tanti Pontificis verbis maluimus errorem deſcribere, ut inde lector eruat, qui, & qualis error ſit, ſeu abuſus, qui ab eodem proſcribitur; nunc autem contenti erimus verborum ſenſum egerere, ut ejuſdem mens melius pateat. In primis itaque non improbat, quod plures ſancti in uno altari fidelium venerationi proponantur, nec quod ultra majorem tabulam alia minor tabula inferior, vel alio quocumque loco collocetur, in qua unus, vel plures ſancti adorationi exhibeantur; ſed illud permittere nullatenus ſe poſſe fatetur, quod Miſſæ ſacrificium in his altaribus celebretur, quæ careant imagine crucifixi, vel ipſa incommode ſtatuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis, & populi aſſiſtentis oculos pene effugiat; & id alienum eſſe aſſerit, & probat Eccleſiæ legibus, ſacræ antiquitati, & Eccleſiarum, etiam orientalium, conſuetudini.

III. Ad quæſtiones, quæ inter ſcriptores ſacrorum rituum ſolent agitari, deinde deſcendit, & primo laudat eam, quæ ad rem divinam faciendam in altari nudam crucem non ſufficere putat, niſi crucifixi imaginem inſuper habeat. 2. e contra ſentit vicem crucis optime gerere crucifixum in majori altaris tabula depictum, aut cælatum, dummodo primum locum obtineat præ ceteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur. 3. rejicit ſententiam eorum, qui in altari, in cujus tabernaculo aſſervatur SS. Sacramentum, parvulam crucem apponunt, & de more magnam inter candelabra ſtatuendam eſſe reſolvit; & denique 4. conſuetudinem Eccleſiarum ſervandam ut ſupra docet in apponenda, vel non apponenda cruce in altari, in quo Sacramentum proſtat publice expoſitum. Ex quibus omnibus infert primo loco memoratam praxim eſſe recenter inductam, proprio marte a privatis perſonis uſurpatam, & ex ſuperius productis omnino improbatam; & eo magis, quod ex exiguo crucifixo, qui præfigitur tabulæ ejus Sancti, qui altari ſuperadditur, ea utilitas non conſequitur, quam ſibi proponit Eccleſia, dum crucem inter candelabra collocandam decernit. Rem denique concludit adhortans Epiſcopos, ut curam impendant, ne ſuas in Diœceſes prædicta irrepat conſuetudo, & quatenus jam ipſa invaluerit, prius media humanitate, ac deinde ſeveritate, ſi opus fuerit, illam penitus convellere ſtudeant, adhibita etiam auctoritate delegata, quam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. iiſdem tribuit ad corrigendas pravas conſuetudines, quæ ritui Miſſæ celebrandæ adverſantur. Quæ omnia adeo magna claritate digeſta ſunt, & validis rationibus comprobata, ut iiſdem manum noſtram erubeſceremus apponere probe conſcii, quod ut plurimum doctrinis, quas nobis ſuppeditant docta volumina a ſapientiſſimo hoc Summo Pontifice conſcripta, etiam reliqua proſequi ſolemus Decreta.

IV. Quæ denique abſolvat hæc lectoris monitio, quod ſcilicet Decreta cuncta, quæ in altari crucem, & crucifixi imaginem ut ſupra exigunt, diſponunt de altari, in quo res divina fieri debet, ſeu de tempore Miſſæ, & de hoc tempore, & altari etiam procedit Rubrica Miſſalis XX., quæ propterea incipit: *Altare, in quo Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum eſt*, quare abſolute neceſſe non eſt, altare extra Miſſæ tempus ornetur crucis vexillo. Diximus *abſolute neceſſe non eſt*, quia id ſaltem eſſe de congruo nos arbitramur, qui conſequenter crucem magnam, & in loco ſolito, permanenter ſtatui laudamus, ut fidelis populus ibi facile percipiat ſignum noſtræ ſalutis, & habeat, unde adorationem dirigat ad Redemptorem omnium noſtrum, qui cum realiter præſens ſit, & ob oculos populi in altari, in quo SS. Sacramentum publice proſtrat expoſitum, idcirco eo tempore, ſaltem extra Miſſæ tempus, crux ab altari aberit, & crucifixi imago. Secus eſt de altari, in cujus tabernaculo latet SS. Euchariſtia; cum enim in eo quidem Chriſtus realiter præſens ſit ratione ſpecierum Euchariſticarum, ſed non ob oculos fidelium, apponi laudamus ejuſdem imaginem, quæ eum ob oculos ponat. Quod limita, ubi uſus obtinuit, ut defectus crucis ſit ſignum reconditi Sacramenti; tunc namque crucis defectus validiori modo Chriſtum ob oculos conſtituit, quam præſtaret crux ipſa. Quod cum æquivalenter & præſtet magna crucifixi imago depicta, ſive cælata, idcirco in caſu ab appoſitione crucis poterit ſimiliter abſtineri.

D E C R E T A.

Decretum 7. cap. in ord. 291. *Sabbato Paſſionis debent velari imagines, & cruces, etiamſi occurrat eo die feſtum Sancti Titularis, vel Patroni Eccleſiæ. S. R. C. 16. Nov. 1649. in Jaon.* I. *Quo ritu ſignificatur, jam Chriſtum non in palam ambulaſſe apud Judæos hoc tempore, & abſcondiſſe ſe, ut in Evangelio Dominicæ dicitur*, ſcribit Gavantus *part. 4. tit. 7. nu. 1.* prædictæ cooperitionis aſſignans myſticam rationem alteram. Durandus *lib. 2. cap. 3. num.* 34. producit in cau-

ſam: *Quia tunc divinitas fuit abſconſa, & velata in Chriſto, permiſit enim ſe capi, & flagellari ut homo, tamquam non habens in ſe virtutes divinitatis, unde in Evangelio hujus diei dicitur; Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* Ut autem rebus verba convenirent, antiquitus in Cappella Papali omnino ad allegata Evangelii verba cooperiebantur imagines, unde Cæremoniale Romanum Marcelli Corcyrenſis lib. 2. cap. 38. *Cum in fine Evangelii dicitur: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo: Clerici Cappellæ ſuper altare velum paratum cordulis in rotulis ſupra in altum confixis, funibus ſurſum trahunt, ut eo imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur.*

II. At cum ex officio Dominicæ Paſſionis, ita conſequentem noſtrum luctum, atque triſtitiam Romanus uſus auſpicetur a primis veſperis, conſulto Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap.* 20. cruces imaginesque tegendas eſſe decrevit, non ad laudata Evangelii verba, ſed *antequam officium inchoetur*, adeoque ante veſperas præcedentis ſabbati, quemadmodum clarius explicat Rubrica Miſſalis poſt recognitionem Urbani VIII. in eodem Sabbato invecta: *Ante veſperas cooperiuntur cruces, & imagines.* Hæc quidem videntur indubia, ſi præfatæ veſperæ ſint de Dominica, ſed ſecus eſt, ſi fiant de feſto, & præcipue ſi ſit in Eccleſia ſolemne, cui caſui non videntur adaptabiles laudatæ Rubricæ, ſed ſicuti perſeverat ſolemnitas, ita abeſſe debere videntur argumenta luctus, atque triſtitiæ.

III. In oppoſitum tamen præſens militat ſanctio, quæ nihilominus *in Sabbato Paſſionis* illas tegendas eſſe definit; tum autem *in Sabbato Paſſionis* ſtat pro ante veſperas ejuſdem ſabbati, non vero pro ſero ejuſdem diei; nam petitio proceſſit, num in adducto caſu deberent nihilominus juxta ſolitum cooperiri in ſabbato, an magis in Dominica Paſſionis. Id eſt omnino conforme allegatis Rubricis, quarum auctor probe conſcius, quod quandoque veſperæ abripiuntur Dominicæ ab occurrentibus feſtis, conſulto in Cæremoniali abſolute exaravit: *Antequam officium inchoetur*, & abſolute ſimiliter, & ſimpliciter, in Miſſali: *Ante veſperas*, ut hoc dicendi modo comprehenderet veſperas ſabbati, ſive eæ fiant de Dominica, vel de quolibet feſto. Ad rem faciunt admodum conſimiles aliæ Rubricæ, dimittendi nempe antiphonam *Alma redemptoris* ad completorium Purificationis Deiparæ, dicendi *Benedicamus Domino* cum duplici *Alleluja* ad veſperas ſabbati prævii ad Dominicam ſeptuageſimæ, & deinde omittendi verſum *Alleluja*, quæ ſervandæ omnino ſunt, quodcumque officium iiſdem diebus occurrat, & cum qualibet ſolemnitate celebretur, ne quidem excepto caſu, in quo officium Dominicæ ſeptuageſimæ vacaret ob occurrens feſtum ſolemne primæ claſſis, & per ſolam commemorationem foret ſupplendum. Quæ namque innituntur Myſteriis, & Myſteriis toti Eccleſiæ communibus, communem etiam obſervantiam expoſcunt, a qua declinare non valent particulares Eccleſiæ ob particularem quamcumque rationem.

D E C R E T A.

Decretum 8. cap. in ord. 293. *In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis non ſolum cruces, & imagines Salvatoris, ſed etiam icones altarium, & omnes imagines ſanctorum tegi debent.* S. R. C. 4. *Auguſt.* 1663. in una Dalmatiar. I. Tegendas eſſe cruces, & imagines præcedens nos Decretum edocuit, ſed cum non ſatis exprimat, an omnes etiam Sanctorum, vel ſolum illæ ſalvatoris, locum videtur habere diſpoſitio Cæremonialis Epiſc., quæ ad ſolas imagines ſalvatoris apparet reſtricta: *Cooperiantur omnes cruces, & imagines ſalvatoris.* Idipſum videntur innuere rationes omnes, quæ in cauſam cooperitionis prædictæ fuerunt ſuperius productæ, tum nempe luctus, & triſtitia noſtra ob paſſionem communis Redemptoris, tum occulta Chriſti ambulatio apud Judæos, & abſconſio, exituſque de templo, & denique divinitatis velatio. His tamen haudquam obſtantibus præſens Decretum etiam ſanctorum imagines tegendas eſſe mandat, & icones altarium; & quidem innixum laudatæ Rubricæ Miſſalis, quæ cum poſtmodum approbante Urbano VIII. fuerit invecta, & conſulto *Imagines* ſimpliciter notet, & non cum addito *ſalvatoris*, quaſcumque utique imagines in ſuo ſinu comprehendit, & inſimul nos edocet, Cæremonialis ſenſum non eſſe ita reſtrictum, qualem verba præſeferunt, ſed in imaginibus ſalvatoris contentas implicite pariter eſſe illas ſanctorum, in quos ſecundario reflectunt rationes, ob quas imagines ſalvatoris a Cæremoniali tegi jubentur: haud namque decens eſt, publice pateant, & ſolemniter appareant ſervi, quorum Dominus abſconſus eſt, & inter tormenta verſatur.

II. Num cruces nudæ, quæ ſcilicet figuram crucifixi non ſuſtinent, tegi ſimiliter debeant, quæſtio eſt, quam apud neminem agitari comperio: dubium tamen non eſt, ſi non crucifixi, hujus tamen picturam teneant, aut agnum, vel quodlibet aliud, quod typus ſit ſalvatoris; nomine namque imaginum, quæ hoc tempore tegendæ mandantur, non incongrue intelliguntur venire & typi, & adumbrationes quælibet, atque figuræ. Idipſum eſſe videtur de cruce omnino nuda, tum quia etiam ipſa non eſt, niſi imago Chriſti crucifixi, cujus nobis repræſentat qualitatem paſſionis; tum quia & Miſſale, & Cæremoniale cruces ſimpliciter nominant, quando eas præcipiunt velari. At cum crux verius mere ſit inſtrumentum Dominicæ Paſſionis, ad quam recolendam Paſſionis tempus eſt potiſſimum conſecratum, ad quamque Eccleſia præ ceteris temporibus preces ſuas ſpecialiter dirigit, unde in hymno *Vexilla Regis prodeunt*, nos tegendam non eſſe credimus, quinimmo veram crucem ipſam (idem dic de ceteris

Dominicæ Paſſionis inſtrumentis) poſſe toto hoc tempore patenter exponi; in quo præcipue *fulget crucis Myſterium*, eſtque *noſtra ſpes unica*, ſicuti in eodem hymno cantat Eccleſia. Dum itaque Cœremoniale, & Miſſale cruces tegendas eſſe mandant, etſi abſolute loquantur, intelligendæ adhuc ſunt de crucibus, non ratione ſui, ſed ratione crucifixi, cujus figuram præſumuntur habere, uti reapſe ex ejuſdem Cœremonialis præſcripto prædicta figura ornatæ eſſe debent, ſaltem illæ, quæ ſuper altare collocantur, & regulariter etiam ſunt, quæ per Eccleſias reperiuntur.

III. *Et ſuper altare nullæ ponantur imagines ſanctorum*, habet Cœremoniale Epiſcop. *lib.* 22. *cap.* 20. de tempore Paſſionis, & per hæc verba ab altari exulare præcipiuntur imagines illæ, vel ſanctorum ſtatuæ, ſive cum, vel abſque Reliquiis, quæ ad altaris ornatum inter candelabra ſolent diſtribui; id autem dictum eſſe volumus etiam pro feſtis ſanctorum, quæ tunc temporis occurrunt, & ſolemniter celebrantur; tum quia Cœremoniale prædicta addit verba, poſtquam ſtatuerat tegendas eſſe cruces, & imagines; unde quemadmodum hæ contegi debent, & teneri velatæ, etſi occurrat feſtum aliquod, etiam ſolemne, ita apponendæ non erunt ſanctorum imagines, ne quidem in feſtis ſolemniter celebratis; Tum quia quod in officio de Tempore abſint imagines ab altari, non vero in feſtis Sanctorum, commune eſt toti præcedenti Quadrageſimali tempori, ad quid igitur ſpecialis illa Rubrica pro tempore paſſionis, ſi in hoc etiam in feſtis Sanctorum non forent prohibitæ? Tum denique quia quando poſſent apponi, utique nonniſi contectæ, quales minus conveniunt celebritati feſti, quam ſi minime fuiſſent appoſitæ.

IV. Secus eſt de floribus & organorum ſono, qui quidem in officio de Tempore debent omnino exulare, ſed non in feſtis Sanctorum, quibus tamquam competentia ornamenta, conſequens pompa, & debita lætitiæ ſigna hoc ipſo adjudicantur, dum eadem feſta Paſſionis tempore admittuntur, licet imagines, quæ etiam inter altaris ornamenta recenſentur, ſpeciali de cauſa inhibeantur. Quæ dicta ſunto de feſtis, quorum retinetur officium, non quorum transfertur, etſi retineatur feſtivitas, ut non ſemel evenit in feſtis S. Joſephi, & SS. Annunciationis. Quod ſi id tibi extendere placeat ad feſta illa, quæ ſolemniter, licet ſine officio, alicubi celebrarentur, haud refragabor admodum, dummodo id accidat in diebus, qui officia ſanctorum non reſpuunt, cujuſmodi eſt Paſſionis hebdomada, non autem Dominica ipſa Paſſionis, & tota hebdomada major, quæ privilegiatæ ſunt contra feſta quæcumque. Hoc tamen diſcrimen cum ſit Dominicam Paſſionis inter & hebdomadam majorem, quod illa admittit Miſſam ſolemnem de feſto, quod transfertur, non autem illa, ideo in hebdomeda majori ab altari exulare omnino debebunt flores, & organorum ſtrepitus, quodcumque feſtum occurrat, licet de præcepto, in Dominica vero Paſſionis admitti poterunt ad altare, in quo Miſſa ſolemnis erit facienda, cum congruis paramentis altaris, & celebrantis, praxis inſtar quæ tenetur in feria V. in Cœna Domini, in qua quia Miſſa non fit de officio, ſed de inſtitutione SS. Sacramenti, altare ornatur paramentis albis, & floribus; in utroque autem caſu cetera altaria remanebunt in ſuis paramentis violaceis, & ſine floribus. Miſſa vero ſabbati ſancti cum magis ſpectet ad Paſchatis feſtum, non eſt, cur in ea flores adhiberi non valeant, quinimmo cum ad eamdem expiret tempus luctus, ſi quis imagines ipſas diſcoopertas ſuper altare collocaret, fortaſſe in Rubricas, ſacroſque ritus nullum peccatum committeret.

DECRETA.

Decretum IX. cap. in ord. 294. *Imagines, & cruces detegi non debent, etiamſi hebdomada Paſſionis occurrat feſtum ſancti Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ*. S. R. C. 16. *Novemb.* 1649. in Janu. I. Cœremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 5. *nu.* 9. poſtquam conſuetudinem, quæ in plurimis Galliæ locis recepta eſt, contegendi cruces, & imagines ſabbato ante Dominicam primam Quadrageſimæ, retinendam conceſſit, quatenus ſine ſcandalo auferri non poſſit, progreditur adnotare, quod in ſolemnioribus feſtis, quæ eo tempore celebrantur, velamina omnia tam ab altari majori, quam a choro, & ab altari Sancti, cujus feſtivitas agitur, ſunt removenda, credentem, ne lugubria ejuſmodi monumenta minuant ſolemnitatem, & ut ſancti imago, quæ diſcooperta validior eſt ad noſtros excitandos pios affectus, adſtantium oculis pateat. *Quod quamvis ſine auctore dicatur, haud tamen abnuo, ſaltem quoad ultimum*, ſubdit Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 25., his quidem conſitens verbis, quod opiem ejuſmodi auctoritate eſt deſtituta, ſed non propterea eſt omnino rejicienda, ſaltem quoad ultimum, ſcilicet remotionem velaminum ab altari ſancti, cujus ſolemnitas agitur. In oppoſitum, non eſt, cur immer admodum, cum nimis aperta ſit, ut ei contraveniri valeat, præſentis diſpoſitio Decreti, cui conſonum omnino eſt primum capitis; ſi enim ſabbato Paſſionis velandæ ſunt ſanctorum imagines, etſi eo die occurrat feſtum ſolemne Patroni, vel Tituli, utique detegendæ non erunt, ſi quid ſimile accidat reliquo Paſſionis tempore, quod conſecratum eſt doloroſæ recordationi Paſſionis Chriſti, qui ſicuti media Paſſione ſua ſalutem omnium noſtrum operatus eſt, factuſque eſt communis omnium Redemptor, ita etiam triſtitiæ argumenta, quæ ad recolendam ejuſdem Paſſionem invenit Eccleſia, Eccleſiis omnibus debent eſſe communia, abſque eo quod exnundem aliquæ ob ſpeciales rationes valeant diſcrepare. Id utique ubertim oſtendit Eccleſia, dum in feria V. Cœnæ Domini, in qua recolit inſtitutionem Sacramentorum maximi, plurimum quidem diſpenſat ſuper triſtitiæ ſignis, ſed crucem, ſacraſque imagines nihilominus tenet velatas, argumentum utique validum, quod quæcumque feſtivitas, quæ Paſſionis tempore celebretur, aut conſuetudo quælibet, quæ in oppoſitum eſſet inducta, potis haud eſt tunc temporis tueri diſcooperitionem crucum, ſacrarumque imaginum.

II. An ſi non detegi, ſaltem velari debeant velo coloris convenientis occurrentibus feſtis, & maxime ſi ſolemniter celebrentur, alia quæſtio eſt, quæ affirmative decidenda videtur exemplo feriæ V. in Cœna Domini, & ſubſequentis feriæ VI. in Paraſceves, nam in hac velum crucis mutatur in nigrum, in album in illa. In oppoſitum tamen ſtat tum Eccleſiarum praxis, tum Auctorum caterva, inter quos Merati *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 1., & Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 25., & his lubentes noſmetipſos adjungimus. Velum itaque debet eſſe violaceum, & mutari nullatenus poteſt juxta colorem feſtorum occurrentium; ad hæc enim non attinet, ſed ad myſterium, quod ab Eccleſia in eo repræſentatur, unde cum hocce myſterium ab Eccleſia recolatur in colore violaceo, hujus item coloris eſſe debet velum præfatum, præterquam illud crucis altaris majoris in feria VI. Paraſceves, in qua ſicuti myſterium Dominicæ Paſſionis, utpote ea die realiter geſtæ, in paramentis nigris ab Eccleſia recolitur, ita crucis velum, quod ad idem myſterium refertur, in nigrum debet mutari. Quod autem in feria V. Cœnæ Domini mutetur in album, ſpecialis diſpenſatio eſt ob ſpecialiſſimam rationem, de qua in Decr. 10. cap. 1., ut nempe Chriſtus repræſentetur, qualis aſſiduit menſæ Euchariſtiæ, quæ ea die lætanter recolitur, unde in exemplum trahi non poteſt. Ceterum ex ſe patens eſt, quod velum, quo ſacræ cooperiuntur imagines, imaginem aliquam habere non debet intextam, aut depictam, alias ad hanc tegendam aliud velum eſſet neceſſarium, cum Sanctorum imagines omnes hoc tempore tectæ eſſe debeant.

DECRETA.

Decretum X. cap. in ord. 295. *Permitti poteſt, ut ſtatua B. M. V. velo nigro circumdata, in nocte feriæ V. in cœna Domini cum Jeſu Domino Filio mortuo in gremium depoſito in Eccleſia exponatur, & ſequenti feria ſexta in mane proceſſionaliter cum pluvialibus nigris deferatur*. S. R. C. 21. Martii 1744. in Bergomen. I. Bergomi in quadam Confratrum Eccleſia in nocte feriæ V. Cœnæ Domini exponi ſolebat ſtatua B. Mariæ dictæ *de ſpaſmo* in ſtola nigri coloris, ſed facie nullo velo contecta, & in mane ſequentis feriæ VI. cum pluvialibus nigris per proceſſionem deferebatur. Cum hoc tempore Eccleſiaſticæ ſanctiones caveant, ne ſanctorum ſtatuæ exponantur detectæ, & habitus niger, quo exponebatur induta, uti & conſimilia pluvialia, in quibus per proceſſionem circumgeſtabatur, viderentur parum congrua Deiparæ Mariæ, cui etiam ſub myſterio ſeptem Dolorum Rubricæ colorem album aſſignant, Cathedralis Cœremoniarius ſequens dubium in Sacra Rituum Congregatione declarandum expoſuit: *Quæritur, utrum in nocte feriæ V. in Cœna Domini licitum ſit ſtatuam B. M. V. velo nigro circumdatam cum crucifixo mortuo in gremio depoſito exponere, & feria VI. ſequenti in mane eam in proceſſione cum pluvialibus nigris deferre?*

II. Ita dubium fuit expoſitum, utique tamen miſere, & non ſatis ad mentem; loco enim *ſtolæ, veſtis, ſeu habitus*, quo exponebatur induta, *velum* exaravit orator, & loco *indutam* appoſuit *circumdatam*, nihil inſuper exprimens ſuper facie ſtatuæ nullo velo contecta, circa quod una, & maxima ex difficultatibus verſabatur, unde & petitio, & reſponſio eum ſenſum videntur facere, ut prædicta ſtatua exponi poſſit memorato tempore, & per proceſſionem deferri, circumdata, ſeu velata velo nigro, non autem induta habitu nigro, & facie detecta. Expropter ta *Permitti poteſt* ſuper colorem veli videtur cadere, quatenus permittitur niger, cum juxta Eccleſiæ diſciplinam deberet eſſe violaceus, quo adeo ſanctorum ſtatuas tenet contectas, ut nec eumdem mutet in ſolemnitatibus ipſis. Et maxime quia Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus non ſine maximo myſterio intra Miſſam feriæ VI. crucifixum reſervat detegere, ſanctorum vero imagines intra functionem ſequentis ſabbati, unde tam facile declinare non potuiſſe videtur ab hac veteri, & myſterioſa diſciplina, permittendo quod ſtatua B. Mariæ, & ipſius crucifixi in ejuſdem gremio poſiti in nocte feriæ V. publice exponeretur detecta, & in mane ſequentis feriæ ſimili modo per proceſſionem circumgeſtaretur ſolemniter. Quibus ſi addatur Decretum 12. cap. 16., in quo definitur, quod *crux ab Eccleſiis inferioribus diſcooperiri non poteſt in feria VI. Paraſceves ante Eccleſiam matricem*, res extra dubium videtur poſita; una enim, & potiſſima ex Decreti cauſis videtur eſſe, ne ante horam in Eccleſia conſuetam in aliquibus Eccleſiis crucifixus appareat detectus.

III. Plurima hæc quidem ſunt, & quemlibet apta trahere in eamdem ſententiam, ſed quoniam nobis certe conſtat, prædicti cœremoniarii mentem ſacram Congregationem minime latuiſſe, & aliunde etiam petitionis termini aliquatenus idonei ſunt correſpondere ejuſdem menti, idcirco Congregationis reſponſio, quæ per terminos petitionis, ut moris eſt, reperitur expreſſa, etiam ejuſdem menti debet credi conformis, præſertim quia non intentio verbis, ſed verba debent intentioni deſervire. In primis itaque ſit permiſſio, quod prædicta ſtatua

exponi

exponi poſſit in habitu nigro, circa quem operæ pretium eſt adnotare, quod cum ſacroſancta Tridentina Synodus perpendens optime, non leve ſcandalum afferre poſſe, ſi quid inordinatum, aut præpoſtere accommodatum, vel profanum in Eccleſiis appareat, ſtatuiſſe, nemini licitum eſſe, ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit, & cum ex hujuſce inobſervantia Decreti abuſus plurimi irrepſiſſent, ut jam irreptis, & irrepentibus ſimul occurreret, Urbanus VIII. ſequentem (erit Decr. 11. cap. in ord. 296.) Conſtitutionem edidit: *Imagines Chriſti, Deiparæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, aliorumve ſanctorum quorumcumque ſculpere, aut pingere, aut antehac ſculptas, aut pictas, & alias quomodolibet effictas tenere, ſeu publice aſpectui exponere, aut veſtire cum alio habitu, & forma, quam in catholica, & apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſuevit, diſtricte prohibet, ac ut imagines aliter pictæ, vel ſculptæ ab Eccleſiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia catholica, & apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam, præcipit Urbanus VIII. in Conſt.* Sacroſancta ſynodus 16. Junii 1642.

IV. Hinc apparet, quod color habitus, quo repræſentari debet Deipara in funere, vel poſt funus Filii, definiendus foret ex antiquo uſu, quo in Eccleſia repræſentari conſuevit; ſed quoniam argumenta adeo ſunt involuta, ut etſi quæſtio ejuſmodi pro Eccleſiis Ordinis Servorum fuerit declarari propoſita, Sacra Rituum Congregatio ab ea definienda abſtinuerit, contenti etiam nos modo erimus argumenta pro utraque parte producere, in fine duntaxat nonnulla addentes, quæ ad præcedentis Decreti explanationem facere poſſe videntur. Habitui nigro favet Bulla Innocentii VIII., in qua niger habitus ab Ordine Servorum aſſumptus dicitur in memoriam dolorum, quos B. Virgo paſſa eſt in morte Filii. Referuntur & duæ apparitiones Deiparæ, una ab Annalibus Archangeli Giani *lib. 1. cent. 1. cap. 14*, Fundatoribus ejuſdem Ordinis facta, S. Petro Martyri altera in Chronico Petri de Tuderto: in prima autem Deiparam illis ſignificaſſe fertur, quod in memoriam ſuorum dolorum nigrum eorumdem Ordo deferret habitum; in ſecunda itidem S. Petro Martyri ſignificatum extitit, quod ipſa a ſuo Filio impetraverat, quod prædictus Ordo in ſuo particulari ſervitio adſcriberetur, habitumque nigrum deferret in mœſtitiæ ſignum ob dolores, quos ipſa perpeſſa eſt in morte Filii. Hinc utique non leve fit argumentum repræſentandi Deiparæ imaginem, ſaltem in circumſtantia Chriſti mortis, in ſtola nigra, in qua mortem Filii ſui ipſam proſecutam fuiſſe ſatis probabiliter comprobat antiquiſſimus uſus, qui communis eſt fere cunctis gentibus, induendi ſcilicet veſtes nigras in cognatorum morte.

V. In oppoſitum ſequentia militant argumenta, & primo quia in ſynodo Conſtantinopolitana ſub Hadriano II. imago Deiparæ pingenda jubetur, quemadmodum eam verbis ſacra ſcriptura ſignat; in nullis autem hujus verbis vel a longe in veſte nigra adumbratur. 2. Urbanus VIII. in ſacris imaginibus antiquum uſum univerſalis Eccleſiæ præcipit obſervari; tanto autem abeſt, quod univerſalis Eccleſiæ praxis nigrum habitum eidem unquam adſcripſerit, ut etiam in aliquibus Eccleſiis Ordinis Servorum, pro quibus ſuperius allegata motiva ſpecialiter militant, reperiantur imagines B. Mariæ ſeptem dolorum in ſtola cærulea, aut rubra. 3. Sarnellus *in ſuis epiſt. Eccl. to. 4. Ep. 46.* antiquum uſum per hæc nobis deſcribit verba: *E' certo poi, che l' imagine della B. V. inſin dal tempo degli Apoſtoli fu ſcolpita, o dipinta colla veſte di color roſaceo, e porporino, e col manto azurro, o ſia di color celeſte, come ſi vede nelle imagini della medeſima dipinte da S. Luca.* 4. En quæ Pittonus *de ſacr. ritib. num. 883.* ad rem noſtram ſcribit: *Notandum, quod in imagine B. M. V. quamvis picta ad repræſentandum dolorem paſſum in morte Filii, conſtantiſſime retinendus eſt color cæruleus, nec mutandus eſt in nigrum, vel atrum, cum minime fingendum ſit, eam veſte lugubri voluiſſe proſequi funus Filii, quem certo ſciebat eſſe verbum Dei, ac voluntarie ſe offerre pro redemptione generis humani, & poſt triduum cum majeſtate a mortuis ſurrecturum.* 5. Meratus *ſect. 6. cap. 12. num. 4.* ipſiſſima hæc verba repetit, & inſuper addit, quod cum imago Virginis juxta crucem ſtantis, depicta fuiſſet cum ſtola, ſive amictu nigri coloris, Sacra Rituum Congregatio juſſit, ut depingeretur cum ſtola cærulea, & allegat Paſcuccium in compendio ad conſult. Jacobi Pignatelli *par. 1. de canoniz. ſanctor., & par. 2. tit. de Rit.*

VI. Quæ cum plurima profecto ſint, & memoratæ ſuperius apparitiones, quibus habitus niger potiſſimum innititur, ſolidioribus indigere videantur probationibus ad effectum, de quo agitur, quatenus res decidenda foret, a Deiparæ imaginibus quibuſcumque, etiam ad repræſentandos ejuſdem dolores in morte Filii paſſos, ſaltem extra Eccleſias præfati Servorum Ordinis, nigræ prorſus veſtes ablegandæ videntur. Hanc nos credimus fuiſſe cauſam, ob quam Sacra Congregatio in præcedenti Decreto in laudata Mariæ ſtatua veſtes nigras admittens, verbo *Permitti poſſe* uſa fuit, hoc pacto non obſcure deſignans, quod etſi non probetur, quod in Filii funere Deipara induerit veſtes nigras, hæc adhuc tolerari poſſunt, atque permitti in tali circumſtantia, in qua Eccleſia ipſa Chriſti mortem celebrat in paramentis nigris.

VII. De Pluvialibus nigris, ſuper quibus item cadit *Permitti poſſe*, potior difficultas urget, & obſtare videtur Rituale

Romanum, quod *tit. 89.* Sacerdotales veſtes exigit illius coloris, qui congruit ſanctis, quorum reliquiæ, vel ſtatuæ deferuntur; quare etſi in caſu pluvialia nigra permitti quidem poſſint ratione Chriſti crucifixi, quem ſtatua gerit in gremio, quique in tali circumſtantia principalem conſiderationem aſſequitur, ſecus faciendum erit in caſu ſtatuarum Deiparæ, quæ Filium crucifixum, aut mortuum inſimul non habent, quamvis in nigro habitu illæ ſint, & ad repræſentandos dolores efformatæ. Par nec eſt ratio de paramentorum colore, quo Eccleſia utitur in Paraſceve, aut permittit in caſu ſtatuæ cum crucifixo, quia in priori caſu Eccleſia velati celebrat funerale officium Chriſto, & hujus funus quaſi ducit in poſteriori, ubi in caſu ſtatuæ ſine crucifixo videretur ſtatua ipſa ad funus duci. Sicuti ergo Eccleſiæ praxis celebrat feſtum ſeptem dolorum Deiparæ in paramentis albis, nec unquam in paramentorum colore ſe ſtuduit conformare colori veſtium, quas dum viverent ſancti, induere ſolebant, ſed myſticis coloribus utitur, quales alibi deſcripſimus, idcirco in caſu ſtatuarum ſine crucifixo uſurpari debebit color albus, qui Deiparæ a Rubricis adſcribitur, licet ſtatua efformata ſit ad repræſentandos dolores, atque veſtibus nigris ſit induta.

VIII. Quod majori difficultati ſubeſt, profecto illud erat, ſuper quod quoque cadit *Permitti poſſe*, videlicet, quod in nocte feriæ V. in Cœna Domini publice exponi valeat prædicta ſtatua nullo velo tecta, & in mane ſequentis feriæ per proceſſionem deferri. Tempus a Miſſa feriæ V. ad Miſſam ſubſequentis ſabbati ab Eccleſia ſpeciatim deſtinatum eſt ad lugendam Chriſti mortem, & propterea rite illud dicitur *Triduum mortis Chriſti*, & Eccleſia ipſa tota occupatur in myſterioſis actionibus, quæ ad Chriſti paſſionem, mortem, & ſepulturam referuntur, licet in iis peragendis rigoroſe non ſervet tempus, ſeu horam, in qua evenere, & fortaſſe nec ſucceſſionem, ſed quaſi totum prædictum tempus foret una, & eadem dies, in qua omnia contigere, promiſcue myſteria recolit, quemadmodum evidenter conſtat ex Doctorum expoſitionibus; unde ad finem v. g. Miſſæ feriæ V. Chriſtum medio funere quaſi ducit ad ſepulcrum, cum tamen ipſe nonniſi circa horam ſextam ſequentis feriæ legatur mortuus. Quæ licet ita ſint, adhuc licitum minime eſſe poteſt ea, quæ & prout per Rubricas præſcripta ſunt, alio tempore peragere, vel ordine, ſed omnino fieri debeant ſtatuto tempore, & ordine, & hæc eſt cauſa, ob quam in Decr. 12. cap. 16. ſtatutum diximus, crucis detectionem, & expoſitionem fidelium oculis, quæ intra Miſſam feriæ VI. ſolemniter eſt fieri præſcripta, ab inferioribus Eccleſiis, quæ functionibus hebdomadæ majoris haudquaquam incumbant, anticipari minime poſſe. Hæc, quæ toti Eccleſiæ communia ſunt, & communiter fieri præſcripta, etiam communem ubique obſervantiam exigunt; at ſi quæ vel generales, aut particulares habeantur pietatis cauſæ, vel devotionis ſtudia, Eccleſia, quæ ejuſmodi fovere, & promovere nunquam deſinit, eadem permittit, etſi anticipatam crucifixi diſcooperitionem ferant, dummodo diſcooperitio iſta fiat labente feria V. Cœnæ Domini, aut in mane ſequentis feriæ VI., quod tempus eſt potiſſimum conſecratum luctui mortis Chriſti, & dummodo crucifixi diſcooperitio altera, quæ per Rubricas demandata eſt, ſua immota perſtet, & fiat tempore per eaſdem Rubricas præſcripto.

IX. Inter generales prædictas pietatis cauſas connumeratur diſcooperitio crucifixi, quæ verſus finem hiſtoricæ narrationis Paſſionis Dominicæ a quoquam concionatore fieri ſolet, ſive ipſe prædicet in ſero feriæ V., vel in mane feriæ VI. juxta diverſam locorum conſuetudinem; finita tamen functione ejuſmodi, ac ſubſequenti adoratione populi, removendus erat crucifixus, ne impedimento ſit, aut præjudicio diſcooperitioni, & adorationi alteri, quæ inter Miſſarum ſolemnia juxta Rubricas cum celebritate fieri debet. Inter cauſas vero particulares forte principem tenet locum occaſio alicujus proceſſionis, quæ alicubi fieri ſolet de Chriſto mortuo, cujuſmodi eſt ea, de qua agit Decretum, aliæque ſimiles, quæ ad crucifixum attinent, vel referuntur. Diximus *quæ ad crucifixum attinent, vel referuntur*, non ut comprehenderemus ſtatuam B. Virginis, de qua diſponit Decretum, quia hæc cum in gremio teneat Filium mortuum, hic principaliorem, & non illa aſſequitur conſiderationem, ſicuti etiam foret, ſi repræſentatio fieret Chriſti cruci affixi cum matre, aliiſque juxta crucem ſtantibus, ſed potiſſimum, ut includeremus etiam ſtatuas B. Mariæ de Spaſmo, de ſeptem doloribus, aliiſque myſteriis attinentibus ad Chriſti mortem, quæ etſi non teneant Chriſtum mortuum, aut crucifixum, exponi detectæ poterunt, & indutæ ſtola nigra, ut nonnullarum praxis fert Eccleſiarum.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Proceſſione Corporis Chriſti.

URbanum IV., cui nos in cap. 16. tom. 1. feſtivitatis inſtitutionem adſcripſimus, etiam hodiernæ proceſſionis auctorem faciunt Henricus Spondanus *ad Annal. Baronii to. 5. an. 1264. n. 1.*, Quartus *de Proceſ. ſect. 2. punct. 15.*, Baruffaldus *tit. 80. n. 2. & 4.*, aliiſque eo fundamento innixi, quod inſtitutor proceſſionis, quæ ad feſti ſolemnitatem pertinet, ille cenſeri debet, quem ea conſtitutionis verba ſolemnitatis *plenæ* auctorem fuiſſe conſtat. E contra quia mentio nulla, ſaltem expreſſa, proceſſionis habetur in eadem Bulla, nulla quoque in opuſculis D. Thomæ, non leve pro non inſtitutione argumentum

etuit Grancolas *l.* 2. *c.* 81. & concordat Franciſcus Pagi *to.* 3.
de geſt. Urbani IV. §. 21. licet poſtea, ubi hic citato Martene
de antiq. diſcip. c. 2. non diu poſtea inſtitutam fuiſſe aſſerit, ille
conſtanter teneat, quod in Gallia, ſeu Pariſiis incepta ſit anno
1310., in Italia vero, ſeu Papiæ anno 1404. Centum poſt Urba-
num annis Papiæ cœpiſſe luſtrationem SS. Sacramenti Genebrar-
dus ſtatuit, & hinc manaſſe ad reliquas Occidentis partes, præ-
ſertim Andegavum, ubi Berengarius Sacramentariam impieta-
tem ſparſerat. Contendunt alii ob bellicos tumultus, quibus
pene tota agitabatur Europa, Urbanam inſtitutionem effectu
caruiſſe uſque ad Clementem V., alii uſque ad Joannem
XXII. ſola dempta Leodienſi Eccleſia, quæ conſeſtim annuæ
proceſſioni indeſinenter incubuit.

D E C R E T A.

I. *Proceſſiones* (ſit Decretum I. cap. in ord. 297.) *in feſto
Corporis Chriſti facere non licet aliis Eccleſiis, ſed ſoli Epi-
ſcopo, ſeu Eccleſiæ Cathedrali.* S. R. C. 22. Maji 1615. *in
Piſana.* Digniori loci Eccleſiæ dignior, & ſolemnior adjudi-
catur proceſſio, unde Cathedrali in Civitate; & quidem adeo,
ut ea die nulli alteri Eccleſiæ liceat facere proceſſionem in-
dubie SS. Sacramenti, cum hanc ut minimum Decreti verba
afficiant: ego vero libens adderem neque quaſcumque alias ſan-
ctorum, quoniam Decretum in aliis Eccleſiis *Proceſſiones* in
plurali, & indefinite prohibet. Hæc item admodum ſuffraga-
tur ratio, quod in mane minueretur alias concurſus proceſſio-
ni Cathedralis, & pomeridiano tempore expoſitioni ejuſdem
Sacramenti, quæ de Cœremonialis conſilio fieri ſolet; ut ta-
ceam, quod per proceſſiones Sanctorum, ſi quæ fierent, po-
pulus diſtraheretur inſuper a meditatione, & veneratione Sa-
cramentorum maximi, cui dies illa ſpecialibus privilegiis per
Eccleſiaſticas ſanctiones totaliter conſecrata reperitur. Ad rem
faciunt pariter, quod privilegia, quæ ſuper proceſſione Cor-
poris Chriſti Gregorius XIII. utrique Clero feciſſe perhibe-
tur, unice ſiſtunt circa proceſſionem in die Dominico, aut
diebus aliis infra octavam, non ſpernendum utique argumen-
tum inhibitionis pro die feſto. Quod tamen ad Regulares at-
tinet, prædicta limitationem ſubeunt in proceſſionibus, quæ
ab iiſdem fierent intus Eccleſiam, aut Monaſterium, vel ad
loca alienæ juriſdictionis minime diverterent, quemadmodum
ſequens Decretum (erit 2. cap. in ord. 298.) indirecte in-
dulgere videtur: *Non poſſunt Regulares proceſſiones facere ex-
tra Eccleſiam in feria V. in Cœna Domini, nec in feſto Cor-
poris Chriſti extra eorum juriſdictionem, & per parochiam
alienam.* S. R. C. 11. Dec. 1613. *in Aretina.* Si id tibi ex-
tendere placeat ad Eccleſias ſæculares, non refragabor admo-
dum, dummodo proceſſio fiat intus Eccleſiam, aut circa ejus
ſubgrundia, ita ut neque extendatur, licet Eccleſia foret pa-
rochialis, intra proprios parochiales limites, non ultra quip-
pe Regularibus concedit ſanctio, dum extra eorum juriſdictio-
nem proceſſiones ab iiſdem fieri prohibet.

II. In Caſtris, & pagis in locum Cathedralis ſuccedit Ma-
trix Eccleſia, cui propterea privative eadem proceſſio compe-
tit, etſi conſuetudo pro alia militaret Eccleſia. *Non eſt re-
vocandum* (ſit Decr. 3. cap. in ord. 299.) *Decretum Epiſcopi,
in quo demandatur proceſſionem fieri in feſto corporis Chriſti in
Eccleſia Archipresbyterali, non obſtante conſuetudine in favorem
Eccleſiæ Regularis.* Ead. Congr. 3. Junii 1651. *in Hiporegien.*
Cum in oppido Summæ ex negligentia prædeceſſorum Canonico-
rum Collegiatæ proceſſio inciperet in Eccleſia Parochiali, & ter-
minaret ad prædictam collegiatam, ad abolendum hujuſmodi
abuſum propoſitum fuit dubium: *An proceſſio* (erit Decr. 4.
cap. in ord. 300.) *SS. Corporis Chriſti incipere, & terminare
debeat in Eccleſia Collegiata ſeu potius in Eccleſia parochiali?
& S. R. C. reſpondit affirmative quoad primam partem, ne-
gative quoad ſecundam.* Die 1. Septemb. 1718. *in Nolana.*
Non aliud utique volunt tria ſequentia Decreta, quæ erunt
5. 6. 7. cap. in ord. 301. 302. 303. *Proceſſio in ſolemnitate SS.
Corporis Chriſti incipere debet a Cathedrali, ſeu Matrice, &
ad eamdem terminare, non vero a Parochiali.* S. R. C. 19.
Aug. 1629. *Proceſſio SS. Corporis Chriſti inchoari non debet ab
Eccleſia inferiori, non attenta immemorabili conſuetudine.*
Congr. Concil. 7. Aug. 1683., quæ cum in oppido Pontremu-
li Eccleſia S. Mariæ de Populo erecta fuiſſet in Collegiatam,
& Archipresbyter SS. Hippolythi, & Caſſiani manuteneri con-
tenderet in poſſeſſione faciendi prædictam proceſſionem, pro-
poſito dubio ſimiliter reſpondit: *An proceſſio in feſto Corporis
Chriſti facienda cum Venerabili competat dicto Archipresbyte-
ro, illam inchoando a dicta Eccleſia Collegiata, vel ab alia
Eccleſia inter oppidum Pontremuli privative ad Præpoſitum,
& Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, ſive potius jus faciendi
eamdem proceſſionem pertineat ad eumdem Præpoſitum, & Ca-
pitulum reſpectu dicti Archipresbyteri, & aliorum Parochorum
dicti oppidi? Reſp. negative quoad primam partem, & affir-
mative quoad ſecundam.* Ead. Cong. Concil. 9. Jun. 1725. ex
quibus inſimul eruitur, quod prædicta proceſſio terminari de-
bet ad Eccleſiam, a qua incipit, & quod incipere debet ab
Eccleſia Matrice, cujuſmodi etiam eſt Parochialis collegiata,
etſi noviter erecta, relate ad Parochialem, quæ prius matrix
erat, unde ſequens Decretum, quod erit 8. cap., in ord. 304.
*Inter præminentias Eccleſiæ matricis connumeratur proceſſio SS.
Sacramenti in feſto Corporis Chriſti.* S. R. Congreg. 6. Se-
ptembris 1636. *in Syracuſana.*

II. Primum capitis Decretum uti prædictam proceſſionem aſ-
ſignat digniori loci Eccleſiæ, ita delationem Sacramenti
Sacerdoti digniori, ſeu *Epiſcopo*, in cujus defectum ſuccedunt
Dignitates, ſeu Canonici Cathedralis. *Delatio SS. Sacramen-
ti* (erit Decr. 9. cap. in ord. 305.) *in ejus die feſto, ab-
ſente Epiſcopo ad dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis ſpe-
ctat, atque ab eadem Cathedrali proceſſio debet inchoare, &
ibi finire.* S. R. C. 19. Maii 1616. *in Tuſcan.* Cuinam ex
Dignitatibus, ſeu Canonicis id muneris devolvatur, Decretum
non explicat, ſed ſupplet ſequens (erit 10. cap. in ord. 306.)
dum inter functiones, quæ abſente Epiſcopo, vel impedito
competunt primæ Dignitati, connumerat diem ſolemnem Cor-
poris Chriſti cum proceſſione *Functiones ſolemnes, quæ abſen-
te, vel impedito Epiſcopo ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt
feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Penteco-
ſtes, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M.
V., omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ, Patroni Civi-
tatis, necnon commemoratio omnium Fidelium Defunctorum,
diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio offi-
cii feria V. in Cœna Domini, feria VI. in Paraſceve. Feſtum
Paſchatis Reſurrectionis D. N. & dies ſolemnis Corporis Chri-
ſti cum proceſſione.* S. R. C. 3. Decemb. 1672. *in Andrien.*
Quod ſi prima Dignitas ſit ſimiliter abſens, vel impedita, id
juris transfertur ad ſecundam, & ſic ordine ſucceſſivo; *Pri-
ma Dignitate* (erit Decr. 11. cap. in ord. 307.) *impedita,
vel abſente ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragen-
dis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus digni-
tatibus impeditis, vel abſentibus primus Canonicus id exequa-
tur.* Ead. Congr. 26. Nov. 1670. *in Senen.* Et quidem ad-
eo, ut prima Dignitas impedita, & ſic reſpective de aliis,
non poſſit alterum ſubrogare (ſit Decr. 12. cap. in ord. 308.)
*Celebratio Miſſæ Solemnis, in diebus Nativitatis Domini, Pa-
ſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die feſto Corporis Chri-
ſti ſpectat privative ad primam Dignitatem, ſeu primum de
Capitulo. Eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in
ſui locum ad libitum ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri
debet privative ab alio, qui immediate ſuccedit, non vero ab
hebdomario.* Ead. Congreg. 23. Mart. 1709. *in Compſana.*

III. Non ita tamen geſtatio SS. Sacramenti primæ Digni-
tati, aliiſque, qui ut ſupra ſuccedunt, competit, ut ſi alter
Miſſam faciat, poſſit nihilominus ipſa circumferre Sacramen-
tum, ſed ideo primæ dignitati, & ſic ceteris adjudicatur præ-
dicta delatio, quatenus ad ipſam ſpectat celebrare Miſſam,
quam ſi minime faciat, ejus erit deferre Sacramentum, qui
præcedentem celebravit Miſſam, ab hac lege dumtaxat abſo-
luto Epiſcopo, cui ratione dignitatis per Cœremoniale Epiſc.
indulgetur, ut ipſe Sacramentum deferre valeat, tametſi præ-
cedentem Miſſam minime fecerit, unde Decreta, quæ erunt
13. 14. 15. 16. 17. cap. in ord. 309. 310. 311. 312. & 313.
*In feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a celebran-
te; in veſperis autem diei octavæ (ſi fiat proceſſio) defera-
tur ab eo, qui cantavit veſperas, modo ſit Dignitas, vel Ca-
nonicus.* S. R. C. 12. Jun. 1627. *in Brunduſina*: & 23.
Martii 1709. *Non convenit, quod prima Dignitas celebret
Miſſam ante proceſſionem SS. Sacramenti, & deinde altera
Dignitas minor deferat illud in proceſſione.* Ead. Congr. 31.
Julii 1632. *In Janu.* confirmant Innoc. XI. 4. Jun. 1689. Conſt.
21. *Geſtare Sacramentum in proceſſione Corporis Chriſti ſpectat
ad eum, qui Miſſam celebravit.* S. R. C. 5. Jun. 1634. in A-
quilana. *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſione,
quæ fit in feſto SS. Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſ-
ſam celebrat, & idem ſervandum eſt in proceſſione, quæ fit in
die Dominica infra ejus octavam, non vero deferendum eſt a
primo de Capitulo, qui non celebravit.* Ead. Congr. 23. Mart.
1709. in Compſana. *Delatio SS. Sacramenti in feſto Corporis
Chriſti ſpectat ad Præpoſitum Eccleſiæ Matricis ordine ſucceſ-
ſivo, dummodo illo die ſolemniter celebraverit.* Ead. Congr.
6. Sept. 1636. *in Syracuſana.* Lex itaque eſt, quod ſive in fe-
ſto, aut infra octavam Corporis Chriſti delatio Sacramenti ad
eum ſpectat, qui præcedentem reſpective celebravit Miſſam,
aut veſperas, quemadmodum in ſimilibus conſtanter definiit
Rituum Congregatio de benedictione Candelarum &c., eo
quod proceſſionem, & benedictiones ejuſmodi unum veluti, &
eumdem actum reputat cum præcedenti, aut ſubſequenti Miſſa,
ſeu veſperis, aliiſque canonicis horis, quibus adnectuntur.

IV. Ad quem digniorem, qui celebravit, ita privative per-
tinet delatio Sacramenti, ut ipſe illud deferre debeat, etiam
per parochias alienas, per quas proceſſio tranſiret, unde De-
cretum, (quod erit 18. cap. in ord. 314.) *Delatio SS. Sacra-
menti, quæ fit per digniorem de capitulo, abſente vel impe-
dito Epiſcopo, in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, ſpectat ad
eumdem digniorem per totam viam, etiamſi contingat proceſ-
ſionem tranſire limites alterius Parochiæ.* S. R. C. 21. Apr.
1630. *in Lucana.* Deferre autem illud debet manibus, ut
Ritualia cuncta clamant, & non media aliqua machina, aut
Sacerdotum humeris, non obſtante qualibet conſuetudine; quam
abuſum ſequens (erit 19. cap. in ord. 315.) declarat Decre-
tum: *In feſto Corporis Chriſti Euchariſtia non eſt deferenda
Sacerdotum humeris, ſed celebrantis manibus, non obſtante
quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declara-
vit* S. R. C. 2. Junii 1618. *in Syracuſana*, quæ tamen limi-
tanda venit, quoties conſuetudo per Sedem Apoſtolicam appro-
bata foret, aut Apoſtolicum haberetur indultum, ſicuti firmavit
Rota *in Hiſpalen. Proceſſionis* 28. *Julii* 1700. *coram Anſaldo
apud Scarfantonum ad Ceccoperium to. 1. in fine dec.* 41. & 42.

V. Proceſſio prædicti feſti ſolet eſſe longior, & cum in ea
Sacer-

Sacerdos in manibus Euchariſtiam deferat, ne defatigetur plurimum, concedit Cœremoniale Epiſc. *l.* 2. *c.* 33. ut Sacramentum deponere valeat ſuper altare alicujus Eccleſiæ per viam ſitæ, aut ſuper altaria, quæ per eamdem viam hac de cauſa conſtrui ſolent, & aliquantulum quieſcere; quod vero ſubdimus (erit 20. cap. in ord. 316.) nos Decretum edocet, quod non propterea id celebrans interim ſedere poteſt, ita profecto exigente præſentia tanti Sacramenti: *In proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quando proceſſio ſiſtit, ſacerdos celebrans, ſubdiaconus, & diaconus non debet ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus etiamſi deferantur ad ornatum tantum.* S. R. C. 21. Janu. 1690. *in Hiſpalen.*, ſellam enim geſtatoriam tamquam pertinentem ad Epiſcopalem dignitatem *juxta cap. Epiſcopus in Eccleſia 95. diſt. ex Concil. Carthag.*, in hac etiam proceſſione Epiſcopum poſt ſe deferre poſſe, declaraſſe fertur S. R. C. *in Granaten.* 15. Sept. 1657. Ritu igitur alias deſcripto per Diaconum ſuper altare depoſito SS. Sacramento, genuflectet Celebrans cum ſacris Miniſtris ſuper infimum altaris gradum, & mox de more impoſito incenſo in thuribulo, triplici ductus incenſabit Sacramentum, orationem cantans poſtmodum de eodem Sacramento, qua terminata accipiet celebrans a diacono oſtenſorium, & proceſſio incedet; id autem non fiet paſſim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula altaria, ſed ſemel tantum, aut iterum arbitrio Epiſcopi, ſe celebrantis, ita monente Cœremoniali Epiſc., quod licet taceat ſuper aliqua hymnorum ſtropha in hac circumſtantia cantanda, Pittonus tamen *de oct. to. 1. n.* 601. prædictæ orationi permitti ſcite laudat unam, vel alteram ſtropham alicujus hymni, de SS. Sacramento cum verſu *panem de cælo*, reſervata ſtropha *Tantum ergo* ad proceſſionis finem, quando nempe Sacramentum repoſitum eſt ſuper altare Eccleſiæ Matricis.

VI. Quænam Miſſa cantari debeat ante proceſſionem, non eſt, unde vocari poſſit in dubium, cum feſtum Corporis Chriſti ex iis diebus ſit, quæ Miſſas quaſvis alienas reſpuunt; quare dubium dumtaxat eſſe poteſt circa tempus, quo cantari poſſit, aut debeat; omnino autem cantandam eam eſſe ante proceſſionem, & poſt hanc nullatenus differri poſſe, ſequens (erit 21. cap. in ord. 317.) Decretum ſtatuit, abrogata etiam conſuetudine in contrarium tamquam prorſus aliena a Cœremonialis diſpoſitione, quæ eamdem Miſſam diſerte adeo indicit ante proceſſionem, ut oœcutiat, neceſſe ſit, qui ſecus fieri poſſe ſentit: *Miſſa in die ſolemnitatis Corporis Chriſti non debet cantari poſt abſolutam proceſſionem; & hujuſmodi conſuetudo, uti a Cæremanialis diſpoſitione aliena omnino abroganda eſt.* S. R. C. 3. Jun. 1662. *in Albinganen.* Haud tamen denegaverim, quod cum proceſſio illa longior eſſe ſoleat hæc ſufficiens poſſit eſſe cauſa ad anticipandam horam tertiam, poſt quam præfata miſſa dici debet; uti enim teſte Joanne Alcozer tardius recitari poteſt hora Tertia, ubi ob terræ frigiditatem tarde populus venit ad Eccleſiam pro ſolemni Miſſa, ita ad evitandum æſtum in noſtro caſu eadem hora Tertia anticipari poterit; quare & Cœremoniale Epiſc. eos, qui proceſſioni intereſſe debent, *ſummo mane* ad Eccleſiam Cathedralem convenire mandat, & Epiſcopum ipſum, *quanto citius poterit*, quinimmo quando idem Epiſcopus celebrare velit Miſſam, hæc tenet verba, quæ ad rem noſtram faciunt admodum: *Poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die, propter proceſſionem ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem, Miſſa ſolemni.* Infra octavam quæ Miſſa dici debeat præcedenter ad proceſſionem, videtur de eadem octava, eis dumtaxat diebus exceptis, quibus occurreret feſtum duplex 1. vel 2. claſſis, ſi attendenda foret diſpoſitio Inſtructionis Clementinæ, quæ votivam de Sacramento dicendam indicit; ego tamen eam ſaltem magis dici laudarem de currenti officio cum commemoratione Sacramenti, ſicuti certe fieri debet in diebus aliis, in quibus fit particularis proceſſio ejuſdem Sacramenti; unde ſequens Decretum, (quod erit 22. cap. in ord. 318.) *Miſſa de Dominica, ſeu de feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis proceſſio cum SS. Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet menſis.* S. R. C. 6. Decem. 1653. *in Fanen.*

VII. *Abſque pluviali* (ſit Decr. 23. cap. in ord. 319.) *non licet non habentibus uſum illius in die, & infra octavam SS. Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum SS. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habentibus uſum, ſtatuit* S. R. C. 22. Jann. 1701. *in una Camal. Montis Coronæ.* Diſcrimen ponitur expoſitionem inter & proceſſionem SS. Sacramenti, & ubi illam ſine pluviali (ut etiam nos ſuo loco diximus) fieri poſſe ſtatuitur, hanc ſine pluviali, etiam a non habentibus ejuſdem uſum, fieri non poſſe decernitur; non quidem univerſim, ſed *in die, & infra octavam Corporis Chriſti*, quo tempore deferenti Sacramentum pluviale pariter aſſignat Cœremoniale Epiſc. *l.* 2. *c.* 33. & idipſum præſtat Rituale Romanum *tit.* 80., atque deinde actionis expoſcit ſolemnitas, ſicuti & tempus ipſum, quod ad ſolemnizandum tantum Sacramentum præcipue eſt conſtitutum. *Si* quæras, num ſimile judicium habendum ſit de proceſſione qualibet SS. Sacramenti, haud dubito de ſolemni, unde Inſtructio Romana de proceſſione in occaſione XL. horarum: *E levata la pianeta prenderà il piviale*; de minus autem ſolemni ſaltem ut minimum laudabile eſt, quod adhibeatur, cum Rituale Romanum de proceſſione ipſa Sacri Viatici, in qua Sacramentum defertur in pyxide, hæc verba teneat: *Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola, & ſi haberi poteſt, pluviali albi coloris.*

VIII. Opportune ſe nobis offert Decretum quoddam (erit 24. cap. in ord. 320.) quod una cum petitione relatum, identidem cum brevi expoſitione intercalabimus. *D. Mattia Eremita Camaldoleſe di Monte Corona, al preſente Priore dell' eremo di Santa Maria degli Angeli di Nola in Regno, reverentemente eſpone; come in tutta la ſua Congregazione vi è l' abuſo, che nella proceſſione del Corpus Domini ſi porta il Venerabile dal Celebrante col ſolo umerale, e ſenza altra aſſiſtenza de' Miniſtri con indumenti ſacri, che di un ſolo Chierico, che porta il turribolo, ed un altro, che ſoſtiene l' ombrella appreſſo, lo che pare ſia contro le Rubriche, e l' uſo univerſale di S. Chieſa, ed anche di poca venerazione, decoro, e riſpetto verſo Gesù Sacramentato; che però ſupplica l'EE. VV. volerſi compiacere d' inſtruire tanto l'oratore, che tutta la detta ſua Congregazione della maniera propria, colla quale ſi deve fare non ſolo detta Proceſſione del Corpus Domini, ma anche quelle del Giovedì, e Venerdì Santo, per potere in avvenire correggere gli abuſi, ed errori fin al preſente commeſſi. Che &c.* Reſponſum fuit: *Præcedet crux haſtata* (poſita nempe ſuper haſtam, & non ſine haſta: qualis defertur in parvulorum funere) *a Religioſo cotta induto* (ſubdiaconali habitu Gavantus *par.* 4. *tit.* 12. *nu.* 5. illum indicit, & concordat Meratus *ibid. num.* 14., ſed expreſſa nimis eſt diſpoſitio Decreti, ut nos iiſdem adhærere poſſimus; & præſertim quia in caſu fere conſimili, ſcilicet proceſſionis occaſione XL. horarum, Inſtructio Romana cruciferum in cotta per hæc verba diſerte exigit: *Il crocifero in queſta funzione non ſarà parato con abito ſubdiaconale, ma veſtito con cotta*, quidquid poſtea ſit de proceſſione feriæ V. & VI. majoris hebdomadæ, aliiſque, in quibus crucifero ſubdiaconalem habitum Rubricæ aſſignant, quibus, cum Inſtructio teneat *In queſta funzione*, haudquaquam derogat) *delata inter ceroferarios cotta pariter indutos. Sequentur viri Religioſi bini incedentes, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti* (idipſum eſt de diebus infra ejuſdem octavam.) *Monaſterii cappis depoſitis* (in quo habitu in hac proceſſione incedere debeant, ſtatim reſervamus agere) *poſt communionem celebrantis* (ſermo eſt de proceſſione, quæ fit poſt miſſam) *ſument non in choro, ſed in alio convenienti loco ſuperpelliceum, cereoſque accenſos* (& per hæc verba eorum carpitur error, qui ſine cereis huic interſunt proceſſioni) *geſtabunt. In proceſſionibus vero, quæ fiunt feria V. in Cœna Domini, & feria VI. in Paraſceve, quia hæ intra Eccleſiam peraguntur, cum cappis* (de hoc iterum infra) *monaſticis procedunt. Poſt digniores Religioſos viros ſuccedent duo thuriferarii* (non ſufficit itaque unus) *iiſdem cum cottis, qui thuribula cum incenſo fumigantia lente ducent ante celebrantem facie, non dorſo* (propter irreverentiam, quæ alias obveniret) *ad Sacramentum ſemiverſa in inceſſu. Tandem adveniet celebrans pluviali* (& ecce pluvialis neceſſitatem etiam apud eos, qui ejuſdem uſum non habent) *ac velo humerali amictus, deferens Sacramentum inter miniſtros ſacris veſtibus* (ideſt Dalmatica, & tunicella, quia ſermo eſt de proceſſione poſt Miſſam, pluvialibus vero, ſi poſt veſperas proceſſio fieret) *ſed ſine manipulo*, (cujus ut alias diximus, uſus non eſt in proceſſionibus) *indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem celebrante pſalmos* (de hoc jam diximus alibi) *ſubmiſſa voce recitabunt. Supra celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino* (ergo abſque ulla diſpenſatione, umbella namque eſt ſolum in ſubſidium) *baldachinum, quaternis ſaltem* (poteſt igitur eſſe pluribus) *haſtis inſtructum, quæ a totidem* (quot nempe fuerint haſtæ) *Religioſis ſuperpelliceo indutis in feſto corporis Chriſti eleventur. Feria autem ſexta in Paraſceve deferri poterit baldachinum* (cum proceſſio ut ſupra Eccleſiam non exeat) *a Religioſis ſine cotta; qua die celebrans non ſumet pluviale* (ſed remanebit in planeta); *miniſtri autem celebrantis, cum non utantur planetis plicatis* (aſſiſtent in planetis plicatis in Eccleſiis, quæ iiſdem uti ſolent) *tum ſolemni illius diei officio, tum proceſſioni cum ſuperpelliceo aſſiſtent, Cerei extinguuntur, poſtquam reconditum fuerit Sacramentum* (clauſum nempe fuerit intra tabernaculum in feſto, ſeu octava Corporis Chriſti) *& feria VI. in Paraſceve, poſtquam fuerit a celebrante conſumptum* (pro quo videantur in ſuo loco tradita) *nec ceſſabit campanarum ſonitus, ubi ab Eccleſia non prohibetur* (uti prohibitus eſt in Paraſceve, & Cœna Domini) *niſi poſt ſacram actionem abſolutam. Quod ſi ad hujuſmodi ſupplicationes convocentur confratres alicujus ſodalitii, hi ſacco induti deſignari poterunt ad deferendum baldachinum* (ut minus, quam fieri poſſit, minuatur Religioſorum numerus) *ſupplendo vices Religioſorum alia munia obeuntium. In his autem Cœnobiis, ſeu Religioſis familiis, in quibus parva Monachorum manus ſit* (vide, quæ diſpenſentur, ubi pauci adſunt Religioſi) *aſſiſtentes celebranti poterunt incedere cum ſuperpelliceo* (ſine ſacris veſtibus), *ſed nunquam fas ſit, ut omittatur baldachinum, ſemper deferendum* (nota hæc verba) *ut ſupra, ſive a Monachis, ſive a confraternitatibus.* S. R. C. 15. *Sept.* 1742. *in una Ord. Erem. Montis Coronæ.*

IX. Canonicis Eccleſiæ Cathedralis præ ceteris cunctis licet Collegiatarum Canonicis, cœremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 3. diſerte præcipit, quod in proceſſione SS. Sacramenti incedant parati paramentis albis ſibi competentibus, ſcilicet ſubdiaconi, & diaconi cum dalmaticis, & tunicellis, presbyteri cum planetis, & dignitates cum pluvialibus. Dubitatum extitit primo, num primicerius cum presbyteris planetam induere debeat, vel pluviale cum dignitatibus, & ſequens (erit 21. cap. in ord. 321.) prodiit Decretum: *Primicerius, licet, dubitetur, an ſit dignitas, debet in proceſſionibus capere*

pluvia-

pluviale ſicut dignitas, & non planetam, ſicut Canonici. S. R. C. 28. Apr. 1607. *in Capuana.* Secundum dubium emerſit ſuper caſum, in quo Epiſcopus non deferat Sacramentum, & ecce Congregationis (ſit Decr. 26. cap. in ord. 322.) reſponſio: *Si Epiſcopus in proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam, vel non interveniat, canonici tamen cathedralium induant ſacras veſtes.* S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana.* Nota to *canonici cathedralium*, ut hinc intelligas, canonicis collegiatarum id minime eſſe licitum, unde Decretum aliud, quod erit 27. cap. in ord. 323. *Canonici Eccleſiæ collegiatæ non debent in proceſſionibus incedere parati, ſicut canonici cathedralis.* S. R. C. 19. Maii 1607. *in Placentina.* Et quidem laudatum cæremoniale ſeminarii clericos, & Parochialium Eccleſiarum Curatos cum cottis, collegiates cum ſuis inſignibus facit incedere, ſolos vero canonicos Eccleſiæ cathedralis cum paramentis ſuo Ordini congruentibus. Meratus *part. 4. tit. 12. num. 6.* nihilominus ſcribit: *Quod videtur obſervandum in aliis etiam Eccleſiis, non cathedralibus (præſertim ſi ſit conſuetudo, quæ admodum laudabilis eſt) quod Eccleſiaſtici in ſacris veſtibus convenientibus ſuo ordini, in tali proceſſione incedant.* Ubi ejuſmodi conſuetudo eſt, aut particularis Ritualis lex, nec ego refragor, probe conſcius, quod orta controverſia inter Canonicos cathedralis Imolenſis, & Patres Carmelitas ſuper delatione ſacrorum paramentorum in proceſſione ab iiſdem fieri ſolita infra octavam Corporis Chriſti, utraque parte informante, ſequens (erit Decr. 28. cap. in ord. 324.) reſolutio proceſſit: *An Patres Carmelitæ induere poſſint ſacras veſtes ad formam eorum Ritualis in proceſſione facienda extra clauſtra, & ambitum Eccleſiæ infra octavam SS. Corporis Chriſti. Reſp. affirmative exceptis Fratribus laicis* S. R. C. 16. Maii 1744. *in Imolen.* Camaldulenſibus, quod ſuperius produximus, depoſitis cappis cottarum, uſum Decretum aſſignat, quem laudatum cæremoniale attribuit ſoli clero ſæculari. Hæc admodum apparent varia, ſed hoc pacto ad concordiam facile revocantur, ita ut quoties ultra clerum aliarum Eccleſiarum proceſſioni intereſt clerus cathedralis, hic ſolum ſacras induat veſtes, quo de caſu cæremonialis diſpoſitio procedit; quoties vero cathedralis clerus minime intereſt, id honoris debeatur clero Eccleſiæ dignioris, quemadmodum cæremoniale illud tribuit Eccleſiæ cathedrali, tamquam digniori ex Eccleſiis intereſſentibus. Quod ſi clerus unius dumtaxat Eccleſiæ interſit, quicumque ille ſit, ſacras poteſt induere veſtes, cum tunc ceſſet producta diſtinctionis ratio, & aſſiſtant apprime Decreta pro Carmelitis, & Camaldulenſibus ut ſupra edita, licet loco ſacrarum veſtium, quarum uſus apud Camaldulenſes vix eſt extra Miſſam, pro illis cottæ ſubrogatæ fuerint. Pro Carmelitis ſoli excipiuntur Fratres Laici, & Camaldulenſium Religioſi indiſtinctim admittuntur ad uſum cottæ, quare hinc videtur erui, quod clerici Minorum Ordinum in hac proceſſione cum habitu ſubdiaconali ſine manipulo tolerari valeant, ut & Fratres Laici cum cottis, nunquam vero cum ſacris veſtibus, unde perperam illi deprehenduntur agere, qui in feria V., aut VI. majoris hebdomadæ Fratres Laicos ſubdiaconali veſte induunt pro deferenda proceſſionali cruce.

X. Pius V. ſua Conſt. 21. Junii 1571. Ordini Prædicatorum ampliſſimum conceſſit privilegium, faciendi nempe proceſſionem cum SS. Sacramento in die Dominica infra octavam Corporis Chriſti, ita ut nedum a nemine impediri poſſet, ſed inſuper quod nullus alter poſſet eodem tempore, vel die eamdem proceſſionem facere. Gregorius XIII., qui eidem Pio V. immediate ſucceſſit, ſua Conſt. *cum interdum* 21. Maii 1573. prædictum Pianum indultum moderatus eſt quoad privativam, & univerſis clericis ſæcularibus, & regularibus conceſſit, ut litteris S. Pii V. non obſtantibus, liceret ipſis, tam die Dominica, quam aliis diebus totius octavæ proceſſionem celebrare, abſque eo quod ab Ordine Prædicatorum, aut a quocumque alio poſſent moleſtari, vel impediri. Clemens VIII. ſua Conſt. *Dum felicis* 8. Martii 1592. Pianum confirmavit indultum, non plene tamen quoad privativam, ſed ubi Pius V. aliis clericis inhibuit *eodem tempore, & die* proceſſionem facere, Clemens VIII. ſublato *Die*, ejuſdem loco poſuit *Hora*, & dixit: *Ne dicto tempore, & hora in dicta die Dominica &c.*, quare Dominicanis quidem competit optio in electione horæ, ſed non propterea derogata manent jura competentia aliis clericis vigore Gregorianæ Conſtitutionis ſuper proceſſionem etiam in prædicto die Dominico faciendam, dummodo eam peragant diverſa hora ab ea, quæ a Prædicatorum Ordine electa fuit; unde Decretum, quod erit 29. cap. in ord. 325. *Licet Patribus Reformatis Oppidi Montis Murri facere proceſſionem die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti, dummodo fiat diſtincta hora ab ea, in qua fit a Patribus Dominicanis.* S. R. C. 18. Apr. 1714. *in Tricaren.* Repropoſita vero cauſa, eadem Congregatio (erit Decr. 30. cap. in ord. 326.) ſub die 4. Martii 1717. *ſtetit in deciſis, juxta modum præſcribendum ab Eminentiſſimo Ponente,* qui ſub die 12. Martii 1718. illum præſcripſit ſequentibus verbis, videlicet *Proceſſionem faciendam eſſe per clerum ſæcularem in die SS. Corporis Chriſti: Per Patres Dominicanos in die Dominico infra octavam de mane, & per Patres Reformatos in eodem die Dominico infra octavam de ſero.* Ubi itaque præfato die Dominico duplex fit proceſſio, convenit quidem, una fiat in mane, altera in ſero, neceſſe tamen non eſt, ſed utraque fieri poteſt in mane, aut in ſero, dummodo fiant diſtinctis horis, data ſolummodo Dominicanis prælatione circa horam, a qua ſemel electa non poſſunt amplius recedere, ſicuti ſequens (erit 31. cap. in ord. 327.) definit Decretum: *Licet Patribus Franciſcanis facere proceſſionem extra clauſtra per loca ſolita, etiam de mane in die Dominica infra octavam SS. Corporis Chriſti, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horæ Patribus Dominicanis, a qua ſemel electa non liceat amplius recedere.* Innoc. XII. Conſt. *Sua nobis* 25. Febr. 1696. Hoc pacto, quod ſubdimus (erit 32. cap. in ord. 328.) quique Auctores putant intelligendum eſſe Decretum: *Licet Patribus Dominicanis prohibere aliis Regularibus, ne in die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti peragant proceſſionem.* S. R. C. 30. Apr. 1671. *in Placentina*, ita ut exponendum ſit de facultate prohibendi dictam proceſſionem in eadem hora præfatæ Dominicæ, non autem in diverſa. Quamlibet adimit dubitandi rationem ſequens Decretum (erit 33. cap. in ord. 329.) quod dumtaxat Dominicanis prælationem tribuit circa horam de mane poſtea, aut de veſpere. *Patres Dominicani non valent prohibere Patribus Conventualibus proceſſionem S. Antonii Patavini quatenus dicto die Dominico occurreret, dummodo fiat diverſa hora, & data prælatione temporis Patribus Dominicanis de mane, vel de veſpere.* S. R. C. 18. Martii 1702. *in Aliphana.*

XI. *Licet Patribus Carmelitis abſque licentia Parochi* (erit Decr. 34. cap. in ord. 330.) *facere proceſſionem, & amplius cauſa non proponatur.* Congr. Epiſc., & Regul. 15. Janu. 1722. Solebant Faventinæ Patres Carmelitæ in die Dominico infra octavam Corporis Chriſti proceſſionem facere cum SS. Sacramento abſque licentia Parochi S. Margaritæ, per cujus fines proceſſio ſolita erat tranſire. Contendens Parochus dictam licentiam aliquando fuiſſe petitam, ut proceſſionem impediret, recurſum habuit ad ſuum Epiſcopum Faventinum, a quo tamen, in executionem Conſtitutionis Gregorianæ, quæ dum Regularibus extra clauſtra proceſſionem concedit facere, ſimul indulget ſuper tranſitum per parochiales limites; permiſſum fuit iiſdem Carmelitis prædictam proceſſionem agere abſque ulla licentia dicti Parochi. His non attentis, prædictus Parochus auſus fuit eamdem proceſſionem jam inceptam impedire, obſtans violenter itineri proceſſionis: hinc deducta fuit cauſa ad Congregationem Epiſc., & Regul., quæ cum ut ſupra eamdem definiverit, liquido conſtat, quod Regulares quique ad peragendam proceſſionem SS. Sacramenti in die quallibet intra octavam Corporis Chriſti, haudquaquam egent licentia Parochorum, per quorum limites proceſſio tranſit, cum ad id ſuffulti maneant Apoſtolico indulto per Gregorianam Conſtitutionem iiſdem facto. Haud tamen denegaverim non poſſe eoſdem abſque Parochorum, vel Epiſcoporum licentia mutare viam ſemel electam, ſicuti ſequens (erit 35. cap. in ord. 331.) innuere videtur Decretum; *Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam.* S. R. C. 14. Nov. 1615. *in Piſaur.*

XII. Ex Paſcuccio Pittonus *deciſ. pro ſacr. rit. num.* 1083. Congregationem Viſitationis Apoſtolicæ die 15. Sept. 1695. definiviſſe refert. *Miniſtris Conſolationis Almæ Urbis non licere facere proceſſionem per Parochiam intra octavam SS. Corporis Chriſti, & præſertim eo die, quo fit per Eccleſiam Parochialem, præterquam intra Eccleſiam dumtaxat.* Quod ad proceſſiones faciendas intra ambitum ſuarum Eccleſiarum, Parochorum licentia Confraternitates non egeant, Decretis plurimis manet ſancitum, quorum unum (erit 36. cap. in ord. 332.) dumtaxat lubet producere: *Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, & licentia Parochi.* S. R. C. 10. Dec. 1703. Secus eſt de proceſſionibus extra ambitum dictarum Eccleſiarum, quas fieri non poſſe abſque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium tranſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi, quæ ſuppleat pro illa Parochorum ſequens (erit 36. cap. in ord. 333.) declaravit Decretum: *Proceſſiones juxta inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum Territorium tranſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi.* Ead. Cong. in eod. Decr. Hæc fortaſſe cauſa eſt, ob quam Congregatio Viſitationis prælatam proceſſionem SS. Sacramenti intra Eccleſiarum ambitum ſine Parochorum venia (quod in Decreto ſubintelligendum eſt) declaravit licitam, illicitam vero extra earumdem Eccleſiarum ambitum; & præſertim quia Gregoriana Conſtitutio Confraternitatibus, quarum nullam mentionem habet, ſuffragari non poſſe videtur. Verum notatu dignum eſt, quod S. R. C. ad prælatas proceſſiones extra Eccleſiarum ambitum licentiam Parochorum exigit, non interventum, ut inde ediſcas, quod non ſpectat ad Parochos, ſed ad Confraternitatum Cappellanos eaſdem proceſſiones agere, dummodo interſit licentia Epiſcopi in defectu veniæ Parochorum. Ad rem facit admodum quædam deciſio (erit Decret. 38. cap. in ord. 334.) Congregationis Concilii, quæ propoſito dubio: *An delatio Venerabilis, quæ ſingulis annis fieri ſolet die ultima Aprilis per Civitatem poſt expoſitionem XL. horarum, ſit facienda a Cappellano Confraternitatis, vel potius a Parocho?* Reſpondit: *delationem eſſe faciendam a Cappellano Confraternitatis de licentia Epiſcopi.* Congr. Concil. 18. Maii 1726. Et quidem cum Congregatio Rituum in ſubſequenti Decreto diſerte jubeat, quod Confraternitatum Cappellani in proceſſionibus, quæ fiunt extra ambitum, non debent deferre ſtolam, dubium eſſe non poteſt, quin ad eoſdem Cappellanos prædictæ proceſſiones attineant, & non ad Parochos, licet poſtea in hac proceſſione, in qua defertur SS. Sacramentum, ab iiſdem ſtola deferri indubie debeat, cum demandata ſit a Rubricis, & quibuſcumque rituum regulis. Quæ dicta ſunto, dummodo in Parochorum favorem non militent conſuetudo immemorabilis, vel centenaria. Conſtitutiones ſynodorum Provincialium, vel Diœceſanorum

aliæ-

aliæque rationes ſæpe a nobis memoratæ, atque productæ, quibus cum ſubjaceant Decreta S. R. C. 10. Dec. 1703., haud dubito etiam illud Concilii ſubeſſe, utpote laudatis Decretis innixum.

XIII. Regulares, ubi vocati fuerint, teneri accedere ad proceſſionem Corporis Chriſti, dummodo eorum Monaſteria a Civitate ultra medium milliare non diſtent, aut niſi exhibeant privilegia Apoſtolica poſteriora publicatione Sacroſancti Concilii Tridentini, & quatenus accedere noluerint, compellendos eſſe per cenſuras, vel alias pœnas Epiſcopo bene viſas, cautum eſt Decretis plurimis, ſed cum eorum diſpoſitio limitata maneat ad diem ipſam SS. Corporis Chriſti, rite Auctores inferunt, haudquaquam teneri illos ad accedendum ad proceſſionem, quæ infra octavam, vel in die ipſa octavæ ab Eccleſia Cathedralis fieret, etiamſi Epiſcopus Sacramentum in ea deferret. Ex clericis ſæcularibus quinam debeant intervenire, per hæc verba enumerat cœremoniale Epiſc. *Si aderunt, ſuccedunt Regularibus clerici ſeminarii, & poſt eos curati, tum Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimo loco clerus Eccleſiæ Cathedralis*. An vero item clerici, vel ſacerdotes ſimplices, Nicolius *Lucubr. lib. 2. can. tit. 31. num.22.* non teneri aſſerit, nec compelli poſſe eorumdem illos, qui nullum officium, vel beneficium habent, niſi adſit conſuetudo, quam ſervandam eſſe Congregatio Concilii definiit apud eumdem Nicolium die 5. Martii 1647., & apud Urſayam die 6. Julii 1647. Videantur, quæ hanc ſuper rem tradit Barboſa *in ſumma Apoſt. deciſ. collect. 609.*

XIV. *Quamvis Epiſcopus* (erit Decr. 39. cap. in ord. 335.) *adhibito capituli conſilio, præfigat, & dirigat, ac transferat proceſſiones, tamen non poteſt pervertere, & immutare ritum proceſſionum a cœremoniali, & Rituali Romano præſcriptum, neque de conſenſu capituli*. S. R. C. 26. Janu. 1658. *in Cajetana*. Quod Epiſcoporum muneris ſit de conſilio, non de conſenſu Capituli indicere, dirigere, & ordinare publicas proceſſiones, Barboſa *loc. cit. collect.* 607. affert deciſiones plurimas, quarum unam producit etiam Gavantus *in manu. Epiſc. verb. proceſſio num. 11. in addit.* Super translationem, quam itidem adductum concedit Decretum, prædicti tacent Auctores; Monacellius tamen *Formul. leg. pract. par. 4. in ſupplem. ad 2. tom. pag. 9. num.76.* in Epiſcopis etiam facultatem ſuper eam diſerte defendit. Pittonus *de oct. to. 1. num.612.* Epiſcopis facultatem ſuper translationem proceſſionum minime quidem contendit, eidem tamen eam denegat quoad translationem proceſſionis feſti Corporis Chriſti, & his ducitur argumentis. I. Nam cum Epiſcopus Burgenſis vellet transferre poſt octavam Feſtum SS. Sacramenti, ea motus ratione, ut ſcilicet proceſſio decentius celebraretur, licentiam denegavit S. R. C. 24. Sept. 1605. teſte Barboſa *collect. 707. num. 6.*, ubi reapſe tenet hæc verba: *Translatio feſti SS. Sacramenti poſt octavam ad proceſſionem decentius celebrandam, non conceditur a S. R. C. in Burgen. 24. Sept. 1605. quam refert Aldan. d. tit. 119. de ſanctis num. 182.* II. Quia cum feſtum Corporis Chriſti per Rubricas adeo privilegiatum ſit, ut excludat quodcumque feſtum, & extraneam Miſſam, reperire non eſt impedimentum non celebrandi illud in propria die. III. Quoniam ſi juxta laudatum Decretum non poteſt Epiſcopus pervertere, & immutare ritum proceſſionum præſcriptum a cœremoniali, vel Rituali Romano, ſic neque poterit immutare diem proceſſionis SS. Corporis Chriſti.

XV. Verum inconſequenter, & non ſatis ad rem arguit Auctor iſte, unde ad primum dicimus, quod eatenus licentia Epiſcopo Burgenſi denegata fuit, quatenus petitio non tam verſabatur ſuper translatione proceſſionis quam feſti; quantum autem ad translationem feſtorum, & officiorum nihil juris competit Epiſcopis, ſed id Sedi Apoſtolicæ privative eſt reſervatum, ut late diximus in to. 1. cap. 41. Ad 2. ita quidem, ſed juxta locorum, & circumſtantiarum diverſitatem, & contigentiam deeſſe non poſſe impedimenta plurima, ob quæ prædicta proceſſio nedum non poſſit celebrari ea, qua decet, ſolemni pompa, ſed nec per viam elongari. Tertium vero nimis probat, nam ſequeretur inde, quod ſicuti Epiſcopus non poteſt pervertere, nec immutare ritum, non ſolum proceſſionis Corporis Chriſti, ſed neque aliarum proceſſionum, ita nullas proceſſiones transferre poſſet, cum tamen ipſe Epiſcopis facultatem ſuper translatione aliarum proceſſionum minime contendat. Earumque vero Epiſcopi proceſſionum ritum nec pervertere, neque mutare poſſunt, quia cum Eccleſiaſtici ritus, cœremoniæ, atque Rubricæ ſummo ſtudio elaboratæ fuerint, atque per Sedem ipſam Apoſtolicam approbatæ, & circa earumdem executionem impedimenta evenire non poſſint, idcirco earumdem mutatio committi non debuit Epiſcoporum arbitrio, bene vero proceſſionum dies, circa quam in particularibus locis non ſemel impedimenta occurrunt, unde vel prorſus omitti deberent, vel ſaltem non celebrari ea, qua decet, ſolemni pompa. Cum itaque Decretum ſuper translatione proceſſionum Epiſcopis facultatem ſimpliciter faciat, & non minus circa proceſſionem SS. Corporis Chriſti impedimenta occurrere valeant, idcirco etiam hanc transferre æque poterunt, unde ſequens (erit 40. cap. in ord. 336.) Decretum: *Ubi proceſſio SS. Sacramenti in ejus feſto die, vel per octavam ea, qua decet, ſolemni pompa nequiverit haberi, deſignabit Epiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia unicuique Eccleſiæ aliquam ex ſequentibus Dominicis, in qua celebrata Miſſa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius proceſſio peragi poſſit*. S. R. C. 8. Martii 1749. *in Lisbonen.*

XVI. Proceſſio hujuſmodi, in qua veluti in triumphum circumfertur Redemptor orbis, præ ceteris publicis, & generalibus, inter quas principem tenet locum, convenienter admodum per cœremoniale Epiſc., & Rituale Romanum cum ſingulari ſolemnitate fieri demandata eſt, cum frequentiſſimo nempe cleri comitatu, maxima ſtipatione luminum, ſplendidiori Eccleſiæ apparatu, & ornatu ipſarum viarum, per quas proceſſio tranſire debet, *cum aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibuſque virentibus ſecundum poſſe, & qualitatem loci*, ut idem loquitur cœremoniale. Huc ſpectat ut *honorifice*, qualiter in prædicto feſto Sacramentum per vias, & loca publica a Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. deferri probatur, & digna ſunt recolantur, quæ Auctores concordes tradunt de ſolemnitate maxima, qua adeo præcelſum Sacramentum circumgeſtari convenit in prædicto feſto, quod juxta Tridentinum *æquiſſime ſtatutum extitit, ut chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur, atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant*. Cum itaque non ſemel eveniat, quod ob pluviam, turbines, aut ventorum flatus, aliaſve, quæ nonnumquam accidunt, non infrequentes cauſas prædicta proceſſio nedum cum deſcripta, aut ſaltem convenienti pompa fieri non valeat, ſed neque extra Eccleſiam per vias, & loca publica elongari. Congregatio per tumultuariam proceſſionem, aut ſine debita ſolemnitate intra Eccleſiæ ambitum illam ſupplendam non eſſe credidit, ſed faciendam infra octavam ejuſdem feſti, ad quam hoc ipſo translata intelligitur, & præcipue ad diem Dominicam, aut octavam diem, ut cum ſolemni pompa, ſicuti par eſt, celebrari valeat.

XVII. Quod ſi neque infra octavam fieri poſſit, vide, quæ Decretum ſtatuit: *Deſignabit Epiſcopus*, & cum hoc verbum magis imperativum ſit, quam facultativum, abunde deſignat, quod Eccleſiæ ſe diſpenſare non poſſunt ab eadem proceſſione facienda, ſed quod magis eam facere tenentur in die, quam Epiſcopus deſignabit. *Pro ſuo arbitrio, & prudentia*, adeoque non tenetur unam magis diem, quam alteram deſignare, ſed pro ſuo libito eam deſignare poterit, quam melius expedire putaverit. *Unicuique Eccleſiæ*, adeoque non tantum Cathedrali, ſed Eccleſiis omnibus ſuæ juriſdictionis, quæ in feſto Corporis Chriſti proceſſionem facere ſolent, aut tenentur; & quoties id extendas etiam ad proceſſiones infra octavam ab Eccleſiis aliis fieri ſolitas, quæ ſimiliter fuerint impeditæ, non ego refragabor admodum, dummodo non inde cenſeantur in præcepto conſtitutæ, ſed in mero arbitrio, quemadmodum ſunt etiam in diebus ipſis infra præfatam octavam. *Aliquam ex ſequentibus Dominicis*, & per hæc verba arbitrium Epiſcopi limitatur ad deſignandam diem Dominicam, non ex præcedentibus, ſed ex ſequentibus, cum juxta Romanum ritum translationes in ſequentes dies fieri ſoleant, & in caſu noſtro ita fieri neceſſe ſit, cum impedimentum ſit magis accidentarium, unde prævideri non poteſt, & adhuc ſubrogationem merito habeat octava feſti, quæ eidem Sacramento plene conſecrata eſt. Præeligitur dies Dominica, & ideo quatenus verbis textus rigoroſe inſiſtendum foret, nonniſi dies Dominica deſignari poſſet, ſed quoniam dies Dominica non præeligitur, niſi quia cum dies feſtiva ſit, aſt ad rem aptior, atque commodior, ego haud reluctarer, etiam diem aliam feſtivam deſignari poſſe, dummodo expedire videatur, licet nonniſi conſultius eſſe poſſit, textus verbis adhærere. Non tenetur autem Epiſcopus deſignare diem Dominicam immediate ſequentem, ſed aliquam ex ſequentibus Dominicis pro ſuo ut ſupra arbitrio, & prudentia. *In qua celebrata Miſſa*, ut ſervetur diſpoſitio cœremonialis Epiſc., atque Decretorum, quæ poſt Miſſam proceſſionem prædictam indicunt. *Cum commemoratione SS. Sacramenti*, quam jam alibi in ſimili circumſtantia faciendam eſſe diximus, & inſuper aſſignavimus locum ejuſdem faciendæ, poſt omnes nempe a Rubricis præſcriptas. Verum ſi in hac Miſſa commemoratio SS. Sacramenti debet fieri, irrefragabile ſit argumentum, quod Miſſa ob ſequentem proceſſionem facienda non eſt de Sacramento, ſed ea fieri debet de officio, quod ea die occurrit, ut in ſuperioribus etiam nos ipſi firmavimus. *Juxta Rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius proceſſio peragi poſſit*, per quæ verba denotatur ſanctionis finis, qui eſt, ut proceſſio fieri poſſit cum ſolemnitate per Rubricas præſcripta, & elongatione equidem per vias, ſicuti expoſcit triumphalis proceſſio tanti Sacramenti. At quid, ſi in die deſignata ſimiliter impedimentum occurrat? Videtur, quod commiſſio Epiſcopo per Decretum facta, exempta fuerit, ſed cum executa non fuerit Decreti mens, quæ eſt, ut proceſſio prædicta non omittatur, ſeu quod celebretur cum decenti pompa, & ſolemnitate, idcirco ſatius ſaltem eſſe videtur, quod die deſignata ſimiliter impedita, in diem alteram proceſſio transferatur.

CAPUT VIGESIMUM.

De Proceſſionibus in Paſſionis tempore.

PAſſionis tempus in ſuo comprehendit ſinu duas hebdomadas, ſeu quindecim dierum ſpatium, quod eſt a Dominica *Paſſionis* dicta incluſive uſque ad Dominicam Paſſionis

exclu-

excluſive; ad diſtinctionem tamen prior hebdomada dicitur *Paſſionis*, poſterior *hebdomada major*, cujus tres dies ultimi nuncupantur *triduum mortis Chriſti*, de quo ſequens (erit 1. cap. in ord. 337.) diſponit Decretum: *Proceſſio ſolemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in feriam VI. Paraſceves, eo anno transferenda eſt in aliam diem*. Congr. Epiſc. 25. Februar. 1598. Luctuoſa nimis eſt Feria VI. Paraſceves ob Chriſti mortem in ea realiter geſtam, & hujus memoriæ recolendæ plene conſecrata, ut proceſſionem ſolemnem in honorem ſanctorum cum diſtractione a fine, quem ſibi Eccleſia præſtituit, admittere valeat, & ideo quæ certo die erat facienda, ſi cadat in memoratam feriam, rite eo anno in alium diem transferri mandatur; non quidem adeo, ut neceſſe omnino ſit, eamdem proceſſionem transferri, quaſi eo anno omitti non poſſit, ſed quatenus aliunde eam faciendi habeatur præceptum, vel eamdem peragere placeat. Scopus namque Sanctionis præciſe ſiſtit in proſcribenda eo die Sanctorum proceſſione, tamquam myſteriis, in quibus meditandis Eccleſia tota occupatur, minus conſentanea, & hunc ſolummodo ad effectum eam transferendam indicit, parum poſtea ſollicita, ut transferatur, dummodo eo die non fiat. Quod de feria VI. Paraſceves ſpecialiter ſanctio diſponit, tu nec parumper dubita ad totum triduum mortis Chriſti protendere, quod memoriæ paſſionis, & ſepulturæ Chriſti ex inſtitutione Eccleſiæ non minus ſpecialiter eſt deputatum, niſi excipiendum cenſeas tempus pomeridianum Sabbati, in quo juxta moderniorem diſciplinam Eccleſia dolores ſolvit, & deſerit triſtitiæ argumenta, quod tamen ut minimum non poteſt eſſe laudabile; triduum autem mortis Chriſti ad effectum, de quo agitur, incipit a tempore, quo in præcedenti feria IV. inchoat tenebrarum officia. Dixit *Proceſſionem Sanctorum*, ſed excipiendæ ſunt proceſſiones Deiparæ ſub Myſteriis, quæ ad Chriſti mortem referuntur, uti & Reliquiarum Chriſti, ac inſtrumentorum Dominicæ paſſionis, de quibus in duobus præcedentibus capitibus ſatis elocuti ſumus.

In feria VI. Paraſceves (erit Decr. 42. cap. in ord. 338.) *non poteſt fieri nocte proceſſio cum SS. Sacramento, & hunc abuſum abroget* Congregatio Epiſc. & Regul. 22. Martii 1596. Rationem reddit Gavantus *par. 4. tit. 9. n. 26.*, quia nempe *abuſus ejuſmodi alienus eſt a ritu, & legitimo ſenſu S. R. E. quæ occultat his diebus Euchariſtiam, & in aliud tempus adeo diſtulit proceſſionem, & feſtum Corporis Chriſti*. Futtis admodum eſt ratio iſta ad excludendam proceſſionem SS. Sacramenti nedum a prædicta feria VI., cujus ſanctio meminit, ſed etiam a præcedenti feria V., & a ſubſequenti ſabbato uſque ad Miſſam incluſive, quia toto hoc tempore Eccleſia occultat Euchariſtiam; & inſuper etſi in feria V. aliquatenus dolores ſolvat in Miſſa, atque lætanter recolat quodammodo inſtitutionem SS. Sacramenti, hujus tamen proceſſionem ad aliud tempus diſtulit. Ad prædictam feriam V. reapſe ſequens (erit 43. cap. in ord. 339.) inhibitionem protendit Decretum: *Proceſſiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ non convenit, & repugnat myſteriis Eccleſiæ, & eſt abuſus omnino tollendus*. S. R. C. 18. Aug. 1606. *in Mantuana*. Jam alibi ſtatutum vidimus, quod in triduo mortis Chriſti SS. Sacramentum, quod pro infirmis aſſervatur, in Eccleſia cuſtodiri non debet, ſed in ſacello ſeparato, & quatenus ad ægrotos deferri neceſſe ſit, quod deferendum illud eſt quaſi private, & cum precibus ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitatis; tantum abeſt, quod extra neceſſitatis caſum per publicas vias Eccleſia probet Sacramentum ſolemniter aſportari, multo quidem minus diſcoopertum, ſed nec vaſo tectum, cujuſmodi eſt Sacramentum, quod in pyxide clauſum, atque ſuo velo, & adhuc humerali tectum ad infirmos deportatur. *De nocte* ambæ habent ſanctiones, utique tamen ratione petitionum, quæ proceſſere ſuper proceſſiones de nocte fieri ſolitas, ſed eaidem non minus de die munera inhibitas, indubium teſtimonium reddunt proceſſiones, quæ licet de mandato Rubricarum in mane feriæ V. & VI. cum Sacramento velato peragantur ab altari ad ſepulcrum, & a ſepulcro ad altare, adhuc extra Eccleſiam per vias elongari prohibeatur. Ubi itaque ejuſmodi viget conſuetudo, *tamquam abuſus*, ut Decretum ait, *repugnans Myſteriis Eccleſiæ*, eſt omnino tollenda; abuſus namque dignoſcitur repugnans myſteriis Eccleſiæ, nam dum hæc occupata eſt in recolenda Chriſti morte, illa proceſſionaliter, & ſolemniter defert ſacram hoſtiam, in qua Chriſtus vivus eſt, atque glorioſus.

Si conſuetudo (erit Decr. 44. cap. in ord. 340.) *deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum feria VI. Paraſceves in feretro nigris velleribus contecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, eſt toleranda*. Cong. Epiſc. 3. Jan. 1582. & 29. Martii 1596. Quoniam Chriſti mortem tamquam realiter geſtam in feria VI. Paraſceves Eccleſia quotannis lugubribus officiis proſequitur, in uſum nonnullæ invexerunt Eccleſiæ, in ſero ejuſdem diei ſtatuam crucifixi collocare in feretro nigris velleribus contecto, & per ſolemnem proceſſionem tamquam ad ſepulcrum deferre. Uſum ejuſmodi, aliaſque ſimiles Congregatio non damnat, ſed illarum Eccleſiarum, quæ loco prædictæ ſtatuæ SS. Sacramentum in prædicto ponunt feretro, & in proceſſione quaſi ad ſepulturam deducunt. Hæc conſuetudo quam digna ſit, penitus extirpetur, ea ratio evidenter oſtendit, quod Chriſtus in Sacramento nedum vivus eſt, ſed etiam glorioſus; quare ſicuti hac de cauſa concorditer Auctores e tabernaculo ejuſdem Sacramenti, etiam ſub lugubribus ipſis officiis ſolemnibus, adeo conopæum nigrum excludunt, ut non deſint, qui id extendant ad tabernaculum ipſum vacuum, *quia adhuc eſt regia Chriſti viventis*, ſicuti Gavantus aſſerit *par. 4. tit. 8. nu. 12.*, ita multo magis a feretro, quando in eo Sacramentum deferendum eſſet, ſaltem vellera nigra removenda forent. Praxis item Eccleſiæ altare ſepulcri, ob Sacram Euchariſtiam, non nigris veſtit, ſed paramentis albis, & in proceſſione a ſepulcro ad altare Sacerdotem induit velo humerali albo, licet eumdem toleret in planeta nigra ob Miſſæ reliquum, quod in eadem debet facere: adeo a recto abit tramita conſuetudo contegendi Sacramentum velleribus nigris.

Quæ licet ita ſint, adhuc Piſonio teſte *de Sacr. Rit. nu.* 84. prædicta conſuetudo viget Venetiis, & quatenus, ut ipſe ait, privilegio reperiatur innixa, dubio procul retineri poteſt, ſicuti & ubi abſque graviori incommodo non poteſt tolli uti eamdem in caſu tolerat laudatum Decretum. Verum nec dubita, quod omnino conandum eſt, quod præfata conſuetudo in eo ſaltem corrigatur, ut omiſſis velleribus nigris, feretrum cum albis contegat, vel quatenus Sacerdos manibus Sacramentum deferat, ſuper pluviale nigrum ſaltem induat velum humerale album. Ceterum conandum non ſolum eſt, ut prædicta conſuetudo, ut modo dicebamus, emendetur, ſed ut extirpetur *tamquam abuſus omnino tollendus*, etiam conſuetudo deferendi publice Sacramentum, maxime detectum, quo in caſu ſaltem in eo corrigenda foret, ut illud portaret velatum, quemadmodum in mane illud portat: & id quoties penitus non poſſit tolli.

Miſſa ſolemnis (erit Decr. 45. cap. in ord. 341.) *de S. Joſepho, quando ejus feſtum incidit in feria II. III. IV. Majoris hebdomadæ non poteſt cantari, etiam ob concurſum populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri proceſſio in ejus honorem*. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Urbis*. Quod ad Miſſam attinet, aperte ſtatuitur a Rubrica VI. Miſſalis *de Transl. feſt. num. 1.*, ubi cum in exceptis ponatur tota hebdomada major, & non tantum tres memoratæ dies, idcirco nempe in Dominica Palmarum cantari poterit, bene vero in tota præcedenti hebdomada, ea quidem excluſa Dominica ipſa Paſſionis, quæ etſi privilegiata contra feſta quælibet, per Rubricam non manet excepta. Idipſum dicito de proceſſionibus Sanctorum, ita ut etiam exuloſæ maneant a Dominica Palmarum, quæ non minus, ac prædictæ tres feriæ, gaudet totali conſecratione ad recolenda altiora myſteria, ac condecorata eſt privilegio excluſionis feſtorum, atque Miſſarum, immo præ illis habet, quod in Miſſa non patitur commemorationem ſanctorum. Idem eſto judicium de feſtivitatibus Sanctorum, quæ licet ſine officio, celebrantur tamen cum ſolemnitate, & ſtrepitu, non vero de illis, quæ ſine ſtrepito, & pompa haberentur, quoniam Decretum non inhibet feſtum S. Joſephi celebrari, ſed ſolummodo proceſſionem, quæ ſine ſolemnitate fieri non poteſt, in ejuſdem honorem inſtitui. Solemniora namque, & quæ ſtrepitum adnexum habent, ex ſe apta ſunt diſtrahere admodum Chriſtianum populum a fine, quem ſibi in conſecratione prædicti temporis præſtituit Eccleſia, non ſic vero, ſi feſta celebrentur, prout currens tempus patitur, in quo propterea & admittuntur commemorationes occurrentium ſimplicium.

Tunc autem feſta celebrari dicuntur, prout tempus ut ſupra currens patitur, quoties Miſſæ omnes, etiam ſolemnes, fiant de tempore in paramentis altaris, celebrantis, & miniſtrorum coloris convenientis, non quidem ſanctis, quorum feſtivitates aguntur, ſed officio, quod ea die fit. Altaris icon remanebit contecta, nec ſuper Altare apponentur flores, aut Reliquiæ, quæ tamquam ornamenta feſtiva in Sanctorum feſtis apponi ſolent. Poterunt tamen ad Altare plures inflammari cerei, quinimmo Altare ipſum parari candelabris argenteis, & ceſtiri paramentis pretioſis, quæ induere etiam poterit celebrans nedum ſub privatis miſſis, ſed etiam ſub ſolemni, quam haberi poſſe credimus cum pluralitate Miniſtrorum, & in cantu figurato, non tamen cum organorum ſono, quorum ſtrepitum non patitur Miſſæ qualitas.

De expoſitione Sacrorum Corporum, & Reliquiarum ſuccedit dicere, & eamdem permittimus, ſi fiat per remotionem ſolius repaguli, ita ut ipſæ remaneant in loco, in quo cuſtodiri ſolent, & adhuc per velum coopertæ, non autem ſolemnem, cum ſtrepito, & ſuper altare, ac ſine ullo velo. Si namque neque in occurſu Sancti titularis diſcooperiri valet altaris icon, aut ejuſdem ſancti imago, ſive ſtatua, multo minus detecta apparere debent ſanctorum corpora, & horum partes, quæ cum ſpectent ad veritatem humani corporis, ſunt imaginum ipſarum archetypa. Diximus *cum ſpectent ad veritatem humani corporis*, ut daremur intelligi, nos loqui de Reliquiis proprie dictis, non autem de illis, quæ ad has reducuntur, aut ſecundum a nobis tradita in tom. 2. Reliquiæ minus propriæ ſunt, vel impropriæ, quæ propterea etiam detectæ exponi poterunt. Verum devotioni fidelium, qui ſanctum, cujus feſtum agitur, veneraturi accurrunt, aliquid donandum eſſe credimus, unde tolerari poſſe dicimus, quod Reliquiæ illæ exiguæ etſi ſint ex pertinentibus ad integritatem corporis, quæ fidelium oculis exhiberi ſolent, ſuper altare exponantur detectæ, & exhibeantur fidelium oſculis abſque ullo velo cum ſolo vitri repagulo.

Uti autem nihil ejuſmodi fieri valet in triduo mortis Chriſti, ita e contrario expoſitiones, & proceſſiones omnes, quas in eodem triduo ſuperius licitas facimus, etiam in præcedentibus feriis majoris hebdomadæ eaſdem putamus licitas, cum non diſtrahant ab Eccleſiæ fine, ſed magis adhuc convertant

tant

tant Chriſtianum populum. Inſtrumenta Dominicæ Paſſionis, & aliæ Reliquiæ Chriſti, quæ nec imago ſunt, neque ullius imaginis locum reapſe tenent, poterunt eſſe detectæ ſecus vero ſtatuæ, vel imagines, quæ velo violaceo omnino erunt contectæ. Præ triduo mortis Chriſti id ſpeciale habent eædem feriæ, ut in his patenter SS. Sacramentum exponi poſſit detectum & per proceſſionem deferri, id evidenter permittente implicite Inſtructione Romana §. 10., dum in hujuſmodi caſu loco Miſſæ votivæ, quæ ſolemniter fieri deberet de Sacramento, Miſſam de die fieri mandat. Cavendum tamen omnino eſt ab his expoſitionibus, & proceſſionibus in ſero feriæ IV., ne interturbentur officia tenebrarum, quibus tunc temporis Eccleſia incumbit.

Quoniam vero præcedens Paſſionis hebdomada, quamvis Dominicæ Paſſioni recolendæ ſit pariter conſecrata, ad eam tamen tanta addictione non adſtringitur, unde admittit etiam feſta ſanctorum ſolemniter celebrata; idcirco videre non eſt, cur & ſolemnes proceſſiones in honorem ſanctorum, & Reliquiarum expoſitiones pati non poſſit, dummodo fiant cum imaginibus, ſtatuis, atque Reliquiis velatis, atque contectis, qualiter imagines eſſe debere, etiam in feſtis ſolemniter celebratis, nos caput præcedens edocuit, & myſteria expoſcunt. Quæ dicta item ſint de Dominica ipſa Paſſionis, quæ licet privilegiata ſit contra quodcumque feſtum, Miſſam tantum admittit de feſto, quod transfertur. Altare itaque, ad quod celebratur Sancti feſtum, aut fit prædicta expoſitio, parari poterit floribus, & ornamentis feſtivis, etiam in memorata Dominica, maxime ſi ad illud de Sancto habenda ſit ſolemnis Miſſa. Velum imaginum, ac Reliquiarum erit coloris, quem exigit Paſſionis tempus, ſcilicet violacei, licet poſtea nihil referat, raræ adeo texturæ ſit, ut imagines facile poſſint inſpici, immo certe convenit, non ſit ſaltem adeo denſæ, ut ipſas ſtatuas, vel imagines ita occultet, ut populis nullatenus tranſluceat; quod per proceſſionem defertur, aut ſpecialiter proponitur adorandum. Proceſſionis pluvialia ejus coloris erunt, quem ſtatua ipſa expoſcit; quod tamen ea alibi dictis limitari poſſe videtur, ſi proceſſio immediate ſequatur ad Miſſam, aut veſperas in alio colore celebratas, quo in caſu color officii, ſeu Miſſæ continuandus videtur exemplo ducto ab Inſtructione Romana, quæ ſequentem proceſſionem SS. Sacramenti continuari mandat in colore præcedentis Miſſæ.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM

De Sabbato Sancto.

Myſticam Jeſu Chriſti requiem in ſepulcro, ejuſdemque deſcenſum ad inferos, tempus videlicet, quo *ejus* anima a corpore ſeparata fuit, ſeu myſterium ſepulturæ Chriſti hodierna die colit Eccleſia. Hac de cauſa Sabbatum illud antonomaſtice denominari *Sanctum* ex Alcuino tradit Gavantus *part. 4. tit. 10. num. 1.* Rupertus vero *lib. 6. cap. 25.* in rationem aſſignat, quia ad ſuſcipiendam ſancti luminis claritatem nova Eccleſia ſacro baptiſmi fonte ſanctificatur. Bidui meminit Innocentius I., in quo a primis Eccleſiæ ſæculis divina non fiunt myſteria, & dubium non eſt, quod illud integrant feria VI. Paraſceves, & ſequens ſabbatum. In illam invecta nihilominus poſtmodum fuit Præſanctificatorum Miſſa, ſed non in ſabbatum, cujus miſſa celebratur de nocte, & licet ſenſim etiam anticipari cœperit Sabbati officium, id tamen adeo ægre tulit Concilium Rothomagenſe, ut anno 1072. *Can. 22.* diſerte decreverit, ne ante Nonam inciperetur, rationem ſubdens, *quia ad noctem pertinet Dominicæ Reſurrectionis.* Verum ut utamur verbis Hugonis a S. Victore *lib. 3. cap. 21.* tractatu temporis fieri minime potuit, quin *moderatorum debilitas ad epulas feſtinans tempus pervenerit deſtinatum*, & adeo, ut temporibus Eccleſia ipſa indulgens, ante meridiem ubivis prædictam abſolvat miſſam, licet ab hac minime reſecanda crediderit verba, in quibus fit mentio noctis, ſed magis retinenda, tamquam valida antiqui moris teſtimonia, & veteris argumenta diſciplinæ.

D E C R E T A.

Decretum 1. cap. in ord. 342. *In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat feſtum Annunciationis B. M. V. celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & oratoriis tam publicis, quam privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed unica tantum Miſſa Conventualis una cum officio ejuſdem Sabbati celebretur.* S. R. C. 11. *Febr. approbante Alexand. VIII. 11. Martii* 1690. I. *Etiamſi* dictio eſt, quæ præcedentem diſpoſitionem adauget, unde ſanctio ſenſum reddit, quod in Sabbato Sancto inhibitæ adeo ſunt Miſſæ privatæ, ut ne quidem haberi valeant, ſi in eo incidat feſtum aliquod de præcepto. Quid præſtandum ſit, ſi occurrat Annunciationis feſtum, aut præceptivum aliud quodlibet, te doceant late tradita in tom. 1. cap. 13., dum nos ponderare ſumimus præſentis Decreti dictionem alteram, nempe *Tantum*, quæ dum afficit conventualem Miſſam, ex generali regula hanc adeo declarat licitam, ut quæcumque aliæ abſque piaculo haberi non poſſint.

II. Huc ſpectat Decretum 1. cap. 16., quod cum definiviſſet, in feria VI. Paraſceves Miſſam nullam privatam fieri poſſe, ne quidem occurrente ejuſdem Annunciationis feſto, ne inde ex exceptionis regula eamdem quis putaret licitam in præcedenti feria V., aut ſubſequenti Sabbato, diſerte expreſſum voluit, quod *per hanc prohibitionem pro feria VI. in Paraſceve non poſſunt in feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolum Conventualis juxta ritum ſanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta.* Quod Decretum cum per Clementem XI., uti & præſens per Alexandrum VIII., approbatum fuerit, & afficiat *Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, etiam privilegiatos, & quamvis Eccleſiam, ſeu oratorium*, profecto nonnulli temere, quicumque ii ſint, & quacumque dignitate fulgeant, iiſdem parere refractantur, Apoſtolicæ auctoritati perperam præferentes Auctorum ſententias, quas ipſimet certe reprobarent, ſi poſt allegatas Sanctiones ſcriberent.

III. Tria produci ſolent capita, unde privatæ Miſſæ contenduntur licitæ, privilegium nempe, ſed huic, ſi quod eſt, nonne Clemens XI. per ea verba *etiam privilegiati* ample derogat? Alterum eſt contraria conſuetudo, ſed ea quæ habet Alexander VIII. in præſenti Decreto: *Non obſtante quacumque contraria conſuetudine.* Tertium excogitarunt Sotus, Suarez, aliique qui clam, & ſecreto, & in oratoriis privatis eaſdem Miſſas putarunt licitas, ſecus in publicis Eccleſiis, vel oratoriis ad vitandum puſillorum ſcandalum, ſed & hoc effugium ex eo ruit facile, (quod idem Alexander VIII. eaſdem declarat inhibitas *in quibuſcumque Eccleſiis, tam publicis, quam privatis*, & Clemens XI. *in quavis Eccleſia, ſeu oratorio* quare nec clam, ac præcluſis Eccleſiæ foribus, nec in oratoriis privatis haberi valent, ſive ante, ſeu poſt ſolemnem functionem ſacram. Quæ omnia nobis confirmare lubet ſequenti Decreto, (quod erit 2. cap. in ord. 343.) *La Santità di Noſtro Signore, inerendo ai replicati Decreti della Sacra Congregazione, ſtrettamente incarica a tutti i Reverendi Sacerdoti di non celebrare Miſſe private non ſolo nel Venerdì, ma nel Giovedì, e Sabbato della ſettimana ſanta, tanto negli Oratorj privati, che nelle Chieſe pubbliche ſecolari, e Regolari in qualſivoglia modo privilegiate, non oſtante qualſivoglia privilegio, e conſuetudine in contrario.* Il Cardinale Paracciani vicario d'ordine di Clemente XI. li 3. Aprile 1719.

D E C R E T A.

Decretum III. cap. in ord. 344. *In Eccleſiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deeſt numerus cantorum, non poteſt celebrari in ſabbato ſancto unica Miſſa privata loco ſolemnis, ut in iiſdem Eccleſiis fiat benedictio, tam luminis, & cerei, quam aquæ, attentis maxime Decretis* 11. *Febr.*, & 11. *Martii* 1690. *prohibentibus celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantam Miſſam conventualem una cum officio ſabbati ſancti celebrari præcipientibus.* S. R. C. 13. Julii 1697. in Janu. Abſit, te morer amplius ſuper inhibitionem Miſſarum privatarum in ſabbato ſancto, quam modo adeo innovari inſpicis, ut etiam declaretur illicita ſubſtitutio privatæ Miſſæ loco ſolemnis, quando hæc ex defectu cantorum haberi non valet. Ad rem meminiſſe juvat Decreti, de quo in tom. 3. cap. 4. Decr. 2., ſub die 19. Junii 1700. a S. R. C. editi in favorem Eccleſiarum Parochialium ruralium, quibus indulgetur ſubrogatio Miſſæ privatæ loco ſolemnis ad effectum ſatisfaciendi anniverſariis Defunctorum, ſi ſolemnis celebrari queat. Urget etiam admodum parvum cæremoniale de mandato Benedicti XIII. anno 1725. evulgatum pro Eccleſiis minoribus Parochialibus, quibus indicuntur ſolemnes functiones omnes, *etiam ſine numero cantorum, & miniſtrorum*, & præſertim in die Purificationis B. M. V., feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. in Cœna Domini, feria VI. in Paraſceve, & ſabbato ſancto. Hæc autem tanta ſunt, ut non dubitemus, quod præſens Decretum limitationem ſubeat, ac derogationem pro Parochialibus illis, in quibus Miſſa ſolemnis vel haberi non poteſt, aut nonniſi cum maximo, aut gravi incommodo. Quid enim unquam deſignant nobis ea verba *etiam ſine numero cantorum*, niſi pro dictis functionibus fieri poſſe etiam Miſſam ſine cantu? quid illa ſine numero miniſtrorum, niſi etiam Miſſam privatam, ſeu ſine aſſiſtentia ſacrorum miniſtrorum?

II. Equidem ſanctiones iſtæ, dum ſolum Eccleſiarum Parochialium meminiſſe noſcuntur, ad has dumtaxat favorem videntur extendere, ſed nos, qui Decretum 19. Junii 1700. laudato loco Eccleſiis omnibus commune fecimus, quid prohibere poteſt, quin etiam modo extendamus favorem prædictum ad eas Eccleſias omnes, quibus cum ſit jus præfatarum functionum, his tamen ſolemniter incumbere minime poſſunt. Quoad præſens namque non militat ſpecialis ratio aliqua pro Parochialibus Eccleſiis, quæ, vel ſaltem conſimilis non procedat de ceteris jus habentibus ad prædictas functiones.

III. De Eccleſiis, quæ ſimul Regulares, & Parochiales ſunt, inſurgit dubium, num duas Miſſas celebrare valeant ad prædictas functiones habendas, unam nempe, qua Regulares ſunt, alteram, qua Parochiales, ſive poſtea ambæ ſolemnes fiant, aut privatæ, vel una ſolemnis, altera privata juxta earumdem qualitatem Eccleſiarum. Ad quod reſpondendum videtur, quod ſic; etſi enim materialiter ſint una dumtaxat Eccleſia, formaliter duplex eſt, & cuique jus reſpondet ad peragendas præfatas functiones, quibus jam unaquæque incumberet, ſi ſolis parietibus diſcreta foret. At quoniam ea Eccleſia etſi æquivalenter multiplex, una dumtaxat reapſe eſt, & Decret. abſque eo quod vel minimam diſtinctionem habeant,

beant, ſeorſim eſt, quod in quibuſcumque Eccleſiis, Parochiales ſint, vel non, *unica tantum Miſſa Conventualis cum officio celebrari valeat*, haud dubitaverim unam ſolam ſolemnem, & in cantu in iiſdem haberi poſſe, nec ſubſtitui poſſe privatam, niſi in defectu ut ſupra cantorum, vel miniſtrorum. Decretorum namque intentio eſt, ut in Parochialibus Eccleſiis non prætermittantur ejuſmodi functiones, a quocumque fiant, & non quod multiplicentur, ſi forte eidem Eccleſiæ aliunde jus item competat; alias enim una ſuperflueret, aut impediret alteram. Communis uſus, qui ab iteratione rite abſtinet, rem ſatis explicat, & dum benedictionem ipſam fontis baptiſmalis cœremoniale Epiſcoporum committit Canonicis, non Cathedralis Parocho, idipſum fore de functionibus reliquis hujuſce tridui, quæ ad officium Parochi minus relationis habent, a fortiori indicat, & conſequenter etiam ad Regulares ſpectare in Eccleſiis, quæ ſimul Regulares ſunt, & Parochiales.

IV. Officium autem hujus ſabbati incipit a novo igne. Cum poſt laudes plerumque omnia in Eccleſia luminaria extinguerentur, utpote per diem ſupervacanea, novus ignis in ſero accendendus erat pro lampadibus, cereiſque, qui ardere debeant ad officium veſperarum, quod propterea *Lucernarium* reperitur dictum. Nondum in uſu erat, ut lampades perpetuo arderent in Eccleſia, quare ne profanus afferreretur ignis, e ſilice excutiebatur ad accendendas lampades, ſed quia nihil in publicum uſum unquam adhibuit Eccleſia ſine præcedenti benedictione, in morem item habuit eum benedicere, ſeu pro eo gratias agere. Quibus id verbis fieret, non una fuit Eccleſiarum diſciplina, unde ubi ex Baſilio *de ep.* 5. *cap.* 19. ſolitum dici fuiſſe diſcimus: *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei*, in Breviario Muzarabico ſubmiſſa voce dici præſcribitur *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter, &c.*, & alta voce *Lumen cum pace*, reſpondentibus circumſtantibus *Deo gratias*. Fere idipſum eruitur ex S. Iſidoro, Caſſiano, aliiſque, & apud Prudentium habetur hymnum, qui precationis inſtar dicebatur in accendendis cereis, & inſcribitur *ad accenſum cerei Paſchalis*, cui tamen ope Sirmondi reſtitutus fuit ſuus verus titulus, qui erat *ad incenſum lucernæ*. Quotidie namque ſub noctem id agebatur, & non tantum in pervigilio Paſchæ, licet in hoc ſervaretur ritu omnium ſolemniſſimo, ſicut & in quibuſvis ſabbatis ritu præ ceteris diebus magis ſolemni, ſicut edocet Thomaſſinus *de dier. feſt. celebr. lib.* 2. *cap.* 14., ubi & ſubdit, ſub finem ſæculi XI. ſabbato dumtaxat ſancto hujuſce veteris moris reliquias ſuperfuiſſe in memoriam inſignis miraculi olim evenire ſoliti in Civitate Sancta Jeruſalem, ubi magno illo ſabbato deſcendebat ignis de Cœlo, & ex eodem lampades jam extinctæ, incipiente officio reſurrectionis, miraculoſe accendebantur.

V. Pittonus *de eccl. tom.* 1. *n.* 280. id fieri credidit ex inſtitutione Zachariæ Papæ, ſed aperte falli, ſequentia ejuſdem Zachariæ, verba ad Bonifacium Moguntinum dubitare non ſinunt: *Quoad ignem paſchalem noſtra traditio eſt, quod in Cœna Domini, dum ſanctum Chriſma conſecratur, lampadum omnium congregetur oleum in tres magnas lampades, quæ in ſecreto quodam Eccleſiæ loco ad imitationem interioris tabernaculi recondantur, ardeantque continuo, ita ut oleum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem; de igne vero qui ex chriſtallis ſumitur, ut aſſeruiſtis, nullam habemus traditionem.* Ceterum Leo IV. qui anno 847. in ſummum Pontificem dicitur electus, *homil. de cura Paſtorali* meminit novi ignis in ſabbato Paſchæ benedici ſoliti, & Ordo Romanus Cajetani ignis excuſſi de chriſtallo, ſive lapide, & accenſi, ac benedicti; quod & præſtitum fuiſſe olim in feria V. majoris hebdomadæ, ſequentia primi Ordinis Romani verba non obſcure indicant: *Ea vero die hora nona faciunt excuti ignem de lapide in loco foris Baſilicam.*

VI. Myſteria ex ſacris depromuntur paginis, in quibus Chriſtus lapis, & lumen dicitur, & propterea deinde dicitur *Lumen Chriſti*, quia ignis excuſſus eſt a lapide, qui Chriſtus eſt. Ignis benedictio fiebat olim de nocte circa horam proximam reſurrectioni Chriſti, cujus recens e mortuis ſuſcitati typum ferebat ignis ille e ſilice noviter excuſſus, & adhuc gerit, etſi una cum reliquo officio ad horam nonam modo anticipata fuerit. Benedictio, & accenſio prædicti ignis fit extra Eccleſiæ portam, quia Chriſti paſſio, & reſurrectio extra portam Civitatis contigit: extincto autem igne veteri, quia in Chriſti reſurrectione lex antiqua deſiit, & cœpit nova, quæ cum lex amoris ſit, & claritate majori gaudeat, bene per *ignem*, & *Lumen Chriſti* deſignatur, uti propterea dicitur, non amplius extra, ſed intra Eccleſiam.

VII. Ad ritum quod attinet, ſummo mane mundatur Eccleſia, & parantur omnia ejus altaria ornamentis albis & ſuper pallium album conveniret aliud poni violaceum, id certe ſaltem ſervari debet in altari majori, cujus item tabernaculum duplici conopæo veſtietur, uno albo ſubtus pro Miſſa, altero violaceo ad officium uſque ad Litaniarum finem, ad quem item uſque decentius eſt, nudi remaneant altaris gradus, & non operiantur tapetibus feſtivis. Secus eſt de umbraculo, quod cum nonniſi plurimo incommodo mutari queat, ab initio appendetur album ſuper altare majus. Imagines omnes adhuc remanebunt tectæ uſque ad finem Litaniarum, & candelæ altaris majoris uſque ad initium Miſſæ erunt extinctæ, quibus ſimiliter extinctis, & ſine cantu dicentur horæ canonicæ.

VIII. Dum dicuntur horæ in choro, extra januam majorem Eccleſiæ, vel in atrio, aut in ipſius aditu conſpergitur pavimentum herbis, & floſculis odoriferis, quibus & ſpargitur via, qua illuc procedendum eſt ad altare. In prædicto loco paratur menſa cooperta ſola mappa ſine cruce, & ſine candelabris, & ſuper eam quaſi in cornu Evangelii ponitur dalmatica, ſtola, & manipulus albi coloris pro diacono, & quaſi ex parte Epiſtolæ alius manipulus violaceus pro ſubdiacono, quatenus ut infra uti debeat, & in medio Miſſale. Paratur itidem ibidem ſcamnum, ſeu menſula, cui ſuperimponitur vas aptum pro carbonibus accendendis cum aliis inſtrumentis neceſſariis ad excutiendum & accendendum novum ignem, eumque ponendum in thuribulo. Præſto ibi ſimiliter habebuntur ligna ſulphurata, & duæ candelulæ ſimul nexæ, ut difficilius extingui poſſint, aut quatenus opus ſit, lanterna includens candelam, pro accendendis candelis arundinis, quæ arundo quoque illuc deportatur ante celebrantis acceſſum. Quæ cum omnia parata fuerint, extra Eccleſiam per aliquem e ſilice ita opportune excutitur ignis, & accenduntur carbones, ut adveniente celebrante jam novus ignis inveniatur accenſus pro benedictione.

IX. Celebrans ſuper albam induit ſtolam, & pluviale violaceum, diaconus ſtolam diaconalem, & planetam plicatam, & ſubdiaconus ſolam planetam plicatam ſimiliter violaceam, ſed omnes ſine manipulis. Peracta Nona, hoc ordine inſtituitur proceſſio ad benedicendum ignem. Præcedunt tres acolythi in cottis, quorum medius incedit deferens vas aquæ benedictæ, a dextris thuriferarius cum navicula, & thuribulo, ſed ſine igne, & a ſiniſtris alter portans pelviculam cum quinque granis incenſi. Sequitur ſubdiaconus crucem deferens, deinde bini omnes de clero, & ultimo celebrans tecto capite & manibus junctis habens diaconum a ſiniſtris nudo capite, & manibus junctis. Sunt, qui ex prædictis acolythis medium eum collocant, qui thuribulum geſtat, & a dexteris, qui vas aquæ benedictæ, ſed procedendi ritum, qualem deſcripſimus, communior opinio approbat, quæ & rite ſubdit, per diaconum in hac proceſſione non elevari pluvialis fimbriam celebrantis.

X. Quando ad locum venerint, ſubdiaconus ſiſtit ſe ad portam Eccleſiæ, huic renes vertens, ac faciem ſuam, & crucifixi imaginem celebranti, qui verſa facie ad portam Eccleſiæ, ſtat ante menſam ibi paratam, & diaconus a dextris ejus aliquantulum poſt eum, & ibidem etiam tres acolythi prædicti, clero hinc inde diſtributo. Tum Sacerdos nudato capite, & aliquo acolytho ſupra caput tenente librum ante eum, incipit benedictionem ignis, dicens junctis manibus, & ſine cantu in tono orationis Miſſæ ferialis, *Dominus vobiſcum*, & tres ſequentes orationes, diacono elevante fimbriam dexteram pluvialis, dum idem Sacerdos format ſignum crucis, & clero reſpective reſpondente ſine cantu *& cum ſpiritu tuo*, vel *Amen*. Igne benedicto, accedit ante celebrantem acolythus tenens elevatam pelviculam quinque granorum incenſi, quæ idem celebrans non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus*, ſed quaſi conjungens horum benedictionem cum præcedenti ignis, benedicit ut ſupra dicens orationem *Veniat quæſumus*.

XI. Dum Sacerdos benedicit incenſi grana, thuriferarius forcipe immittit de carbonibus ignis benedicti in thuribulum, & accedit prope celebrantem, qui finita oratione, miniſtrante cum oſculis diacono naviculam, & parum inclinato dicente *Benedicite, Pater Reverende*, ter de more ponit incenſum in thuribulo, dicens *ab illo benedicaris &c.*, & ſuper illud procedens crucis ſignum. Tum a diacono accepta navicula recedit thuriferarius, & accedit acolythus aquæ benedictæ, a quo diaconus accipit aſperſorium aqua luſtrali intinctum, illudque cum ſolitis oſculis porrigit celebranti, qui cum eo ter aſpergit *prædicta grana incenſi, & ignem*, habet Rubrica, adeoque non tantum grana incenſi, uti putaſſe videntur nonnulli, ſed trina aſperſione quidem in medio, a dexteris, & a ſiniſtris eadem incenſi grana, & trina altera ſimili aſperſione ignem, qui in vaſe eſt, non autem qui poſitus fuit in thuribulo. Aſpergens autem ſubmiſſa voce dicit *Aſperges me &c.* ſine pſalmo, & poſtea tradit diacono aſperſorium, qui illud recipit cum oſculis ſoliti aſperſorii, & manus celebrantis, illudque ſine oſculis reddit acolytho. Deinde diaconus accipit a thuriferario thuribulum, illudque cum oſculis offert celebranti, qui ter grana incenſi, & ter novum ignem incenſat eo modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens. Quo facto diaconus cum oſculis a celebrante recipit thuribulum, & illud ſine oſculis reſtituit thuriferario, & poſtea tranſit ad celebrantis ſiniſtram, ubi ſuper menſam depoſitis paramentis violaceis, aſſumit manipulum, ſtolam, & dalmaticam albi coloris, & per acolythum accenduntur de novo igne candelulæ ſimul nexæ, & intortæ, vel unica ſola, quæ quatenus opus ſit, includitur in laterna, ne a vento forte flante extinguatur.

XII. Interim per ſacriſtam extinguuntur omnes Eccleſiæ lampades, non tamen quæ ardet ante tabernaculum SS. Sacramenti, ait Braullon *par.* 3. *cap.* 8. *& cap.* 13. *num.* 14., cujus opinio apud nos locum non habet, qui SS. Sacramentum uſque poſt Miſſam hujus diei in ſacello ab Eccleſia ſeparato collocandum eſſe putamus, licet non refragemur ante Miſſam etiam deferri poſſe in Eccleſiam, & obſeratum aſſervari in conſueto tabernaculo ante quod proculdubio in caſu lampas indeſinenter ardebit, nec ut ſupra extinguenda erit, ne Sacramentum careat honore luminis.

XIII. Num ſubdiaconus, dum ut ſupra ſe veſtit diaconus,

allu-

aſſumere debeat manipulum violaceum, ipſum cæremoniale Epiſc. ſibi multum non convenit; nam ubi affirmat *lib. 2. cap. 28.*, id aperte negat *cap. 27.*, ubi id faciendum reſervat, quando celebrans poſt præconium aſſumit manipulum, & planetam. Ad Auctores quod attinet, in partem affirmativam communius inclinant, Meratus tamen *par. 4. tit. 10. n. 11.*, quatenus in prædictum cæremoniale non irrepſerit error, utrumque ſervari poſſe eruit; nos vero diceremus magis, quod Epiſcopo celebrante, de quo caſu agitur in cap. 27., ſubdiaconus nonniſi cum celebrante debet recipere manipulum, ſecus vero, ſi alter ab Epiſcopo hac die celebrat, de quo caſu procedit caput 28., ſic namque ſtat utraque cæremonialis lex abſque correctione ulla, nec congrua deeſt ratio, ut videlicet ob maximam Epiſcopi dignitatem huic ſe conformet ſubdiaconus, diacono autem ejus conſocio, quoties alter celebrat inferioris dignitatis.

XIV. Quando diaconus ut ſupra indutus eſt, accedit ad dexteram celebrantis, qui illo miniſtrante cum ſolitis oſculis iterum imponit incenſum in thuribulo, illudque de more benedicit, quemadmodum idem cæremoniale mandat *cap. 27.* Auctores autem rite ſubdunt, quod incenſum in ea quantitate poni debet, quæ ſufficere valeat etiam pro incenſendo libro, antequam poſt proceſſionem diaconus cantet præconium. Hoc facto diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in ea exiſtentibus extinctis, & ordinatur proceſſio. Præcedit thuriferarius, a cujus ſiniſtris plures Auctores collocant acolytum deferentem grana incenſi, ſed hic incedat ad illius dexteram, ut opinatur Gavantus *par. 4. tit. 10. lit. e.*, cui adhæret Meratus *ibidem num. 17.*, quorum opinio intian aperte noſcitur verbis, & figuræ cæremonialis Epiſc. *lib. 2. cap. 27.* Sequitur ſubdiaconus crucem deferens ſine ceroferariis, deinde clerus per ordinem, poſt clerum diaconus ambabus manibus deferens arundinem, habens ad ſiniſtram acolythum cum candelula ut ſupra accenſa, & ultimus omnium incedit celebrans manibus junctis, & detecto capite. Dum autem proceſſio incipit, per aliquos miniſtros ad ſacriſtiam aſportantur vas aquæ benedictæ, & cetera omnia cum menſa ipſa præter paramenta violacea diaconi, quæ deferuntur ad credentiam, ut ſuo tempore ea reſumere valeat.

XV. Cum diaconus ingreſſus fuerit Eccleſiam, & poſt eum celebrans (ut hic etiam poſſit genuflectere intra Eccleſiam) ſe ſiſtunt omnes, & diaconus inclinat arundinem, & acolythus accendit unam candelam ex tribus trianguli media candelula ex novo igne ut ſupra accenſa. Mox diaconus, & omnes alii, etiam celebrans, præter cruciferarium, genuflectunt utroque genu, & diaconus ſic genuflexus elevans aliquantulum arundinem, mediocri voce cantat *Lumen Chriſti*, cui chorus genuflexus reſpondet *Deo gratias*. Tum ſurgunt omnes, & ulterius procedunt, & cum diaconus ad medium Eccleſiæ devenerit, iterum omnes ſiſtunt ſe, & diaconus inclinata curſus arundine, aliam ex tribus candelis accendit, & ſubito genuflexus, elevans altius arundinem, & vocem, cantet ſecundo *Lumen Chriſti*, cui ut ſupra reſpondet clerus *Deo gratias*. Statim ſurgentes omnes ultra procedunt verſus altare, ante cujus gradum infimum in plano ſe ſiſtunt thuriferarius, & acolythus granorum incenſi, poſt eos ſubdiaconus cum cruce, vel ſaltem medius inter illos, ſi presbyterium ſit anguſtum, clerus ſe ſiſtet hinc inde ad ingreſſum presbyterii, per cujus medium tranſit diaconus cum acolytho a ſiniſtris, & poſt eum celebrans, cui tranſeunti idem clerus ſe inclinat. Diaconus ſe collocat retro ſubdiaconum, & celebrans poſt diaconum, qui tertio inclinans arundinem, tertiam candelam accendit, & vocem adhuc altius elevat, dum tertio cantat *Lumen Chriſti*. Quod ſi presbyterium fuerit capax, in hac ſtatione poterit clerus presbyterium ingredi, hinc inde ſe diſtribuens in ſemicirculum. Finita ſtatione clerus pergit in chorum: quid autem a celebrante, & miniſtris præſtandum ſit, ſequens dabit Decretum.

XVI. Ad myſteria quod attinet, diaconus induit paramenta alba aliis remanentibus in violaceis, quia his adhuc mœrentibus ob Chriſti mortem, annunciare debet luminis claritatem, & Chriſti reſurrectionem, quam ipſe, licet inferior, annunciat Sacerdoti ipſi, ſicut inferior mulierum ſexus eamdem nuntiavit Apoſtolis. Arundinis quis auctor fuerit, & cui ſæculo referenda ſit ejus origo, fatetur Biſſus *lit. A. num. 460. §. 4.* nihil inveniſſe poſt labores plurimus, & Martene ipſe tacet, licet erudite admodum diſſerat de ritibus hujus ſabbati. Vert. *tom. 2. ſuar. explic. pag. 132.* cenſet arundinem, & cereum in tres ramos diviſum, in ſua origine nihil aliud fuiſſe, niſi candelulam arundini in modum ſerpentis, ſeu colubri circumvolutam; alii vero repetunt originem ab uſu adhibendi tres candelulas ſimul nexas ad modum parvuli intortitii, ne a flante vento extingui poſſent.

XVII. Verum quidquid ſit de origine, & auctore, functio ejuſmodi ſua non caret antiquitatis laude, cum & arundinis, & trium candelarum meminerit Ordo Romanus Cajetani, & Amelii; myſterium vero Gavantus *par. 4. tit. 10. lit. m.* ita deſcribit: *Candelæ in calce unum quid eſſe deberent, & deinde diſtingui in tres, ad deſignandum myſterium unitatis, & Trinitatis Dei*; unde & Thomaſſinus *de dior. feſt. celebr. lib. 2. cap. 14.* ſcribit: *In Trinitatis honorem cereum in tres diviſum accendimus, rati, nos Jeſu Chriſti lumine ſuſos, Trinitatis penitiora myſteria noſſe.* Et hæc creditur cauſa, ob quam ter repetitur *Lumen Chriſti*, ad aſcenſionem nempe cujuſvis ex tribus candelis trianguli, cujus arundo ex Gavanto deſignat humilitatem Paſſionis Chriſti, a qua tamquam a fonte in nos tot devenere bona, & per quam diabolus victus extitit, ſicuti ab arundine enecantur ſerpentes diaboli ſymbola. Cum itaque in arundine myſteria non deſint, inde notat Gavantus, quod ſi ornetur floribus, aut vittis ſericis, ita ornanda eſt, ut appareat ex parte arundo, & non baculus, aut quidpiam aliud.

DECRETA.

Decretum IV. cap. in ord. 345. *Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in ſabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die cantato Evangelio extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quod durante tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maii 1607.* in Placentina.

I. Zoſimo, qui anno 417. Summus Eccleſiæ Pontifex ſalutatus fuit, Paſchalis cerei inſtitutionem plures tribuunt, quod in ejuſdem vita ſcribat Anaſtaſius bibliothecarius: *& per parochias conceſſa licentia cereos benedicendi*. Antiquiorem Zoſimo eam excogitarunt alii ex Prudenti hymno inſcripto *ad incenſum cerei Paſchalis*, ſed horum argumentum plane corruit ex ſuperius dictis, ubi vidimus legitimam ejuſdem fuiſſe inſcriptionem *ad incenſum lucernæ*; eam tamen longius ab ævo Zoſimi repetendam, fortaſſe indicant producta Anaſtaſii verba, quæ ſi ſerio ponderentur, Zoſimum cerei non primum auctorem faciunt, ſed qui in majoribus tantum Baſilicis incendi ſolebat, atque in ſingulis incenderetur Parochiis. Errat itaque Grancolas, dum *lib. 2. cap. 66.* nullum contendit extare veſtigium talis cerei ante Ennodium ſæculo ſexto, & ante quartum Concilium Toletanum, & certo ſciri non poſſe, num ante Theodorum Papam (dicitur electus anno 642.) Romæ in uſu fuerit.

II. Præconium *Exultet* nonnulli opus faciunt Petri diaconi de Monte Caſſino, ſed vivebat iſte ſæculo duodecimo, ubi non deſunt monumenta plurima ſæculi octavi pro ejuſdem cantu in Galliis haberi ſolitu. Ab Honorio *in Gemma lib. 3. cap. 102.* dicitur S. Ambroſii, ſed Gavanto teſte *par. 4. tit. 10. num. 7.* excepto procemio noſtrum diſcordat ab Ambroſiano. Meratus *ibid. n. 23.* plura momenta congerit, ex quibus benedictio cerei apparet olim inſcripta: *Benedictio Cerei B. Auguſtini, quam, adhuc diaconus cum eſſet, edidit, & cecinit feliciter*; unde hoc fortaſſe ipectat, quod *lib. 15. de Civit. cap. 22.* habet idem Sanctus Doctor: *In laude quadam Cerei breviter verſibus dixi*. Sunt autem verſus iſti, ut obſervarunt Patres S. Mauri.

Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti,
Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.

III. At cum verſus iſti deſint in præconio, hinc Grancolas, aliique opus Auguſtini non eſſe ſentiunt, ſed Martene *de antiq. Eccl. diſcip. cap. 24. num. 5.* Auguſtini præconium a B. Hieronymo emendatum fuiſſe cenſet, & nunc in Eccleſia legi, ſicuti emendatum extitit, unde vetus Pontificale Eccleſiæ Pictavienſis: *Uſum benedicendi Cereum a B. Auguſtino repertum, tradit Eccleſia, qui benedictionem illius perficiens a S. Hieronymo reprehenſus eſt, cur Virgiliana verba inſeruerit; ſed ſicut a B. Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Eccleſias canitur.* Reprehenſionis tamen ejuſmodi nullum apparet veſtigium, nec in Hieronymi Epiſtolis, nec apud quempiam ex veteribus Auctoribus.

IV. Ennodius duplicem recenſet paſchalis cerei benedictionem, ſed utraque diſcrepat a Romana, & diverſæ pariter ſunt aliæ multæ, quæ in variis codicibus manuſcriptis leguntur, & in nonnullis Eccleſiis uſurpantur. Ambroſiana convenit in initio, & Romana ipſa conformis ſibi non eſt in omnibus codicibus. Scribit Udalricus *in antiquis conſuetud. ſui Monaſterii lib. 1. cap. 14.*, quod S. Hugo Cluniacenſis Abbas a prædicto præconio ea verba expungi fecit *O felix culpa, & o certe neceſſarium Adæ peccatum*, ſed ut ex Martene advertit Meratus, non fuit primus, qui prædicta verba delevit; etiam quippe deſiderantur in antiquo Ordine Romano, & in pluribus Ritualibus aliarum Eccleſiarum; in Lingonienſi autem non deeſt *O felix culpa*, ſed ſolum *O certe neceſſarium*. Utraque ex his precationibus Grancolæ videtur multum obſcura.

V. Paſchalis cereus ab origine columna erat cerea, unde in præconio *ſed jam columnæ hujus præconia novimus*. In eo imprimebatur ſtylo quodam annus curreus a paſſione Chriſti cum officii ordine uſque ad futurum Paſcha, qui cum breviter deſcriptus eſſet, *Breve anni* dicebatur, & per has duas litteras Majuſculas *B. A.* deſignabatur. Quod Breve aptius viſum eſt ſuper chartam ſcribi, & per tabellam affigi cereo, cui poſt typographiæ inventionem ſucceſſit libellus diſtinctus ad majorem cleri commoditatem, in quo item breviter perſcribitur ordo divinorum officiorum. Beda *de temp. ratione* ſcribit: *Fratres noſtri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo ſe in Natali Domini in cereis S. Mariæ ſcriptum vidiſſe, & inde deſcripſiſſe referebant: A paſſione Domini Noſtri Jeſu Chriſti anni ſunt 668.* Hinc deducunt aliqui, quod Romæ in Paſchate non deferebatur cereus, ſed in Natali, a quo Romani auſpicabantur annum; addit vero Mabillon, quod *aut denotabat initium anni ab eodem Natali Domini*, ſi ponebatur in Paſchate. Prima expoſitio via ſtat ad inſcriptionem, quæ recenſet annum *a Paſſione Domini*, quare ſecunda arridet magis, ita ut poneretur quidem in Paſchate, ſed initium adhuc anni a Natali deſumendum foret, & in eo deſcriptus eſſet ordo divi-

Digitized by Google

divini officii, non a Natali ad Natale, ſed a Paſchate ad Paſcha, & hæc ſit cauſa, ob quam nihilominus recenſebatur annus a Paſſione Chriſti.

VI. Vert in paſchali cereo nullum agnoſcit myſterium, ſed inſtitutum cenſet, quia cum de nocte celebrarentur functiones in Sabbato Sancto, opus erat lumine magno ob proceſſionem, quæ inſtituebatur ad fontem baptiſmalem; quod vero cerei uſus non perduret ultra Aſcenſionem, ad conſumptionem ejuſdem refert cerei. Verum etſi in pluribus noctibus, & præcipue Natalis & Epiphaniæ, certe tenebroſioribus, atque longioribus vigilarent Chriſtiani, adhuc in eis non accendebatur cereus, & idcirco cum Ruperto Abbate *de div. off. cap.* 28. communis opinio aſſerit, cereum Chriſti reſurgentis typum ferre, unde Concilium quartum Toletanum: *propter glorioſum noctis ipſius Sacramentum hæc benedicimus, ut ſacra reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione Sancti luminis ſuſcipiamus*. Hinc ſcite admodum Benedictus XIV. *tom.* 2. *notif.* 19. carpit eorum uſum, qui cerei benedictionem ſejungunt a Miſſa Sabbati, & ad aliam diem transferunt, tamquam operantes contra ſeriem, atque myſteria rituum Eccleſiæ. Incenſi autem grana deſignant aromata, quibus conditum fuit Chriſti Corpus, ſunt quinque numero, ut denotent quinque ejuſdem vulnera, & configuntur in modum Crucis, ut demonſtrent qualitatem mortis, quam pro nobis Chriſtus ſubiit. Ubi denique benedictiones alias ſacerdos ſemper perficit, hanc operatur diaconus ad præſentiam ipſius Sacerdotis, quia ut dicebamus, inferior mulierum ſexus Apoſtolis annunciavit reſurrectionem Chriſti.

VII. Ritum repetentes dicimus, quod tertia vice reſponſo *Deo gratias* ad *Lumen Chriſti*, clerus pergit in Chorum, & celebrans aſcendit ad altare, illudque in medio oſculatus, accedit ad cornu epiſtolæ, ibique ſtat converſus ad altare. Interim diaconus tradita alicui ex acolythis arundine, & ſumpto Miſſali genuflectit ante altaris medium, aſcendit ad ſupremum gradum altaris, ubi fere in medio ſuper oram ſuppedanei genuflexus, & non miniſtrans incenſum de novo, neque præmittens *Munda cor meum*, abſolute petit benedictionem a celebrante, facie ad eum verſa, dicendo, *Jube Domine benedicere*, & celebrans vertens ſe ad ipſum dicit *Dominus ſit in corde tuo &c.*, ut in benedictione ad Evangelium, ſed loco *Evangelium ſuum* dicit *ſuum paſchale præconium*, & dum dicit *In nomine Patris &c.* format ſignum crucis ſuper Diaconum, non tamen manum poſtea de more ponit ſuper librum, nec Diaconus eam oſculatur, quidquid ſcribant Auctores, quia ut rite advertit Meratus, *par.* 4. *tit.* 10. *num.* 20., etſi Rubrica Miſſalis, dicat, quod *Diaconus petit benedictionem, ut fit ad Evangelium.* Cœremoniale tamen Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 27. apertis verbis præſcribit, quod dicta benedictio abſque oſculo manus in fine accipiatur, unde ex generali regula ritus expreſſe præſcriptus, qualis eſt omiſſio prædicti oſculi, prævalere debet tacito, & obſcuro, cujoſmodi fore oſculatio manus Sacerdotis in præſenti caſu, quæ injungi videtur in iis verbis, *ut fit ad Evangelium*, cum ad benedictionem ad Evangelium Diaconus in fine manum Sacerdotis oſculari ſoleat. Cavendum ſummopere namque eſt a contradictione legum, & hæ, quantum fieri poteſt, ad concordiam ſunt revocandæ; rite autem ſcripſiſſe credimus excludentes prædictam manus oſculationem, quia talis & eſt praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, ſicuti nos monet idem Meratus.

VIII. Mox diaconus ſurgens deſcendit in planum, ubi in medio facta genuflexione una cum Miniſtris omnibus præter cruciferarium, & acolythum tenentem arundinem, pergunt omnes ad cornu Evangelii, & diaconus ſuper legile deponit Miſſale, illud aperit, & ter incenſat ut ad Evangelium, & abſque eo quod librum ſignet, neque ſeipſum, alta, & ſonora voce abſolute incipit præconium *exultet*, illudque proſequitur, converſo ad ipſum Sacerdote, ac manibus junctis ſtante in latere Epiſtolæ ut ad Evangelium, ſtantibus itidem iis de choro verſus altare detectis capitibus. Miniſtri vero ita diacono aſſiſtent, ut ſubdiaconus ſit ad diaconi dexteram crucifixi facie verſa ad celebrantem, thuriferarius ad dexteram ſubdiaconi, & a ſiniſtris ipſius diaconi erit acolythus arundinis, & ad hujus acolythi ſiniſtram acolythus tenens grana incenſi.

IX. Cum diaconus devenerit ad illa verba *curvat*] *imperia*, intermittit cantum, & comite acolytho granorum incenſi, accedit ad cereum, quem aliquis acolythus (id præſtare poterit thuriferarius depoſito thuribulo) amovet e loco ſuo, & idem diaconus in prædicto cereo infigit quinque grana incenſi in modum crucis, ita ut primum ponat in parte ſuperiori, ſecundum in media, tertium in infima, quartum a dextris cerei, & quintum a ſiniſtris. Hoc facto acolythus reſtituit ſuo loco cereum, & acolythus granorum incenſi vadit ad credentiam, ubi deponit pelviculam, & ſtatim redit ad ſiniſtram diaconi, qui ut ad legile reverſus eſt, proſequitur præconii cantum, & ubi dixerit verba illa *Rutilans ignis accendit*, iterum a cantu ceſſat, & accendit cereum cum una ex tribus candelis arundinis, eam inclinando; & quatenus cereus ſuper candelabrum perſtans, commode accendi nequeat, aliquis acolythus eum deponet, & deferet ad diaconum, ut illum cum una ex tribus candelis arundinis ut ſupra inflammet, & deinde idem acolythus eumdem reponet in loco ſuo, ita tamen, ut præſcribit Cœremoniale Epiſcopor. *lib.* 2. *c.* 27., ut crux, quæ ſuper cereum eſt efformata, vel depicta, celebrantem reſpiciat.

X. Deinde diaconus reaſſumit præconii cantum, & ſtatim ac pronunciavit *Apis Mater eduxit*, ceſſat aliquantulum a cantu, donec acolythus cum candelula e cereo accenſa, vel ab una ex candelis arundinis, inſtammavit proximas lampades, quæ ut accenſæ ſunt, diaconus proſequitur: *O vere beata nox &c.*, ſacriſta interim accendente alias lampades per Eccleſiam. Quoniam vero lampas, quæ eſt in Capella, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, ſemper ardere debet, idcirco quoties SS. Sacramentum ante Nonam intra Eccleſiam aſportatum fuerit, eadem lampas extinguetur, ut ſtatim de novo igne accendatur. Tempore autem, quo diaconus ut ſupra minime cantat, ii de choro ſedere poſſunt, ſi velint, celebrans tamen, & miniſtri ſemper ut ſupra ſtabunt.

XI. Diaconus præconium cantans, ſuo loco exprimit nomen Papæ cum capitis inclinatione, Epiſcopi, etſi præſens ſit, ſine inclinatione ulla, & quatenus Sedes Apoſtolica vacet, vel epiſcopalis, omittuntur reſpectiva verba *una cum beatiſſimo Papa noſtro*, vel *Antiſtite noſtro*; rite autem ponderat Pittonus *de oct. tom.* 2. *num.* 287., quod Epiſcopus, qui ut ſupra nominandus eſt, debet eſſe verus Epiſcopus diœceſanus, non vero quicumque alter, etſi deputatus adminiſtrator Eccleſiæ vacantis cum ampliſſimis facultatibus, aut Vicarius Apoſtolicus Roma miſſus. Suo item loco exprimit Imperatoris nomen, qui ſi non fuerit coronatus, additur *electum*, non quidem ad ejuſdem nomen, ſed ante vocem *Imperatorem*, unde dicitur: *Reſpice etiam ad devotiſſimum electum Imperatorem noſtrum*. Si vacet Sedes Imperialis, ſubſtituitur *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus &c.*, ſicut teſte Macro verb. *Cereus paſchalis* ſtatuit S. R. C. approbante Alexandro VII. Ultra quæ nomina nullus alius in præconio nominari poteſt, additiones quaſlibet vetante Bulla Pii V., quæ tamen limitationem accipit ab Apoſtolico indulto, aut ab antiquiori recepta conſuetudine, qualis viget in Galliis pro Rege, Venetiis, & Genuæ pro Principe; & in hoc caſu poſt nomen Imperatoris addendum eſt nomen Principis, & ſtatim ſubditur: *Quorum tu Deus deſiderii vota &c.*

XII. Ut parcant ſumptibus, Eccleſiæ plures cereum uno anno benedictum, in inſequenti benedicunt iterum, in parte abſumpta refectum, quæritur, an licite? Affirmant Quartus *de bened. tit.* 2. *ſect.* 6. *dub.* 2., Pittonus *de oct. lib. tan.* 289., atque Meratus *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 27., ſi quoad majorem partem fuerit refectus, negant, ſi ſolum quoad minorem, quia cum major pars trahat ad ſe minorem, in illo caſu benedictus non eſt; in hoc autem, etſi refectus, totus benedictus evadit, unde nova benedictio ſuo fruſtraretur effectu contra reverentiam ei debitam. Eccleſiarum praxi, & paupertati plus donandum eſſe cenſent alii, qui propterea dicunt, quod, licet cereus in minori parte refectus, ita forſitan benedictus putari valeat, ut nova benedictione non egeat, nihil tamen vetat de novo benedici, benedictione directa, ad partem de novo additam, quæ reapſe benedicta non eſt; differens namque eſt ratio de rebus fluidis, quæ cum inter ſe ſe miſceantur & confundantur, ſi benedictis addantur portiones non benedictæ, ſaltem in minori quantitate, totum fit benedictum, ut de aqua, & oleo aſſirmant canoniſtæ, qui ceteroquin cum ad id aſſerendum non moveantur, niſi ex prædictæ mixtionis cauſa, de rebus ſolidis, quæ minime miſcentur, ſecus eſſe abunde pronunciant, unde etiam Alex. VII. 6. Febr. 1657. deciſum voluit, quod ſi in coronis benedictis loco granorum deperditorum addantur alia non benedicta, haudquam conſequuntur indulgentiæ; quod minime ſequeretur, ſi grana non benedicta per additionem ad benedicta, benedicta fierent. Hæc tuto fieri nos poſſe credimus, ſed poſtea non ſunt apta eas excuſare Eccleſias, quæ abſque ulla refectione cerei eum iterum benedicunt; earum tamen praxis adhuc in ſolido ſtatu permanet, ſi verum eſt, quod nobis conſtanter ſcribitur, ſcilicet Romæ in Dominica quarta Quadrageſimæ perſæpe benedici enſem, & roſam auream, quæ jam benedictæ fuerant in præcedenti anno.

XIII. Quibus diebus, & ad quas canonicas horas cereus paſchalis accendi debeat, ex Rubricis definiri non valet; in his quippe ſolum in Sabbato Sancto accendi jubetur, & dum in die Aſcenſionis poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis mandatur extingui, & non amplius accendi, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem fontis, dumtaxat ſequitur, quod ex Rubricarum præſcripto accendi item debeat in Aſcenſione Domini, & in Sabbato Pentecoſtes ad prædictam fontis benedictionem. Extinguitur in die Aſcenſionis, & non amplius accenditur, quia eo die Chriſtus jam e mortuis ſuſcitatus, cujus typus eſt præfatus cereus, terram hanc noſtram deſeruit, in cælum aſcendens. Ab hac lege excipitur Sabbatum Pentecoſtes ad benedictionem fontis ob eamdem rationem, ob quam accenditur ad benedictionem Sabbati Sancti, quia nempe a lumine Chriſti oportet Catechumenos illuminari, & inſtar columnæ ignis, quæ præceſſit Iſraeliticum populum, eos Chriſtus præcedit uſque ad terram promiſſionis, illos ad baptiſmum deducens. An ardere item debeat ad ſubſequentem Miſſam, affirmant Piſcara *lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 8. *num.* 5., & Quartus *de Bened. tr.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 6. *dub.* 3., ſed opinio negativa Pittoni *de oct. tom.* 1. *num.* 423. conformior videtur Rubricæ, quæ nonniſi *benedictionis fontis* meminit.

XIV. Præſens Decretum ſe magis explicat, cujus dictio *Regulariter* digna eſt, quæ ponderetur, uti & *conſuetudo* accendendi cereum ad alias horas, aliiſque in ſolemnitatibus ab enumeratis, quæ durante *tempore paſchali* laudatur; tempus autem paſchale quoad rem, de qua agitur, dubio procul expirat

in die

in die Aſcenſionis, in qua poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis a Rubrica mandatur extingui, & non ulterius accendi, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem fontis. Ratio itaque, quam celebriores Auctores fere concordes approbant, ab Eccleſiis tuto ſervari poterit, nempe ut prædictus cereus ardeat in Sabbato Sancto, uſque per totam Miſſam, & ad Completorium; in die Paſchæ ad matutinum, omnes alias horas, & ad miſſam ſolemnem; in duobus ſequentibus diebus, & diebus Dominicis (in his, cum repetitio ſint reſurrectionis Dominicæ, etiam ad horas) ad utraſque veſperas, laudes, & ſolemnem Miſſam; & ſimiliter erit de feſtis omnibus de præcepto tunc occurrentibus, & adhuc de non præcepto, ſi ſolemniter celebrentur. Accendi item poterit ad Miſſam quamlibet ſolemnem, ſive feſtivam, aut votivam, quacumque die habeatur, demptis tamen Miſſis de Requiem, ſicuti & illis, in quibus uſus eſt paramentorum violaceorum, quales ſunt Miſſæ Rogationum. Ubi vero Miſſa conventualis, aut parochialis non habetur ſolemniter, ad eam adhuc probant accendi cereum, non quidem univerſim, ſed pro diebus Dominicis, atque feſtivis de præcepto.

D E C R E T A.

Decretum 5. cap. in ord. 346. *Benedictio aquæ in Sabbato Sancto etiam ſine infuſione olei ſancti fieri non poteſt in eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem, quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii 1697.* in Januen. I. Completo præconio, diaconus librum claudit, & in ſuo loco relinquit, acolythus ſtatim arundinem ſuper ſuam baſem non procul a cereo, thuriferarius deponit thuribulum, & ſubdiaconus crucem in loco congruo ex parte epiſtolæ, ubi ſi præcedenter non ſumpſerit, aſſumit manipulum violaceum ex credentia, ad quam item diaconus depoſitis albis, induit paramenta violacea, ſcilicet manipulum, ſtolam diaconalem, & planetam plicatam. Interim ope Cœremoniarii, & alicujus acolythi celebrans exuitur pluviali, quod portatur ad credentiam, & ſimul (nihil dicens) induitur planeta violacea, & manipulo, ſemper perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, ad quod ſtatim ac ut ſupra induti ſunt, pergunt diaconus, & ſubdiaconus, ut eidem celebranti aſſiſtant, ex credentia portatur itidem miſſale ad altare, & collocatur in cornu Epiſtolæ, & legile præconii cum ſuo miſſali, removetur, & aſportatur ad medium chori, niſi inibi jam aliud collocatum fuerit.

II. Mox unus lector de choro junctis manibus accedit ad hoc legile, ubi unica genu facta genuflexione cruci, & ſalutatis iis de choro ex utraque parte, manibus ſuper librum poſitis, in feriali tono cantat primam prophetiam, voce quidem ſonora, & intelligibili, non tamen moroſa, ſed *expedita*, & camdem interim ſimiliter legit celebrans ad altare ſubmiſſa voce, ſtante diacono a dextris ejus, & ſubdiacono a dexteris diaconi. Finita prophetia non vadit lector ad oſculandam manum celebrantis, ſed apud legile verſus librum genuflectit utroque genu, quia ad prophetiam ſequitur *Flectamus genua*, & dum ſubdiaconus dicit *Levate*, continuo ſurgit, & ſalutatis iis de choro pergit ad locum ſuum, & ſtatim ad legilem cum iiſdem cæremoniis accedit lector alter, & recedit completa prophetia, quam ſimiliter celebrans ut ſupra legit ad altare, & ſic ſucceſſive ad reliquas prophetias, hoc ſolum diſcrimine, quod quando ad prophetiam ſequitur tractus, lector in fine prophetiæ unicum duntaxat flectit genu cruci, & ſalutatis iis de choro recedit.

III. In quantitate, & qualitate prophetiarum fuit varia admodum Eccleſiæ diſciplina, nunc Romano ritu leguntur duodecim, & ſignificat duodecim Apoſtol. doctrinam, qua imbuuntur cathecumeni, ad quorum inſtructionem, & baptiſma colliniant fere omnia, quæ in hac temporis circumſtantia dicuntur. Prophetiæ a diſtinctis lectoribus cantari debent, & quatenus ob cleri caritatem onus earumdem plures cantet, Auctores laudant, id minime præſtes ſucceſſive, ſed cum aliquorum interruptione. Juxta Cœrem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 28. primas legunt minores, poſtremas majores, ſed Biſſus *lit. P. n.* 243. §. 2. id rite limitat, ſi alia ſit Eccleſiarum conſuetudo, quam ſervari poſſe etiam edocet Victorius Novellarienſis *in Synopſi pag.* 116. & ex Martene *lib.* 2. *comment. hiſt. cap.* 67. §. 14. Meratus addit, quod antiqua Eccleſiæ conſuetudo incipiebat a dignioribus deſcendendo ad inferiores.

IV. Ad cujuſvis prophetiæ, vel tractus finem diaconus, & ſubdiaconus ſe conſtituunt retro ad celebrantem, unus poſt alium, & dicto a celebrante *Oremus*, diaconus dicit *Flectamus genua*, & tunc omnes præter celebrantem genuflectunt, ſurgunt vero, dum ſubdiaconus ſurgens mox dicit *Levate*, & celebrans ſubſequentem orationem cantat manibus extenſis ut in Miſſa. Ab hac lege excipe ultimam prophetiam, poſt quam non dicitur *Flectamus genua*, nec ſubſequens *Levate*, quia Gavanto interprete *par.* 4. *tit.* 10. *nu.* 17. tres pueri, de quibus in prophetia, noluerunt genua flectere ſtatuæ Nabuchodonoſoris, & ideo celebrans ſtatim orationem recitat. Si celebrans voluerit ſedere, ab ipſo lecta prophetia in cornu Epiſtolæ, cum ſacris miniſtris ibi cruci ſimplicem inclinationem faciat, & per breviorem viam nudo capite ad ſcamnum pergat, quod debet eſſe nudum, vel ad ſummum coopertum panno violaceo, & ſuper illud cum ſacris miniſtris ſedeat tecto capite. Quando autem lector reſpective aut chorus eſt circa finem prophetiæ vel tractus, celebrans cum ſacris miniſtris tempeſtive ſurget, & accedet ad altare nudo capite pro dicenda oratione; & ſi eat per longiorem viam, ante altaris medium faciet cruci reverentiam, genuflectentibus ſacris miniſtris, ſi vero per breviorem, nullam celebrans faciet cruci reverentiam, neque miniſtri genuflexionem. Auctores namque in via, quam in reditu celebrans tenere debet, inter ſe diſſident, Gavanto aliiſque ſentientibus pro longiori tamquam propriori, & devotiori, aliis pro breviori, tum ne celebrans cogatur aſſurgere ſtatim, ac incœpit ſedere, tum ne adeo incommodi ſubeat ita ſæpe per gradus anteriores redeundo.

V. Num celebrans teneatur ad altare legere prophetias, & alia, quæſitum eſt, quæ Auctores in diverſa ſidit placita. Negat Tonellius *lib.* 2. *cap. unic. miſcell. num.* 24., & videtur eadem eſſe ratio, ac de Epiſtola, & Evangelio benedictionis Palmarum, a quorum tamen lectione communiter abſolvitur. Affirmat Biſſus, & hujus opinio probatur a Rubricis, quæ de prophetiis habent: *& celebrans legit eas ſubmiſſa voce ad altare in cornu Epiſtolæ*, ubi nihil ejuſmodi tenent de Epiſtola, & Evangelio Palmarum. Sane nonniſi conſimilia verba tenent de Epiſtola, Evangelio, aliiſque, quæ in Miſſa ſolemni per ſacros miniſtros, & chorum cantantur, & tamen reperta non eſt, qui ab onere eadem ſubmiſſe dicendi celebrantem abſolvat; quidni igitur idipſum etiam erit in præſenti caſu? Accedit, quod Hugo Victorinus *de Miſſæ obſerv. lib.* 3. *cap.* 28. prophetias locum introitus Miſſæ tenere cenſet, & fortaſſe non aliud indicat Pontificale Romanum *par.* 1. *tit.* 2. *de ordin. rubr.* 20., dum Epiſcopum in hoc ſabbato ordinationes habentem, officium inchoare jubet a prima prophetia, quod & definivit S. R. C. 21. Martii 1744. Quod ſi ad introitum Miſſæ pertinent, hinc uber patet ratio, ob quam omiſſioni non ſubjacent, tametſi non habeantur cathecumeni inſtruendi, aut baptizandi, nec facienda ſit benedictio fontis baptiſmalis, ſicuti evenit in caſu ordinationum, quæ habentur in domeſtico oratorio, de quo diſponit laudatum Decr.

VI. Prophetiis expletis fit ſtatim tranſitus ad benedictionem fontis baptiſmalis, non quidem ubivis, ſed ſolum in Eccleſiis, quæ gaudent jure ejuſdem fontis; fruſtra enim ſanctificaretur aqua pro regenerandis populis, ubi uſus fontis non eſt, aut jus conferendi baptiſmatis, & ideo rite Miſſale mandat faciendam eſſe benedictionem fontis in Eccleſiis, in quibus eſt fons baptiſmalis, ceteras vero Eccleſias illico tranſire facit ad ſanctorum Litanias, prætermiſſa benedictione fontis. Hic tamen adhuc viſum eſt Eccleſiis procedere poſſe ad benedictionem aquæ cum precibus in ſabbato ſancto uſurpari præſcriptis, omiſſa ſola infuſione ſacrorum oleorum, per quæ aqua ſanctificari cenſetur ad baptiſma conferendum, unde Miſſale ipſum præcedenter ad prædictam infuſionem, ex eadem aqua ſpargi mandat ſuper populum, quinimmo per Eccleſiæ miniſtros ex eadem in vaſe ſuſcipi ad aſpergendum in domibus, & aliis locis. Antiquitatem uſus ejuſmodi Grancolas *lib.* 2. *cap.* 68. per hæc verba deſcribit: *In Eccleſiis, in quibus non conferebatur baptiſmus, fiebat aqua benedicta, & facta aſperſione in Eccleſia, benedicebantur domus*, & producit auctoritatem Ordinis Romani, in quo habetur: *Ubi baptiſmus non fit, aqua benedicatur, & ſpargatur in omni domo*. Id fieri Decretum præſens inhibet, & uſum reprobat, non quia in ſabbato ſancto aqua luſtralis a non baptiſmalibus Eccleſiis benedici abſolute nequeat, ſed quia non in hac circumſtantia temporis, neque cum precibus benedictionis fontis, quas Miſſale omitti mandat, ubi fons baptiſmalis non eſt, & pro benedictione aquæ luſtralis preces alias inſtitutas habet, quæ propterea adhibendæ forent pro benedictione ejuſdem aquæ, licet non in hac circumſtantia temporis, ne divinis officiis intermiſceantur extranea contra inhibitionem Pii V. Verum hac de re infra redibit ſermo.

VII. Finitis prophetiis celebrans adhoc ſtans in cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, deponit planetam, & manipulum (& hunc deponunt etiam ſacri miniſtri) & accipit pluviale violaceum, adjuvantibus, ut moris eſt, ſacris miniſtris, vel cæremoniario, & acolytho. Deinde aliquis acolythus cotta indutus (non ſubdiaconus Miſſæ, qui juxta cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 28. in hac proceſſione debet incedere a latere ſiniſtro celebrantis, nec ſubdiaconus alter, cujus alias meminiſſet Rubrica, ſicut meminit in feria V. Cœnæ Domini, quemadmodum ſcite notat Braulion) crucem proceſſionalem accipit, & alius acolythus cereum Paſchalem, & ceroferarii candelabra cum ſuis candelis accenſis, & ſe conſtituunt in medio presbyterii, abſque eo quod genuflectant, vel ſe inclinent cruci altaris. Celebrans vero medius inter ſacros miniſtros pergit ad altaris medium, ubi facta inclinatione cruci genuflectentibus ſacris miniſtris, deſcendit in planum ante altaris medium, & ibi repetita reſpectiva inclinatione, & genuflexione ſtat, donec ſequenti ritu ordinetur proceſſio.

VIII. Procedit omnium primus acolythus cereum accenſum ambabus manibus deferens, & ſequitur cruciferarius inter ceroferarios, & hi omnes non genuflectunt, nec ſe inclinant cruci, antequam incedant. Proceſſionem ſtatim clerus ingreditur, qui facta genuflexione cruci, incedit binus aperto capite, quem ſequitur celebrans tecto capite, medius inter diaconum, & ſubdiaconum, qui cruci genuflexionem præmittunt (celebrans ſolam inclinationem) & elevantes fimbrias anteriores pluvialis celebrantis, detecto capite accedunt ad fontem. Qua in proceſſione cantoribus incipientibus chorus cantat tractum *ſicut cervus* quem D. P. Auguſtinus *in Pſal.* 41. *n.* 1. ad rem ita explicat: *ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te, Deus: & quidem non male intelligitur vox eſſe eorum, qui cum ſint cathecumeni, ad gra-*

gratiam ſancti lavacri feſtinant, unde & ſolemniter cantatur hic pſalmus, ut ita deſiderent fontem remiſſionis peccatorum, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum.

IX. Si fons baptiſmalis ſit in Eccleſia, ſeu Cappella ſeparata, in ipſo ingreſſu celebrans dicit orationem *Omnipotens*, hanc vero dicit ante cancellos baptiſterii, ſi hoc fuerit in Eccleſia ubi celebratur. Crucifer itaque medius inter ceroferarios ſe ſiſtet prope fontem, ſeu ante cancellos, facie ad celebrantem verſa, qui medius inter ſacros miniſtros ſuſtinentes pluvialis fimbrias, depoſito birreto, & aliquo miniſtro ſuſtinente librum, præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicit de more *Oremus* ſimplici inclinatione cruci facta, & deinde in feriali tono cantat ſequentem orationem manibus junctis. Deinde ad fontem baptiſmalem accedit, ubi item medius inter ſacros miniſtros ſuſtinentes pluvialis fimbrias, depoſito birreto, ſi illud reaſſumpſerit, ſtans manibus junctis in tono feriali cantat orationem *Omnipotens*, qua finita, cum in concluſione dixerit *ſpiritus ſancti Deus*, elevans vocem, cantando adhuc manibus junctis, proſequitur in tono præfationis *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & alia ut in Miſſali.

X. Idem celebrans poſt verba *Gratiam de Spiritu Sancto*, manu dextera dividit aquam in modum crucis, a qua, ait Gavantus *par. 4. tit. 10. num. 24.* pendet effectus baptiſmi, & ſtatim manum tergit. Poſt verba *Non inficiendo corrumpat* tangit aquam eadem manu, quam item tergit illico; opus namque eſt, ſubdit idem Auctor, manu ſacerdotali, etiam in baptiſmo, ad fugandos Dæmones. Poſt verba *Indulgentiam conſequantur* facit tres cruces ſupra fontem, ut benedicatur, proſequitur Gavantus, a Trinitate per virtutem ſanctæ crucis, cujus ſigno a primordiis uſque Eccleſiæ baptiſmalis aqua benedici ſoluit, D. P. Auguſtino teſte ſerm. 181. de Temp. *Hoc enim ſigno crucis conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons baptiſmalis &c.* Poſt denique verba *ſuper te ferebatur*, dividit aquam, & effundit verſus quatuor mundi partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum in ſignum, idem Gavantus habet, quod baptiſmus omnes homines attingit. Effuſio autem ejuſmodi juxta memoriale Rituum hoc

pacto eſt facienda
1
3 4
2

XI. Ut devenit ad *Spiritus Sancti*, mutat vocem in tonum lectionis, & poſt *Benignus adſpira* halat ter in aquam in modum crucis, dicens; *tu has* uſque ad *mentibus efficaces*. Deinde immittit aliquantulum cereum in aquam, dicens in tono præfationis *Deſcendat*, & extrahit. Immittit eumdem ſecundo profundius, & altiori voce repetit *Deſcendat*, & iterum extrahit cereum, quem immittit tertio uſque ad fundum, altiori voce repetens *Deſcendat*, & non extrahit, ſed immediate ter ſufflat in aquam in formam tridentalem juxta figuram in Miſſali, & proſequitur dicendo *Totamque &c.*, quo dicto extrahit cereum de aqua, & in tono præfationis proſequitur *Hic omnium*, & tandem legendo concludit *Per Dominum*, & adſtantes reſpondent *Amen*. Ne autem, quam par ſit, longiores ſimus, lector myſteria recolat apud Durandum *lib. 6. cap. 82.*, Grancolam *lib. 2. cap. 68.*, & Gavantum *lo. cit.*

XII. Completa ut ſupra benedictione fontis, per aliquem acolythum accipitur de ipſa aqua benedicta ex fonte in vaſe conſueto, & diacono cum oſculis miniſtrante aſperſorium, celebrans aſpergit ſe, & circumſtantes, nihil dicens; qua aſperſione facta, diaconus cum oſculis recipit aſperſorium, & hoc conſignat acolytho, quo comite aliquis Sacerdos cotta, & ſtola violacea indutus, pergit ad aſpergendos reliquos per Eccleſiam, qui dum aſperguntur, genuflexi ſtabunt capite profunde inclinato, & cum reverenti devotione. Sacriſta itidem, vel alius miniſter infundit in aliud vas de aqua fontis, quam ſervat ad aſperſionem locorum, domorum, & aliarum rerum, & ex eadem aqua renovari conſultius quoque erit vaſa Eccleſiæ. Quæ omnia cum extracta ſint ex memoriale Rituum, atque probatis, & celebrioribus Auctoribus, a quovis in praxim ſine hæſitatione deduci poterunt.

XIII. His peractis celebrans infundit in aquam fontis oleum cathecumenorum in modum crucis, & deinde ſimiliter de chriſmate, dicens reſpectiva verba. Deinde accipit ambas ampullas dicti olei cathecumenorum, & chriſmatis, & de utroque ſimul in modum crucis infundendo dicit *commixtio &c.*, & mox depoſitis ampullis, manu ſua dextera miſcet oleum cum aqua, & ſpargit per totum fontem, quo facto abſtergit manum bombacio, & poſtea lavat manus more ſolito cum mica panis. Quam autem antiqua ſit oleorum ejuſmodi infuſio ad ſanctificandam baptiſmalem aquam, abunde comprobant ea, quæ tradit Dionyſius *cap. 2.*, & 4. *Eccl. hier.*, & Gregorius Turon. *lib. 1. de miraculis cap. 23.*, *& lib. 1. hiſt. cap. 31.*

XIV. Lotis ut ſupra manibus, *ſi aderunt cathecumeni, babtizentur more ſolito*, habet cœrem. Epiſc. *lib. 2. cap. 27.*; Miſſale vero: *ſi aderunt baptizandi, eos baptizat more conſueto*, omnia ſcilicet peragendo, ut in Rituali Romano, ſicuti exponit Caſtaldus *lib. 3. ſect. 8. cap. 8. num. 7.* Sacerdos, quatenus in hac temporis circumſtantia baptizare debeat, paulo ante baptiſmum, depoſitis paramentis violaceis, accipiet ſtolam, & pluviale albi coloris, & finita baptiſmi adminiſtratione, deponet paramenta alba, & iterum accipiet violacea. Si fieri autem poteſt, non deſint aliqui, ſaltem infantes, baptizandi; & hæc eſt cauſa, ob quam laudatur mos reſervandi infantes per octo dies antecedentes, niſi periculum immineat, in hoc ſabbato ſolemniter baptizandos.

DECRETA.

Decretum VI. cap. in ord. 347. *In Litaniis ſanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo:* Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis: Sancte Joſeph ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ &c. *Benedictus XIII. 19. Decemb. 1726.* in Decreto Urbis, & Orbis. I. Poſt benedictionem fontis, & collationem baptiſmi, celebrans, aliique omnes redeunt ad altare eodem ordine, quo acceſſerunt ad fontem. An dum procedunt ad altare, cantare debeant Litanias Sanctorum, vel hæ cantari reſervandæ ſint, & inchoandæ, poſtquam illi ad altare devenerint, quæſtio eſt, quæ Auctores in diverſa findit placita. Biſſus *lit. S. num. 6. §. 13.*, atque Bauldryus ad fontem incipiendas eſſe ſentiunt, & proſequendas in via; Gerlacus vero Vinitor, ac Gavantus *par. 4. tit. 10. lit. c* ad fontem inchoari reprobant, & ad altare, ſeu in choro incipiendas eſſe docent. Nituntur illi Rubricæ Miſſalis, quæ cum habeat, *Deinde revertentibus Sacerdote, & Miniſtris ad altare, cantantur Litaniæ a duobus clericis, & chorus idem ſimul repetit*, in reditu videntur illæ cantandæ; hi vero allegant Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 27.*, ubi diſertis verbis Litanias inchoari præcipit celebrante jam procumbente ante altare, & omnibus aliis genuflexis in ſuis locis; quod & fieri ſtatuitur in ſequenti capite 28.

II. Pittonus *to. 1. de oſt. num. 298.* eos, qui in reditu Litanias cantandas eſſe putant, manifeſte irridet, & arripiens Rubricam Miſſalis, cui illi innituntur, ita contra eos argumentatur: *Rubrica Miſſalis dicit, quod miniſtri revertuntur ad altare: ergo ad altare Litaniæ inchoantur, non vero ad fontem, ut aliqui perperam ſcripſere, quos pudet nominare.* Verum nos magis puderet approbare argumentationem Pittoni, quam prædictorum Doctorum; habet enim Rubrica: *Revertentibus Sacerdote, & miniſtris ad altare, cantantur Litaniæ*; to autem *Revertentibus* in obvio ſuo ſenſu non dicit *poſtquam reverſi ſunt*; ſed magis *dum revertuntur*, unde quatenus ex nudis Miſſalis verbis quæſtio dicidenda foret, non ad altare inchoari deberent, ſed potius ad fontem, ex quo & antiquitus cum Litaniis deducebantur cathecumeni ad altare, ſicuti docet Grancolas *lib. 2. cap. 68.*

III. Meratus *part. 4. tit. 10. num. 43.* aliam incedit viam, & licet magis approbet eas inchoari ad fontem, cum conveniens ſit, quod qui cantando ad fontem acceſſerunt, etiam cantando revertantur, ut tamen Miſſale concordet cum cœremoniali Epiſc., exiſtimat, quod cathedrales, in quarum directionem prædictum cœremoniale eſt principaliter editum, Litanias ad altare inchoare debeant, ad fontem vero aliæ Eccleſiæ ad Miſſalis præſcriptum, quod eſt pro ipſis agendorum regula. Quem dicendi modum prius Merato excogitavit Beaulion *part. 3. cap. 14. num. 18.*, ſed nobis non arridet admodum, quia cum non appareat particularis ratio, ob quam in cathedralibus ad altare inchoari debeant, & non in aliis Eccleſiis, ubivis magis eodem loco, & tempore incipiendas eſſe credimus.

IV. Cum itaque pro altari aperta adeo ſit cœremonialis diſpoſitio, ut nullam congruam apta ſit ſuſcipere expoſitionem, dubio procul inchoandæ erunt ad altare in cathedralibus, ad quarum directionem illud eſt editum; ut autem leges legibus concordemus, idipſum faciendum ducimus in aliis Eccleſiis, to *revertentibus* exponentes pro *reverſis*. Neque nobis deeſt ratio in Miſſali ipſo, quod Litanias, ubi fons baptiſmalis non eſt, dicendas eſſe mandat, celebrante, & miniſtris procumbentibus ante altare, ceteriſque omnibus genuflexis, quidni igitur præſtandum idipſum erit etiam in Eccleſiis, ubi eſt fons baptiſmalis? Et præſertim quia quando primo loco dicit, quod *revertentibus celebrante, & miniſtris ad altare, cantantur Litaniæ a duobus clericis*, ſubdit *& chorus idem ſimul repetit, ut dicitur infra*; infra autem dicitur, quod cantari debent celebrante, & miniſtris ut ſupra procumbentibus, & ceteris genuflexis, nec fortaſſe aliud ea verba allegata indicant, *& chorus idem ſimul repetit*, quæ clerum in choro videntur ſupponere.

V. Statim ac igitur proceſſio e fonte ad altare devenerit, celebrans, & ſacri miniſtri ſe retrahunt verſus cornu Epiſtolæ, ibique depoſitis pluviali, & planetis plicatis, continuo revertuntur ante altare, & genuflexi in plano ante infimum altaris gradum procumbunt, ſuperponentes capita ſua cuſſinis coriaceis in ſecundo gradu altaris per acolythos antecedenter poſitis. Ubi vero non eſt fons baptiſmalis, ſtatim poſt ultimam prophetiam, & orationem iidem celebrans, & miniſtri deponunt planetas in cornu Epiſtolæ, non tamen ſtolas; an autem manipulos, negat Meratus *par. 4. tit. 10. n. 44.* ego tamen magis laudo eoſdem etiam deponi, tum quia manipulos, dum iidem celebrans, & miniſtri a benedictione fontis, ante altare procumbunt, in hac temporis circumſtantia non habent, tum ob ea, quæ diximus de manipulis in feria VI. Paraſceves ſimiliter deponendis, antequam ad crucis adorationem procedant; & præſertim in præſenti caſu, in quo eorumdem manipulorum violaceorum uſus non amplius eſſe debet. Ut primum exuti ſunt, ut ſupra accedunt ante altare, & genuflexi procumbunt. In utroque autem ex dictis caſibus acolythi genuflectunt in plano hinc inde, ſicuti & ceteri in ſuis reſpectivis locis, miniſtri nempe in presbyterio, & clerus in choro, ſed horum nemo procumbit. Ut reſpective procumbunt, & genuflexi ſunt, & non prius, duo cantores ge-

nuflexi in medio chori incipiunt Litanias, *utroque choro idem ſimul reſpondente*, idest repetente, quod cantores dixerunt.

VI. Num celebrans ſubmiſſa voce Litanias debeat recitare, ex Auctoribus non reperi, qui quæſtionem inſtituant, pro parte tamen negativa ſilentium cæremonialium abunde deſervit; tum quia recitationem privatam eorum, quæ dicenda ſunt, ut prophetiarum eidem Miſſale committit; tum etiam quia celebrans in hac circumſtantia eſt in tali corporis poſitione, ut ex libro legere minime poſſit; non tenetur autem memoriæ retinere, quæ in Miſſa legere debet. Neque dicas poſſe ſubmiſſa voce cum choro repetere, quæ cantores dixerunt, quia cum ex Rubricarum præſcripto a verſum *Peccatores* debeat recedere, non poſſet adhuc litanias integre recitare.

VII. His in litaniis immediate poſt S. Joannem Baptiſtam invocari nunc debet S. Joſeph, dicendo *Sancte Joſeph ora pro nobis*, cum hæc ſit una ex functionibus, & temporibus aſſignatis pro litaniis dicendis, quemadmodum diſerte præſens mandat Decretum. Sunt ex Auctoribus, & præſertim Piſcara *in Cærem. ſua Relig. lib. 3. cap. 19. nu. 17., & in Praxi Cæremoniar. lib. 3. ſect. 8. cap. 5. num. 2.*, atque Paris Craſſus *in Cærem. Cardin., & Epiſc. in cor. diœceſib. lib. 2. cap. 28.*, qui hodie geminandum ſentiunt, & lætiori voce cantandum verſum *Per ſanctam Reſurrectionem tuam*, ſed cum nulla ſuper hoc habeatur rubrica, & a Pio V. prohibeantur quæque additiones, nec duplicandum illum eſſe, nec lætiori voce cantandum, cum Gavanto *part. 4. tit. 10. num. 30. lit. c.* communiter pronunciant Auctores. Si tamen vacet Sedes Apoſtolica, cum eodem Gavanto *ſect. 9. cap. 4. num. 11.*, lubens aſſentior, quod in his litaniis omitti debeat *Ut Domnum Apoſtolicum*; ſicut namque idem Doctor advertit; jam tunc non eſt Domnus Apoſtolicus, pro quo exoretur. Nec inde contingit mutilatio aliqua, vel variatio ex prohibitis per Bullam Pianam, quia jam a Rubrica Miſſalis *de ord. ſervan. in celebr. Miſ. tit. 8. num. 2.* nomen, & vocem ipſam ſummi Pontificis in canone tacere jubemur, quando Sedes Apoſtolica vacat. Propterea tamen in noſtro caſu omittenda non erit tota deprecatio, in qua fit mentio de Domno Apoſtolico, ſed ſolum omiſſo *ut Domnum Apoſtolicum* dicendum erit: *Ut omnes Eccleſiaſticos ordines &c.*

VIII. Cum in litaniis ventum fuerit ad verſum *Peccatores*, Sacerdos, & miniſtri ſurgunt, & facta genuflexione cruci unico genu, a celebrante ſola reverentia, cum birretis caput contegunt, & eo modo, quo ſunt, nempe in albis, manibus junctis ante pectus, præcedentibus thuriferario, ceroferariis, & aliis clericis, ſi qui ſunt, omnes junctis manibus, & miniſtri ſacri unus poſt alium, & ultimo celebrans accedunt ad Sacriſtiam, ſi vicina ſit, alioquin ad locum viciniorem altari, vel poſt altare, & ibi depoſitis ſtolis violaceis, & adhuc manipulis, ſi hos prius non depoſuerint, induunt paramenta alba pro miſſa ſolemniter decantanda, ſcilicet Sacerdos manipulum, ſtolam, & caſulam, Diaconus manipulum, ſtolam, & dalmaticam, & Subdiaconus manipulum, & tunicellam. Interim per Sacriſtam, alioſque miniſtros removentur cuſſini a gradibus altaris, & ſuper eos extenditur tapes feſtivalis, & veſtitur ſcamnum celebrantis. Removetur etiam pallium violaceum ab altari, ut appareat album, quod ſub ipſo jam ponendum diximus, & velo albo tegitur tabernaculum, removenturque omnia tum ab altari, tum a credentia, quæ non ſunt amplius uſui, & aſportantur in Sacriſtiam.

IX. Quando in litaniis cantores devenere ad *Agnus Dei*, juxta Sacramentarium S. Gregorii accenduntur candelæ altaris majoris, quia, ut notat Amalarius *lib. 1. cap. 30.*, medio Chriſto Dei agno ad nos devenit lumen fidei. Tunc iridem inflammantur candelæ candelabrorum ceroferariorum, quando Sacerdos ſe induit retro altare, ſin tempore congruo accenduntur in Sacriſtia, ex qua una cum celebrante, ejuſque miniſtris ordine conſueto procedunt ad altare pro Miſſa ſolemniter decantanda, ferentes ipſi ſua candelabra, & acolythus thuribulum, atque naviculam, etſi exeant e choro, ubi celebrans cum miniſtris paramenta ſumpſerint. Ad hanc autem Miſſam ultra candelas altaris ardet etiam cereus paſchalis, necnon candelæ arundinis; quæ quando removendæ ſint, & extinguendæ, dicetur infra.

X. Quoniam vero de tempore, quo detegi debent imagines, ſive icones per Eccleſiam, nihil ab Eccleſia reperitur ſtatutum, ſicut monent Bauldryus, Biſſus, & Cæremoniale Monaſticum, quod id fieri debet ante Miſſam hujus diei; quo autem præciſe, convenientius videtur, ſi id præſtetur poſt verſum *Peccatores*, ad quem removentur quæque lugubria. Quod ſi ob caritatem miniſtrorum jam occupatorum in removendis ab altari, vel apponendis aliis ut ſupra rebus, hoc tempore detegi nequeant, magis præſtat, detegantur, dum fit benedictio fontis, vel ubi non eſt fons baptiſmalis, dum cantantur ultimæ prophetiæ, quam id præſtetur, dum cantantur litaniæ, quo tempore cuncti per Eccleſiam, decens eſt, genuflexi maneant, & non ſit, qui cum adſtantium diſtractione per Eccleſiam vagetur ad diſcooperiendas imagines. Sunt tamen nonnullæ Eccleſiæ, quæ eas detegunt ad intonationem hymni angelici; & earumdem uſum reprobare non poſſumus, quia tunc reapſe incipit ſolemnis lætitia paſchalis, licet eaſdem nos magis laudemus detegi, ſi fieri poteſt, poſt verſum *Peccatores*, quod tempus eſt ad lugubria removenda per Auctores communiter conſtitutum, aut præcedenter ad verſum *Propitius eſto*, ad quem Bauldryus, & Biſſus non refragantur lugubrium remotionem incipi poſſe, ſaltem quando poſt verſum *Peccatores* commode fieri non valet.

DECRETA.

Decretum 7. cap. in ord. 348. *Qui fontem benedixit, debet cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 12. Junii* 1617. in Brundusina. I. Litaniis ſuccedit Miſſa, quæ cum careat introitu, ex ordine Romano Auctores edocent, poſtremos illarum verſus *Kyrie eleiſon* ita ſolemniter, atque moroſe in choro eſſe cantandos, ut celebranti ſumptis paramentis albis ſubſit tempus procedendi ad altare, faciendi confeſſionem, incenſandi altare, atque dicendi *Kyrie* cum miniſtris ſacris more ſolito, antequam chorus ceſſet a cantu. Miſſa caret introitu, & myſticam in eo rationem exhibet Durandus *lib. 6. cap. 35. num. 2.* quod ille, qui eſt caput, & principium noſtrum, ſicut introitus eſt caput Miſſæ, ſubtractus eſt, & in ſepulcro ſilet; & licet nocte, quando tunc cantabatur Miſſa, reſurrexiſſet, tamen a ſuis neſciebatur, unde quando Maria Magdalena invenit monumentum vacuum, Chriſtum credidit fuiſſe ſublatum. Grancolas *lib. 2. cap. 71.* id eſſe aſſerit juxta antiquum Eccleſiæ morem, qui ſemper prætermittebat introitum, quando Miſſæ immediate ſubſequebatur officium: introitus enim in id inſtitutus erat, ut populos occuparet, dum celebrans veniebat ad altare, & ut adunarentur fideles ad audiendam Miſſam; quare cum jam ſupponerentur præſentes, & adunati ad officium, omittebatur introitus, quando ad officium ſtatim ſequebatur Miſſa; in hoc autem Sabbato jam præſentes erant, & aſſiſtentes præcedentibus functionibus.

II. Cenſent alii præcedentes preces, & præcipue prophetias, a quibus Epiſcopum hodie ordinationes habiturum Miſſam auſpicari præcipit Pont. Rom. *part. 1. tit. 2. de ordinib. Conferen. rubr.* 20. pro introitu deſervire, & tunc ubes apparet ratio Decreti, dum mandat eum, qui fontem benedixit, debere cantare Miſſam ſequentem; quod ita extendi volumus, & prædicta profecto ſuadet ratio, ut etiam Miſſam facere debeat, qui prophetias dixit, ubi fons baptiſmalis non eſt, & adhuc eum debere fontem benedicere, qui præcedentes preces recitavit, ſi qui fontem benedixit, cantare debet ſequentem Miſſam. Sane Rubricæ Miſſalis eidem celebranti committit hujus diei munia quæque, atque functiones, evidens utique argumentum, quod idem Sacerdos omnino cuncta præſtare debet, & non unus unum, alter aliud. Hoc unum ego ſcio, quod quia Rubrica Miſſalis eidem celebranti committit benedictiones alias, & ſequentem Miſſam, pluries S. Congregatio cenſuit, Miſſam ab illo eſſe cantandam, qui præcedentibus benedictionibus candelarum, cinerum, atque palmarum incubuit; quanto igitur id magis verum erit in noſtro caſu, ſi præcedentes preces pro introitu deſerviunt?

III. Abſoluto per Chorum *Kyrie*, Sacerdos ſolemniter intonat *Gloria in excelſis*, quo intonato, & non prius, pulſantur organa, & campanæ tum intra Eccleſiam, tum in turri; qua autem lege, dicemus in ſequenti Decreto. Non proſequitur autem chorus prædictum hymnum, niſi poſtquam ceſſaverit ſtrepitus organorum, & campanularum intra Eccleſiam, alias quippe confunderentur voces cantantium in Choro cum ſono organorum, & campanarum, quarum tamen illæ exiſtentes in turri, ſono productiori pulſari poterunt, & nihilominus chorus cantabit præfatum hymnum, qui organorum ſono de more intercalabitur uſque in finem.

IV. Collectam non præcedit *Flectamus genua*, uti fit in orationibus, quæ prophetias ſubſequuntur, quod hæ ad quadrageſimam ſpectare cenſentur, unde & in paramentis violaceis dicuntur, illa vero ad feſtum Paſchatis, quare ejuſdem textus ipſa habet: *Qui hanc ſanctiſſimam noctem gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras*; & hæc item eſt cauſa, ob quam juxta Rubricam 17. nu. 5. ad eam genuflexus non manet Chorus, & ipſa cum tota Miſſa dicitur in paramentis albis. Hanc tamen orationem præcedit de more verſus *Dominus vobiſcum*, cujus loco, ſi Epiſcopus celebret, an debeat dicere *Pax vobis*, ut facit in aliis Miſſis, negat Durandus *lib. 6. cap. 85. num. 7.* quia in hac Miſſa non datur pax, & Durandi opinioni quoque ſubſcribit Macrus *in ſuo Hierolexico verb. Pax vobis*. Diſcedendum tamen non eſt a Gavanto, qui *part. 4. tit. 10. num. 32.* eidem ſolitam, ſcilicet *Pax vobis*, indicit ſalutationem, & cum hanc diſerte aſſignet dicendam Cœremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 27.* profecto non ego video, quomodo in dubium unquam vocari valeat, quidquid ſit de pacis oſculo, cujus omiſſio aliam habet cauſam, de qua inferius inſtituetur ſermo.

V. Oratio, & ſubſequens Epiſtola referuntur ad renatos fonte baptiſmatis, qui cum nondum per opera in virtutibus gradum fecerint, propterea poſt Epiſt. omittitur Graduale, quod ſignificat aſcenſum de gradu ad gradum; ſed ſubditur *Alleluja*, quæ cum ſit vox lætitiæ, a Septuageſima ad Paſcha, utpote triſtitiæ & luctus tempore, tacetur quidem, ſed hodie ſolvitur ob gaudium Dominicæ reſurrectionis, quod cum plenum non ſit, ſed juxta Gavantum *part. 4. tit. 10. num. 34.* dumtaxat in ſpe proxima fortaſſe ratione temporis, quia in quo celebrabatur, nondum Chriſtus reapſe ſurrexerat, vel ſi reſurrexerat, nondum nobis apparuerat, ut de more rite advertit Benedictus XIV. *Annotat. tom. 1. part. 1. num. 402.*, idcirco poſt *Alleluja* dicitur tractus, qui luctum ſignificat. Durandus tamen *lib. 6. cap. 85. num. 3.* myſticam refert rationem aliam, nempe *Alleluja* ſignificare vocem tum Angelorum, qui gloriantur propter baptizatos a diaboli ſervitute ereptos, & ad fidem converſos, tum ipſorum neophytorum, qui lætantur de ſua ſpirituali

novitate; ſed quia graves ſunt labores viæ, ſubdi tractum, qui dicitur a trahendo, & denotat patientiam, per quam expectare debeat gloriam ſempiternam.

VI. Cantata itaque Epiſtola, ſubdiaconus oſculatur de more manum celebrantis, & ab eo accipit benedictionem, & deinde, & non prius ipſe celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ cum miniſtris ſacris, ut ad introitum, gravi voce cantare incipit *Alleluja*, quo ſemel cantato a celebrante, ut in Miſſali notatur, chorus in eodem tono, & voce illud repetit. Denique celebrans elevando vocem gradatim (qui ideo advertere debet, ut prius voce demiſſiori incipiat, ut ſecundo, & tertio illam abſque indecentia elevare poſſit) ſecundo, & tertio repetit in cantu *Alleluja*, & idem repetit Chorus poſt quamlibet vicem. Decantato tertia vice *Alleluja*, Chorus proſequitur ℣. *Confitemini*, quo finito cantat tractum, & hæc omnia interim legit itidem celebrans ſubmiſſa voce.

VII. Ad Evangelium omnia peraguntur de more, ſed non portantur luminaria, ait Grancolas *lib.* 2. *cap.* 71., quia Eccleſia toto noctis officio illuſtrata erat, ſatius vero Doctores, quia fides obſcura erat, & Chriſtus credebatur mortuus, & in ſepulcro latere, nec nobis ille, qui lumen eſt, apparuerat. Etſi vero luminaria non deferantur, ſtant tamen ceroferarii manibus junctis a lateribus ſubdiaconi, & ſignant ſe cum diacono, cum non teneant candelabra, ſicuti poſt Bauldryum, Piſcaram, Halden, & a Porta noviſſime Meratus edocet *par.* 4. *tit.* 10. *num.* 56. Poſt Evangelium non dicitur *Credo* eadem utique de cauſa, quia nempe, ut ait Gavantus *loc. cit. num.* 36. *lit. i*, Chriſti reſurrectionem nondum credebant Apoſtoli, qui propterea euntes in Caſtellum Emaus, a Chriſto ipſo increpati leguntur *Lucæ* 24.

VIII. Omittitur deprecatio illa, quæ *offertorium* communiter appellatur, non quia in hac Miſſa a fidelibus non fierent oblationes, ut perperam ſenſere nonnulli, ſed quia oblationes hac die ſub ſilentio fiebant in memoriam mulierum, quæ ſub ſilentio ierunt ad monumentum cum aromatibus offerendis, quemadmodum teſtantur Vualfridus Strabo *de reb. Eccl. cap.* 21., Berno Abbas Augienſis *cap.* 1. *de reb. ad Miſſam ſpectantib.*, & noviſſime Benedictus XIV. *to.* 1. *Annot. par.* 1. *num.* 402. Ad pſalmum vero *Lavabo* additur hac die verſus *Gloria Patri*, qui diebus præteritis tacebatur.

IX. Dicitur præfatio paſchalis, ſed id habet ſpeciale, quod in ea dicitur *ſed in hac potiſſimum nocte*, & ſic etiam in *communicantes*, quod hujus diei proprium eſt, dici mandatur: *& noctem ſacratiſſimam celebrantes*; hinc autem apparet, Miſſam hanc olim fuiſſe nocturnam, & prædicta verba reliquiam quamdam eſſe antiqui ritus etiamnum retentam, tametſi Miſſa ad diem anticipata fuerit. *Hanc igitur oblationem* proprium item eſt, & refertur ad recens baptizatos. Quantum ad præfationem attinet, ſacramentarium S. Gregorii refert aliam olim dici conſuetam, & Mabillonius *in liturg. Gallic. lib.* 3. alterius meminit, quæ priſcis temporibus per Gallicanam legebatur Eccleſiam, quæque diverſa eſt & a noſtra, & a Gregoriana, ut videri poteſt apud Pittonum *tom.* 1. *de off. nu.* 312., *& ſeq.*, ubi & producit Ambroſianam, quæ in pluribus convenit cum Romana, & in nonnullis diſcordat.

X. In hac Miſſa de more dicitur: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, non tamen datur pacis oſculum, quia Chriſtus ſuſcitatus, inquit Gavantus *par.* 4. *tit.* 10. *num.* 37. *lit. m*, nondum dixerat Apoſtolis *Pax vobis*; habet vero Grancolas, quod id factum eſt, quia pacis oſculum reſervabatur ad principium matutini Paſchatis, ad quod convenientes fideles, antequam inchoaretur officium, ſe ſe invicem amplexantes dicebant: *Surrexit Dominus*; unde in Ordine Romano Hittorpii: *In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniant, & mutua charitate ſe invicem oſculantes dicant: ſurrexit Dominus*. Etſi vero non detur pacis oſculum adhuc ſubdiaconus tranſit ad dexteram celebrantis, & diſcooperit calicem, quando opus eſt, & diaconus vadit ad librum.

XI. Omittitur *Agnus Dei*, & licet Gavantus, aliique plurimi in cauſam producant ſilentium mulierum, quæ nondum credebant Chriſto Redemptori animarum ad tollenda peccata Mundi, nos Meratum, alioſque rectius opinarie credimus, qui id fieri cenſent, quia *Agnus Dei* eſt nova adjectio, inſtituta a Sergio Papa, qui ſedit anno 688. Ante communionem dicit celebrans tres conſuetas orationes, non dicit tamen antiphonam, quæ *communio*, nec orationem, quæ *poſtcommunio* dicitur, & id Gavantus tribuit antiquo uſui, juxta quem hodie nullus præter celebrantem communicabat. Verum cum compertum ſit, in hac Miſſa olim nedum noviter baptizatos, infantes etiam, clerum, & populum communicaſſe, ſed inſuper prædictam antiphonam, ac orationem dictam fuiſſe, ut late a nobis in cap. 3. Decr. 4. comprobatum extitit, idcirco placet nobis aſſerere, prædictas antiphonam, & orationem nunc omitti, quia earum loco ſuffectæ fuerunt veſperæ, quæ gratiarum actiones potius ſunt, quam officium veſpertinum, quemadmodum Durandus *lib.* 6. *cap.* 85., Grancolas *lib.* 2. *cap.* 71., Gavantus *par.* 4. *tit.* 10. *num.* 38. *lit. o*, Meratus *ibidem nu.* 57., & Benedictus XIV. *to.* 1. *Annot. nu.* 407. ſcite advertunt, & notat Ordo Romanus Hittorpii *pag.* 55.

D E C R E T A.

Decretum VIII. cap. in ord. 349. *Et ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi fratres, quam alii clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die ſabbati majoris hebdomadæ, antequam campanam Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverint, campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint; Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Leo X. 19. *Decemb.* 1516. *ſua Conſtit.* Dum intra. I. *Ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur*, ſunt Decreti verba, quæ deſignant diſpoſitionis cauſam, ut nempe ſicut illa Eccleſiarum, quæ in loco ſunt, mater eſt, & prima, prima itidem ſit in campanarum ſono. Deceret, & valde optanda foret conſimilis ſanctio pro feria V. in Cœna Domini, ita ut ſicuti Matrix Eccleſia in ſabbato ſancto prima eſt, ita ultima foret in prædicta feria V. in pulſatione campanarum; ea enim, quæ ſunt publicæ triſtitiæ, vel lætitiæ ſigna ob Dominicam reſpective mortem, vel reſurrectionem, haud conveniens eſt, quarumcumque Eccleſiarum arbitrio reperiantur commiſſa, ſed magis ab illa dentur Eccleſia, cui tamquam Matri ceteræ honorem debent, & reverentiam. Uti ergo ante pulſationem campanarum Matricis in ſabbato ſancto pulſari non poſſunt campanæ in inferioribus Eccleſiis, ita conveniens foret, quod nec in feria V. Cœnæ Domini in his pulſari poſſent poſt pulſationem earumdem habitam in Matrice, ut ſicut omnibus communis eſt luctus, atque lætitia, ita commune item ſit mœſtitiæ tempus, & gaudii, quod adhuc concinnius fieret, ſi ad ſonum campanarum Matricis tam in earumdem ſolutione, quam alligatione convenirent & ceteræ Eccleſiæ in pulſatione ſuarum.

II. At cum noſtrum ſit proſequi, quæ decreta ſunt, non quæ optaremus decerni, idcirco dicimus, quod inhibitio præciſe ſiſtit ſuper anteriorem pulſationem in ſabbato ſancto, & quod hæc afficit omnes loci Eccleſias, ſive regulares ſint, vel ſæculares, & quidem licet ſuper hoc munitæ forent privilegio Apoſtolico, cui derogatur per ea verba Decreti: *etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti*. Campanæ autem, quæ nonniſi dato ſigno in Cathedrali, vel Matrice, pulſari inhibentur, dumtaxat ſunt, quæ exiſtunt in turri campanaria, non tamen quæ ſunt intra Eccleſiæ parietes; quare inferiores Eccleſiæ, etſi in Cathedrali, vel Matrice ſignum datum minime fuerit, campanulas intra Eccleſiam pulſare quidem poterunt, atque debebunt, dum devenerint ad intonationem *Gloria in excelſis*, ſed omnino abſtinebunt a pulſatione exiſtentium in campanili, cum quibus dabunt poſtea ſolemne ſignum, quando dabitur a Cathedrali, vel Matrice, etſi id fieri contingat longe poſt decantatum prædictum verſum *Gloria in excelſis*.

III. Limitationes, quibus ſanctio eſt obnoxia, ſequens Decretum indicat, & erit 9. cap. in ord. 350. *in ſabbato ſancto neque a ſæcularibus, neque a regularibus pulſandæ ſunt campanæ ante pulſationem illarum Cathedralis, vel Matricis, niſi antiqua obſervantia habeatur in contrarium, aut Eccleſiæ plurimum diſtent*. Congr. Epiſc., & Regul. 16. Julii 1601., & 15. Febr. 1622. Tamburinus *to.* 1. *de jur. Abb. diſp.* 15. *qu.* 7. *num.* 28. id jam edocet de immemorabili conſuetudine, quam a Conſtitutione Leonis X. ſublatam non eſſe, ſed nihilominus retinendam, definiit ſimiliter Rota *in Calaguritana juris pulſandi campanas* 11. *Martii* 1619. *coram Dunozetto*, & poſtmodum *in eadem cauſa* 17. *Febr.* 1620. *coram Veroſpio*, & iterum *in eadem* 29. *Aprilis* 1624. *coram Merlino*. Equidem deciſiones ejuſmodi pronuntiant in favorem *conſuetudinis immemorabilis*, ubi Decretum privilegiat *antiquam*, ſed licet in vocibus diſcrepent, conveniunt in rebus; antiquum enim etſi nonnunquam uſurpetur pro veteri, & adhuc adaptetur rebus, quarum initium non plurimum diſtat, reapſe tamen dicit ea, quorum ignoratur initium, aut nos præceſſit per ſæcula. Scite autem Tamburinus nos monet, quod prædicta conſuetudo debet eſſe continua, & non interrupta, & concordat Decretum, quod propterea eam nuncupat *antiquam obſervantiam*.

IV. *Aut Eccleſiæ plurimum diſtent*: non quælibet igitur diſtantia ſufficit, ut Eccleſias eximat ab expectatione ſigni dati in Matrice, ſed ſolum diſtantia plurima, ſeu permolta, cum plurimum ſuperlativum ſit a multo. Verum ne incaſſum divagemur in definienda diſtantia plurima, ad rem, de qua agimus, eam nos putamus eſſe plurimam, in qua Matricis ſignum non, vel vix, audiri poteſt. Diſtantia ejuſmodi in civitatibus vix locum habere poteſt, & quando etiam in valde protenſis illum reperiret, ſignum, quod cum Cathedrali, vel poſt Cathedralem dant Eccleſiæ ceteræ, optime diſtantes Eccleſias aptum eſt monere de tempore, in quo ſuas ſolvere poſſunt; quare conveniens adhuc eſſe credimus, quod id honoris Eccleſiæ Cathedrali præſtent. Secus eſt de Eccleſiis Diœceſis, quarum aliquæ quandoque a matrice diſtant plurimum, aut ſi non multum, habent impedimenta intermedia, puta montium, ob quæ Matricis ſonus ad eas non pervenit, nec communicatur per alias Eccleſias, non enim cogendæ ſunt conſtituere cuſtodes, qui evigilent ad Matricis ſignum. Hæ ſunt limitationes, quas Decretum ſuggerit; tu autem alteram adde, nempe privilegium Apoſtolicum, quod ſi modernius ſit, ei haudquaquam officit privilegiorum derogatio, quam in laudata Conſtitutione facit Leo X.

V. Hos extra caſus, qui campanas præcedenter pulſant, manet pœna centum ducatorum; *contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant*. Lex quidem comminatoria non eſt, ſed latæ ſententiæ; an vero pœna a tranſgreſſoribus exigi valeat, ſi præcedenter non fuerint admoniti, nos dubitamus admodum, & in negativam partem propendimus. Cœremoniale namque Epiſc., quod plurium Summorum Pontificum auctoritate eſt comprobatum, habet lib. 2. cap. 27. *Debent moneri aliæ Eccleſiæ*

Civita-

Civitatis, ne pulſent campanas, niſi audito ſigno campanarum Eccleſia Cathedralis; non leve autem hinc ſit argumentum, quod niſi admonitio præceſſerit, per quam tollatur ignorantia, oblivio, vel inadvertentia, a quibus provenire poteſt inobſervantia, vel iiſdem tribui, contrafacientes puniri non poſſunt. Et quidem conſimiles habentur Conſtitutiones, atque Decreta, quæ Regulares intereſſe obligant publicis proceſſionibus, & tamen ſi minime interfuerint, adhuc plecti non valent, ſi prius non fuerint invitati, vel admoniti. Verum haud opus habemus ad aliena divertere, cum hæc ſententia ſteterit Sacræ Congregationi Epiſc., & Regul. 11. Maji 1635., quæ quemdam Abbatem, qui nulla ratione habita ad ſignum datum in Cathedrali, campanas ſuæ Eccleſiæ pulſari mandaverat, puniendum non eſſe credidit amotione ab illo gubernio, & loco, niſi poſtquam ſibi conſtitit, quod præcedenter ille fuerat admonitus.

VI. Opportune admodum ſe nobis offert pœna, qua per Sacram Congregationem prædictus plexus fuit Abbas; ſatis enim deſignat, quod pœna pecuniaria centum ducatorum, quæ a Leone X. decernitur, pro Regularibus, qui cum nihil proprium ipſi poſſideant, damnum alias ex delicto Prælati pateretur Eccleſia, videtur minus appoſita, & magis in alias, quæ Eccleſiam ſervent indemnem, & ſolum delinquentem afficiant, commutanda, cujuſmodi eſt amotio delinquentis a loco, privatio dignitatum, vocis activæ, & paſſivæ, aliæve conſimiles. Sane Inſtructio ipſa Romana pro oratione XL. horarum, ubi ſæcularibus ſtatutorum, & ordinationum tranſgreſſoribus, decem ſcutatorum aureorum pœnam imponit, pro Regularibus contenta eſt ſupradictis pœnis, aliiſque ſimilibus, quarum inflictionem ſuo reſervat arbitrio. Hinc autem volumus, eruas, quod ab Eccleſiis ſæcularibus pœna pecuniaria repoſcenda quidem eſt, ita tamen, ut ad eam ſolvendam earumdem Rectores adſtricti veniant, non autem ipſæ Eccleſiæ, ne ex aliorum delicto damnum reportent.

D E C R E T A.

Decretum 11. cap. in ord. 351. *An prima pulſatio campanarum in ſabbato ſancto ſit de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, prout jacet, ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Janu. 1704.* in una Urbis, & Orbis. I. *Matricis* nomine, cui in ſignum honoris debetur prima pulſatio campanarum in ſabbato ſancto, Cathedralem in Civitatibus venire, Eccleſiam, quæ loci Eccleſia dignior eſt, & Matrix *ex cap. venerabili de verbor. ſignific.*, illa laudatæ Conſtitutionis Leoninæ verba manifeſte commonſtrant: *Antequam campanam Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverint*; & reapſe nec ex Auctoribus ullus eſt, qui id privilegii eidem contendat. Pars autem Civitati adjecta ex ampliatione, atque ſuburbia cum veniant Civitatis nomine, ſicuti pluribus citatis docet Barboſa *de appell. verb. appell. 49.*, idcirco horum Eccleſiæ non minus ac eæ Civitatis expectabunt Cathedralis ſignum, antequam ſuas campanas pulſent.

II. De Eccleſiis Diœceſis ſuccedit dicere, & juxta Conſtitutionem Leoninam prima pulſatio proculdubio ſpectat ad Eccleſiam Matricem: *Antequam campanam Cathedralis, vel Matricis pulſaverint*. Vera, & propria Matricitas tunc in aliqua Eccleſia reſidere dicitur, ubi per diſmembrationem Territorii, & Populi erigitur nova Parochialis Eccleſia, quæ idcirco retinet ſubjectionem filialem *juxta Text. in cap. ad audentiam 3. de Eccl. ædifican., & ſacr. Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. de Reform.* Gloſſa *in Clem. cap. un. de baptiſm.* baptiſmalem Eccleſiam etiam Matricem nuncupat, quia ſicut Mater generat, ita ipſa regenerat; & Suarez *de Relig. to. 1. cap. 67. num. 1.*, Azorius *Inſt. mor. par. 2. lib. 3. quæſt. 13., & lib. 9. cap. 3. in fin.* aliique Auctores plurimi etiam Matrices faciunt Eccleſias illas, quæ habent alias ſibi ſubjectas. Cardinalis denique de Luca *de Decim. diſc. 12. n. 12., & 13.* Eccleſiis Matricibus quoque illas aggregat, quæ comparatione inita cum aliis ejuſdem loci Eccleſiis, vel antiquitate præſtat, vel aliis honorificis prærogativis pollet, adeo ut dignitate quidem vincat alias, non tamen iſtæ ſint ei ſubjectæ tamquam filiales.

III. Primam campanarum ut ſupra pulſationem ad Eccleſiam Parochialem ſpectare, quod diximus, latis Decretum indicat, dum poſtquam definiit eamdem non eſſe *de juribus mere Parochialibus*, ſtatim addidit, *prout jacet*; per hæc enim verba illam quidem deſignat ſpectare ad Eccleſiam Parochialem, non tamen ad quamcumque, ſed ad eam dumtaxat, quatenus in loco plures Parochiales fuerint, quæ ceteris dignior eſt, *ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem*, non quidem univerſim, ſed *ad formam Conſtitutionis Leonis X.*, quæ, ut ſupra diximus, pro Civitatibus *Cathedralem* advocat, & pro Diœceſi *Matricem*, cujus ratio ſtricte ſervatur quidem in Parochialibus illis, per quarum diſmembrationem efformatæ ſunt aliæ loci Parochiales, ſed etiam in aliis, eſto non ita ſtricte, quatenus vel ſacro baptiſmi fonte fideles regenerant, vel habent Eccleſias alias ſibi ſubjectas, ſeu intra ſuæ juriſdictionis limites conſtitutas.

IV. Quoties vero plures Parochiales in loco fuerint, dignior, æquum eſt, id honoris habeat, & pro digniori itidem ſentiunt Cardinalis de Luca *de præem. diſc. 42. n. 14.*, Urſaya *Inſt. eccleſ. lib. 1. tit. 10. §. 2. num. 19.*, & Benedictus XIV. *in 2. notif. 1.*, ubi refert, quod cum in pago vulgo *del Vaſto* duæ Eccleſiæ forent æque inſignes, una ſub titulo S. Mariæ, ſub illo S. Petri altera, quarum una ex inita convention in ſabbato ſancto prius pulſabat campanas uno anno, altera viciſſim alio, ſtatim ac Eccleſia S. Mariæ in Collegiatam ab Innocentio XIII. anno 1723. erecta fuit, Sacra Congregatio Concilii inſimul eidem adjudicavit prærogativam primæ pulſationis campanarum in ſabbato ſancto, qualibet excluſa viciſſitudine. En Decretum ipſum (erit 12. cap. in ord. 352.) quod licet non exprimat, quod Eccleſia S. Mariæ ſit itidem Parochialis, dubium tamen eſſe non poteſt, quod talis ſit, alias quippe prima pulſatio indubitanter competiſſet Eccleſiæ S. Petri antecedenter ad illius erectionem in Collegiatam: *Cum Eccleſia S. Mariæ in collegiatam ab Innocentio XIII. erecta fuerit, prærogativa primæ pulſationis campanarum in ſabbato ſancto in poſterum eidem competit, excluſa qualibet pacta viciſſitudine.* Cong. Concil. 15. Martii 1727.

V. Ad exigendam Parochialitatem in digniori Eccleſia ad effectum, de quo agitur, me præſertim bina Decreta movent, quæ licet Merato teſte *par. 4. tit. 10. num. 52.* ſaltem ſub præciſis terminis, aut datis deſiderentur in Congregationis regeſtis, quia tamen, ut ceteros omittam, ab uno referuntur Gavanto *par. 4. tit. 10. num. 31. lit. h, & in man. Epiſc. verb. Campana num. 2., & in addit. num. 2.*, qui cum ejuſdem Congregationis, ſi quis unquam fuit, peritiſſimus conſultor fuerit, Auctor eſt omni exceptione major, de eorumdem authenticia nullatenus dubitandum eſſe cenſeo. Primum autem (erit 13. cap. in ord. 353.) primam pulſationem Eccleſiæ Parochiali tribuit: *Eccleſia Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine matricis, ante quam idcirco neque Regulares, neque Confratriæ poſſunt Campanas pulſare in Sabbato Sancto.* S. R. C. 9. Febr. 1608., ſed cum ſecundum (erit 14. cap. in ord. 354.) habeat: *etiamſi Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra matricem, non tamen poteſt pulſare campanas prius in Sabbato Sancto.* Ead. Congr. 23. Febr. 1619., in conſequentiam utique venit, quod ut collegiata gaudeat honore primæ pulſationis in Sabbato Sancto præ loci Parochiali, debet & ipſa matrix eſſe, ſeu parochialis.

VI. Cum in uppido Novarum Derthonenſis Diœceſis tres Parochiales adſint, & inſuper Eccleſia collegiata S. Mariæ, factæ ſunt inter Parochos earumdem Eccleſiarum, & Archipresbyterum memoratæ Collegiatæ contentiones plurimæ, & harum erat prima: *An conſtet de Matricitate Eccleſiæ collegiatæ, ſeu potius de alia titulo, aut ſpecie ſuperioritatis*, & Congregatio Concilii reſpondit: *negative quoad primam, & affirmative quoad ſecundam*; non conſtare nempe de matricitate relate ad Parochiales ceteras, quæ proinde filiales non erant, neque eidem ſubjectæ, ſed conſtare de alio titulo, ſeu ſpecie ſuperioritatis ſuper illas, quatenus nempe iiſdem dignior erat, utpote collegiata, cui propterea decretæ fuere in ſubſequentibus dubiis præeminentiæ quæque, quæ Eccleſiæ matrici competunt; & inter has ad 4. dubium reſponſio (erit Decr. 15. cap. in ord. 355.) ſequens prodiit: *An dicti Parochi poſſint in die Sabbati Sancti pulſare Campanas ante ſignum Collegiatæ? Reſp. negative.* Congreg. Concil. 3. Dec. 1718., & 7. Dec. 1720. Quatenus prædicta Collegiata non foret itidem Parochialis, jam contra nos proclamatum eſſet, qui ad effectum in Eccleſia digniori Parochialitatem exigimus, ſed nos qui abhorremus maxime correctionem legum, credere maluimus, quod ipſa quoque Parochialis ſit, nec nobis deeſt ratio plurima, quia ex 2. & 3. dubio aperte conſtat in ea eſſe fontem baptiſmalem, ad cujus benedictionem ceteri Parochi obligantur accurrere; fons autem baptiſmalis modo regulariter non eſt, niſi in Eccleſiis Parochialibus. Matricitas autem Eccleſiæ Collegiatæ denegatur dumtaxat relate ad reliquas Parochiales, quarum quidem matrix non eſt, cum ab ea per diſmembrationem non effluxerint, nec eidem ſubjectæ ipſæ ſint, licet illa prædictis Parochialibus quodammodo ſuperior ſit, quatenus dignior eſt collegiata, & inſuper matrix ſit relate ad Eccleſias ceteras intra Parochiæ limites conſtitutas, & id vel in re, vel in jure.

VII. Quod ſi in loco plures Parochiales fuerint, quarum una non ſit dignior altera, tunc attenditur major antiquitas, ita ut ex Parochialibus quæ antiquior eſt, primæ pulſationis Campanarum honore gaudeat, ceteriſque præeminentiis, quæ Eccleſiis Matricibus tribui ſolent, eſto relate ad alias Parochiales ipſa matrix minime ſit, nec illæ filiales, aut ſubordinatæ. Hinc in Monte Barutio cum tres Parochiales forent, ſcilicet S. Mariæ Magdalenæ, S. Antonii, & S. Martiani, Parocho S. Mariæ Magdalenæ, non ratione Matricitatis, ſed ſolius majoris antiquitatis adjudicatæ fuerunt prædictæ præeminentiæ; hinc ſequens (erit 16. cap. in ord. 356.) Decretum prodiit; *Conſtat de majori antiquitate S. Mariæ Magdalenæ montis Barutii, licet non de matricitate, & ideo Benedictio fontis baptiſmalis, prima pulſatio Campanarum &c. in Sabbato Sancto privative ſpectat Archipresbytero prædictæ Eccleſiæ.* Cong. Conc. 8. Martii 1732. Huc ſpectat Decretum aliud (erit 17. cap. in ord. 357.) quod refert Paſcuccius *in Compend. ad Conſult. Can. Jacobi Pignatelli par. 2. tit. de Regul.*, quodque licet Merato teſte *loc. cit.* in Regeſtis Congregationis minime reperiatur, dignum tamen eſt, hinc adducatur, cum cunctis aliis undequaque conſonet, & rem apprime explicet. Eſt autem: *Ad effectum pulſationis Campanarum in Sabbato Sancto, ſufficit probare Eccleſiam eſſe Parochialem, antiquiorem, digniorem, & majorem, ex quibus concluditur eſſe matricem.* S. R. C. 8. Junii 1641. Ex hoc namque manifeſte eruitur, quod requiritur Eccleſiam eſſe Parochialem; ceteræ autem qualitates non exiguntur copulative, ſed dumtaxat prout nos ſuperius monui-

monuimus, ita ut Eccleſia, dummodo Parochialis ſit, id juris habeat privative ad alias loci Eccleſias, etiam digniores, & antiquiores, quæ parochiales non ſunt; quod ſi etiam aliæ parochiales in loco adſint, dignior præferenda ſit antiquiori, & antiquior moderniori, quæ dignior non eſt. Quod vero ſubditur de matricitate Eccleſiæ, cui prædictæ qualitates competunt, ſolummodo procedit de matricitate late ſumpta, prout dicit quamdam ſuperioritatem, ſeu de matricitate *ad effectum pulſationis Campanarum*, ut ſe Decretum explicat.

DECRETA.

Decretum 18. cap. in ord. 358. *Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ campanæ majores, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu matrice Eccleſia. S. R. C. 21. Martii 1609.* in Maticen; 14. *Nov.* 1615. in Venuſina, & 3. *Junii* 1617. in Syracuſana. I. Opus non eſt hanc ſuper rem ulteriora verba facere, ſed ſolum curſim adnotatis iis verbis *Campanæ majores*, ut confirmemus, quæ a nobis ſuperius dicta ſunt de ſola prohibitione pulſationis Campanarum exiſtentium in turri, non autem campanularum intra Eccleſiam, properamus miſſæ ritum inſequi, unde diſcivimus. Poſtquam itaque Sacerdos Sacramentum ſumpſerit, dum ablutionem ſuſcipit, a digniori non præmiſſo crucis ſigno in choro intonatur antiphona *Alleluja* pro Veſperis, quam ipſe Chorus proſequitur, & deinde alternatim cantat pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes* cum *Gloria Patri* in fine, & poſtea eamdem repetit antiphonam. Celebrans ſumpta ablutione, adhuc planetam retinens (quia nondum eſt finita Miſſa, Gavan. *par. 4. tit. 10. ſub num. 39. lit. p.*) accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi loco antiphonæ, quæ *communio* dicitur, ſubmiſſa voce ſimiliter dicit antiphonam *Alleluja*, & pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, ſtantibus ſacris miniſtris in cornu Epiſtolæ, ut ad introitum miſſæ.

II. Finito cantu in choro, celebrans adhuc cum miniſtris ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, intonat in cantu antiphonam *Veſpere autem Sabbati*, quam chorus proſequitur una cum *Magnificat*, & poſtea repetit eamdem antiphonam; celebrans vero ſubmiſſa voce terminat prædictam antiphonam, quam præintonavit, & dum inchoatur *Magnificat*, adhuc ſtans in eodem cornu Epiſtolæ cum miniſtris ſe ſignat a fronte ad pectus de more (& omnes pariter ſignant ſe) & ſtatim cum iiſdem accedit ad medium altaris, ubi more ſolito imponit, & benedicit incenſum in thuribulo, & incenſat altare nihil dicens, ut fit initio miſſæ, ſacris miniſtris hinc inde ſtantibus, & elevantibus poſteriorem planetæ partem, & in fine incenſationis ipſe celebrans incenſatur a diacono in cornu Epiſtolæ, ſtante ſubdiacono a ſiniſtris ejus, ut in introitu miſſæ, cum quo, & non prius in eodem cornu Epiſtolæ celebrans alternatim ſubmiſſa voce proſequitur *Magnificat*, & repetit antiphonam, dum diaconus vadit ad incenſandos eos de Choro, quibus incenſatis redit ad altare, & ſtans in plano in cornu Epiſtolæ incenſat ſubdiaconum ſtantem a dexteris celebrantis in præfato cornu Epiſtolæ facie verſa ad diaconum. Incenſato ſubdiacono, diaconus ſe collocat a dexteris celebrantis in cornu Epiſtolæ in ſecundo altaris gradu, ubi facie verſa ad thuriferarium, cavens tamen, ne terga vertat Sacerdoti, incenſatur ab eodem thuriferario, qui poſtea more ſolito incenſat ceroferarios, & populum. Diaconus vero, & ſubdiaconus interim ſtant cum celebrante in cornu epiſtolæ, ut ad introitum Miſſæ, uſquedum in choro repetitur antiphona ad magnificat, circa cujus finem ſe collocant unus poſt alium retro celebrantem in recta linea, & hoc modo procedunt ad medium altaris cum eodem celebrante, qui finita antiphona a choro, & oſculato altari, ad populum converſus dicit *Dominus vobiſcum*, & proſequitur miſſam more ſolito uſque ad finem, hoc tantum notato, quod diaconus dicit *Ite miſſa eſt* cum duplici *Alleluja*. Terminata autem miſſa per Evangelium S. Joannis, accedunt de more in ſacriſtiam, ubi ſacras veſtes exuunt, & mutua ſibi invicem quaſi amplexibus gaudia paſchalia annuntiant, & idem etiam fit ab omnibus de choro, qui in Domino læti recedunt.

III. Expleta Miſſa, removentur tres candelæ arundinis cum arundine ipſa, nec amplius accenduntur, non ſic tamen eſt de paſchali cereo, qui remanet ad altare, ut diximus in Decr. 5. cap., uſque ad Aſcenſionem accendendus. Poſt miſſam Bauldryus, Gerlacus Vinitor, atque Turrinus per aliquem Sacerdotem paratum ſuperpelliceo, ſtola, & velo coloris albi cum clericis faces deferentibus, pyxidem cum SS. Sacramento ex oratorio ſecreto ad ſolitum tabernaculum reportari faciunt, & quidem bene; ſed nos nec inficiamur paulo ante nonam aſportari poſſe, ubi annuendum ſit votis populi communionem expoſcentis, quam miſſæ tempore, non prius, fidelibus diſtribui poſſe ex particulis, quæ ſuperfuerunt ex reſervatis pro infirmis, vel hac de cauſa in uberiori copia præconſecratis, alibi jam ſtatuimus. Abſit vero, nos putemus, non ſatius eſſe, communionem fieri intra miſſam, in qua propterea erit optimum aliquas particulas conſecrare, populo diſtribuendas, & in pyxide aſſervandas.

IV. Veſperarum extra chorum hodie hic erit ritus. Dicitur *Pater noſter* & *Ave Maria*, & poſtea abſolute incipiuntur ab antiphona *Alleluja*, & abſolvuntur per pſalmum *Laudate*, & canticum *Magnificat* cum oratione *Spiritum*, poſt quam additur *Dominus vobiſcum*, poſtea *Benedicamus Domino Alleluja, alleluja*, & omiſſo verſu *Fidelium animæ* dicitur *Pater noſter* & nihil aliud. Ad completorium vero, ſive in choro, vel extra, dicitur *Jube, Domne*, cum reliquis precibus, & quatuor pſalmis de more, ſed vice *Laus tibi, Domine*, ſuo loco dicitur *Alleluja*, & prædictis pſalmis nulla præmittitur antiphona, ſed finitis pſalmis ſtatim inchoatur tantum antiphona *Veſpera autem Sabbati*, qua per prædicta tria verba inchoata, ſubditur canticum *Nunc dimittis*, quo expleto repetitur tota præfata antiphona, & deinde dicitur oratio *Viſita* cum reliquis de more cum antiphona finali *Ave Regina*, quæ toto tempore paſchali recitatur ſtando.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM

De Fonte Baptiſmali.

FLumina, atque torrentes etſi quandoque ad baptiſma conferendum in Actis Apoſtolicis, & ſacris hiſtoriis aquam ſuppeditaſſe legantur, hanc tamen ſolemni ritu præconſecrandi, veterrimam Eccleſiæ ſtetiſſe conſuetudinem, uti abunde comprobant auctoritates SS. Dionyſii *de Eccl. hier. cap. 2.*, Cypriani *Epiſt. 70. ad Januarium*, Cyrilli Hieroſ. *Cath. 3.*, Baſilii *de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 26.*, atque Chryſoſt. *homil. 30. in Gen.*, ita ſolemnis ejuſdem ritus, quem in ſuo Sacramentario deſcribit S. Gregorius, acceptionem plurimam apud Dominum Deum, non minus commonſtrant, quæ tradit S. Gregorius Turonicus *lib. 1. de glor. martyr. cap. 23.* Ritum, qui ſervari debet in eadem aqua conſecranda, in præcedenti capite late deſcripſimus, quare nunc dumtaxat ſupereſt, in medium afferamus alia, quæ ad ſacrum Baptiſmi fontem attinent, & nos prætermiſimus ibidem ne tradere, ne ibi dicendis confuſionem facerent.

DECRETA.

Decretum 1. cap. in ord. 359. *Non eſt Parochorum tantum, quod juxta Sacra Canonum ſtatuta Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante Sacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſtem, baptiſmalis fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſc., & nos ipſi, præcipuas veluti cæter Pontificalis Ordinis actiones, non minori ſollicitudine commendamus. Concil. Rom. tit. 26. cap. 1. ſub Bened. XIII. 1725.* I. Primævis Eccleſiæ ſæculis ſolos Epiſcopos baptizare ſoliſſe, non eſt, quod vocetur in dubium, cum id diſerte moneat D. Gregorius *lib. 1. Epiſt. 32. ad Romanum*, & luculenta adhuc teſtimonia perſtent in baptiſteriis, quorum plurima prope, & extra Eccleſiam Cathedralem, præſertim per Italiam, reperiuntur extructa; unde Martene de antiq. Eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 11. *Primum eſt, olim in ſolis fere Cathedralibus Eccleſiis extitiſſe baptiſteria. Nam cum ſolis priſcis temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam, in quibus reſidebat Epiſcopus, Eccleſiæ baptiſteria habebant.* Et Thomaſſinus de antiq. & nov. diſcipl. Eccleſ. part. 1. lib. 2. cap. 21. n. 8. *Primis illis initiis ſolus vulgo baptizabat Epiſcopus; quare & in maximis quibuſque urbibus una erat tantum Eccleſia, fons unus baptiſmalis, quem uſum baptizandi retinet adhuc Italia.* Conſtruebantur vero *prope* Eccleſiam Cathedralem ad Epiſcoporum commodum, *extra* autem, quia per baptiſmum, ait Gregorius Turon. *lib. 5. c. 11.*, unuſquiſque ad ſacroſanctam inſinuatur Eccleſiam. Non deſunt tamen, ut Romæ in Lateranenſi Baſilica, baptiſteria iiſdem in profundo loco, ad quem per gradus deſcenditur, & denotant Chriſti ſepulcrum, cujus typus eſt baptiſmus, docente Apoſtolo ad Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum.*

II. Quotidie, ut nunc, antiqua non baptizabat Eccleſia, ſed extra neceſſitatis caſum id præſtabat ſolummodo in vigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes, quemadmodum concors teſtatur turba Doctorum, ſed qui præ ceteris referantur, digni ſunt Summi Pontifices, Siricius *Epiſt. ad Himerium*, Leo Magnus *Ep. 4. & 80.*, & Gelaſius *Epiſt. 1. c. 12.* Baptiſmi aliis temporibus iiſdem adminiſtrati non deſunt quidem monumenta plurima, unde Concilium Gerundenſe pro ſolemni baptiſmo Natalem Domini, & Paſcham deſtinaſſe refertur, & docet Nicephorus *l. 12. hiſt. c. 29.*, quod Theſſali ſolummodo paſchalibus diebus baptiſmum conferebant; ut taceam uſus plurimos, quos in Vigilia Epiphaniæ, quia hoc feſtum ad honorandum Chriſti baptiſmum conſecratum eſt, adeo conſtat incubuiſſe adminiſtrationi baptiſmatis, ut non deſint Miſſalia aliqua Romana, quæ tenent orationem *Hanc igitur*, in qua mentio fit de recens regeneratis ſacro baptiſmi fonte, dicendam in prædicto feſto, & per octavam ejuſdem; quos tamen memoravimus fuiſſe particulares dumtaxat uſus, & non Eccleſiæ communes, adeo conſtat *de conſecr. diſt. 4. cap. 12. & ſeq.*, ut ibi non nedum tempora, ideſt Paſcha, & Pentecoſtes, ad baptiſma conferendum ſtatuantur, & declarentur legitima, ſed etiam quæcumque alia aperte reprobentur, & inſimul ſtatutorum temporum rationes producantur, atque myſteria.

III. Hinc volumus, eruas, quod a prædicta oratione *Hanc igitur* Romanus Clerus in Epiphaniæ feſto omnino abſtinere debet, dum nos adnotare pergimus, quod deinde tractu temporis cœptum eſt baptiſteria condi intra Eccleſiam ad lævam prope veſtibulum, ut de eo, in quo Rex Clodoveus baptizatus fuit, teſtatur idem Gregorius Turon. *lib. 2. cap. 31.*, ubi & collocari laudant Acta Eccl. Mediol. par. 1. *In Eccleſiæ*

ingreſſu

ingreſſu collocatus ſit fons baptiſmalis, iſque a ſiniſtra ingredientium parte, niſi quibus in Eccleſiis pro ſitus ratione illum ab altera parte collocandum Epiſcopus judicarit. Id autem fieri cœptum eſt tempore Concilii Meldenſis, quo & cuilibet Parochiæ ſuus aſſignatus eſt fons baptiſmalis; percrebeſcente enim fidelium copia, & propagata religione neceſſe fuit, etiam percrebeſceret multitudo fontium, & baptizantium, fieretque libera facultas baptizandi quotidie, cum non poſſent omnes in Vigiliis Paſchæ, & Pentecoſtes reſervari baptizandi ab uno Epiſcopo.

IV. *Sed quamvis Eccleſia hoc tempore propter communis vitæ pericula, eam conſuetudinem* (baptizandi ſcilicet tantummodo in Paſchate, & Pentecoſte) *retinendam non judicarit, tamen ſolemnes illos dies Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus baptiſmi aqua conſecranda eſt, ſumma cum religione adhuc obſervavit*, ſunt verba Catechiſmi Romani *cap. 2. de ſacr. bapt. num. 61.*, per quæ & edocemur cauſam alteram, ob quam deſitum eſt ab adminiſtrando baptiſmate dumtaxat in Paſchate, & Pentecoſte, & nihilominus retinetur antiquus uſus ſolemni ritu conſecrandi iiſdem diebus baptiſmalem aquam, quamvis nulli ſint, qui tunc temporis habeantur baptizandi. Hinc uber elucet ratio, ob quam Parochis, quibus conceſſus eſt fons baptiſmalis, per prælicos Decretum bis ut ſupra in anno item committitur benedictio ejuſdem fontis, & ſolemnior ſacri adminiſtratio baptiſmatis, quem ad effectum infantes aliquos a proxime præcedentibus octo diebus reſervare quidem poterunt hac occaſione baptizandos, non ita tamen, ut ſi hi deſint, illi propterea a benedictione fontis debeant abſtinere; unde Miſſale Romanum abſolute quidem Eccleſiis omnibus, ubi eſt fons baptiſmalis, demandat benedictionem fontis, non tamen adminiſtrationem baptiſmatis, ſed hanc dumtaxat ſub conditione: *Si adeſſent baptizandi, eos baptizat more conſueto*; & conſimilia verba ſimiliter tenet Cœrem. Epiſc. *lib. 2. cap. 27. & 28.* Equidem illa Sabbata potiori jure ad baptiſmum adultorum conſecrata videntur, & hæc eſt cauſa, ob quam legi prophetias diximus, ſed ſi adulti baptizandi deſint, non propterea deſiſtendum eſt etiam nunc a reſervatione aliquorum puerorum, ut verificationem ſuſcipiant, nedum relate ad veterem, ſed etiam ad nunc vigentem Eccleſiæ diſciplinam, ea verba canonis, in quibus mentio fit de noviter baptizatis.

V. Quæ dicta itidem eſſe volumus de Parochiis illis, in quibus defectu cantorum, & miniſtrorum benedictio fontis ſolemniter haberi non poteſt; Benedictus enim XIII. functiones omnes hebdomadæ majoris, inter quæ dubio procul enumeratur & benedictio fontis, in Parochialibus omnibus habenda eſſe decrevit, etiam ſine numero cantorum, vel miniſtrorum, ubi ob horum defectum ſolemniter haberi non valent. Anno pariter 1725. cœremoniale quoddam pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit, ac ſervari mandavit, in quo idipſum ſtatutum remanet pro die Purificationis, feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, feria V. VI., & ſabbato majoris hebdomadæ.

VI. Hæc autem omnia non procedunt taxative, nec conceſſive pro Parochiis, quibus non plus juris ſit, quam iiſdem competat ex vi Ritualis Romani. Non procedunt *taxative*, quia dantur Eccleſiæ baptiſmales, quæ non ſunt Parochiales, unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform.* disjunctive ait; *Eccleſiis parochialibus, vel baptiſmalibus*; quis autem unquam aſſereret, Eccleſias, quæ baptiſmales ſunt, etſi non parochiales, per producta Decreta privari jure benedicendi fontem in præfatis ſabbatis? Non procedunt *conceſſive*, concedendo nempe jus fontis baptiſmalis Parochiis omnibus, ita ut etiam illæ, quæ carent fonte, modo poſſint eumdem erigere; non enim Eccleſia Parochialis continuo eſt baptiſmalis, etiam reſpectu ſuarum ovium, quemadmodum magis patebit infra. Huc itaque ſpectat Rubrica Miſſalis, quæ benedictionem fontis faciendam edicit, non in Parochiis omnibus, ſed in Eccleſiis, *in quibus eſt fons baptiſmalis*, & omittendam, ubi non eſt; quare Eccleſiæ omnes, ſive Parochiales ſint, vel non, debent quidem prædictam benedictionem facere, ſi fontem baptiſmalem habeant, eam vero prorſus omittere, ſi fonte careant ſive Parochiales ſint, ſive non.

VII. Si non in materialibus verbis, certe in ſenſu concordat Rituale Romanum, juxta quod *propriae baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia*, non Parochialis univerſim ſed *in qua eſt fons baptiſmalis, vel certe baptiſterium prope Eccleſiam*, quare dubium non eſt, quod dum præſens Decretum habet, *Non eſt Parochorum tantum, quod juxta ſacra canonum ſtatuta Rituali Romano ſtatuitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno &c.* profecto non plus juris facit Parochis, quam quod iiſdem competit ex Rituali Romano; adeoque Parochi, quorum Eccleſiæ intus habent, vel prope Baptiſterium, poſſunt quidem, & debent bis in anno, in utroque nempe ex præfatis ſabbatis, aquam baptiſmalem conſecrare, quod cum plurimi facere prætermitterent, iiſdem canonum obligationem memorat, ſed non propterea Parochi, quorum Eccleſiæ carent ut ſupra fonte, poſſunt hunc erigere, aut ad benedictionem aquæ procedere, licet idem Decretum indiſtincte alloquatur Parochos, eo quod modo fere quæque Eccleſiæ Parochiales baptiſmali fonte non carent. Non autem aliud volunt ſubſequens cœremoniale, & Decretum Benedicti XIII., de quibus ſupra, maxime cum non ſint, niſi conſecutiva, & executiva ſanctionis, quam ipſe edidit in Concilio Romano.

VIII. Abſit, nos igitur favorem fontis, vel benedictionis ejuſdem putemus fieri Parochiis eorum locorum, quæ veteri conſuetudini, & Eccleſiæ diſciplinæ adhærentia, unum dumtaxat fontem in Cathedrali, vel Matrice Eccleſia retinent, in quo baptizantur infantes omnes totius Urbis, vel Parochiarum inferiorum, cujuſmodi eſt Bononienſis Civitas in Italia. Idipſum conſequenter erit de Civitate Ferrarienſi, & aliis id genus, vel ſimilibus, quæ in tota Urbe, vel loco duos, vel determinatos habent fontes, in eo ſolum laxata veteri diſciplina, in quo nunc obſervatu eſt fere impoſſibilis, quia videlicet non ſolum in prædictis duobus ſabbatis baptiſmum conferunt, ſed etiam per annum a baptizando non abſtinent, licet per octo præcedentes dies infantes baptizandos, dum agunt benedictionem fontis, reſervare ſoleant, ut ſic & præſentis Eccleſiæ exprimatur finis, & illius cœremoniæ deſignetur antiquitas.

IX. Huc ſpectat Decretum, quod Fagnanus *in cap. cum contingat num. 26. de Decim.* teſtatur a Sacra Congregatione in cauſa Urbinaten. fuiſſe editum: *cenſuit Sacra Congregatio in omnibus Eccleſiis Parochialibus debere eſſe fontem baptiſmalem, niſi eſſent in aliquibus ſpecialiter Eccleſiis deputati fontes baptiſmales, quæ matrices, vel baptiſmales Eccleſiæ vocantur, ita ut fiat diſtinctio matricum Eccleſiarum ab aliis receptis.* Quæ ſubdimus (erunt 2., & 3. cap. in ord. 360. 361.) idipſum Decreta denotant, dum facultatem faciunt accedente conſenſu Epiſcopi, & non jam jure Parochialitatis declarant competere: *Gratia petita erectionis Fontis baptiſmalis concedi poteſt, de conſenſu tamen Ordinarii, & intereſſe habentium.* Congr. Concil. 7. Janu. 1640. *ſuſtinetur erectio Fontis baptiſmalis in caſu.* Ead. Congr. 22. Junii 1720. Caſus autem erat, quo Epiſcopus jam Parochianorum precibus annuerat, immo pro erectione fontis Decretum ediderat, ea præcipue de cauſa, quod in caſtro nullus fons baptiſmalis aderat, & infantes ad aliam Eccleſiam pro baptiſmo aſportari ſolebant, ad quam via quandoque propter nives erat invia. Diſtantiam vero, & magnam populi incommoditatem eſſe ſufficientem cauſam nedum erectionis novi fontis in Parochialibus Eccleſiis, ſed etiam diſmembrationis, & erectionis novæ Parochiæ, ſacra Congregatio Concilii cenſuit Decretis plurimis. Quæ gratia erectionis novi fontis, cum etiam poſt editum Romanum Concilium, & laudatum Decretum Benedicti XIII., ut ab ead. Congr. 21. Junii 1732., & 21. Nov. 1732., ſæpe negata fuerit, & aliquando conceſſa Parochialibus ipſis Eccleſiis, dubium quodvis tollitur, quod Parochialibus Eccleſiis non continuo liceat erigere baptiſmalem fontem, ubi ex veteri diſciplina unus dumtaxat, vel alter habetur, non obſtantibus Concilio Romano, & laudato Decreto Benedicti XIII. de anno 1725.

Decretum IV. cap. in ord. 362. *Conceſſo baptiſmali fonte alicui Parochiali Eccleſiæ, in qua non aderat, ad eam privative ſpectat baptizare ſuos Parochianos, nec hos amplius licet Cathedrali Eccleſiæ, aut alteri, in qua baptizari ſolebant, intingere ſalutis aqua. Congr. Concil. 14. Nov. 1733., & 20. Martii 1734.* I. Fabriani quatuor exiſtunt Parochiales Eccleſiæ, quarum duæ dumtaxat ab antiquo tempore habebant fontem baptiſmalem, Cathedralis nempe, & Collegiata, & harum Parochi ſacro baptiſmo inaugurare ſolebant infantes in ceteris quoque Parochiis ortos. Anno 1729. Parochialis S. Blaſii erexit quoque fontem baptiſmalem, hinc facta contentione inter Cathedralem, & eamdem Parochialem, duo dubia propoſita fuere decidenda. Primum eſt: *An erectio prædicta ſuſtinenda eſſet*; ſecundum vero; *an liceat Parocho Cathedralis in ea baptizare natos in alienis Parochiis, etiam fontem baptiſmalem habentibus; ſeu potius ſpectet privative ad unumquemque Parochum, habentem fontem in ſua Eccleſia, baptiſmum conferre propriis Parochianis.* Die 21. Junii 1732. ad primum reſponſum fuit *negative*, & ad 2. *ſervandum eſſe ſolitum*; hinc ſequitur, quod in Eccleſia S. Blaſii deſtrui debebat fons baptiſmalis, & conſequenter quod infantes in eadem Parochia nati, uti & in altera, quæ carebat fonte baptiſmali, baptizandi erant vel in Cathedrali, vel Collegiata, ad quarum illam ultro Parentes eos deferebant.

II. Die 27. Sept. 1732. repropoſita fuit cauſa, in qua cum nulla capta fuerit reſolutio, die 22. Nov. ejuſdem anni quoad primum Sacra Congregatio a deciſis recedendum eſſe cenſuit, & Parochiæ S. Blaſii fontem conceſſit, quoad ſecundum vero reſpondit *Dilata*, ſeu reſolutionem diſtulit. Controverſia novæ diſcuſſioni fuit ſubjecta die 2. Maji 1733., & eadem Congregatio quoad primum *ſtetit in ſecunda jam deciſis*, ſeu 27. Sept. 1732., idest cenſuit iterum pro conceſſione fontis, & reſolutioni adjecit dictionem *amplius*, cujus vis eſt, ut ſuper hoc non eſſet amplius diſceptandum. Quoad ſecundum autem datus fuit terminus ad deducenda jura, quæ deducta quidem fuerunt die 29. Sept. 1733., ſed cum nulla capta tunc fuerit reſolutio, hæc ſub his terminis prodiit 14. Nov. 1733. *Prævio receſſu a deciſis negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam*: ſenſus autem eſt, quod non amplius attendenda ſit deciſio 21. Junii 1732., ſed quod ſpectet ad unumquemque Parochum proprios baptizare Parochianos. Quod confirmatum extitit die 20. Martii 1734. cum dictione *& amplius*, cujus vim jam ſuperius deſcripſimus.

III. Mutata itaque rerum conditione, hoc eſt inſtituto, & conceſſo in Eccleſia Parochiali S. Blaſii fonte baptiſmali, etiam mutata etiam extitit diſpoſitio, atque ſublata contraria conſuetudine declaratum, quod quiſque Parochus habens fontem baptiſmalem, infantes in ſua Parochia natos aqua ſalutis reſpergat, ut ſic ſinguli Paſtores ſuas cognoſcant oves, quæ

per baptiſmum in Chriſti gregem cooptantur, & in Eccleſiæ ſinum accipiuntur, quemadmodum advertit Rota *in Romana juris baptizandi* 12. *Januarii* 1733. *coram Samminiato*. Id ſuadet etiam ratio, tum quia a propriis Parochis facilius dignoſcuntur, qui ex juſtis nuptiis procreati ſunt, ut tamquam tales in librum Parochialem referantur; tum quia ab iiſdem majori vigilantia impediri poteſt Parentum procraſtinatio in deferendis filiis ad Eccleſiam pro ſpirituali regeneratione. Accedit, quod id quoque magis conſentaneum eſt Tridentino *cap.* 13. *ſeſſ.* 24. *de Reform.*, ubi præcipit Epiſcopis, *ut pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, diſtincto populo in certas, propriaſque Parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo ſolo licite ſacramenta ſuſcipiant*. Ex eo autem facilius ſublata extitit conſuetudo, cui innitebatur Cathedralis eſſe inſiſtendum, quia communis illa erat etiam Eccleſiæ S. Nicolai, in qua promiſcue baptizabantur item infantes in alienis Parochiis nati.

IV. Secus dicendum eſt de regionibus illis, in quibus etſi conceſſa ſit pluralitas fontium, id honoris per longævam conſuetudinem, vel particulares ſynodos defertur primævo baptiſterio Matricis, ut licet per annum in reſpectivis Parochiis a propriis Parochis baptizentur infantes, a ſabbato tamen ſancto ad Dominicam in Albis, & a vigilia Pentecoſtes ad ſequens ſabbatum, ad illud baptizandi deferuntur infantes omnes, etſi intra alicujus urbanæ reſpectiva, vel ruralis filialis fines nati ſint; unde Acta Eccl. Mediol. *Si qui infantes intra alicujus urbanæ Parochialis Eccleſiæ fines a ſabbato ſancto uſque ad ſabbatum in Albis, & a ſabbato item vigiliæ Pentecoſtes uſque ad ſabbatum proximum nati, baptizandi ſunt, ad Cathedralem Eccleſiam, cui pro obſervantiæ officio, proque veteris inſtituti uſu, ſatis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur*. Conſimilia verba tenet Kalendarium Eccleſiæ Cremonenſis in ſabbato ſancto, & vigilia Pentecoſtes, & Concilium Provinciale allegat cap. 26., & Synodum Illuſtr. Sfrondati *col.* 7. Indubie enim Parochi iſtarum Eccleſiarum, & qui ibi de novo inſtituerentur, aut fieret indultum fontis baptiſmalis, quo antea carebant, juxta loci conſuetudinem, aut particulares ſynodos abſtinere deberent ab adminiſtratione baptiſmi, non obſtantibus productis Decretis, quæ non procedunt derogando particularibus juribus, vel conſuetudinibus privativis, ſed magis lata ſunt in obſervantiam antiquæ diſciplinæ, adeoque ſine minimo præjudicio baptiſterii Eccleſiæ Matricis. Par autem ratio non eſt de præſenti Decreto, cujus caſus non erat pro conferendo baptiſmo infantibus ortis in aliena Parochia pro aliquibus tantum temporibus, ſed in omnibus indiſtincte, quod ægre compati ſimul poterat cum conceſſione fontis baptiſmalis, qui Eccleſiæ prædictæ S. Blaſii noviter indultus fuerat.

Decretum V. cap. in ord. 363. *Benedictio fontis baptiſmalis non eſt de juribus mere Parochialibus, ſed fieri debet a Parochis*. *S. R. C.* 10. *Dec.* 1703. *approbante Clem. XI.* 12. *Jann.* 1704. I. Ad dirimendas controverſias inter Parochos, & Laicorum Confraternitates cum præſens ſanctio prodierit, eum ſenſum reddit, quod benedictio fontis baptiſmalis fieri quidem nequit a Cappellanis Confraternitatum, ſed fieri debet a Parochis, non ita tamen, ut his privative competat, aut eorumdem omnibus. Non omnibus, quia Eccleſiæ Parochiales non continuo baptiſmales ſunt, nec baptiſmales Parochiales, cum dentur Parochiales, quæ carent fonte baptiſmali, nec deſint baptiſmales, quæ non ſunt Parochiales; quare licet in Eccleſiis Parochialibus ſimul & baptiſmalibus ad Parochum ſpectet benedictio fontis, non tamen in Eccleſiis baptiſmalibus non Parochialibus, in quibus ad eum ſpectat, cui commiſſa eſt adminiſtratio baptiſmatis. Hinc ſequitur, quod ad Parochos nec privative ſpectat, & ne quidem in Eccleſiis Parochialibus ſimul & baptiſmalibus, nam ſi hæ itidem chorales ſint, Eccleſiæ clero attinet benedictio fontis, non ejuſdem Parocho, unde Rota *in Milevitana Parochialis* 19. *Febr.* 1680. coram Guaxardo *deciſ. recent. par.* 18. *deciſ.* 400. *num.* 3. definiiſſe refertur, quod benedictio fontis non pertinet ad Vicarium perpetuum Eccleſiæ Collegiatæ, ſed ad Canonicos.

II. Hæc autem omnia aperte conſonant cæremoniali Epiſc., quod *lib.* 2. *cap.* 28. id muneris non aſſignat Cathedralis Parocho, ſed *Canonico vel alteri, qui eris officium facturus*. Non ſecus ſentiunt Rubricæ Miſſalis, quæ nulla Parochi mentione facta (cui tamen benedictionem fontis committere debuiſſent, ſi ad eum privative ſpectaret) *Sacerdotem* ſimpliciter nominant, quem prius faciunt procedere ad benedictionem ignis, & cerei, atque ad ſubſequentes prophetias, quibus expletis, ſi Eccleſia habeat fontem baptiſmalem, hujus benedictionem adhuc *eidem Sacerdoti* committunt, uti & ſubſequentes Litanias, & Miſſam. Hinc habes, ad quos trahat limites præcedens Decretum, quod propterea, dum per Parochos bis in anno benedictionem fontis faciendam eſſe mandat, ita accipiendum eſt, ut bis quidem illa fieri debeat in Parochialibus Eccleſiis fontem baptiſmalem habentibus, ſive poſtea ea fiat a Parocho, vel ab Eccleſiæ clero.

Decretum VI. cap. in ord. 364. *Parochi Eccleſiarum filialium tenentur accedere ad benedictionem fontis in die ſabbati ſancti ad matricem*. *Congreg. Concil.* 17. *Nov.* 1691. in Savonen. I. Quod in Cathedrali Canonici, & alii de clero aſſiſtere debeant benedictioni fontis, ſtatutum eſt in cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 27., & 28., pro ceteris vero Eccleſiis Miſſale exigit interventum cleri, Miniſtrorum paratorum, atque aſſiſtentium Sacerdotum. Horum qui veniant nomina, Benedictus XIV. *to.* 1. *notif.* 1. ex plurimis Decretis ſacrarum Congregationum, quæ Braſchus congerit *in ſuo promptuario ſynodali cap.* 5. *n.* 29., *& ſeq.*, hæc tamquam deciſa refert. Quod videlicet in Cathedrali, ſive benedictio fiat ab Epiſcopo, vel ab altero, nedum debeat aſſiſtere clerus ipſius Cathedralis, ſed etiam Parochi, aliique Sacerdotes, & clerici, qui ab Epiſcopo vocati fuerint. Quod ſi benedictio fiat in Eccleſiis plebanis, aſſiſtant Parochi Eccleſiarum filialium, & quatenus baptiſmalis Eccleſia nullas Parochias ſubordinatas habeat, numquam benedictio fiat abſque interventu, & aſſiſtentia aliquorum Sacerdotum, & clericorum; id enim obſequii ab inferioribus Eccleſiis, æquum eſt, præſtetur matrici, in qua olim dumtaxat aderat fons baptiſmalis, & certe exigit actionis gravitas. His omnibus præſens addit Decretum, ex quo rite infert præciſam Parochorum inferiorum obligationem accedendi ad Matricem pro benedictione fontis.

II. Quæ omnia uberem confirmationem ſortiuntur a poſterioribus Decretis, quorum duo producuntur, (& erunt 7., & 8. cap. in ord. 365. 366.) *Vicarii Parochialium inferiorum tenentur in die ſabbati ſancti accedere ad Eccleſiam Archipreſbyteralem, & aſſiſtere benedictioni fontis*. Congr. Concil. 15. Maii 1717., & 23. Julii 1718. *Parochi Eccleſiarum inferiorum tenentur in ſabbato ſancto accedere ad Eccleſiam matricem, vel gaudentem ſpecie ſuperioritatis, & præſtare per ſe, vel mediantibus eorum deputatis aſſiſtentiam perſonalem benedictioni fontis*. Ead. Congr. 22. Junii 1720. Hæc autem aperte nedum obligationem ſtatuunt in Parochis Eccleſiarum filialium relate ad Eccleſiam Matricem, ſed etiam in Parochis Eccleſiarum inferiorum reſpective ad Eccleſiam, quæ licet vere Matrix non ſit, ſuper alias tamen aliqua gaudet ſuperioritatis ſpecie. Cum itaque in hoc conſtans ſit Congregationis mens, nullatenus ambigendum eſt de Parochorum inferiorum onere, & ſolum dubium ſupereſt de iis Parochis, qui cum gaudeant proprio fonte, ad hujus benedictionem juxta poſtmodum ſtatuta a Benedicto XIII., & in primo Decreto relata, videntur adſtricti; ſi enim ad proprii fontis benedictionem debent procedere, quomodo poſſunt unquam ad Matricem pergere pro aſſiſtenda benedictioni, quæ in ea peragitur?

III. Ejuſmodi Parochos ab obligatione ut ſupra accedendi ad Matricem, Acta Eccl. Mediol. videntur abſolvere; poſtquam enim Parochis prædictam obligationem injunxere, mox eorumdem illos excipiunt, qui ab Epiſcopo conſecuti ſunt facultatem benedicendi fontem in ſuis Eccleſiis: *Hoc autem Decreto adſtrictos non teneri ſtatuimus illarum Eccleſiarum, etiam quæ Parochiales tantum ſunt, Rectores, quibus vel ob locorum longinquitatem, vel ob aliam juſtam cauſam Epiſcopus facultatem, ſcripto exaratam, dare fontis baptiſmalis in illorum Eccleſiis ſolemniter benedicendi*. Si autem ita eſt in Mediolanenſi Eccleſia de Parochis, qui facultatem benedicendi proprium fontem ab Epiſcopo conſecuti ſunt, quidni ſimiliter erit de Parochis univerſæ Eccleſiæ, quos in prædictis duobus ſabbatis ad benedictionem proprii fontis Benedictus XIII. declarat adſtringi, quinimmo in laudato cæremoniali ipſemet obligat, etſi careant cantorum copia, vel Miniſtrorum, ut ſolemniter fiat?

IV. Si non quoad benedictionem fontis, quæ in Eccleſia Bononienſi privativa Metropolitanæ Urbis convenit, quoad benedictionem ignis, cerei, aliaſque functiones ſacras, quæ non minus Parochialibus quibuſvis Eccleſiis a Benedicto XIII. ut ſupra demandantur, conſimile dubium excitat Benedictus XIV. *to.* 2. *notif.* 19., & illas quidem omnes a Parochis Eccleſiarum filialium, vel inferiorum ſtatuit eſſe faciendas, ſed inſimul eorumdem adſtringit Parochos ad aſſiſtendum in Matrice benedictioni fontis, ut ſic & ſuo ſatisfaciant muneri, & Benedictino pareant præcepto, & tamen conſuetum aſſiſtentiæ obſequium erga Matricem non ſubtrahant. Quod ſi ob longitudinem, vel aliam juſtam cauſam ſit moraliter impoſſibile, vel admodum difficile, quod utrumque præſtent, de conſenſu Vicariorum foraneorum permittit quidem, quod alium Sacerdotem, qui eorum nomine ut ſupra in Matrice aſſiſtat, ſubrogare valeant, hac tamen lege, quod ſubſtitutus non ſit alter Parochus, vel Sacerdos alias accedere obligatus, ut non deſint tot Sacerdotes aſſiſtentes, quot ſunt Parochi, qui deberent aſſiſtere.

V. Quadrat admodum iſta agendi ratio, & cum quæque Decreta integre ſervat, & unicuique jus ſuum attribuat, apparet digna, quæ ubique deducatur ad praxim. Si namque adhuc poſt memorata Decreta Benedicti XIII. ita eſt quoad prædictas benedictiones ignis, & cerei in Bononienſi Eccleſia, cujus matrici ſoli benedictio fontis privative ſpectat, quidni ſimiliter erit in ceteris Eccleſiis, quæ baptiſmali fonte non carent, etiam quoad benedictionem fontis, ita ut hanc quidem cum reliquis functionibus in ſuis Eccleſiis ſic opportune, & tempeſtive peragere debeant, ut ſimul ad matricem accedere valeant ad aſſiſtendum benedictioni fontis, niſi quibus Epiſcopus ob longinquitatem, vel aliam juſtam cauſam ſubſtituere indulſerit, aut cum iiſdem diſpenſare judicaverit? Ut namque ſuperius dicebamus, Bened. XIII. nihil novi præſcribit, ſed ſolum Parochis obligationem memorat, quæ ipſis competit ex vi Sacrorum canonum, & Ritualis Romani; quare ſi his non obſtantibus, quæ dedimus, prodiere Decreta, quæ inferiores Parochos obligant ad aſſiſtentiam in matrice, vel quaſi matrice, evidens fit argumentum, quod ita Parochi inferiorum Eccleſiarum ex vi ſacrorum canonum tenentur ad benedictionem proprii fontis, aliaſque ſacras functiones Sabbati Sancti in propriis Eccleſiis, ut ſimul in matrice ut ſupra aſſiſtere adſtricti ſint. Et maxime quia idem Benedictus XIII.

non

non derogat laudabilibus conſuetudinibus, & juri obſervantiæ, quod matricibus Eccleſiis non tam honeſtatis, & æquitatis, quam antiquiſſimæ, & coævæ præſcriptionis titulo competit, atque debetur, quibuſque in tuendis totæ ſunt Eccleſiaſticæ ſanctiones quæque.

VI. Quæ ex eo lubentiores dedimus, quia etiam poſt memorata Decreta Bened. XIII. eadem conſtans mens Congregationi ſtetit. Nam cum exorta contentio foret inter Archipresbyterum S. Patrignani, & Parochum S. Laurentii in Corregiano ſuper matricitate Eccleſiæ, & ſuper obligatione intereſſendi benedictioni fontis, die 28. Janu. 1731. poſtquam ſtatuerat conſtare de matricitate Eccleſiæ Archipresbyteralis ad effectum, de quo agitur, ſtatim teneri definit Parochum S. Laurentii ad intereſſendum vel per ſe, vel per alium benedictioni fontis in Eccleſia Archipresbyterali. Qua ex definitione ſequens (erit 9. cap., in ord. 367.) generale efformatur Decretum: *Parochi Eccleſiarum filiarum, vel inferiorum cogi poſſunt ad intereſſendum in matrice, vel quaſi matrice benedictioni fontis die Sabbati Sancti, & Pentecoſtes*. Cong. Conc. 28. Julii 1731. Hinc autem ſicuti apparet obligatio Parochorum inferiorum ad aſſiſtendum in matrice, ita quod non tenentur aſſiſtere per ſe, ſed per ſe, vel per alios, quod & definitum vidimus in producto Decreto 22. Junii 1702., quare in univerſali Eccleſia nedum illi, quibus alios deputare ab Epiſcopo ſpecialiter conceſſum fuerit, poterunt alios ſubſtituere, ſed Parochorum quique, dummodo tales perſonas ſubſtituant, quæ alias accedere non ſint adſtrictæ, ne minuatur eorum numerus, qui intereſſe ſunt obligati.

VII. Dices: Functiones Sabbati Sancti a Miſſali *hora competenti, & dicta Nona* fieri mandantur; hoc autem præſtari non poſſet, ſed fieri deberet valde diluculo, ſi Parochi poſt eaſdem functiones in ſuis Eccleſiis habitas, Matricem deberent petere ad aſſiſtendum benedictioni fontis. Verum qua hora juxta primævam inſtitutionem, & ſecundum moderniorem probatam conſuetudinem dici poſſit, aut debeat hora nona officii canonici, non eſt modo conemur oſtendere, cum late a nobis definitum fuerit in tom. 1. cap. 38., ſed ſolum ex ibi dictis advertimus, quod in Sabbato Sancto anticipatur tempus dicendæ horæ nonæ, ut fiat commodum ſpatium abſolvendi ſequentes longiores functiones ante meridiem. Anticipatur autem ex indulto ipſius Rubricæ, quæ hodie præ ceteris diebus horas canonicas, etiam Nonam ipſam, *hora competenti*, dicendas eſſe præſcribit, ut nempe hinc deſignetur horam nonam hodie dicendam non eſſe hora conſueta aliarum dierum; ſed tali hora, quæ relinquat ſpatium, atque commodum pro abſolvendis ceteris functionibus ejuſdem diei tempore congruo. Quod ſi ex indulto Rubricæ ut ſupra anticipatio fieri indulgetur, & adhuc major facienda foret, ſi plures haberentur baptizandi, cur adeo congrua fieri etiam non poterit anticipatio in Parochialibus inferioribus, quæ relinquat Parocho commodum agendi prædictas functiones in propria Eccleſia, & in matrice aſſiſtendi benedictioni fontis? Nonne fient adhuc hora reſpectiva competenti?

VIII. Plus negotii videtur faceſſere, quod Miſſa hujus diei adnexas habet veſperas, quæ non videntur aptæ ſuſtinere anticipationem adeo magnam. Verum cum veſperæ officium diei ſint, non noctis, ſicuti in diebus jejuniorum, & non jejuniorum tantam paſſæ ſunt anticipationem, qualem deſcripſimus in to. 1. cap. 38. & 39., ita nihil vetat, majorem hac die præ ceteris ſuſtinere anticipationem. Id autem ex eo lubenter dicimus, quod hodiernæ veſperæ veræ veſperæ non ſunt, ſed magis juxta vetuſtiorem Eccleſiæ diſciplinam gratiarum actio, unde dicebantur olim poſt mediam noctem, & quando nimis etiam tarda erat hora pro recitandis primis duobus nocturnis matutini; quanto autem magis hodie ſupra anticipari poterunt, cum talis anticipatio, ſi juſta adſit cauſa, qualis eſt, de qua agimus, nedum fiat intra fructuoſum, ſed etiam tempus licitum. Rem concludat Decretum quoddam S. R. C., quod ex Joanne Alcozer, atque Gavanto Meratus refert *in ſuo Indice n. 296.*; in eo namque cavetur, quod poteſt tardius recitari hora tertia, ut populus, ubi ob terræ frigiditatem tarde venit ad Eccleſiam, aſſiſtere valeat Miſſæ ſolemni de feſto, quam præſtat cantari poſt tertiam, ita anticipari ut ſupra poterunt hora nona, & veſperæ, ut Parochi utrumque munus præſtare valeant, faciendi ſcilicet functiones Sabbati in propria Eccleſia, & aſſiſtendi in matrice benedictioni fontis. Quod ſi anticipatio adeo multa iiſdem minus arrideat, profecto habent, unde omnia ſuo agant tempore abſque anticipatione ulla, faciendo ſcilicet functiones ſacras hora præſtituta in ſuis Eccleſiis, & ſubdelegando Sacerdotem alium ad aſſiſtendum in matrice; hac enim, atque conſimili de cauſa per Sacram Congregationem facultatem ſubdelegandi iiſdem factam fuiſſe credimus.

IX. Parochi itaque Eccleſiarum filialium, vel inferiorum, etſi in propria Eccleſia conſecrent, & conſecrare teneantur baptiſmalem aquam, adhuc immunes minime ſunt ab onere aſſiſtendi in matrice, vel quaſi matrice benedictioni fontis, per ſe tamen, vel ſuos delegatos. In tribus id fallit caſibus, & primo ubi aliter fert conſuetudo loci, quæ potiſſimum hac in re ſervanda eſt. Secundo ſi ſecus diſponant Conſtitutiones Synodales, vel provinciales, quæ tamquam municipales leges obligare, & ſolvere aptæ ſunt proprios accolas. Tertio ſi cum aliquibus juſta de cauſa diſpenſet Epiſcopus, & prout diſpenſare judicaverit. Quibus ſub limitationibus conſimilem aſtruimus obligationem in iiſdem Parochis pro vigilia Pentecoſtes. Quod autem adnotatur, dignum eſt, quod modo matricis nomine non venit, uti quando agitur de prima pulſatione Campanarum, Eccleſia, quæ in eodem loco ſuper ceteras ſuperior eſt, ſed quæ talis eſt in toto plebanatu.

Decretum X. cap. in ord. 368. *Curatus Regularis debet juxta ſolitum ad aſſiſtendum in matrice benedictioni fontis accedere, indeque aquam accipere, projecta in ſacrarium ea, quam ipſe contra ſolitum benedixerat. Congreg. Epiſc. & Regul. 6. Septemb. 1625.* I. Aliam agendi rationem præſens nobis ſuggerit Decretum, earum nempe mundi plagarum, quarum Parochis uſus quidem eſt ad matricem accedere ad aſſiſtendum benedictioni fontis baptiſmalis, ſed poſtea ipſi proprium fontem particulariter non benedicunt, ſed ex matricis fonte aquam conſecratam ad proprium fontem aſportant, eaque utuntur in adminiſtratione baptiſmi. Conſimilis uſus meminit Macrus verb. *baptiſterium*, qui fortaſſe rem ſolum clarius explicat, quatenus addit, quod prædictam aquam proceſſionaliter ad ſuas Eccleſias deferunt, ibique eam commiſcent, aliam addentes aquam. Contempto laudabili ejuſmodi uſu, cum Curatus quidam Regularis ad matricem neglexiſſet accedere, & a baptiſterio matricis aqua minima aſportata, proceſſiſſet ad proprii fontis benedictionem, delata res fuit ad Sacram Epiſc. & Regul. Congregationem, quæ ita ſolitum ſervandum eſſe mandavit, ut nedum prædicti acceſſus injuncto onere eumdem e matrice juxta ſolitum aquam baptiſmalem aſportare coegerit, ſed neque permiſerit uſum aquæ ab ipſo conſecratæ, quæ propterea in ſacrarium projicienda mandatur. Æquum namque eſt, ut Regulares, qui Parochorum honorem ſuſtinent, & officium, ſuſtineant quoque onera, & actiones, ad quas non minus, ac Curatos ſæculares, teneri jamdudum definiverat eadem Congregatio 18. April. 1599., & iterum declaravit 20. Martii 1646.

II. Ubi viget ejuſmodi uſus, haud dubitamus adhuc integre eſſe ſervandum non obſtantibus, quæ ſæpe memoravimus, poſterioribus Decretis Benedicti XIII., per quæ, ut dicebamus, nulla fit derogatio particularium conſuetudinum, quæ antiquæ diſciplinæ obſervantiam ſapiunt, vel Matrici Eccleſiæ obſequium præſtant, ſed ſolum Parochis demandatur benedictio proprii fontis, prout ſacri præſcribunt canones; quare ſi nihilominus præſens prodiit Decretum, quod ſolitum ſervari mandat, profecto opus eſt, prædicto uſui haud obſiſtant Sacri Canones, & per conſequens neque Decreta poſteriora Benedicti XIII., quæ nonniſi executionem Sacrorum Canonum, & Ritualis Romani demandant. Et quidem Decreta Benedicti XIII. nonniſi obligant Parochos ad binam in anno conſecrationem proprii fontis, quod certe præſtant prædicti Parochi, dum e baptiſterio Matricis ad propriam Eccleſiam aquam conſecratam aſportant.

III. Non ſic tamen benedictio aquæ baptiſmalis Sabbatis Paſchæ, & Pentecoſtes eſt alligata, ut extra hæc tempora fieri minime valeat, ſed Rituale Romanum *tit. 8. §. 4.* tres caſus aſſignat, in quibus benedici itidem poteſt, & debet. *Si nempe aqua corrupta fuerit*, quod faciliter evenire poteſt, cum ſit ſtagnans, & clauſa. *Aut effluxerit* per rimulas, aut poros fortaſſe fontis, *aut quovis modo defecerit*, quod ex dicta effuſione oriri poteſt, vel ex magno ejuſdem aquæ uſu, vel exſiccatione. In his tribus caſibus in unicum remedium aſſignat textus benedictionem novæ aquæ, & inſimul *tit. 16.* deſcribit ritum, & formulam, quæ cum ibi maneat ſatis expreſſa, & fere conveniat cum ea, quam uberi expoſitione nos proſecuti fuimus in Sabbato Sancto, idcirco ſolum addimus ex Barufaldo, quod ex litaniis ordinariis, vel brevioribus Sabbati Sancti, quarum alterutra dici mandantur, conſultius eſt recitari breviores, utpote quæ jam dici ipſæ præſcriptæ ſunt in ſolemniori benedictione in Sabbato Sancto, quam litaniæ majores, quæ veniunt in texto nomine *litaniarum ordinariarum*. Ceterum cum litaniæ ordinariæ dicuntur, ante verſum, *Ut nos exaudire digneris*, dici, & repeti mandantur verſus: *Ut fontem iſtum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere, & conſecrare digneris, Te rogamus, audi nos.*

IV. An verſus iſte addi, & repeti item debeat, quando dicuntur litaniæ breviores, videtur quod non, quia textus eas dici mandat, *ut in Miſſali in Sabbato Sancto*, in quo tacetur idem verſus; nos tamen adhuc dici debere credimus, quia verſus illa aſſignatur tamquam proprius huic benedictioni, & differens valde eſt ratio de Sabbato Sancto, in quo litaniæ dicuntur jam completa benedictione fontis, ubi impræſentiarum dicuntur prævie. Num quando dicuntur litaniæ ordinariæ, dici debeant preces, & orationes, eſt quæſtio altera, quam affirmativa dirimere videntur illa verba textus. *Prout habentur infra poſt ſeptem Pſalmos Pœnitentiales*. Tu tamen, quia omnino caſui impertientes illæ ſunt, & ſubduntur orationes propriæ, verba illa *& dicto ultimo* Kyrie eleiſon, *Sacerdos dicat* Pater noſter, non minus accipienda intellige pro circumſtantia, in qua dicuntur litaniæ majores.

V. Diminutio aquæ benedictæ non continuo invehit novæ benedictionem; ſed Rituale Romanum *tit. 5.* modum quemdam ſuggerit ad habendam aquam benedictam, abſque eo quod procedatur ad alterius benedictionem, *ut nempe Aquæ benedictæ alia non benedicta admiſceatur, in minori tamen quantitate*; ſi namque aqua non benedicta, quæ additur, in quantitate ſuperaret benedictam, tota fieret non benedicta, niſi fortaſſe additio non benedictæ paulatim fieret, & diſtincto tempore; qua de re non ſemel ſimilis ſermo incidit.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Aqua benedicta.

HUjuſce aquæ Alexandrum Papam I. nonnulli auctorem faciunt, alii S. Matthæo Apoſtolo ejuſdem inſtitutionem tribuunt, ſed verius a Gentilium ritu illa ſuam duxit originem, quæ propterea *luſtralis* dicitur, eo quod purgationis cauſa a Sacerdote aſpergebatur ſuper victimas, & ſuper populum templa ingredientem. Religioſi uſus, atque illius contemptus nonnulla exempla damus. Refert Laertius *lib. 6.*, quod Diogenes, quum videret quemdam religionis cauſa ſe aſpergentem aquis fluvialibus (hoc enim priſco ritu ſolebant purificari, ſi quid piaculi commiſſum crederent): *Infelix*, inquit, *multum erras in Grammatica, non abſolveris aſperſus, multo minus aſperſio te liberabit vitæ criminibus*. Et Eraſmus *lib. 8. Apoph.* ſcribit, quod Valentinianus nondum Imperator templum Fortunæ ingrediens cum Juliano, hinc atque hinc ſtantibus æditnis, qui aquam introeuntibus aſpergerent, ubi vidit in chlamide purpurea guttam aquæ, pugno percuſſit æditaum, hoc inquiens, *non eſt purificare, ſed inquinare:* nam illi tales aſperſiunculas appellabant purificationes.

Ritus ejuſmodi ab Eccleſia poſtmodum ſanctificatus fuit ab ejus uſque exordiis, ſed non eſt, cur potius adſcribatur S. Matthæo, quam ceteris Apoſtolis, ut ſcite tradit Meratus *part. 4. tit. 19. n. 3.*, quæ autem adducuntur de Alexandro I. (quidquid ſit de legitimitate ejuſdem operum), verba morem jam inveteratum indicant, non hujus inſtitutionem, ſed ſolum confirmationem, & commendationem; niſi dixeris, Alexandrum etiam oblationem corporis & ſanguinis Domini, & infirmorum curationem inſtituiſſe, quia ibidem Sacerdotes ſerio monet, ut ſæpe, & ſancte ſalutarem hoſtiam offerant, & infirmos curent, eo quod ſcriptum ſit *Mar. 16.* ſuper infirmos manus imponent, & bene habebunt. Et quidem ſi prædicto Alexandro I. adſcribendus foret, non eſſet antiquior anno 112. contra monumenta valida, quæ congerunt Auctores plurimi.

In Eccleſiarum atriis olim fuiſſe ciſternas quaſdam cum magnis vaſis (a S. Paulino hæc appellantur *canthari*) in quibus Chriſtiani, antequam ingrederentur Eccleſiam, lavabant manus, & alias corporis partes, luculentum teſtimonium reddit Euſebius lib. 10. cap. 4. *Deinceps fontes ex adverſa fronte templi profluenti aqua redundantes poſiti, quibus omnes qui in ſacros templi ambitus introeunt, ſordes corporum abluant, qui fontes ſacroſancta Baptiſmatis lavacra repræſentant*. Cæremoniæ ejuſmodi item meminit Chryſoſtomus homil. 72. in Joan. *Deinde manus lavamus in Eccleſiam introeuntes*; & Tertullianus *de orat.* carpit eos, qui hujus exterioris lotionis contenti, interiorem non curabant: *Ceterum quæ ratio eſt manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire*: Saracenis mos ſtat conſimilis; ante enim ſua templa, vulgo *Moſchee*, ciſternas tenent, ſeu fontes, in quibus ſaltem faciem, brachia, & pedes ſibi lavant, priuſquam ea ingrediantur. Verum Tertullianus *de baptiſmo* lotiones, & Gentilium baptiſmata *aquas viduas* ſcite appellavit, quia nullum effectum habent, exemplo ducto a viduis fœminis: *Nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eadem fiducia Idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis mentiuntur*.

Viduas has ne Eccleſia haberet aquas, vice fontium, de quibus diximus, hodie quædam ad Eccleſiarum fores invexit vaſa, in quibus aſſervat aquam benedictam, cui inſunt virtutes plurimæ, delendi nempe peccata venialia ex opere operantis, vel operato, fugandi Dæmones, & pellendi ipſos corporis morbos, defendendi a phantaſmatum verſutiis, præſervandi a faſcinationibus, & veneficiis, atque præſtandi effectus plures alios corporales, & ſpirituales, quos Auctores ad longum referunt, & preces ipſæ comprobant, quibus in benedictione Eccleſia utitur. Digna, quæ hic ſubdamus, cenſemus verba laudati Alexandri I. *Epiſt.* 1., ex iiſdem enim eruuntur effectus ſacrati hujuſce elementi, & eorum cauſa: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti adſperſi ſanctificentur, ac purificentur; quod ab omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua ſale adſperſa, diviniſque precibus ſacrata, populum ſanctificat, atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Eliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacrata, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & expurgat, & cetera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit, & a Phantaſmatum verſutiis homines defendit: nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Salvatoris ſalvatos infirmos eſſe non dubitamus, quanto magis virtute ſacrorum ejus verborum divinitus ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis, & animæ humana percipit fragilitas*.

Aquam benedictam execrantur hæretici, & ipſam, ac panem benedictum, aliaſque res omnes, quas benedicere Romana ſolet Eccleſia, tamquam Diabolicum inventum rejiciunt; quam autem temere, ac impie, conſtat *Num. 19. 17.* ubi ſcriptum legitur: *Tollentque de cineribus combuſtionis, atque peccati, & mittent aquas vivas ſuper eos in vas, in quibus cum homo mundus tinxerit hyſſopum, aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines hujuſcemodi contagione pollutos*. Hæc namque aqua ſanctior non erat noſtra; & maxime cum noſtra, uti & res quæcumque, quæ a Romana Eccleſia benedicuntur, Apoſtolo teſte 1. *Tim. 4.* ſanctificationem recipiant per verbum Dei, & orationem: *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*; quare ſi illa execranda non erant, neque rejicienda tamquam ſuperſtitioſa, & inventum Diabolicum, certe nec noſtra, aliæque res ab Eccleſia Romana per benedictionem conſecratæ.

Originem hinc ducit, & probitatem Romanus uſus benedicendi, & aqua benedicta aſpergendi prædia, ſemina, bombyces, aliaſque res, ut reſpective uberes reddant fructus, ab iiſdem avertantur mala quæque, atque illæſa præſerventur in beneficium, & utilitatem humani generis; unde Gulielmus Bibliothecarius a Turrigio *de cryptis Vatic. impreſſ. 2. pag.* 118. relatus, narrat Stephanum Sextum Papam ob magnam Locuſtarum copiam campos, & vineas Romanas infeſtantium, hanc piam aſperſionem ordinaſſe, & ubi aqua iſta pervenerat nec ullum ſimile animal poſtea viſum fuiſſe, ex quo miraculo poſtmodum conſuevere fideles ſuos campos, poſſeſſioneſque hac aqua benedicta luſtrare.

Eſt quæſtio inter Auctores, an aqua non benedicta cum benedicta admixta eamdem benedictionem participet? Pro affirmativa adducitur Alexandri Papæ III. ſententia in can. *Quod in dubiis de conſecr. Ecc.*, quam tamen D. Thomas *in 4. diſt. 12. q. 1. art.* 1. ad caſum limitat, in quo aqua non benedicta ſit minoris quantitatis; ſubdit vero Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 15. de ſacram. ord.*, ut hæc eadem unio iteratis vicibus novæ ſemper aquæ poſſit fieri, dummodo minor quantitas ſemper addatur.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 369. *Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum celebrantem, etiamſi ſit prima, vel alia dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius corruptela dici debet S. R. C. 27. Nov. 1633.* in Peruſina. I. Benedictio præcedit aſperſionem, & hanc quidem in quibuslibet Dominicis Decretum ſtatuit eſſe faciendam, non vero illam, pro qua tamen ſuppiet Canon antiquiſſimus Concilii Nanatenſis: *Omnibus diebus Dominicis unuſquiſque Preſbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, tanto myſterio convenienti, de qua populus intrans Eccleſiam aſpergatur*. Eadem itidem eſt Auctorum vox, a quorum propterea recenſione abſtinentes, extemplo arripimus Rubricam Miſſalis, quæ nedum aquæ benedictionem *die Dominica* abſolute, & ſimpliciter haberi demandat, ſed inſuper in exceptis dumtaxat ponit *Dominicam Reſurrectionis, & Pentecoſtes*, non quidem pro omnibus Eccleſiis, ſed pro ſolis baptiſmalibus, quæ cum pridie benedixerint aquam baptiſmalem, eas quidem a novæ aquæ benedictione abſolvit, non aſperſione, quam faciendam eſſe ſtatuit cum aqua baptiſmali pridie benedicta, & ante infuſionem ſacrorum oleorum accepta.

II. Ex exceptionis regula validum exurgit argumentum, quod baptiſmales ipſæ Eccleſiæ in reliquis cunctis diebus Dominicis tenentur procedere ad benedictionem aquæ, & cum hac aſperſionem facere; Eccleſiæ vero non baptiſmales omnibus omnino Dominicis, ne quidem excluſis illis Paſchatis, & Pentecoſtes. Hinc undique reprehenſibilis apparet conſuetudo quampluriuim Eccleſiarum, etiam Cathedralium, in quibus quidem fit aſperſio, ſed cum aqua præcedentibus diebus jam benedicta; aperte enim peccat contra Rubricam, quæ præcipit renovationem aquæ benedictæ in quibuslibet Dominicis, tum ad evitandam facilem ejus corruptionem & commixtionem cum ſordibus; tum ob myſterium ſacramenti Baptiſmatis, cujus memoriam ſi Auctoribus credimus, in ſingulis Dominicis Eccleſia renovare intendit. His tamen minime obſtantibus benedictio aquæ non ita alligata reperitur diebus Dominicis, ut *quandocumque opus fuerit*, etiam extra diem Dominicam Rituale non eam indulgeat, in caſibus videlicet omnibus, in quibus aqua in Dominica præcedenti benedicta vel jam conſumpta ſit, aut putrefacta, ſeu ſordibus commaculata.

III. De benedictione, ac de aſperſione, diverſimode Rubrica diſponit, nam illam disjunctive committit *Sacerdoti celebraturo Miſſam, vel alteri ad id deputato*, aſperſionem autem determinate *Sacerdoti celebraturo*, de qua ſola cum itidem loquantur Decreta, & non de benedictione, dum ſtatuunt a celebrante eſſe faciendam, idcirco dicendum venit, quod aſperſio ſingulis diebus Dominicis fieri quidem debet ab eo, qui celebraturus eſt ſequentem Miſſam, ſed non eſt neceſſe, quod idem ſimiliter peragat præcedentem benedictionem, ſed hæc fieri etiam poteſt ab altero Sacerdote ad id deputato, & deinde Sacerdos, qui Miſſam facere debet, procedere ad prædictam aſperſionem. Benedictio namque, & aſperſio ſunt actiones dividuæ, & earum quælibet ſuum particularem, & diſtinctum terminum, & finem habet, prima nempe renovationem aquæ ad impediendam corruptionem, ſecunda peccatorum expiationem; unde non eſt, cur a diſtinctis Sacerdotibus fieri non valeant, quemadmodum & paſſim pro opportunitate quilibet Sacerdos utitur aqua, quæ non a ſeipſo, ſed ab alio fuit benedicta.

IV. Gavantus *part. 4. tit. 19. num. 6. lit. b.* nobiſcum ſentit, & inſimul alteram dirimit difficultatem. Rubrica Miſſalis Sacerdotem aquam benedicturum, induit *alba, vel ſuper-*

pelliceo

pelliceo cum ſtola cicca collum, tacens ſuper ſtolæ colorem; Rituale vero illum induit determinate *ſuperpelliceo*, & *ſtola violacea*. Quas Rubricas, quæ videntur minus conformes, ad concordiam hoc pacto laudatus Gavantus advocat: *ſi Sacerdos celebraturus eſt Miſſam, induat ſuper albam ſtolam Miſſæ convenientem; ſi alius eſt, adhibeat ſuper cottam ſtolam violaceam, ut in Rituali Rom. Pauli V.* Cum itaque Rituale Sacerdotem prædictum ſuperpelliceo induat, & ſtola violacea magis probare videtur, quod benedictio fiat a Sacerdote altero, & non a celebraturo ſequentem Miſſam, quam cum non in cotta, ſed in alba facere debeat, etiam in alba, & non in cotta facere deberet præcedentem benedictionem, ne hac peracta, cogatur ſuperpelliceum exuere, & induere albam cum plurimo incommodo pro celebranda Miſſa. Miſſale vero disjunctive præſcribit ſuperpelliceum, vel albam, ut ſi forte eamdem faciat Sacerdos celebraturus ſequentem Miſſam, aſſumat albam, in qua proſequi debet Miſſam, & non ſuperpelliceum, quod exuere deberet, & albam induere pro celebranda Miſſa.

V. Ex colore violaceo, quem in ſtola Rituale exigit, fallor, ſi tu ipſe non idipſum inferas. Equidem cum benedictio aquæ, & aſperſio pertineant ad ritum pœnitentialem ad expianda peccata, colorem exigunt violaceum, & violaceum eapropter ad præſentem benedictionem Rituale aſſignat; Miſſale vero ad benedictionem non aſſignat qualitatem coloris, bene vero ad aſperſionem, ad quam diſerte præcipit *colorem officio convenientem*. Si quæras cauſam, ecce quam faciles eamdem damus. Aſperſio juxta Rituale, Miſſale, atque Decreta omnino fieri debet ab eo, qui celebraturus eſt ſequentem Miſſam, & cum hæc principalem conſiderationem obtineat, ex conſueto Eccleſiæ ritu, de quo alias diximus; expoſcit colorem ſibi convenientem etiam in præcedenti aſperſione, cum qua unam facit functionem veluti continuam. Quia vero benedictio non neceſſario fit a celebraturo ſequentem Miſſam, ſed etiam ab altero Sacerdote æque bene fieri poteſt, idcirco Miſſale conſulto abſtinet ab aſſignando colore, ut videlicet uſurpetur violaceus, qualem poſtulat ritus pœnitentialis, ſi benedictio fiat a non celebraturo ſequentem Miſſam, color vero Miſſæ conveniens, ſi fiat a Sacerdote facturo ſequentem Miſſam, cum qua unam veluti functionem integrat in caſu prædicta pariter benedictio. Rituale autem colorem ad benedictionem aſſignat determinate violaceum; quia ut dicebamus, ſupponit eamdem fieri ab alio Sacerdote, cui propterea & determinate aſſignat ſuperpelliceum, & non albam.

VI. *Colocem officio convenientem* Miſſale præſcribit, & fit dubium, an ſi fiat Miſſa ſolemnis votiva, ad prædictam aſperſionem adhiberi debeat color *officio* conveniens, vel *Miſſæ*. Si ex nudis Rubricæ verbis quæſtio decidenda foret, certe color *officio* deberet eſſe conformis, *Miſſæ* vero, ſi ex intentione Rubricæ, quam ſuperius diximus in eo ſitam eſſe, *ut idem color continuetuc in præcedenti aſperſione, & ſequenti Miſſa*: Rubrica, dum colorem exigit *officio* convenientem, loquitur de Sacerdote celebraturo conventualem Miſſam, quæ cum officio ſemper conformis eſſe debeat in diebus Dominicis, idcirco perinde eſt, ac ſi poſtularet colorem *Miſſæ* convenientem; unde in quocumque caſu, in quo aſperſio fiat ante aliam Miſſam, puta quia eo die non celebratur conventualis apud non Collegiatas Eccleſias, haud dubitamus, quod color conveniens eſſe debet ſequenti Miſſæ, & non officio, quod ea die agitur. Fallit dumtaxat in caſu ſolemnis Miſſæ ad Requiem præſente corpore, ſed in hoc caſu eidem præmitti non debet præfata aſperſio, ſed magis anticipari, vel poſtponi in colore officii.

VII. Hora eſt, perſcrutemur benedictionis ritum. *In ſacriſtia præparato ſale, & aqua benedicenda*, Miſſale inquit, rituale vero: *Pcæpacato ſale, & aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel ſacriſtia.* Ubi Rituale in loca, in quibus benedictio aquæ debet fieri, aſſignat *Eccleſiam, vel ſacriſtiam*, Miſſale ſolius *ſacriſtiæ* meminit; & dubium non eſt, quod uterque locus, utpote ſacer, convenit rei ſacræ, quæ fieri debet, non ita tamen, ut ſolum in illis fieri valeat, & non etiam in privatis domibus, & ubique locorum tum valide, tum licite, quia ut advertit Baruffaldus *tit.* 45. *n.* 27., & Meratus *pac.* 4. *tit.* 19. *n.* 2., aqua benedicta non eſt in ſuperiori ordine rerum ſacrarum, ut ſolum in locis ſacris fieri poſſit. Quantum vero ad Eccleſiam attinet, in ea quidem ut ſupra fieri valet, præcipue apud minores, de quibus præſertim procedit diſpoſitio Ritualis, ſed apud majores fieri non expedit, ſed magis in ſacriſtia, cujus eapropter dumtaxat miſſale meminit. Cum enim apud eaſdem aſperſio ſolemniter fiat, etiam præcedens benedictio ſolemniter fieri deberet, quoties in Eccleſia facienda foret. Et ſane nonnili benedictione facta, Miſſale Sacerdotem a ſacriſtia exire facit, & ad Eccleſiam, & altare procedere, pro facienda aſperſione, argumentum utique irrefragabile, quod nec in Eccleſia, nec ad altare benedictio aquæ fieri debet, ſaltem in hac circumſtantia, extra quam quando benedicitur, haud denegaverim etiam in Eccleſia fieri poſſe. Hinc fortaſſe habes cauſam, ob quam Rituale Eccleſiæ, & Sacriſtiæ meminit, quia ibi Rituale etiam agit de benedictione aquæ, quæ fit, *Quandocumque opus fuerit*, tacet vero Miſſale ſuper *Eccleſiam*, quia diſponit de aqua benedicenda in Dominicis diebus ad effectum præfatæ aſperſionis.

VIII. Sal debet eſſe naturalis, albus, ſi fieri poteſt, arens, & non humidus, aqua vero itidem naturalis, ſive a fonte, ſive e fluvio, ſive e puteo, ſive e ciſterna pluviali, dummodo ſit pura, & munda ob dignitatem rei ſacræ, cui debet inſervire, & ne inquinet res, ſeu perſonas, ſuper quibus projicitur. Nullus liquor ei admiſceri debet, niſi foret in minima quantitate, & ob fragrantiam odoris, ob quam toleratur admiſceri paululum aquæ roſaceæ, vel alterius liquoris bene olentis. Ex Raban. *de Inſtit. clecic. lib.* 2. *cap.* 55. myſteria Quarti enumerat, quod *part.* 4. *tit.* 19. *n.* 8. jam prælliterat Gavantus prior ipſo: *Aqua a ſordibus mundat, ſal putcedinem fugat, aqua nitocem præbet, ſal adhibet ſincecitatem; Aqua fœcundat, ſal a corruptione præſervat.* Aſperſione igitur aquæ luſtralis monentur fideles, ut aqua lacrymarum, ſeu compunctionis animam a ſordibus peccatorum mundent, & ſale timoris Domini putredinem malitiæ fugent. Petant a Deo aquam gratiarum, qua fœcundentur virtutibus, & ſalem ſapientiæ, qua a corruptione præſerventur.

IX. His ut ſupra præparatis, Sacerdos incipit exorciſmum, & benedictionem ſalis, & poſtea immediate ſubdit exorciſmum, & benedictionem aquæ; monet autem Gavantus, quod ſal benedicitur ante aquam, quia hæc benedicenda eſt cum illius mixtione, unde Rituale: *Hic mittat ſal in aquam in modum ccucis, dicendo ſemel: Commixtio ſalis &c.* Equidem to *commixtio* dici debet ſemel, ſed dum dicitur, tria ſigna crucis ſuper aquam efformari debent, unum nempe ad *Patris*, aliud ad *Filii*, & tertium ad *Spicitus Sancti*. Hæc ſigna fiunt cum manu, non quidem extenta, ſed pugillo tenente ſal, cujus paululum in aquam immittit ad ſingulum ex dictis ſignis; etſi enim Rituale trinam ſalis immiſſionem non jubeat, ſupplet tamen Rubrica Miſſalis, quæ *ter* ſal in aquam mittendum eſſe demandat, & in rationem aſſignat Gavantus, *ut in victute Trinitatis fiat benedictio*. Ritus ejuſmodi benedicendi, & miſcendi aquam cum ſale, depromptus eſt ab Eliſæo Propheta, de quo habetur 4. Reg. 2. *Afferte mihi vas novum; accepit vas, & poſuit aquam, & miſcuit ſal dicens: Hæc dicit Dominus ſanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas.*

Decretum II. cap. in ord. 370. *Aſperſio die Dominica ſemper facienda eſt a celebrante, etiam quando ſuperioc celebrat, S. R. C. 16. Nov. 1649.* in Janu. I. Quod aſperſio facienda ſemper ſit a celebraturo ſequentem Miſſam præcedens ſtatuit Decretum, & quidem conſonanter ad Rubricam tum Ritualis; *Sacerdos Dominicis diebus antequam incipiat Miſſam, aſpergit altare &c.*, tum Miſſalis *Sacecdos celebratucus &c.* tum Cœremanialis Epiſcop. lib. 2. cap. 31. *Quia tamen in omnibus Dominicis per annum ſolet fieri aſpecſio aquæ benedictæ per Sacerdotem celebrantem, antequam Miſſa inchoetur, canonicus, vel alius celebratucus in Dominicis pcædictis &c.*, & hæc eſt cauſa, ob quam laudatum Decretum ita id muneris committit Sacerdoti celebraturo, ut prædicto onere neque abſolvat canonicos, qui Miſſam faciunt, etiamſi Miſſa fieri deberet a prima, vel alia Dignitate; addit vero præſens Sanctio: *Etiam quando ſuperioc celebrat*, per hæc verba ne quidem a producta lege ſuperiorem ipſum eximens, unde antiquum Cœremnniale Epiſc. *loc. cit.* potius aſperſionem omitti conſulit, quam diſpenſare ipſum Epiſcopum, quoties ipſe ſequentem Miſſam faciat: *Si Epiſcopus celebrare voluerit ſolemniter, non eſſet facienda hujuſmodi aquæ benedictæ aſperſio.* Et quidem in cap. 29. ubi agit de Epiſcopo celebrante in Dominica Paſchatis, nullum habetur verbum prædictæ aſperſionis, bene vero in ſequenti cap. 30., quoties Epiſcopo abſente aliquis canonicus, vel dignitas Miſſam facit in eodem feſto Paſchatis. Quæ omnia uberem confirmationem accipiunt ex aliis benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, & fontis baptiſmalis, quæ Sacerdoti celebraturo, ſequentem Miſſam, a Decretis omnino, & conſtanter faciendæ committuntur.

II. Ad tempus quod attinet prædictæ aſperſionis faciendæ, hanc Rupertus *lib.* 9. *cap.* 10. ante Tertiam mandat, ſed melius Gavantus eamdem præſcribit poſt Tertiam, & quidem conſonanter ad Cœrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 30. & 31. quod in fine aſperſionis Sacerdotem induit planeta, eumque facit Miſſam incipere, quæ juxta Rubricas generales dicenda eſt poſt Tertiam; ac inſuper ad Rituale Romanum, quod eamdem aſperſionem fieri jubet, *antequam Sacerdos incipiat Miſſam*. Ab hac generali regula duntaxat abit Dominica Palmarum, in qua prædicta aſperſio præmittitur benedictioni Ramorum, uti & benedictioni candelarum in feſto Purificationis, quando incidit in Dominicam, ut ſuis locis diximus. Ubi autem non cantatur Miſſa, aquæ aſperſio fiet ante Miſſam Conventualem reſpective, vel parochialem, quæ conventualis vicem gerit.

Decretum 3. cap. in ord. 371. *In aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit a Sacerdote alba, & ſtola induto, vel etiam cum pluviali immediate celebcaturo Miſſam Conventualem, ſtola aptanda eſt ante pectus ad modum ccucis, non vero pendens a collo ad utrumque latus S. R. C. 30. Sept.* 1679. in una Cappucinorum. I. De Paramentorum colore jam ſatis diſceptatum extitit, nunc de paramentis ipſis agendum ſupereſt, & licet ſuper his Rituale taceat, Miſſale Sacerdotem aſperſurum pluviali induit, Cœremoniale vero Epiſc. *cit. c.* 30. & 31. amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali, nec alia utique paramenta exigit ſequens Miſſa, ad quam faciendam ex ejuſdem Cœremonialis mandato Sacerdos ſolum pluviale exuit, & aſſumit planetam cum manipulo, cujus uſus nullus eſt cum pluviali. Sacri Miniſtri reſpective induent Dalmaticam, & tunicellam, vel planetas plicatas juxta temporum diverſitatem, ſed ſine Manipulis; regulare quippe eſt, ut miniſtri Manipulos non induant, quando celebrans eo non utitur,

tur, niſi cantaturi ſint Epiſtolam, vel Evangelium, ut dicebamus de benedictione Palmarum.

II. Hæc ſunt paramenta Sacerdotis, atque miniſtrorum ſacrorum ad aquæ aſperſionem, non ita tamen exacta, ut apud Eccleſias minores fieri non poſſit a Sacerdote ut ſupra in alba, & ſtola, abſque pluviali, & tunc ſacri miniſtri, ſi adſint, non induent dalmaticam, & tunicellam reſpective, vel planetas plicatas, niſi poſt ipſam aſperſionem, quando ipſemet celebrans ut ſupra ſumit planetam pro celebratione Miſſæ. Sive vero Sacerdos pluviali utatur, vel ſola alba, ſtola ſuper albam aptabitur in modum crucis, ut in Miſſa, nec pendebit a collo ad utrumque latus, quia Epiſcopi dumtaxat eſt eam hoc pacto deferre ſuper albam.

III. Finita itaque Tertia, ſacerdos una cum miniſtris ſequenti ritu ad altare accedet. Primus omnium incedet acolythus nudo capite cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, ſequuntur ceroferarii cum candelabris accenſis, poſtea Cœremoniarius, & inde celebrans medius inter diaconum, & ſubdiaconum manu proximiori elevantes anteriores fimbrias pluvialis ejuſdem celebrantis, manu altera infra pectus admota, & hi tres tecto capite procedunt, celebrans vero manus junctas tenet ante pectus. Ita quidem, quando celebrans utitur pluviali, quo ſi non utatur, tunc diaconus, & ſubdiaconus procedunt immediate ante ipſum celebrantem, unus poſt alium, ut ſuo loco dicitur de iiſdem accedentibus ad altare pro miſſa. Quod ſi celebrans aſtiterit in choro ad cantandam Tertiam, ut mos eſt in nonnullis Eccleſiis, tunc ut ſupra paratus cum ſuis miniſtris exit e choro ad altare ad faciendam aſperſionem.

IV. Cum pervenerint ante infimum altaris gradum, deponunt ſua birreta, quæ conſueto more traduntur alicui miniſtro, in aliquo decenti loco ponenda. Tum Celebrans medius inter ſacros miniſtros, genuflectit cum ipſis, etiam tempore paſchali, ſuper infimum altaris gradum utroque genu, genuflectente item acolytho in plano cum vaſe aquæ benedictæ a dexteris diaconi. Ab hoc acolytho accipit diaconus aſperſorium madefactum aqua benedicta, & illud tradit celebranti cum oſculo aſperſorii in ima parte manubrii, & deinde dexteræ celebrantis in parte exteriori. Accepto aſperſorio, celebrans genuflexus manens, etiam tempore paſchali, intonat antiphonam *Aſperges me* extra tempus paſchale, & tempori paſchali, *vidi aquam*, quam cantores proſequuntur, & dum celebrans intonat antiphonam, ter aſpergit altare, primo in medio, deinde verſus cornu Evangelii, & denique verſus cornu Epiſtolæ, & poſtea aſpergit ſeipſum, ſignans aſperſorio madido ſuam frontem. Mox ſurgit, & aſpergit Miniſtros Sacros, & primo quidem diaconum, & poſtea ſubdiaconum, adhuc genuflexos, qui deinde pariter ſurgunt. Notat vero Gavantus, quod ſi in altari expoſita ſit Sacra Euchariſtia, tunc abſtinendum eſt ab aſperſione altaris, eadem utique de cauſa, ob quam non ſignatur altare ad *In principio*, quando in altari expoſitum manet SS. Sacramentum. Diaconus quoque tunc ſimiliter abſtinebit ab oſculis aſperſorii, & manus celebrantis.

V. Quod to *Aſperges* verbum ſit futuri temporis, aſperſioni antiphonam Gavantus præmittendum eſſe cenſet, quam e contra Auctores alii poſtponendam volunt, eo quod Rubrica prius meminit aſperſionis, quam intonationis, & his magis adhæret Meratus *ibidem num.* 11., quoties Rubricæ verba ſcrupuloſe attendantur, licet poſtea ipſe ſententias, quodammodo concilians, putet, quod nec præmitti, neque poſtponi debeat, ſed inter aſpergendum intonari. Ducitur tum ex Cœrem. Epiſc. lib. 2. cap. 31. *Et intonando antiphonam ter altare aſperget*; tum ex Rubricis conſimilibus, quæ diſerte jubent, quod celebrans aſpergat cineres, candelas, & olivas *dicendo antiphonam Aſperges*. Ad id vero quod ſupra Gavantus relevat, reponit, quod to *Aſperges* eſt verbum deprecativum, unde non denotat mox futuram aſperſionem, ſed celebrans per illud rogat mundari in corde a Domino, dum aſpergitur in corpore.

VI. Probamus & nos lubentes ejuſmodi ſimultaneam antiphonæ intonationem, ſed non videmus poſtea, quomodo dubitare unquam Meratus rite potuerit de alio Rubricæ ſenſu, tametſi ejuſdem verba ſcrupuloſe ad litteram attendantur. Meminit quidem Rubrica prius aſperſionis, quam intonationis, ſed non propterea continuo inferendum eſt, quod prius aſperſio fieri debeat, quam intonatio, ſed magis, quem Rubrica tenet conſiderari debet dicendi modus, ut inde legitima deducatur deciſio caſus. Profecto haberemus plurima, quibus impetraremus valide conſequentiam Merati præcipitem; ſed quoniam non adeo nobis ineſt otii, contenti ſumus eumdem Meratum petere, cur etſi Cœremoniale Epiſc. prius meminerit intonationis, quam aſperſionis, & Rubricæ aliæ, quas ipſe allegat, prius aſperſionis, quam intonationis, adhuc ipſemet in priori caſu præmittendam non eſſe cenſet intonationem, nec aſperſionem in poſteriori; ſed magis in utroque ſimul habendam eſſe intonationem & aſperſionem? Certe fallimur, ſi ipſe non reponat nobis, quod hoc ideo, quia Rubrica non ait: *Intonat, & aſpergit*, ſed *intonando aſpergit*, uti & in poſteriori caſu: *Aſpergit dicendo*, quo dicendi modo ſimultaneam actionem, & intonationem important; non vero eorumdem ſucceſſionem, ſicuti materialis poſitio verborum indicare videtur: At quæſo, nonne & in noſtro caſu Rubrica habet: *Aſpergit incipiens antiphonam* quod utique non minus, ac ſi haberet *dicendo*, in omni grammaticali rigore importat ſimultaneam actionem, & prolationem verborum.

VII. Sunt, qui aſperſionem acolythorum, ceroferariorum, & aliorum inſervientium miniſtrorum differunt poſt aſperſionem populi, ſed cum Rubrica aperte dicat: *& erectus aſpergit miniſtros*, omnino poſt diaconum, & ſubdiaconum debent aſpergi, cum & ipſi veniant *miniſtrorum* nomine. Aſperſis autem miniſtris omnibus, celebrans dat aſperſorium diacono, qui illud recipit cum debitis oſculis, & poſtea illud tradit acolytho. Tum altari factis reſpectivis reverentiis, præcedente Cœremoniario, & acolytho, idem celebrans medius inter ſacros miniſtros elevantes pluvialis fimbrias, pergit ad incenſandum clerum in choro, ad quem cum devenerit, inclinatione clerum ex utraque parte ſalutat, mox accipiens aſperſorium, quod cum debitis oſculis diaconus illi miniſtrat, accedit ad digniorem, quem cum pari inclinatione ante, & poſt, ſeparatim aſpergit. Quod ſi dignior de choro fuerit Prælatus, tunc celebrans oſculato aſperſorii manubrio, eidem porrigit ipſum, ex quo Prælatus indice digito aquam accipiens, eam ſibi ipſi in fronte in modum crucis imponit, ſeu cum ea ſe ſignat, & celebrans iterum oſculatur idem manubrium. Quatenus tamen Prælatus innuat; celebrans ut ſupra poterit prædictum digniorem, licet Prælatum, ſingillatim aſpergere; & hunc modum teneri præſtat, quando adſunt plures Prælati ejuſdem ordinis, & dignitatis. Poſt ſuperiorem chori pergit aſpergere ceteros, vel ſingillatim, vel unica aſperſione, ex utraque parte chori, incipiendo a parte dextera, hac tamen ratione, ut ſingilatim fiat aſperſio, cuique fiat inclinatio ante & poſt, ſufficiat vero unica inclinatio ante & poſt, ſi per circulum fiat aſperſio.

VIII. Quænam ex dictis aſpergendi rationibus magis teneri debeat, ſi a nobis expoſcas. Eccleſiarum conſuetudinem ſervandam eſſe pronuntiamus. Biſſus tamen ſatis accommodam aſſignat regulam, ut videlicet clerus aſpergendus ſit unica aſperſione ex utraque parte chori, ſi ſit numeroſus, omnes vero ſeparatim, ſi ille ſit exiguus. Quæ dicta ſimiliter ſunto de canonicis non obſtante præſenti Decreto, quod limitationibus ejuſmodi nos credimus obnoxium, etſi de ejuſdem authentica reverentia, quam merito Gavanto Rubriciſtarum maximo deferemus, nos dubitare non ſinat.

IX. Abſoluta aſperſione cleri, huicque facta debita reverentia, pergit celebrans ad aſpergendum populum, quæ populi aſperſio fiet itidem ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum, vel procedendo per principalem navem, vel in additu chori, ſi eſt ante altare, vel juxta cancellos Presbyterii aut in ipſo Presbyterii ingreſſu; & hæc ultima aſpergendi ratio ceteris præſtat, ſed antequam ad prædictum ingreſſum ſe conſtituat celebrans, debitam reverentiam præmittit altari. Conſtitutus itaque ad Presbyterii ingreſſum, unica inclinatione ante & poſt ſalutabit populum ex utroque Eccleſiæ latere, & ibi eum aſperget, ter ducens aſperſorium, ſcilicet primo in medio, ſecundo verſus ſiniſtrum latus reſpectu ſui, quod eſt dexterum populi, ſeu latus Epiſtolæ, in quo mares diviſi a fœminis ſtare ſolebant, & denique tertio verſus latus oppoſitum, ſive latus Evangelii. Quod ſi in altari pateat Sacramentum expoſitum, tunc celebrans, ne eidem terga vertat, ſe conſtituet aliquantiſper ex Evangelii latere, & ex hoc aſperget ut ſupra populum. Biſſus *lit. F. n.* 49. §. 6. ex hoc latere Sacerdotem ſemper aſpergere facit, Sacramento etiam minime expoſito, ne terga vertat cruci exiſtenti in altari; ſed quoniam id honoris cruci Rubrica non tribuit, ſed nulla habita ratione ſe celebrantem vertere facit ad imponendum incenſum in thuribulo, in diſpenſatione candelarum, cinerum, atque, palmarum, idcirco nec nos eidem illud facere poſſumus.

X. Dum Sacerdos aſpergit clerum, & populum, a Rubrica jubetur ſubmiſſa voce dicere cum miniſtris, ſcilicet ſacris, pſalmum *miſerere*, ideſt *totum pſalmum*, ait Gavantus, addit vero Meratus, etiam *totam Antiphonam*. Verum cum Rubrica ſolum pſalmum alternatim dici mandet, nos quidem non abſolvimus Sacerdotem a dicendo reliquo antiphonæ poſt intonationem, ſed credimus, quod ejuſdem verba diſpenſare debeat in aſperſione ut ſupra altaris, ſuiipſius, & miniſtrorum, & nonniſi pſalmum alternatim dicere cum miniſtris, quando ab his comitatus, aſpergit clerum, & populum. Ne ultra debitum ſacra protrahatur functio, cantores quidem dumtaxat concinunt primum verſum pſalmi *Miſerere*, ſed non ſic eſt de celebrante, quem cum Gavanto credimus totum pſalmum recitare debere, tum quia totus venit abſoluto pſalmi nomine, quo Rubrica utitur; tum quia alias deficerent, quæ Sacerdos diceret in aſperſione cleri, & populi: Id tamen, nolumus, ita accipias; ut ſemper omnino totus dici debeat, qualis opinio Gavanto ſtetiſſe videtur, ſed ex eo dumtaxat dicendum erit, quouſque durat aſperſio, qua abſoluta, abſolvendum item erit pſalmus cum ſolita concluſione verſus *Gloria Patri*, & repetitione Antiphonæ. Notat autem Rubrica, quod in Dominicis Paſſionis, atque Palmarum ſilendus eſt verſus *Gloria Patri* poſt pſalmum *Miſerere*, quia etſi prædictus verſus in prædictis Dominicis non ſileatur in pſalmorum fine, taceri tamen mandatur in Miſſis dici, ad quas aſperſio tamquam initium ſpectat, ſicuti ſcite advertit Gavantus.

XI. Loco antiphonæ *Aſperges* dicitur *vidi aquam* toto tempore paſchali, & dubium inſurgit, num loco pſalmi *Miſerere* debeat celebrans, dum aſpergit clerum, & populum, dicere cum miniſtris pſalmum *confitemini*? Rubrica ſuper ſubſtitutionem ejuſmodi tacet, sed nos putamus, quod in præſeri-

tione

ptione pſalmi *Miſerere* pro tempore non paſchali, implicite & pſalmus *confitemini* debeat cenſeri præſcriptus pro ſuo reſpectivo tempore, nempe paſchali; eatenus quippe præſcribitur ille, quia jam aſſignatus eſt poſt Antiphonam, unde & pſalmus *confitemini* cum dici ſit aſſignatus poſt Antiphonam *vidi aquam*, videre non eſt, cur a celebrante dici non debeat, quando præfata dicitur Antiphona. Hinc Meratus congruum eſſe aſſerit, quod ſi pſalmus *confitemini* memoriter ſciatur, eo tempore ut ſupra totus recitetur a celebrante alternatim cum miniſtris, nos vero recitari debere dicimus, & quatenus mandatus memoriæ non habeatur, non propterea dicetur pſalmus *Miſerere*, ſed dumtaxat Antiphona *vidi aquam* cum primo verſu pſalmi *confitemini*, prout etiam dicuntur in choro, Pſalmus namque, qui ad præcavendam functionis longitudinem a choro dumtaxat incipitur, a celebrante integer recitari debet, vel magis tantum de eo, quantum ſufficit pro tempore aſperſionis, quemadmodum ſuperius dicebamus. Antiphona autem *Aſperges, aut vidi aquam* ſemper dicitur integra, etiamſi diei officium duplex non ſit, unde Rubrica, non diſtinguens inter officia: *& chorus proſequitur, Domine hyſſopo &c.*, quod dictum itidem ut ſupra volumus de celebrante, licet poſtea iſte non alta, ſed ſummiſſa voce dicere debeat reliquum Antiphonæ poſt intonationem. Hæc vero ratio eſſe poteſt, quod aſperſio non ad officium, ſed ſpectat ad Miſſam, quæ licet ſit de officio ſemiduplici, non patitur ſolam inchoationem, ſed omnia integre non minus in ea dicuntur, ac in miſſa de feſto duplici.

XII. Finita populi aſperſione, celebrans dat diacono aſperſorium, quod ipſe recipit cum ſolitis oſculis manubrii, & manus celebrantis, & poſtea illud conſignat acolytho, qui illud cum vaſe aquæ benedictæ deponit, & ad altare fert librum. Depoſito aſperſorio Celebrans medius inter ſacros miniſtros revertitur ad altare, cui factis reſpective debitis reverentiis, ſe ſiſtit erectus ante infimum gradum, ubi ſuo tempore, quando ſcilicet terminatus eſt cantus in choro, miniſtris ſacris ante eum tenentibus librum, dicit in cantu ℣. *oſtende nobis &c.*, cui tempore paſchali additur *Alleluja* & poſtea ſubnectit preces, & orationem, prout in Miſſali. Additio *Alleluja* ad verſus *oſtende*, iis, quæ dedimus in to. 1. cap. 46. Decret. 3., videtur contraria, ſed contrarietas quævis auſertur ſi ponderetur, quod aſperſio ſpectat ad Miſſam, in qua, ſicuti & in officio additur *Alleluja* toto paſchali tempore, & ſolum inibi prohibetur præfata additio in precibus extra officium, & Miſſam. Poſt orationem factis debitis reverentiis, celebrans cum miniſtris ſe recipit verſus cornu Epiſtolæ, ubi depoſito pluviali ſumit planetam, & manipulum, ſuos item manipulos ſumentibus ſacris miniſtris, & poſtea ad altare revertitur ad incipiendam de more Miſſam. In minoribus autem Eccleſiis, in quibus eſt miniſtrorum caritas, vel ſolemniter non cantatur Miſſa, a ſolo celebrante in pluviali, vel ſuperpelliceo, & ſtola cum uno acolytho aſperſio fiet ante Miſſam conventualem, & reſpective ſervabuntur ſuperius tradita.

Decretum IV. cap. in ord. 372. *Aſperſorium aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, ſeu Ordinario loci, aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, ſeu juriſdictionis, quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo cujuſcumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit. S. R. C. 14. Febr. 1632.* in Bonon. I. Votum, quod teſte Benedicto XIV. *to. 5. notif.* 17. Eminentiſs. Colloredus Cardinalis Ponens in conſimili cauſa edidit, rem penitus enucleat, & certe validam profert cauſam: *Eſſendo queſto un atto, che ſignifica ſolamente l'oſſequio della Chieſa recipiente, deve preſtarſi dal digniore della medeſima.* Hinc eſt, quod quotquot prodiere Decreta, ſive generatim, vel ſpeciatim ipſa diſponant, conſtanter id muneris aſſignant Eccleſiæ recipienti in excluſionem dignitatum, vel Canonicorum, ſive quorumcumque aliorum, a quibus comitatus Epiſcopus ad Eccleſiam accederet. Tria alia ex Decretis generaliter diſponentibus in confirmationem lubet adjicere, & erunt 5. 6. 7. cap. in ord. 373. 374. 375.) *Epiſcopo ingrediente aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis aſſociato a dignitatibus, & Canonicis ſuæ Cathedralis, debet porrigi aſperſorium a digniori illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, non autem a dignitatibus, & Canonicis Epiſcopum aſſociantibus.* Ead. Congr. 14. Febr. 1632. in Turritana. *Cardinali Legato aliquam Eccleſiam occaſione publicæ proceſſionis, ſeu quacumque alia de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ aſperſorium porrigi debet, ſed a digniori illius Eccleſiæ, ad quam accedit.* Ead. Congr. 14. Feb. 1742. *Epiſcopo extra ſuam Cathedralem in aliam Eccleſiam, ſive ſæcularium, ſive regularium ingredienti, aſperſorium porrigi debet per digniorem illius, ad quam Epiſcopus accedit, & nullo modo per dignitates, aut Canonicos Cathedralis.* S. R. C. 8. Febr. 1548. in Regien.

II. Quæ non minus reperiuntur ſpeciatim diſpoſita, unde de Eccleſia Cathedrali Decretum 8. cap. in ord. 376. *Aſperſorium cum aqua benedicta Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam ſemper debet miniſtrari a prima dignitate, vel digniore Canonico.* S. R. C. 20. Dec. 1628. *in Arben.* De Eccleſiis Collegiatis Decretum 9. cap. in ord. 377. *Aſperſorium aquæ benedictæ porrigendum eſt Epiſcopo a Priore Eccleſiæ Collegiatæ, dum eo accedit Epiſcopus; non autem a prima dignitate, vel primo Canonico Eccleſiæ Cathedralis.* S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* De Eccleſiis Regularium Decretum 10. cap. in ord. 378. *Aſperſorium aquæ benedictæ Epiſcopo in Eccleſiam Religioſorum ingredienti, eſt porrigendum per digniorem illius Monaſterii, non autem per aliquem ex Canonicis Epiſcopum aſſociantibus.* Ead. Cong. 14. Junii 1646. *in una Civitatis Caſtelli.* De Eccleſiis denique Confraternitatum Decretum 11. cap. in ord. 379. *An Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, nempe proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum ſit aſperſorium a Parocho, in cujus territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ? Reſp. negative.* S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Janu. 1704.

III. Hæc autem omnia ſuggellet ſequens Decretum (erit 12. cap. in ord. 380.) quod præcedentia limitare videtur in caſu, in quo Epiſcopus aſſociatus a toto Capitulo, & a Canonicis in indumentis Canonicalibus ad aliquam Eccleſiam accederet: *Aſperſorium aquæ benedictæ Epiſcopo debet porrigi per digniorem de Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Eccleſias quaſcumque Diœceſis.* S. R. C. 18. Janu. 1653. *in Lauden.* Nota ea verba Decreti *capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus*, ut inde dignoſcas, ad rem, de qua agitur, utramque conditionem eſſe neceſſariam, & quod nempe Epiſcopus aſſociatus ſit a toto Capitulo, & quod Canonici ſint in indumentis Canonicalibus, quare ex defectu primæ conditionis aſperſorium Epiſcopo porrigetur, non a digniori Canonico, ſed a digniori Eccleſiæ, ſi Epiſcopus non a toto Capitulo ſit aſſociatus, ſed ſolum ab aliquibus Canonicis, licet iſti induti ſint veſtibus Canonicalibus, & idipſum erit ex defectu ſecundæ conditionis, quoties Epiſcopus aſſociatus quidem eſſet a toto Capitulo, ſed Canonici non forent in veſtimentis Canonicalibus.

IV. Reliquum nunc eſt, producamus quæ ſtatuit cæremoniale Epiſc. *lib. 1. cap.* 15. de caſu, in quo vel Cardinalis Legatus, vel non Legatus accedit ad Eccleſiam Cathedralem, rei Divinæ interfuturus. Diximus *ad Eccleſiam Cathedralem*, quia quando ad alias Eccleſias accedit, jam ſuperius definitum vidimus, quod aſperſorium ei porrigi debet a digniori ipſius Eccleſiæ, quam petit: *ſi forte S. R. E. Cardinalis Legatus, vel non Legatus venturus eſſet ad Eccleſiam, & rei divinæ interfuturus, tunc Epiſcopus ei obviam ire debet uſque ad portam Eccleſiæ prædictæ, & aſperſorium porrigere ipſi Legato cum ſolitis oſculis aſperſorii, & manus, qui ſe, & alios aſperget, ſi vero eſſet Cardinalis non Legatus, debet quidem Epiſcopus ei obviam ire uſque ad prædictam Eccleſiæ portam ſed aſperſorium non Epiſcopus ſed prima dignitas, jubente Epiſcopo, Cardinali non Legato porriget.*

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De domorum, atque locorum benedictione.

TRiplex domorum benedictio aſſignatur a Rituali Romano una nempe facienda *in ſabbato ſancto*, alia *quocumque alio tempore*, & tertia *ſuper domum novam*, vel quodlibet aliud ædificium de recenti conſtructum. Unaquæque in cauſam finalem habet incolumitatem fidelium, & pacificam eorum habitationem, malignorum ſpirituum expulſionem, & tuitionem ab omni Dæmonum incurſu, & infeſtatione, aliaque beneficia plurima, quæ in reſpectivarum benedictionum collectis exprimi ſolent. In his cum item maneant expreſſa, ad quæ deſerviunt benedictiones *loci, thalami, & novæ navis*, idcirco ſupervacaneum arbitramur diſtinctim recenſere utilitates, quæ dimanant ex prædictis benedictionibus, de quibus nonnulla dicere pollicemur.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 381. *Non poſſunt Regulares in ſabbato ſancto benedicere domos laicorum. Cong. Concil. 23. Nov. 1619.* I. de aqua, quæ in ſabbato ſancto pro baptiſmali fonte benedicitur, ante perfuſionem Chriſmatis debere in vaſe ſuſcipi ad aſpergendum in omni domo, Rubrica Miſſalis eſt in eodem ſabbato ſancto poſita, ad quam conſonanter tit. 47. exaratum habet Rituale Romanum: *In ſabbato ſancto Paſchæ Parochus, ſeu alius Sacerdos cum miniſtro deferente vas aquæ ex benedictione fontium, ante perfuſionem chriſmatis acceptæ, viſitet domos ſuæ Parochiæ, eas aſpergens eadem aqua benedicta.* Benedictio quidem *Parocho, ſeu alteri Sacerdoti* disjunctive committitur, ſed ultra aquam de benedictione fontis baptiſmalis, quæ privative quaſi competit Parochis, adhiberi præſcriptam, ea verba *viſitet domus ſuæ Parochiæ* abunde comprobant, quod non competit alteri Sacedoti benedictio ejuſmodi, niſi de conſenſu, & delegatione Parochi, cui & illam præſens Decretum adjudicat, dum ab eadem Regulares prohibet.

Decretum II. cap. in ordine 382. *Nequeunt Regulares benedicere domos Diœceſis in hebdomada ſancta. Ead. Congr. 2. Jul. 1620.* I. *Hebdomadam ſanctam* ſi pro ſabbato ſancto accipias, tamquam totum pro parte fuerit poſitum, præſens Decretum cum præcedenti plene coincidit, ſed tu ne diſcedito a proprietate ſermonis, nec a tota termini latitudine, quæ in ſinu ſuo comprehendit totam majorem hebdomadam, incipiendo a Dominica Palmarum; & eo maxime, quod ſequens Decretum nedum domorum benedictionem intra majorem hebdomadam, ſed etiam in tota ſequenti octava Paſchatis reſervat Parochis, irrefragabile utique argumentum, quod domorum benedictio, ſi a Parochis non fiat in ſabbato ſan-

cto, vel per Rubricas reperitur addicta, adhuc remanet juris Parochorum, dummodo ab iiſdem fiat in hebdomada ſancta, vel in octava ſequenti Paſchæ. Ex Parochiis plurimæ vaſtæ ſunt, quarum domus omnes in una die ſabbati ſancti, in qua Parochi, aliique de clero, qui alicubi quandoque etiam deſiderantur, admodum occupati ſunt in peragendis Eccleſiaſticis functionibus, excipiendiſque fidelium confeſſionibus, circui commode valeant, & ideo cum plurium Eccleſiarum invaluiſſet uſus domorum benedictionem anticipandi in reliquis diebus majoris hebdomadæ, vel poſtponendi in ſequenti octava, morem ejuſmodi rationabilem congregatio reputans, & una ſimul Parochorum commodis conſulens, atque juribus, Parochorum juris eſſe voluit præfatam benedictionem agere, ſive ea anticipetur, ſive ut ſupra protrahatur.

II. Parochorum vero, non quidem quorumcumque, ſed dumtaxat *reſpectivorum*, unde ſequens Decretum Parochis diſtricte inhibet prædicto tempore ſive cum ſtola, aut ſine benedicere domos alteri Parochiæ ſubjectas invito hujus Parocho. Et quidem ex Ritualis verba *viſitat domos ſuæ Parochiæ, eas aſpergens aqua benedicta*, non obſcure indicant, quod quivis Parochus contentus eſſe debet benedicere domos ſuæ Parochiæ, neque poteſt in meſſem alienam falcem mittere, aliorum turbando Parochialia jura, vel invadendo eorum juriſdictionis terminos. Quæ dicta eſſe volumus, ſalva, ſi alicubi viget, contraria conſuetudine; ubi enim per longævum tempus prædicto tempore ad domorum benedictionem non procedunt Parochi, aut uſus eſt eaſdem benedici a Sacerdote quolibet, qui ab habitatoribus vocatus fuerit, praxim ejuſmodi tuto ſervari poſſe credimus, cum jam reſpectivi Parochi ceſſerint juri ſuo, nec redintegrentur a præſentibus Decretis, quæ contrariam non abolent conſuetudinem.

Decretum III. cap. in ord. 383. *Non licet Parochis benedicere in hebdomada majori, ſeu in octava Paſchatis Reſurrectionis cum ſtola, vel ſine domos alteri Parochiæ ſubjectas, invito hujus Parocho. Congr. Concil. 17. Junii 1719.* I. Uberem expoſitionem habes in præcedenti Decreto, quare nos mox arripimus domorum benedictionem aliam, quam Rituale qualificat *tamquam alio tempore faciendam*, quocumque nempe alio tempore a ſabbato ſancto, cui præcedentem benedictionem alligat. De hac primo inſurgit quæſtio, num privativa ad Parochos item ſpectet, & negativa videtur definienda; omnia enim Decreta ſiſtunt in reſervanda Parochis benedictione ſabbati ſancti, unde in contrarium videtur eſſe regula de caſibus non exceptis, ſeu de domorum benedictionibus faciendis extra ſabbatum ſanctum. Rituale in oppoſitum per hæc verba ſentire videtur: *Parochus, ſeu alii Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium, alio tempore infra annum aſpergere &c.* Baruffaldus enim ex to *volentes* in Parocho, quem Rituale principaliter nominat, jus liberum collocat, atque diſpoticum procedendi, quocumque tempore ſibi libuerit, ad domorum benedictionem, abſque eo quod ab habitatoribus valeat repelli. Par autem haud eſt ratio de Sacerdotibus aliis, quorum quidem etiam ibi Rituale meminit, ſed ſecundario, & minus principaliter, quibus propterea prædicta facultas nonniſi ex Parochorum delegatione convenire poſſe videtur, quemadmodum nos ipſi conſimilem Rubricam expoſuimus, agentes de benedictione ſabbati ſancti.

II. Verum hunc non eſſe Rubricæ ſenſum, generalis Eccleſiæ praxis abunde comprobat, dum nullibi Parochi extra ſabbatum ſanctum, niſi ab habitatoribus vocati fuerint, ad domos benedicendas accedant. Et quidem ſi ita foret de Parocho, cur non item de aliis Sacerdotibus, ſuper quos to *volentes* ſimiliter cadit? Nec relevat, quod eorum Rituale ſecundo loco meminerit, ut propterea in iiſdem Parochorum delegatio ad effectum credatur neceſſaria, aut inde rite erui poſſit, quod aliorum Sacerdotum minus principalis in diſpoſitione ratio habeatur; id namque exigit ordo litteræ, ut quando plura debent exprimi, eorumdem unum ante aliud ponatur, tametſi diſpoſitio de omnibus æque procedat; communiter autem primo loco ponitur dignior, cujuſmodi in caſu eſt Parochus. Nos vero, qui Rubricam de benedictione ſabbati ſancti explicuimus de Sacerdotum delegatione, ubertim vindicat diverſa Rubricarum elocutio; nam illa disjunctive quidem meminit *Parochi ſeu alterius Sacerdotis*, ſed ſtatim addit *viſitat domos ſuæ Parochiæ*, cujus cura cum privative ſpectet ad Parochos, ad rem neceſſaria dignoſcitur delegatio in aliis Sacerdotibus, ubi Rubrica altera nedum disjunctive loquitur, ſed inſuper addit *volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium*; to autem *Fidelium* terminus quidem eſt nullam peculiarem ad Parocho rationem habens, & conſulto credi debet poſitus, ut inde diſpoſitio abſque ulla dependentia unius ab altero omnibus expreſſis communis intelligeretur. Quod ex eo evidentius noſcitur, quod prior Rubrica numero ſingulari utitur, poſterior plurali, ſcilicet *volentes*, cujus vis eſt, vocatis cunctis, ſeu expreſſis rem æque attribuere.

III. Nos itaque credimus, quod to *volentes* in Rubricam invectum fuerit, ut deſignaretur, quod benedictio, extra ſabbatum ſanctum in præcepto non eſt, ſed electionis, & arbitrii non quidem omnino liberi, atque diſpotici, ut Baruffaldus autumat, ſed ſolum dependenter ab habitatorum conſenſu, vel quatenus Parochus, aut alii Sacerdotes ab iiſdem acciti fuerint, ſicuti prædictum verbum, ut dicebamus, explicat generalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ optima eſt legum interpres.

IV. Num laudatæ ſanctiones, quæ nedum benedictionem ſabbati ſancti reſervant Parochis, ſed inſuper diſerte declarant, Sacerdotibus aliis non eſſe licitum ad domorum benedictionem in hebdomada majori, vel in octava Paſchæ procedere, ita intelligi debeant, ut memorato tempore Sacerdotibus aliis nullatenus licitum eſſe poſſit domorum benedictionem peragere, tametſi Parochus jam benedictionem egerit, vel non repellendus ſit, quando poſtmodum benedicturus accedet, quæſtio alia eſt, quæ, ſi attendi deberet Decretorum loquendi modus, qui prædictum tempus abſolute reſervat Parochi, affirmative eſt definienda; ſed quoniam Decreta ipſa dignoſcuntur edita ad conſervanda Parochorum jura, atque prærogativas, & hæc in caſu omnino perſtant integra, quia jam Parochus ſupponitur domorum benedictionem egiſſe, vel ab hac agenda non repulſum iri, ideo ſua probabilitate non caret, quod Sacerdotes alii etiam prædicto tempore ſub memorata conditione fidelium domos benedicere valeant. Domorum namque benedictiones ex iis non ſunt, quæ etiam quotidie iterari non poſſint, ſed magis ex iis, ad quarum iterationem multiplicatur ros cæleſtis in domibus benedictis. Communio Paſchalis certe magis ſpectat ad Parochialia jura, & tamen dummodo fideles apud Parochum ſuo jam ſatisfecerint oneri, aut parati ſint ſatisfacere intra licitum tempus, communicare non prohibentur apud Regulares, aliosve Sacerdotes ſibi bene viſos in aliqua ex quindecim diebus a Dominica palmarum ad octavam Paſchæ, quæ item utiles conceſſæ ſunt pro ſatisfaciendo præcepto communionis Paſchalis ob commoditatem populi; cur non igitur domorum habitatores vocare ſimiliter poterunt, quos maluerint, prædicto tempore pro domorum benedictione, dummodo Parochus jam ſuam egerit, vel illi parati ſint eumdem recipere, quando benedicturus advenerit? Uti namque communio Paſchalis ex ſe alligata erat diei ſancto Paſchatis, & ut ſupra extenſa fuit pro commoditate populi, ita pro Parochorum commodo protenſa ſimiliter fuit domorum benedictio, quæ juxta Rubricas ſabbato ſancto reperitur addicta, unde ad ſummum in ſabbato ſancto contendi poteſt reſervata Parochis, ſicuti iiſdem a nonnullis reſervata creditur communio fidelium in die Paſchatis.

V. Hora eſt, arripiamus ritum, & quantum ad benedictionem ſabbati ſancti jam a Rubrica edocemur, quod Sacerdos indutus eſſe debet *ſuperpelliceo, & ſtola albi coloris*. Superpelliceum, & ſtola jam veſtes ſunt, quæ a Rubrica generali aſſignantur benedictionibus omnibus extra Miſſam, unde dubium eſſe non poteſt, quod etiam uſitari debent a Sacerdote in benedictionibus quibuslibet aliis. Non ſic eſt de colore, qui in benedictione ſabbati ſancti adhiberi quidem debet albus, qualem Rubrica aſſignat, ſed poſtea exurgit dubium ſuper coloris qualitatem, quoties eadem benedictio vel anticipatur in majori hebdomada, vel prorogatur ad ſequentem octavam Paſchæ.

VI. Gavantus *part. 4. tit. 19. num. 3.* Sacerdoti benedicturo generaliter aſſignat ſtolam regulariter albam, eo quod color ille deſignet puritatem communicandam rebus benedicendis. Ab hac excipit regula benedictionem conjunctam cum exorciſmis ad effugandos Dæmones, qualis eſt benedictio luſtralis aquæ, & in benedictione ejuſmodi congrue adhiberi aſſerit colorem violaceum, conclu ditque uſitari etiam poſſe colorem tempori convenientem, in fundamentum allegans Rubricam Ritualis Romani. Equidem Rituale habet: *In omni benedictione extra Miſſam, Sacerdos ſaltem ſuperpelliceo, & ſtola pro ratione temporis utatur, niſi aliter in Miſſali notetur*, ubi to *pro ratione temporis* ubertim deſignat, colorem ſtolæ conformem eſſe debere tempori, ideſt *officio diei*, exceptis ſolum caſibus, in quibus *aliter in Miſſali* notatur, tu vero adde *vel in Rituali ipſo*, ne hujus Rubrica generalis contrarietur particulari, ſed omnes ſint undequaque conſonæ. Standum igitur nos eſſe credimus huic Ritualis mandato, cui indubia poſtponi debet Gavanti auctoritas una cum ratione, quam in ſui dicti confirmationem allegat; non habent namque locum auctoritates Doctorum, quoties in oppoſitum ſtant apertæ leges.

VII. Num itaque in benedictione ſabbati ſancti quando anticipatur, aut poſtponitur, color albus adhiberi debeat, deciſio pendet ex quæſtione, an prædictæ benedictioni color albus aſſignatus ſit tanquam ei proprius, & ex ſe illi conveniens, quo in caſu eam ſequitur, quocumque tempore illa peragatur, an vero ratione temporis, quo in caſu ad temporis variationem, & exigentiam item color variari debet. Qua in re ſententia, quæ colorem album tamquam ſibi proprium aſſignatum eſſe aſſerit, & non ratione temporis, nobis ſane arridet magis, ea ratione ducti, quod ſi res non ita foret, omnino ſupervacanea particularis Rubrica ſuper colore albo poſita fuiſſet, cum memorata generalis abunde ſufficeret. Urget admodum etiam Ritualis ſilentium, quod in aliis benedictionibus ſervat ſuper colorem ſtolæ, & hunc dumtaxat aſſignat, quoties alter ab eo temporis uſurpari debet, non leve utique argumentum, quod color temporis, ſeu officii debet uſitari, quotieſcumque per particularem Rubricam non aſſignatur alter.

VIII. Quæ cum ita ſint, ſequitur, quod in benedictione ſabbati ſancti nedum quoties prorogatur ad ſequentem octavam, adhiberi debet color albus, qualem tunc & tempus exigit, ſed etiam quoties anticipatur in hebdomada majori, quo in caſu colorem alium tempus expoſceret. At qualis in alia

erit

erit in benedictione, quæ tamquam alio tempore facienda a Rituali notatur. Rituale in ea ſilet ſuper colorem ſtolæ, unde juxta regulam, quam modo dedimus, color temporis uſurpandus eſſet. Ita quidem, ſed ſi quis pro colore albo pugnaret acriter, ego admodum non refragarer, quia ſubſtantia, ritus, & benedictionis formula ſit fere conſimilis cum benedictione ſabbati ſancti, & ſolum variant in circumſtantia temporis, a quo ſi non petitur coloris qualitas, videtur utique, quod idem color utrique benedictioni debeat eſſe communis. Ea itidem ratio multum relevat, quod laudata Rubrica generalis diſerte loquitur de illis benedictionibus, quæ incipiuntur a verſu *Adjutorium noſtrum*, quales cum minime ſint prædictæ benedictiones domorum, ſub ejuſdem diſpoſitione haudquaquam cadere videntur. Secus eſt *de benedictionibus lecti, domus novæ, thalami, & novæ navis*, quæ cum incipiant a verſu *Adjutorium*, dubio procul comprehenduntur in lege prædictæ Rubricæ, quæ exigit colorem correſpondentem tempori.

IX. Commune eſt utrique benedictioni domorum, ſabbati nempe ſancti, & alterius temporis, quod dicatur *Pax huic domui* a Sacerdote, non quidem ſtante extra domum, vel in ipſius janua, ſed ingrediente domum ipſam, quam ingreſſus, in priori benedictione jubetur aſpergere *loca præcipua domus*, in quibus utique tamquam nobilioribus benedici cenſentur etiam loca ignobiliora, ſed cave, inde exiſtimes inhibitum in eo occaſione benedici diſtinctim etiam loca cetera, vel pro libito aliqua etiam ex non præcipuis, quæ aſpergi non minus poſſe ſatis deſignat Rubrica de benedictione extra ſabbatum ſanctum, quæ propterea non diſtinguens inter loca, ſimpliciter habet. *Deinde locos aſpergendo dicat*. Uti itaque in benedictione extra ſabbatum ſanctum aſpergi poſſunt loca, etiam non præcipua, utique & in benedictione ſabbati ſancti, e contra quia in hac aſpergi ſufficit loca præcipua; ita in illa, & nihilominus loca cuncta remanebunt benedicta, nobiliori parte ad ſe trahente ignobiliorem. Quod namque in ſabbato ſancto loca præcipua dumtaxat aſpergi nominentur, in cauſa eſt, quod cum ea die totam Parochiam Parochus aſperſurus circuire debeat, plus æquo defatigaretur, ſi etiam loca non præcipua deberet aſpergere, & non ſemel eidem abriperetur etiam tempus benedicendi cunctas Parochiæ domus, ad quas omnes cum non extendatur benedictio extra ſabbatum ſanctum, vel ſaltem non habeat tempus adeo limitatum, ſed expleri valeat per plures dies, idcirco in hac non exprimuntur aſpergenda loca præcipua, ſed ſimpliciter loca, quorum tamen nomine loca omnino omnia venire de neceſſitate haudquaquam arbitror, ſed ſolum majorem eorumdem partem. Quæ regula ſervanda item erit in ſabbato ſancto, ubi commode fieri poteſt, puta quando Parochia eſt valde exigua, aut anticipatur, vel poſtponitur per præcedentem, & ſequentem hebdomadam prædicta benedictio.

X. Aſperſio in ſabbato ſancto jubetur fieri cum aqua de benedictione fontis, & hæc præterea ad hunc effectum reſervanda erit, ubi benedictio domorum prorogatur per octavam Paſchæ; ubi vero anticipatur in hebdomada majori, cum necdum facta ſit benedictio fontis, ut hujus aqua ſumi valeat, in uſu erit aqua benedicta in forma conſueta Eccleſiæ; diſpenſat namque ſuper Rubricam, & aquam fontis baptiſmalis Sacra Congregatio hoc ipſo, quod benedictionem domorum ut ſupra anticipari indulget. Aquam in formam conſueta Eccleſiæ benedictam, uſurpari ſimiliter debere in benedictione domorum extra ſabbatum ſanctum, Baruffaldus aſſerit, & quidem bene, ſed non ita poſtea, dum aquam de baptiſmali fonte ante perfuſionem chriſmatis acceptam, ita reſervat benedictioni domorum ſabbati ſancti, ut extra hanc occaſionem adhiberi non valeat. Rubrica namque in ſabbato ſancto poſita, de eadem aqua ſumi imperat ad ſpargendum ſuper populum, & in domibus, & aliis locis, & uſus Eccleſiæ eſt cum eadem renovari vaſa Eccleſiæ, ex quibus de eadem hauriunt populus, & miniſtri Eccleſiæ pro uſu, etiam extra ſabbatum ſanctum. Quoties itaque prædicta aqua in prompto habeatur, aut commode reſervari valeat abſque periculo corruptionis, nedum putamus licitum, ſed conſultius eadem uti tamquam ſolemniori ritu ſanctificata, tum in benedictione domorum extra ſabbatum ſanctum, quam in benedictionibus quibuslibet aliis. Id autem evenire poteſt facile, dum benedictiones aguntur circa ſabbatum ſanctum, aut vigiliam Pentecoſtes, quibus diebus ex inſtituto Eccleſiæ benedicitur fons baptiſmalis, ſive quando hujus benedictio infra annum renovatur ob defectum, & corruptionem baptiſmalis aquæ.

XI. Dum Sacerdos in ſabbato ſancto aſpergit loca, ex præſcripto Rubricæ dicit antiphonam *vidi aquam*, primum verſum pſalmi *Confitemini*, verſum *Gloria Patri*, & poſtea eamdem repetit antiphonam. Hæc dici præſcripta ſunt aſperſionis tempore; at ſi non ſufficiant, non propterea repetenda erunt, aut progrediendum ad ceteros verſus, & orationem, ſed tantumdem de pſalmo *Confitemini* recitandum, quantum ſufficit, moris inſtar quem deſcripſimus in capite de aqua benedicta, & quatenus prædictus pſalmus memoriæ non habeatur, præfata verba moroſe diſpenſanda erunt; aut magis ſilendum, & nonniſi aſperſione peracta, deſcendendum ad verſum *Oſtende*, & orationem. Cum hæc benedictionis formula unice præſcripta ſit ratione temporis, Paſchalis nempe, & pomeridiani ſabbati ſancti, in quo eadem benedictio fieri ſupponitur, tenenda quidem adhuc erit, ubi benedictio agitur intra octavam Paſchatis, per quam nedum durat Paſchale tempus, ſed etiam feſtum ipſum Paſchæ juxta rituum regulam, quæ octavam unum diem cum feſto reputat; ſed ſi Benedictio domorum anticipetur in majori hebdomada, certe præfata formula ſervari minime poterit, cum occurrenti tempori repugnet antiphona *vidi aquam*, & fortaſſe etiam oratio, in qua fit mentio Paſchatis.

XII. In hoc itaque caſu loco antiphonæ *vidi aquam* ſubroganda erit antiphona *Aſperges* cum primo verſu pſalmi *Miſerere*, poſt quem dicetur *Gloria Patri*, & repetetur antiphona, quæ ſi non ſufficiat pro toto aſperſionis tempore, Sacerdos occupabitur in recitando adeo de pſalmo *Miſerere*, quantum ſatis erit, ut laudato capite magis diximus. Abſoluta aſperſione, dicet verſum *Oſtende* ſine *Alleluja* in ejuſdem fine, cum reliquis verſibus, & oratione, cujus loco ſubſtitui quidem poterit oratio pro benedictione extra ſabbatum ſanctum aſſignata, ſed nec grande peccatum foret, ſi diceretur oratio propria, quia in ea fit quidem commemoratio Paſchatis, ſed non tamquam eo tempore occurrentis, ſed magis ad Paſcha ſola fit alluſio, quæ etiam extra tempus Paſchale fieri poteſt, & maxime quando agitur de benedictione, quæ deſervit pro paſchali.

XIII. Benedictio domorum, quæ alio tempore a ſabbato ſancto facienda notatur, ſibi item particularem habet benedictionis formulam, de qua dubitare contingit, num ſi benedictio fiat Paſchali tempore, loco antiphonæ *Aſperges* ſubrogari in ea debeat antiphona *vidi aquam*. Videtur, quod non, quia ſuper hoc adnotationem nullam habet Rubrica, licet hujus auctor probe noverit, quod benedictio tempore Paſchali fieri poterat. Accedit, quod ſequeretur alia generalis regula, ut quotieſcumque a Rituali notatur aliquid aſpergendum cum antiphona *Aſperges*, deberet hæc Paſchali tempore mutari in antiphonam *vidi aquam*, quæ cum conjuncta ſit cum pluribus *Alleluja*, quæ ſunt lætitiæ ſigna, videtur minus congrue adhiberi; dum v. g. aſpergitur infirmus cum cubiculo, & lecto in ejuſdem viſitatione, adminiſtratione extremæ unctionis, aut commendatione animæ. Hæc profecto adſunt plurima, quibus obſiſtamus, ſed nihilominus, cum antiphona *vidi aquam* ab Eccleſiam benedictioni domorum, quæ fit Paſchali tempore, ſeu in ſabbato ſancto adaptata fuerit, & inſuper uſitetur toto Paſchali tempore in aſperſione templi, quæ fit ſingulis Dominicis, nos magis collaudamus prædictam ſubrogationem fieri. Quæ ex eo lubentiores dicimus, quod putamus præfatam antiphonam pro Paſchali tempore ſoli benedictioni domorum, atque locorum propriam, ita ut extra talem occaſionem dici minime debeat, & præſertim in memoratis circumſtantiis, in quibus fatemur ultro habere maximam difformitatem. Quod vero Rubrica ſuper ſubſtitutione taceat, id eſt, quia ſupponit eamdem fieri extra Paſchale tempus, cum in Paſchali habeatur illa ſabbati ſancti. Ceterum ſilentio abunde ſupplere videtur Eccleſiæ praxis, quæ, ut dicebamus, tam in domorum, quam templorum aſperſione conſtanter utitur antiphona *vidi aquam*, quæ ceteroquin, cum plura *Alleluja* inſerta habeat, licet quatenus adhibetur in aſperſione templi, ex ratione tueri valeat, quod deſerviat pro initio Miſſæ, & cum hac veluti unam functionem faciat, quatenus tamen dicitur in benedictione domorum, peccat in Decreta, & rituum regulas, juxta quas in antiphonis, & verſibus extra divinum officium non additur *Alleluja*, neque Paſchali tempore, quare in præſenti caſu, nolo, dubites ſpecialem diſpoſitionem fieri.

Decretum IV. cap. in ord. 384. *Parochis nullatenus licet in ſabbato ſancto benedicere collocutoriis, aut januæ monaſterii monialium ordinario ſubjectarum, vel hoſpitio Tertiariorum connexo. Cong. Conc. 23. Aug.* 1727. I. *Viſitat domos ſuæ Parochiæ, eas aſpergens*, de Parocho ait Rubrica de benedictione ſabbati ſancti, & hinc nonnulli ſibi licitum credidere Parochi, benedictionis cauſa quaſcumque ea die penetrare domos intra limites ſuæ Parochiæ conſtitutas, ne quidem excluſis iis monialium, non quidem interioribus, quibus obſtet lex clauſuræ, ſed exterioribus, dummodo ſint monialium, quæ cum ordinario pareant, effugere non poſſe videntur juriſdictionem parochorum, qui ſunt veluti Epiſcoporum coadjutores. Regularium virorum, ac fœminarum, quæ Regularibus viris ſubſunt, monaſteria in ſabbato aſpergi non poſſe a Parochis, intra quorum Parochiæ limites ſitæ ſunt, abunde comprobat omnimodæ exemptionis privilegium ab ordinariorum juriſdictione, a qua a fortiori, ut alias diximus, arguitur ad illam Parochorum, unde & in primo hujus capitis Decreto, dum Regulares in ſabbato Sancto domos prohibentur benedicere, conſulto additum fuit *Laicorum*, ut huic daretur intelligi, haudquaquam prohiberi ab aſperſione ſuorum monaſteriorum, & quorumcumque locorum, quæ ad ea ſpectant, aut cum eis ſunt connexa. Monaſteria Monialium, quæ ordinariis parent, conſimili gaudent exemptionis privilegio, & ideo par eſt, non minus Parochi abſtineant ab aſperſione collocutoriorum, & aliorum locorum, quæ ad earum monaſteria pertinent, aut iiſdem reperiuntur adnexa. Etſi namque Ordinariis pareant, non tamen iiſdem quatenus ordinarii ſunt, quo in caſu fortaſſe quidquam deduci poſſet in Parochorum favorem, ſed quatenus ſunt per Apoſtolicam auctoritatem delegati, & vice Prælatorum Regularium ſubſtituti, unde ex ſubjectione ejuſmodi nihil erui poteſt in favorem Parochorum,

ſub-

quemadmodum propterea nihil juris Parochi ipſi prætendunt ſuper monialium monaſteriis, quæ Regularium regimini ſubſunt. Quarumcumque autem monialium clauſuram intrare in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio die, cauſa benedicendi monaſterium, aut cellas, per ſequens Decretum, (quod erit 5. cap., in ord. 385.) diſtricte omnibus, & ſic etiam earum confeſſario, manet inhibitum: *Ad benedicenda Monialium Monaſteria, & cellas, die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore eſt omnibus prohibitus in clauſuram ingreſſus*. Congr. Concil. 13. Sept. 1583., & Congr. Epiſc. 4. Sep. 1596.

II. Quod in hac deciſione notatu magis dignum apparet, eſt, quod Parochis declaratur vetitum benedicere hoſpitio Tertiariorum connexo; Tertiarii autem iſti incedebant in habitu a Patribus Reformatis recepto, & inſerviebant monialibus Cappuccinis, quarum propterea monaſterio eorumdem hoſpitium erat connexum. Lites permaximas, quæ factæ fuerunt inter Regulares, & Parochos ſuper exemptione Tertiariorum, atque Decreta, quæ inde ſuper eiſdem prodiere, non loci hujus eſt iterum reproducere, cum de iiſdem ſatis ſuperque actum a nobis fuerit in capite de communione paſchali, ad quod propterea amandamus lectorem, dum nos ponderare pergimus, quod quidquid ſit de Tertiariorum exemptione, vel obligatione recipiendi Sacramenta a Parochis, atque ſepulturam, non poſſunt tamen iidem Parochi ultra prætendere ſuper Tertiariis, quam quod per Decreta expreſſe manet declaratum, minus quippe, quam fieri poteſt, privilegiis, quibus Tertiarii donati fuerunt, præjudicium inferri debet, & privilegia ipſa cenſenda ſunt permanere ſaltem in ea parte, in qua non prodiit oppoſita declaratio. Idipſum dicimus de famulis, & famulabus monialium, quæ cum non degant intra interius earumdem monaſterium, Parochis quidem ſubjectæ ſunt quoad receptionem Sacramentorum, cum tamen degant intra monaſterium exterius, ſeu in domibus circumvallatis muro monaſterii, ad quas intratur per portam ipſius monaſterii, locali quadam exemptione gaudent, cujus ratione non poteſt Parochus in iiſdem agere, niſi quæ expreſſe declarata ſunt, unde in Sabbato Sancto non poterit eaſdem Domos benedicere, ſicuti non poteſt benedicere collocutoriis, & januæ ipſi Monaſterii, per quam ad illas intratur.

III. Equidem quando præſens prodiit Decretum, in vigore aderat conſtitutio Benedicti XIII. anno 1725. in Tertiariorum favorem edita, & eorumdem Tertiariorum privilegiorum confirmativa, ſed quod prædicta conſtitutio præſenti Decreto non dederit cauſam, ſed quia id conforme eſt juri communi, quod ſubdimus, evidens argumentum eſt. In eodem Decreto quæſitum nedum fuerat, num Parochis licitum foret benedicere prædictis collocutoriis, januæ monaſterii, & hoſpitio, ſed inſuper, an iiſdem Parochis liceret Tertiariis ipſis adminiſtrare Sacramenta ſive in vita, ſive in morte, & tamen quamvis in prædicta conſtitutione nullum verbum adſit ſuper exemptione Tertiariorum a benedictione hoſpitii eorumdem, bene vero ab adminiſtratione Sacramentorum, adhuc ad ſecundam quæſiti partem reſponſum extitit *Ad mentem*, ad primam vero abſolute, & ſimpliciter, quod *non poſſunt Parochi in Sabbato Sancto procedere ad benedictionem hoſpitii, quod inhabitant præfati Tertiarii.*

IV. Non ob defectum autem juriſdictionis, ſed ob indignitatem habitantium abſtinere item debent Parochi a benedicendis domibus excommunicatorum, meretricum, & quorumcumque publicorum peccatorum, & idem judicium ſicito de domibus, quæ publice expoſitæ ſunt aleis, ludiſque vetitis. Quoad excommunicatos tamen Auctores hanc dant regulam, ut ſi vitandi non ſint, ſed tolerati, eorumdem domus benedici valeant; quinimmo etſi vitandi ſint, dummodo non ſint Patresfamilias, benedici poſſunt in gratiam aliorum habitantium non ſubjectorum, nullatenus vero, ſi illi ſint Patresfamilias, & alii, qui domum item inhabitant, ſint illis ſubjecti. Benedictionem ejuſmodi claudat ſalutare monitum S. Caroli in Concilio Provinciali quinto: *Benedictionis hujus cauſa ſeu occaſione nihil plane quidquam vel minimum, neque is, neque Sacerdotes clericive, quos ſibi ſocios adjutoreſque adjunxerint, petant, exigant, ac ne ſponte quidem* (nota hæc verba) *ultroque oblatum, donove datum accipiant.*

V. De benedictionibus *loci, domus novæ, thalami, & navis novæ*, particularia nobis non ſuppetunt; earum namque ritus brevior eſt, & in Rituali ſatis manet expreſſus, in cujus fine quando aſpergitur res benedicenda, cum Rituale taceat, haudquam erit neceſſe aſperſionem comitari cum conſueta antiphona *Aſperges*. Eaſdem vero non eſſe de Parochorum jure, ſed a quocumque Sacerdote fieri poſſe, uberrimum teſtimonium eſt tum ſilentium Ritualis ſuper perſona Parochi, tum earumdem inſertio in Miſſali Romano, cujus preces a quolibet Sacerdote exerceri valent, niſi in Rubricis fuerit aliter expreſſum. Thalamus benedici debet, antequam ſponſi in eo conveniant, nova navis, priuſquam tradatur aquis, & idipſum dicendum videtur de domo nova, ita ut benedicatur, antequam inhabitetur, orationis tamen verba ſuſtinent benedictionem, etiam poſtquam habitari cœpit, atque rebus repleri, & exornari. Benedictio loci uſurpari poſſe ſuper domum ipſam, orationis textus dubitare non ſinit, cum in eo habeatur *locum iſtum*, vel *domum iſtam*, & concordat etiam verborum ſenſus; ego tamen crederem ſpecialius eam inſtitutam eſſe, ut adhibeatur pro particulari loco alicujus ædis. Baruffaldus uſurpari etiam poſſe aſſerit pro toto aliquo territorio, diſtrictu, & communitate, quod neque ego refragor, cum collectæ verba adaptabilia ſint, & commodum ſortiri valeant ſenſum.

CAPUT
VIGESIMUM QUINTUM.
De Benedictionibus eſculentorum.

ESculentorum nomine etiam potulenta impræſentiarum veniunt, aliique humores quilibet, qui uſui humano deſerviunt; his enim omnibus benedictionem eſſe præmittendam, Cyrillus Hieroſolol. *Cath.* 13. nos ſatis edocuit: *In omnibus crux fiat, & in panibus comedendis, & in poculis bibendis*. Verum etſi benedictio ejuſmodi admodum ſancte quocumque tempore adhibeatur, uſus tamen obtinuit, ut præſertim peragatur in Paſchate. Advertit Durandus *Ration. l. 6. cap. 86. num. 7.*, quod inimicus noſter hoc tempore nos magis decipere ſatagit, ſuggerendo ſcilicet crapulam, & immoderatum uſum ciborum Paſchalium; ſicuti enim tentavit Chriſtum in deſerto poſt jejunium, ita & Chriſti membra præcipue ſupplantare conatur completo quadrageſimali jejunio, per quod cum præceſſerit longa abſtinentia, ita & avidior eſt ciborum Paſchalium appetitus. Ne itaque Diabolus adverſus nos prævaleat, tunc præſertim præmittitur benedictio ciborum, ut hac præmunitus fidelis populus, Diabolicas inſidias valeat præcavere.

DECRETA.

Decretum I. cap. in ord. 386. *An benedictiones mulierum poſt partum, fontis baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium ſint de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative, ſed benedictiones mulierum, & fontis baptiſmalis fieri debere a Parochis. S. R. C.* 10. *Dec.* 1703. *approbante Clem. XI.* 12. *Janu.* 1704. I. Prima ſe offert nobis benedictio Agni Paſchalis, quæ minus placuit Walafrido Straboni *lib. de reb. Eccl. cap.* 18., quod eam Judaicum quid redolere cenſeat, & a ſacramentis chriſtianæ perfectionis abhorrere. Verum unius Walafridi ſenſui plus tribuendum non eſt, quam aliorum, qui nihil Judaiſmi hic deprehenderunt, cum Agnus iſte alio fine non benedicatur, quam ut ejus eius comedentibus in ſalutem corporis cedat, & animæ; idque largiente illo, qui per Agnum illum legalem, & typicum præmonſtratus, & præſignificatus eſt, quique toties in ſacris litteris Agnus appellatur, & cum Agno comparatur. Si namque alias carnes benedicere nobis licet, cur non & agninas? Si in fruſta conciſas rite conſecramus, cur non & integras? Quid impedimenti habet Agniculus integer, quo minus per verbum Dei, & orationem ſanctificetur, quemadmodum aliæ creaturæ Dei? Nec Chriſtiani Agnellum illum manducant illis cæremoniis, quibus olim Judæi ſuum, ut notum eſt, nec venturi Meſſiæ imaginem eſſe volunt, quippe qui eum jam veniſſe probe norint. Walafridus igitur fruſtra in illo ritu Judaiſmum latitare cenſuit, quia alio fine benedictio Agni, vel aliarum carnium non ſit, quam ut chriſtiani eſum carnium cum benedictione reſumant. Præcipue autem fit benedictio Agni in memoriam Redemptoris noſtri, qui tanquam Agnus innocens ad victimam ductus, & immolatus, tunc glorioſus e mortuis excitatus colitur, atque triumphans in cœlis collocatus, qualem cum vidit Joannes *Apoc.* 5. 6., ut quemadmodum in liberatione Hebræorum de Ægypto de mandato Moyſis occiſus fuit Agnus, cujus ſanguine linitæ poſtes, cuſtoditæ fuerunt ab Angelo percutiente, ita in præfigurato Paſchate noſtro, in quo immolatus eſt Chriſtus, nos e Dæmonis ſervitute jam erepti, etiam Chriſti meritis ab ejuſdem Dæmonis liberemur inſidiis.

II. Monet Baruffaldus, quod Agnus, qui benedicitur, debet eſſe mortuus, immo coctus, & aſſatus, femina ſit, aut maſculus, dummodo non ſit plurium annorum, aut qui inter armenta cojerit, ne deperdatur figura Agni innocentis. Ita quidem ſed quatenus non attendatur ad figuram, nihilominus hac eadem formula benedici ille poterit, ſicuti etiam benedici poſſunt carnes quæcumque aliæ, quia etſi prædicta formula inſcripta ſit *Benedictio Agni Paſcalis*, & huic fortaſſe congrue reſervetur adhibenda, orationis tamen verba, dum nullam *Agni* mentionem faciunt, ſed ſimpliciter *creaturæ carnis*, adaptabilia ſunt cuique carni.

III. Succedit benedictio ovorum, quæ præcipue item fit in die Paſchatis, & quidem eadem de cauſa, quia cum veteres ab ovis pariter per quadrageſimam abſtinerent, cum eorumdem benedictione uſum, & eſum repetere volebant. Benedici autem poſſunt, cruda ſint, vel cocta, cum cortice, vel nudata, ſive colore aliquo tincta, pura namque accidentia hæc ſunt, quæ non mutant ſubſtantiam.

IV. Duæ aſſignantur benedictiones panis, quarum primam Baruffaldus temporis Paſchalis facit propriam, quia in oratione nominatur *Panis Angelorum*, & *Panis vitæ æternæ*, qui Paſchali tempore ex præcepto diſtribuitur, ſecundam vero putat inſtitutam, ut adhibeatur quocumque alio tempore,

Oratio

Oratio non exprimit qualitatem panis, & ideo ex quacumque farina ſit, vel figura, hac formula benedici æque poteſt. Panis benedictio a Chriſto in ſacris litteris pluries legitur habita, ab Apoſtolis ſuis uſitata, & in hiſtoriis non deſunt ſanitatis gratiæ, & innumera miracula per panem, præcipue a ſanctis viris, benedictum perpetrata. Sane in vita S. Hilarionis Hieronymus habet: *Concurrebant Epiſcopi, & Presbyteri, greges etiam monachorum, aliique nobiles, & ignobiles, ut benedictum ab eo panem acciperent, quo innumeri ſanabantur.*

V. *Benedictio novorum fructuum* radices uſque habet in lege veteri *Exo. 33., & Deuteron. 26.*, ubi cujus tenebatur populus primitias offerre Deo, & hoc non tantum gratitudinis cauſa, tanquam bonorum omnium auctori, & datori, ſed etiam ut benedictionem divinam impetrarent, utque in conſecratis primitiis omnes reliqui fructus conſecrarentur, & ſumentibus ſalutares efficerentur, & hoc Sacerdotum precibus intervenientibus. Abrogata lege antiqua, id apud Chriſtifideles reliquum extitit, at non quidem ex præcepto, ſed ex titulo meræ gratitudinis recognoſcerent Deum donorum omnium largitorem, primitias novorum fructuum Sacerdotibus offerendo; rejectis tamen ritibus, & cæremoniis veteris legis. Vateris hujuſce moris uberrimum teſtimonium reddit Clemens Romanus *lib. 7. cap. 30.*, confirmat Origenes, hom. 11. in Num. *Si quis non offerat primitias Sacerdotibus, non videtur hujuſmodi habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quod Deus dedit fructus, quos &c.*, & denique Hieronymus *cap. 44. in Ezech.* oblationis aſſignat cauſam: *Primitiæ ciborum noſtrorum Sacerdotibus offeruntur, ut nihil guſtemus novarum frugum: niſi Sacerdos ante guſtaverit. Hoc autem facimus, ut reponat Sacerdos benedictionem, & oblationem noſtram in domo ſua, ſive ut ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris.*

VI. Verum novæ fruges non ſolum benedicantur offerendo eas Sacerdotibus, ſed etiam propriis, & ad id deſtinatis precibus, & quamvis in integrum dominorum uſum ſint convertendæ, & ne minima quidem pars de neceſſitate fiat Sacerdotibus benedicentibus. In libro Sacramentorum S. Gregorii duæ extant formulæ, ſed a nobis uſitanda eſt, quam affert Miſſale, & Rituale Romanum, & ubi in oratione adeſt littera *N.*, exprimi debet nomen fructuum, qui benedicuntur. *Novorum* nomine veniunt fructus, qui ad maturitatem devenere, & per novorum, ſeu primorum benedictionem cenſentur benedicti etiam reliqui fructus omnes, ſaltem ejuſdem ſpeciei, & hac benedictionis formula conſecrari valent quicumque fructus, arborum ſint, herbarum, vel graminum.

VII. *Benedictio ad quodcumque comeſtibile* noſtram modo conſiderationem expectat; cum enim multiplex ſit humani corporis cibus, & potus, numquam fuiſſet finis, ſi cunctis ſpecialem benedictionis formulam Eccleſia aſſignare voluiſſet, & ideo ſatis provide, traditis nonnullis benedictionibus pro cibis communioribus uſuque obviis, unam præſcripſit formam, qua benedicerentur reliqua cuncta, eſculenta ſint, vel potulenta, expreſſo ſemper nomine cibi potuſve ad appoſitam litteram *N.* Quæ formula omnino adhibenda eſt, quodcumque benedicatur, quod propriam ex approbatis non habeat formulam, puta pro lacte, melle, vino, medicina, jure, aqua hordeacea, piſcibus &c., & confugiendum non eſt ad particulares benedictiones ab Auctoribus traditas: quod nunquam poteſt eſſe licitum, ſaltem quoties habetur benedictio particularis, vel generalis per ſacram Congregationem approbata.

VIII. Hujuſmodi benedictiones omnes habentur in Miſſali Romano, & inſertæ item ſunt in Rituali, nec inveniuntur commiſſæ Parochis, immo nec horum, ne quidem minima mentio habita, argumentum evidens, ut nos alias diximus, & advertunt Quartus, & Baruffaldus ipſi, non eſſe juris privativi Parochorum, ſed a quocumque Sacerdote fieri bene poſſe. Verum hac in re illationibus haud eſt utendum, cum id expreſſe præſens definiat Decretum, *de benedictione* quidem *ovorum*, ſed dum addit *& ſimilium*, quod de ovorum benedictione definitum eſt, extendendum eſſe quiſque videt ad qualcumque alias ſimiles benedictiones, cujuſmodi ſunt, de quibus agimus, benedictiones nempe omnium aliorum eſculentorum, & potulentorum.

IX. Una eſt *benedictio olei ſimplicis*, de qua difficultas eſſe poteſt, tum quia eam dumtaxat Rituale habet, quod editum eſt pro Parochorum uſu, tum etiam quia reapſe non videtur eſſe olei, quod pro cibo, aut potu deſervire debeat, ſed magis pro unctione infirmorum, unde cadere non poſſe videtur ſub præſentis diſpoſitione Decreti, quod per to *ſimilium* comprehendere quidem poteſt benedictiones alias eſculentorum, & ad ſummum trahi etiam ad illas potulentorum, non tamen benedictiones eorum, quæ deſerviunt ad uſum alium ab eſu, vel potu. At minus relevant rationes iſtæ, ut prædictam benedictionem olei propterea privative adjudicemus Parochis; Rituale enim etſi editum ſit potiſſimum pro Parochorum uſu, & commodo, plura continet, quæ ab ipſis ſolum per delegationem præſtari queunt, plura, quæ communia habent cum Sacerdotibus omnibus, & quidem etiam ex iis, quæ in Miſſali deſunt, ſicuti ſunt, ut cætera omittam, benedictio mulieris poſt partum, atque ſacrarum imaginum. Jam vides itaque, quod inepte admodum, atque invalide arguitur a carentia prædictæ benedictionis in Miſſali libro ad ejuſdem reſervationem Parochis, quibus neque ſatis ad rem ſuffragatur ſecunda adducta ratio, quia to *ſimilium* nedum relationem habet ad præcedentem benedictionem ovorum, ſed etiam ad eas *ignis*, & *ſeminis*, quarum Decretum item meminit, & tamen ipſæ eſculentorum non ſunt, neque potulentorum.

XI. Quod ſacri Eccleſiæ miniſtri, interdum etiam laici ſanctitate præſtantes, præſertim oleo benedicerent, illoque uterentur fideles ad fugandos morbos, ſatis comprobant, quæ Sulpitius *Dial. 3. cap. 3.* his verbis narrat: *Deinde puſillum olei cum exorciſmi* (nota hæc verba, ut inde intelligas antiquitatem exorciſmi, quem etiam nunc Eccleſia huic benedictioni præmittit) *præfatione benedicit*, & mox: *non prætermittendum videtur Avitiani Comitis uxorem miſiſſe Martino oleum, quod ad diverſas morborum cauſas neceſſarium* (*ſicut eſt conſuetudo*) *benediceret*. Et paulo poſt: *Vas vitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat*. Et ſane antiquiſſimam eſſe hanc, de qua agimus, conſuetudinem oſtendit, ut reliqua miſſa faciam, formula orationis relatæ a S. Clemente *lib. 8. cap. 29. Conſtitut. Apoſtol.*, quam lector conſulat, dum ego probare pergo, quod etiam viri aliqui ſanctitate præſtantes, tametſi non Sacerdotes, olea ad curationes faciendas benedicerent. *Profecto ad Hilarionem*, ait Hieronymus in ejus vita, *concurrebat Epiſcopi, Presbyteri &c., ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent.*

XII. Aſſueti populi, at oleum deferrent ad Eccleſiæ miniſtros, aut etiam ad laicos quoſdam ſanctitate præſtantes, ut idem oleum horum benedictione virtutes nec leves profecto, nec paucas reciperet, haud diſſimilem benedictionem a ſanctorum cadaveribus ſe conſequi poſſe ſperarunt; & ideo quoniam difficillimum plerumque erat ſacris ipſis cadaveribus res admovere, propterea eaſdem, & præſertim vaſcula oleo plena ſuper, aut prope ſanctorum tumulos conſueverunt ponere. De his oleis agunt Chryſoſtomus *hom. 5. in martyres tom. 2.*, & Paulinus *lib. 5. vita S. Martini*, & Gregorius Turonicus *hiſt. Franc. lib. 8. cap. 15.*, & *lib. 1. miraculor. S. Martini cap. 2.*, ubi & recenſent emolumenta plurima, atque miracula peracta per olea ad tumulos ſanctorum poſita, & *Juſtorum virtute infuſa ſanctificata*. Olea itidem ex lampadibus ardentibus ante reliquias, vel imagines ſanctorum deſumpta, pro benedictis fuiſſe habita, & per ea virtutes plurimas patratas eſſe, atque miracula, idem Gregorius Turonicus *lib. 1. miracul. S. Martini cap. 15.*, & Paulus Diaconus *cap. 13. lib. 2. de geſtis Longobard.* dubium quodvis amovent.

Decretum II. cap. in ord. 367. *Non oportet aliquando clericos, niſi hymno dicto, comedere panem, & poſt cibos gratias auctori Deo referre. Cap.* Non liceat 12. *diſt.* 44. I. *Clericos* univerſim conſulto alloquitur ſanctio, dum menſæ benedictionem præcipit, & gratiarum actionem, ut inde eruat, atque noſcat obligationem ſuam etiam ſæcularis clerus, quam adeo peſſundat, & negligit. In hanc, abſit, utamur comminatione lethalis culpæ, qua legem ejuſmodi Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 3. de orat. voc. cap. 7.*, & Lezana *tom. 1. cap. 9. num. 48.* cenſent immunem, aut venialis, cui Navarrus *in manu. cap. 25. num.* 110. eam putat obnoxiam, ſed contenti ſumus referre exemplum Chriſti, ad quod ſanctio in iis alluſit verbis: *Niſi hymno dicto*. Chriſtus namque, qui in ultima cœna *benedixit, fregit &c.*, ab ea non receſſit, niſi *hymno dicto*, ut habetur *Matth. 26.*, & *Marc. 14.* ſuo nos inſtruens exemplo, quod menſæ non debemus aſſidere, niſi præmiſſa benedictione, aut ab illa diſcedere, niſi prius gratiarum actione peracta.

II. Apoſtoli Chriſtum imitati, docuere poſteros benedictionem menſæ, ut Paulus Timotheum 1. *ad eumdem cap.* 4. & hic mos exinde pertranſiit in ſanctos Patres, Prælatos Eccleſiaſticos, clericos, & laicos ipſos, licet horum plurimi turpiter a ſancto ejuſmodi inſtituto deflexerint, vix ſolis exceptis clauſtralibus viris, qui religione ſumma ſemper illud cuſtodiere, atque cuſtodiunt, gravi illi monito, quod univerſim ſuper benedictionem menſæ, & ſubſequentem gratiarum actionem facit Hieronymus *epiſt. 22. ad Euſtoch.*, firmiter adhærentes: *Nec cibi ſumantur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur a menſa, niſi referatur creatori gratia*. Ubi autem hinc uberrim colligas, quod non nudo crucis ſigno benedictio ſit facienda, ſed junctis precibus, ita non eſt admodum facile definire, quibus precibus olim fieret; an videlicet iis, quibus nos utimur, vel conſimilibus, qualis opinio quoad Chriſtum ipſum ſtetiſſe videtur S. Vincentio Ferrerio, D. Hieron. in *Marc.* 14., & Clem. Rom. *lib. 7. Apoſt. Conſt. cap. 48.*, an vero aliis, ſicuti nonnullis fortaſſe placuit. Nos itaque, quibus non adeo ineſt otii, ut inanem ejuſmodi rem curioſius perſcrutemur, contenti ſumus adjicere, quod noſtra formula tum benedicendi, tum gratias agendi, auctorem non reperitur habere, & in antiquiſſimis uſque Breviariis invenitur inſerta, ideoque antiquitate ſua auctoritatem ſibi conciliat maximam, ceteriſque cunctis eſt præferenda formulis.

III. Quæ formula haud eget expoſitione plurima, niſi fortaſſe, quod verſus *Benedicite*, quem apud nonnullos Regulares a lectore inchoari vidi, a Sacerdote menſa benedi-

cturo, per Rubricam jubetur incipi: *Ante prandium Sacerdos benedicturus menſam, incipit* Benedicite. Oratio *Benedic* ſignum ✠ non tenet inſertum, ſed nihilominus uſus obtinuit, ut ad *Domine nos* Sacerdos ſe ſignet ſigno crucis, & ad ſequentia verba *& hæc tua dona* idem crucis ſignum ſuper menſam efformet; & hoc quidem conſonanter, tum ad ritum chriſtianorum veterum, qui & ante cibum ſe ſignabant ſigno crucis ex Tertull. *de corona milit.*, & ipſos ſignabant cibos juxta Athanaſium *de ſerm. Virg.*, tum ad Rubricam ipſam, quæ dum in feria V. Cœnæ Domini Sacerdotem ſigno crucis ſine ulla pronuntiatione benedicere facit menſæ, a fortiori nos edocet, una cum verbis, quando hæc dicuntur, ſaltem ſuper menſam idem ſignum eſſe efformandum. Sufficit autem, id præſtet Sacerdos, qui benedictioni menſæ incumbit.

IV. *Quando ſemel comeditur, omnia dicuntur ut in Cœna*, ſunt Rubricæ verba, per quæ benedictionis formula, quæ in Cœna aſſignatur dicenda, uſitari mandatur diebus omnibus, in quibus unica habetur comeſtio, ſiva hæc poſtea habeatur in mane, vel in veſpere, aut quolibet alio diei tempore. Nollem jentacula, quæ in ſero dierum jejuniorum conſuetudo introduxit, comeſtiones multiplicare cenſeas, ſed benedictionem cœnæ ſecurus adhibeas, perinde ac ſi minime in ſero refectiuncula ſumeretur; hæc enim toleratur dumtaxat, ſeu conceditur ſecundum indulgentiam, & novam comeſtionem non cenſetur inducere, alias Eccleſiaſticum læderet jejunium, quod in unica comeſtione conſiſtit. Si hanc item dixeris eſſe cauſam, ob quam pro ejuſmodi refectiunculis nulla habetur benedictionis formula ex inſtitutione Eccleſiæ, abſit, quod ego refrager, quamvis ſimiliter putem, quod aliqua brevis ſit adhibenda, uti reapſe præſtant Regulares Ordines, quorum quilibet ſe tueri poteſt in ſua, licet varia, conſueta benedicendi, & gratias agendi formula, quia cum nullam aſſignent Rubricæ Breviarii, quilibet abundare poteſt in ſenſu ſuo.

V. Sunt nonnulla tempora, in quibus benedictio, & gratiarum actio fiunt quidem ut in generali formula, ſed variantur verſiculi, & pſalmi, non eſt tamen eadem variandi neceſſitas, nam verſiculi in notatis temporibus ſemper variari debent, ubi pſalmi ita notantur variandi, ut ſalvum ſemper maneat beneplacitum pro conſueto pſalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, qui pro libito æque dici poteſt in quibuslibet ſolemnitatibus, licet pſalmorum fiat variatio nulla. Primi ex verſiculis, qui communibus ſubrogari debent, ſunt illi Nativitatis Domini, & hi juxta Rubricam dici debent *in Nativitate Domini uſque ad Cœnam vigiliæ Epiphaniæ excluſive*. Nativitas Domini, & conſimilia alia feſta ſecundum rituum regulas incipiunt a primis veſperis, & ideo Gavantus *ſect. 9. cap. 6. numer.* 10., Maratus *ibidem num.* 2., atque Guyetus *lib. 4. cap. 20. quæſt.* 8. hanc concordes dant generalem regulam, ut pridie feſti in cœna, ſi cœnatur, inchoandi ſint verſiculi proprii; idque locum habet etiam in vigilia Nativitatis, vel quando hæc incidit in Dominicam, vel quando in ea, ſicuti & quolibet alio die differtur cœna poſt veſperas. Apud alios vero, qui comedunt ante veſperas, quantumcumque comeſtio illa dicatur cœna, haud tamen dicendi in ea ſunt verſus proprii Nativitatis, & ſic de reliquis feſtis, quia videlicet nondum inchoatum eſt officium.

VI. Verſus Nativitatis continuantur uſque ad cœnam vigiliæ Epiphaniæ *excluſive*, ut diſerte Rubrica inquit, unde ad cœnam ejuſdem vigiliæ inchoantur verſus Epiphaniæ, cujus feſtum jam incœpit in primis veſperis. Et hinc apparet legitimus intellectus Rubricæ Nativitatis, quem ea memoratis produximus Auctoribus; habet enim Rubrica de verſiculis Epiphaniæ, quod hi dicendi ſunt *in Epiphania, & per totam octavam*, & tamen aperte conſtat, quod incipiendi ii ſunt, non in die Epiphaniæ ad prandium, ſed ad cœnam præcedentis vigiliæ, ad quam uſque *excluſive* cum Rubrica Nativitatis continuari faciat verſus ejuſdem Nativitatis, conſequenter edocet, quod ad eamdem cœnam ſumi debent verſiculi Epiphaniæ, cujus officium jam incœpit ad veſperas. Ita quidem, quia ſupponitur prædictam vigiliam ſine jejunio tranſigi; quod ſi jejunetur, ut mea Congregatio aſſolet, tunc ſubintrat laudata ſuperius regula, ut verſus Nativitatis dicantur in eadem vigilia, niſi cœna differatur poſt veſperas, quo in caſu in uſu erunt verſiculi Epiphaniæ. Quouſque autem durent verſiculi Epiphaniæ, abunde ſe Rubrica explicat, dum dicit *per totam octavam*, quæ cenſetur perdurare uſque ad mediam noctem diei 13. Januarii incluſive.

VII. A generali benedictionis formula omnino abeunt feria V. Cœnæ Domini, & ſubſequens feria VI., in quibus *dicitur abſolute* (ideſt non præmiſſo *Benedicite*) *& ſine nota*, ſeu ſine cantu verſiculus *Chriſtus factus*, cum additione *mortem autem crucis* in feria VI., in qua realiter mors Chriſti geſta fuit. Abſoluto hoc verſu, dicitur *Pater noſter*, & cum Rubrica notet *totum ſecreto*, nec alta voce inchoari debet *Pater noſter*, neque pronuntiari *& ne nos inducas*. Dicto *Pater noſter*, Sacerdos, precem nullam dicens, ſignat menſam ſigno crucis, & hoc pacto cenſetur completa benedictio menſæ. Pro gratiarum actione repetitur verſus *Chriſtus factus*, poſtea dicitur pſalmus *Miſerere* ſine *Gloria Patri*, deinde *Pater noſter* totum ſecreto, quo abſoluto, Sacerdos non præmittens *Oremus*, recitat orationem *Reſpice*. Num in fine hujus orationis dici debeat *Qui tecum*, videtur affirmandum, dummodo dicatur *ſecreto*, *& ſub ſilentio*, ut moris eſt hoc tempore in officio ipſo, atque hujus Rubricæ præſcribunt. At obſtat maxime Rubrica poſt eamdem orationem poſita, quæ habet: *Et non pronuntiatur* Qui tecum, *nec* Fidelium animæ, *ſed ſecreto dicitur* Pater noſter. Si namque to *& non pronuntiatur* ita intelligendum cenſeas, ut to *qui tecum* dici quidem debeat, ſed non voce intelligibili, ſed ſecreta, & ſub ſilentio, jam aperte vides, quod cum idem verbum ſimiliter cadat ſuper verſus *Fidelium animæ*, eel invitus dicere cogeris, quod item dici debet, licet non intelligibili voce, ſed ſecreta, & ſub ſilentio verſus *Fidelium animæ*, quem concordes Auctores omnes una cum Rubricis officii omiſſioni committunt. Rubricæ itaque undique conformius apparet, quod ſicuti omitti debet verſus *Fidelium animæ*, ſuper quem prælatum verbum ſimiliter cadit, ita omitti quoque debeat to *Qui tecum*; & eo maxime, quod Rubrica ſubjungit: *ſed ſecreto dicitur* Pater noſter; dictio namque *ſed* adverſativa eſt præcedentibus, unde ſenſum reddit, quod *Pater noſter*, quem ipſa afficit, dici quidem debet, non autem præcedentes verſus *Qui tecum*, nec *Fidelium animæ*, & ne quidem ſecreto, & ſub ſilentio, alias præfata dictio non adverſaretur præcedentibus, cum ſecreto, & ſub ſilentio *Pater noſter* ex præſcripto ejuſdem Rubricæ dici debeat. Abſoluto autem *Pater noſter* ſub ſilentio, non additur verſus *Deus det nobis ſuam pacem*, ſed abſque eo quod aliquid ulterius dicatur, quique recedunt.

VIII. Non ſic eſt de ſabbato ſancto, cujus benedictio de more incipit a verſu *Benedicite*, & ut alias perficitur cum ſola mutatione verſiculi conſueti, cujus loco tum in benedictione, tum in gratiarum actione ſubſtituitur verſus *veſpere autem ſabbati*. Cum ſola item mutatione prædicti verſiculi, & ſubrogatione verſus *Hæc dies* fit benedictio menſæ, & gratiarum actio *in die Paſchæ, & deinceps uſque ad cœnam ſequentis ſabbati*, ait Rubrica; addit vero rite Gavantus *excluſive*, quia ad veſperas ſabbati cenſetur expletum officium octavæ Paſchatis, cujus propria ait prædicta particularis benedictio.

IX. Hic lubet adjicere ſingularem opinionem Lucii Ferraris *in ſua Biblioth. verb. Benedictiones variæ numer.* 30., ubi allegans Bauldryum *in manu. par. 2. cap.* 21. *numer.* 6. arbitratus eſt, quod quoties pridie feſti, quod habet benedictionem propriam, jejunatur, mutationes verſiculorum propriorum anticipata poni debent in mane ipſarum vigiliarum, unde v. gr. verſiculi Nativitatis dicendi forent in mane vigiliæ ejuſdem Nativitatis, verſus feriæ V. Cœnæ Domini in feria IV. præcedenti, & verſus feriæ VI. Paraſceves in feria V. Cœnæ Domini, & verſus ſabbati ſancti in præcedenti feria VI., & demque verſus Paſchatis in ſabbato ſancto. Opinioni ejuſmodi hæc ſuffragari poteſt ratio, quod ad menſam, licet habeatur in mane, omnia dici debent ut in cœna, quoties ſemel tantum comeditur; unde quemadmodum ſi cœna ſuo tempore, ſeu veſpere haberetur, ad hanc diceretur verſus proprii ſequentis feſti, ita anticipari hi debent, quoties cœna in mane anticipatur.

X. Verum diſſona apparet admodum iſta agendi ratio ex verſiculo ſabbati ſancti *veſpere autem ſabbati*, qui alias poni deberet in mane feriæ VI. Paraſceves, in qua Eccleſia cum in ſumma triſtitia verſetur ob mortem Chriſti, quam ea die recolit tamquam realiter geſtam, non eſt, conemur oſtendere, quam diſconveniat in illius ore præfatus verſiculus, qui adjuncta habet ſigna lætitiæ, ſcilicet *Alleluja*. Non eſt itaque diſcedendum a nobis ſuperius laudata agendi ratione, ut videlicet non inchoentur verſiculi proprii, niſi poſtquam inchoatum fuerit officium, ad quod illi ſpectant tanquam quid acceſſorium. Cum igitur feſtorum officium non incipiat, niſi ad primas eorumdem veſperas, idcirco in vigiliis ad menſam legendum quidem erit ut in benedictione cœnæ, ſed erit omnino abſtinendum a verſiculis propriis ſequentis feſti, quod nondum eſt inchoatum, licet illi dicerentur ratione temporis ad eamdem cœnam, quoties hæc in ſero, ſeu veſpere haberetur.

XI. Profecto fallor, ſi quis hinc non arguat in favorem tridui mortis Chriſti, in quo comeſtio non ſumitur, niſi recitatis veſperis; quam autem perperam, ex eo conſtat abunde, quod prædictum triduum non habet primas veſperas, ſed ejuſdem officium ex ſua conſtitutione incipit a Matutino, a quo cum item incipiat feſtum Paſchatis, idcirco ejuſdem benedictio uſitari non poterit in ſabbato ſancto, etſi ad menſam procedatur veſperis jam recitatis. At quid, ſi cœna differatur in ſero, in quo incœptum ſupponitur officium ſequentis diei per Matutinum, quod ex communi conſuetudine pridie anticipatur? Verum quoad rem, de qua agitur, attendendum eſt tempus Matutini canonicum, non tempus indulgentiæ, cujuſmodi pro Matutino ſequentis diei eſt tempus veſpertinum præcedentis, alias quippe verſiculus ſabbati ſancti, incipit *veſpere autem ſabbati*, qui adjuncta habet lætitiæ ſigna, ſcilicet *Alleluja*, dici poſſet in ſero præcedentis feriæ VI. inter ſumma triſtitiæ argumenta; quo quid abſurdius?

XII. Dominicæ Aſcenſionis verſiculi juxta Rubricam dici debent *in Aſcenſione Domini uſque ad vigiliam Pentecoſtes excluſive*, adeoque debent incipi in vigilia, quæ cum non jejunetur, habent cœnam poſt primas Aſcenſionis veſperas,

rum, a quibus feſtum incipit. Terminus autem erit ad cœnam feriæ VI. poſt octavam Aſcenſionis, nam to *excluſive* excludit eoſdem verſiculos a ſequenti vigilia, & concordat Rubrica de veſtibus Pentecoſtes, quos dicendos eſſe jubet *in Pentecoſte a vigilia ejuſdem incluſive*.

XIII. Potior difficultas urget de termino eorumdem verſuum Pentecoſtes, quos Rubrica continuandos eſſe aſſerit *uſque ad cœnam ſabbati ſequentis excluſive*. Gavantus enim Rubricam ſic accipit, ut velit excludi penitus ſabbatum, *quia*, inquit, *in ipſo ſabbato poſt Nonam terminatur tempus Paſchale*, onde ipſe de ſuo addidit *uſque ad cœnam feriæ VI. quatuor temporum*. Guyetus e contra exiſtimat, non excludi comeſtionem ſabbati a verſibus Pentecoſtes, niſi ubi fit poſt veſperas, *quia adhuc*, ait ipſe, *cenſetur perſeverare officium Pentecoſtes, adeoque omnia, quæ ad illud pertinent, uſquedum inceptum fuerit officium ſubſequens, quod profecto ante veſperas dici nequit inchoatum*. Id confirmat a paritate, quia nempe *ſicut officium Epiphaniæ terminatur in die octavæ finito completorio, & tamen ipſomet die in cœna, quæ ſumitur poſt completorium, adhuc dicuntur verſus Epiphaniæ; ita licet in prædicto ſabbato ad Nonam terminetur officium Pentecoſtes, hujus verſus proprii adhuc dicendi erunt in comeſtione meridiana, cum nondum ſit inchoatum officium ſequentis diei*. Addit, quod ad idem tempus *paſchale pertinet Miſſa ejuſdem ſabbati, quæ tamen dicitur poſt Nonam*. Rem denique concludens aſſerit, quod caute admodum expreſſit Rubrica *uſque ad cœnam ſabbati excluſive*, in gratiam videlicet eorum, ſi qui ſuperſunt, qui ex antiqua jejunii lege comeſtionem differunt ad ipſam uſque cœnam; at qui ſecus in prandio jejunium ſolvunt, hacce Rubrica minime tenentur; nec in oppoſitum ullatenus relevat illud generalis Rubricæ *quando ſemel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna*, nam aliud eſt eſſe cœnam, aliud omnia dici ut in cœna, & licet in prandio omnia dicantur ut in cœna, non propterea prandium dici poteſt cœna.

XIV. Noviſſime inſurrexit Meratus, qui de more Gavanti ſententiam adoptans, advertit, quod comeſtio illa unica, quæ fit in die jejunii, juxta Rubricas non appellatur prandium, ſed cœna, & ideo cum Rubrica excludat prædictos verſus proprios a cœna præfati ſabbati, nullatenus dicendi ſunt, licet comeſtio non habeatur in ſero, ſed circa meridiem. Hic ſiſtit Meratus, qui cum non evertat argumenta Guyeti, nos putamus addendum, quod prædictæ comeſtioni reliquum eſt nomen *cœnæ*, eo quod antiquitus in diebus jejuniorum haberentur in veſpere. Hæc cauſa item eſt, ut ſicut retentum eſt nomen, ita etiam benedictionis verba; & propterea omnia dicuntur ut in cœna, quinimmo in illis verbis *ad cœnam vitæ æternæ* fit adhuc alluſio ad cœnam, quia illa comeſtio reapſe deſervit pro antiqua cœna, licet modo ad meridiem tracta fuerit.

XV. Optima eſt autem ratio, quam producit Gavantus, quia nempe poſt Nonam terminatur tempus Paſchale, nam hoc ipſo poſt Nonam non amplius locum habere poſſunt verſus temporis Paſchalis, quales ſunt verſus Pentecoſtes: demus enim, quod nonniſi ad veſperas inchoetur officium ſubſequens, ſed non propterea cenſeri unquam poteſt, quod perſeveret uſque ad eaſdem veſperas tempus Paſchale, quod ad Nonam expirare nos docet Rubrica, ſed magis, quod ad hujus expirationem ſuccedat tempus non Paſchale, adeoque & benedictio huic tempori conformis, non autem Paſchali. Hinc igitur dumtaxat fieret, quod ſi feſtum ſubſequens haberet verſus proprios, hi non forent dicendi, cum nondum inchoatum ſit officium, quinimmo neque verſus temporis Paſchalis, ſed magis verſus temporis non Paſchalis, qui ſicuti tempus ipſum incipiunt, ubi deſinit tempus Paſchale. Par nec eſt ratio de exemplo octavæ Epiphaniæ, nam in hac ita quidem, quia juxta Rubricam verſus Epiphaniæ dici debent *per totam octavam*; hæc vero, cum menſuretur diebus octo Eccleſiaſticis, non deſinit, niſi ad mediam noctem diei octavæ, omnino autem futile eſt, quod additur de Miſſa ejuſdem ſabbati, quæ quidem ſpectat ad tempus Paſchale, ſed hoc non deſinit illico poſt Nonam, ſed *celebrata Miſſa*, ut aperta ait Rubrica.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

De Sacris Oleis.

TRia ſunt ſacra olea, catechumenorum ſcilicet, infirmorum, & chriſmatis, & hujus præ illis conſtitutionem intrat etiam balſamum, judaicum ſit, vel indicum. Catechumenorum oleum Eccleſia adhibet in benedictione fontis baptiſmalis, adminiſtratione baptiſmi, conſecratione Eccleſiæ, altaris fixi, atque portatilis, ordinatione Presbyteri, & in benedictione, & coronatione Regum, & Reginarum. Utitur ſacro chriſmate in benedictione fontis baptiſmalis, adminiſtratione ſacramentorum baptiſmi, & confirmationis, conſecratione electi in Epiſcopum, patenæ, & calicis, & in campanarum benedictione. Infirmorum olei parcior uſus eſt, in ſola nempe adminiſtratione ſacramenti extremæ unctionis, & benedictione campanarum.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 368. *Olea ſacra quotannis ab Epiſcopo confici, & ſuæ Diœceſis Presbyteris diſtribui debent*, Cavalieri Tom. IV.

cremetis veteribus; & vetera non poſſunt adhiberi, poſtquam nova ſunt conſecrata. Sac. Rit. Congr. 7. Septembr. 1601. in Septemb. I. Cum S. R. C. Decreta nonniſi anno 1602. deſcribi cœperint, præſens ea lis eſt, quæ in ejuſdem Congregationis regeſtis minime reperiuntur; dignum tamen adhuc, quod hoc exponendum induceretur, viſum eſt nobis, cum non ſtatuat, niſi quod ſanctiones aliæ, atque Ritualia. Ex traditione Apoſtolica ad noſtra uſque devenit tempora benedictio, & conſecratio ſacrorum oleorum, & hæc Epiſcopis privative convenit, quemadmodum definivit Concilium Carthaginenſe II., & III. contra quoſdam Presbyteros, qui vetuſtiſſimo innixi Eccleſiæ inſtituto, quoad prædictam benedictionem ſimplices etiam accit Presbyteros, ſacri benedictionem chriſmatis ſibi putarunt licitam, perperam arbitrati ut cooperatores admitti, & non ut præciſe tanti myſterii teſtes, ſicuti ſcite advertit Martene *de antiq. Eccl. diſcipl. tom.* 4.

II. Benedictio, & Conſecratio ſacrorum oleorum quotannis fieri ſolet in feria V. in cœna Domini, diceremus a ſæculo uſque tertio, quatenus can. *Litteris* Fabiani Papæ adſcribendus eſſet, ſed obſtat maxime can. 20. Concilii Toletani I. ſæculi quinti, & refertur *de conſecr. diſt.* 4. *cap.* 124. ubi ſtatuitur, *omni tempore Epiſcopo licere chriſma conficere, & per ſuas diœceſes deſtinare*; quare prædictus uſus antiquior fortaſſe non eſt ſæculo ſeptimo, in quo ejuſdem mentio inſtituitur in ſacramentario S. Gregorii, & *de ſent. excom.* in 6. adeo in præfata feria V. fieri decernitur, ut faciendum mandetur, etiam tempore interdicti, quia tali adhuc tempore adminiſtrantur ſacramenta baptiſmi, & confirmationis. Divus autem Thomas 3. *par. quæſt.* 72. *art.* 12. *ad* 3. ſatis congruam aſſignat rationem, ob quam in laudata feria V. fieri conſtitutum eſt: *Quia ſolemnis baptiſmus, ad quem requiritur uſus chriſmatis, in vigilia Paſchæ celebratur, congrue ordinatum eſt, ut per biduum ante chriſma ab Epiſcopo benedicatur, ut poſſit per diœceſim deſtinari*.

III. Obligationi, quæ inſtat Epiſcopo conſecrandi quotannis in feria V. Cœnæ Domini olea ſacra, in ſubjectis Eccleſiis correſpondet obligatio altera, nonniſi nempe, & quotannis accipiendi eadem ſacra olea a proprio Epiſcopo, unde de Conſecr. diſt. 4. can. 122. *ſi quis de alio chriſmate, quam de illo novo, quod proprii Epiſcopi largitione, vel conceſſione acceperit, baptizare, niſi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis auſu ipſe in ſe ſuæ damnationis protuliſſe ſententiam manifeſtatur*. Et can. 123. *Presbyteri, qui Diœceſanas regunt Eccleſias, non a quibuslibet Epiſcopis, ſed a ſuo ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant*. Et can. 124. *Ita ut ad accipiendum chriſma Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paſchæ de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum deſtinetur*.

IV. Canones illi nos docent alia plurima, & primo quod ad recipienda ſacra olea deſtinentur miniſtri ſacri, Diaconus ſcilicet, vel Subdiaconus, non Laici, neque Clerici inferiorum Ordinum, ſed non propterea Sacerdos mitti prohibetur, quinimmo magis decens eſt, id Parochus per ſeipſum præſtet, vel per Sacerdotem, unde in cit. can. 123. *Nec per minorem clericum, ſed per ſe ipſos* (Parochi) *aut per illum, qui ejuſdem Ordinis eſt, ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant*. Dubium non eſt, quod canon ille Sacerdotem exigit, nos tamen ſolum magis, id Sacerdos præſtet, decens eſſe diximus, quia, ut ibi notat Gloſſa, laudatus canon per ſequentem 124. ita corrigitur, ut ſufficiat etiam clericus ſacrorum ordinum, quo & contenta ſunt acta Eccl. Mediol. *Ii vero* (qui nempe ſacra olea diſpenſant) *ne illa aliis dent, niſi iis, qui ſacris ordinibus initiati ſunt*.

V. *Ante Paſchæ ſolemnitatem*, & *ante diem Paſchæ* verba ſunt eorumdem canonum, per quæ inſinuatur alterum, quod nempe in aliqua ex diebus a feria V. cœnæ Domini ad ſubſequentem Paſcham nova olea procurari debent, quare ſabbatum ſanctum, cujus inferius danda non ſemel meminere Decreta pro receptione ſacrorum oleorum, non eſt neceſſaria dies, in quo olea debent accipi, ſed terminus, ultra quem eorumdem innovatio differri non debet. Ratio, quam ex D. Thoma ſuperius produximus, abunde comprobat, quod ubi in ſabbato ſancto benedicitur fons baptiſmalis, & ſolemniter adminiſtratur baptiſma, ſacra olea ita tempeſtive procurari debent, ut nova adhiberi valeant. Idipſum ſtatuit præſens ſanctio, dum poſt conſecrationem novorum oleorum vetera adhiberi inhibet, & concordat laudatus canon 122. cujus verba lector poteſt recolere.

VI. Benedictus XIV. *tom.* 4. *notific.* 14. uti dicebamus, congruum eſſe ſcribit, ut ſacra olea tempeſtive habeantur, ubi in ſabbato ſancto benedicendus eſt fons baptiſmalis, ſed non obſcure indicat, in tali circumſtantia etiam vetera adhiberi poſſe, quinimmo terminum prædicta procurandi olea prorogat a mane feriæ V. in cœna Domini uſque ad ſabbatum in Albis. Si quas produximus, preſſe attendantur ſanctiones, his non plurimum videtur conſona dilatio ejuſmodi, ſed quoniam moraliter illæ magis attendi debent, haud dubitaverim, hanc in licitum uſum eſſe poſſe Eccleſiis illis, quæ ob longinquitatem, vel aliam juſtam cauſam ut ſupra opportune ſacra olea procurare non valent. At quid de Eccleſiis Civitatis, aliiſque fora-

neis, quæ cum nullo deſtineantur incommodo, aut impedimento, ſacra nihilominus olea tempeſtive procurare negligunt? Satis tibi ſit, quod ſapientiſſimus laudatus Summus Pontifex univerſim prædictum indulget terminum, ut eum licitum eſſe ſcias; nec ſatis congrua ratio deeſt, quia prædicti canones contenti ſunt, habeantur olea *ante diem, vel ſolemnitatem Paſchæ*, quæ juxta rituum regulas non terminatur, niſi in ſabbato, vel Dominica in Albis, quarum altera abſolvitur ejuſdem octava, quæ eſt continuatio, & prorogatio feſti. Sane etiam lex communionis Paſchalis lata eſt pro die ipſo Paſchatis, & nihilominus ea declaratione Eugenii IV. optimo jure intelligitur ſatisfactum eſſe canoni, ſi in aliqua ex diebus infra octavam uſque ad Dominicam in Albis incluſive adimpleatur.

VII. Quos ultra dies ſi quis differat ſacra nova procurare olea, & ſacramenta cum veteribus adminiſtrare audeat, adminiſtrat quidem valide, ſed adeo illicite, ut in ſe ſuæ damnationis ſententiam proferat, ut laudatus canon 122. expreſſe aſſerit, cujus diſpoſitionem nos mitigare non poſſumus. Oppones; (& erit Decr. 2. cap. in ord. 369.) *In caſu neceſſitatis uti poterit Parochus oleo vetere ſacro*, Congr. Epiſcop. 20. Martii 1590. ſed rite reponit idem Benedictus XIV. Decreti ſenſum eſſe, quod citra culpam cum oleo veteri in caſu neceſſitatis ſacramenta adminiſtrat ille, qui in culpa non eſt, cur nova non habeantur; ſecus vero ille, qui cum munere ſui officii neglecto intra tempus debitum nova olea non procuraverit, voluntarie ſe conſtituit in neceſſitate adhibendi vetera. Ex hinc habes, ad quos trahas limites exceptionem illam laudati canonis: *Niſi præoccupante morte*, quod perinde eſt, ac ſi diceretur *in neceſſitatis caſu*.

VIII. Quod princeps ſanctio addit de combuſtione oleorum veterum, concordat cum Pontificali Romano, quod vetera comburenda eſſe mandat in lampadibus Eccleſiæ ante SS. Sacramentum, & modum explicant Acta Eccl. Mediol. tom. 1. par. 2. *Parochus ubi primum olea ſacra nova acceperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante SS. Sacramentum collucet, bombice in ſacrario plane exuſto.* Ex bombacio nempe prius exprimatur oleum in lampade, & poſtea bombacium comburatur in ſacrario, vel ſacriſtia, & cinis in ſacrarium projiciatur. Hæc autem cautio adhibenda erit, ut non exurantur olea vetera, niſi prius habeantur nova, ne dum nova procurantur, deficiant vetera pro adminiſtratione Sacramentorum pro quocumque caſu; & hæc eſt cauſa, ob quam in prædictis Actis duo vaſcula præcipiuntur haberi pro ſingulis oleis, unum nempe pro novis recipiendis alterum pro veteribus interim cuſtodiendis. Laudabile quidem eſt inſtitutum ejuſmodi, ſed minime neceſſarium, quare ego univerſim Eccleſias, præſertim pauperiores, excuſari poſſe cenſeo, ſi unum duntaxat pro ſingulo oleo habeant vaſculum, dummodo dum nova procurant olea, vetera ſeu bombacium iiſdem humectatum aſſervent in munda patina, vel in alio decenti vaſe. Unaquæque autem Eccleſia ea prædictis oleis ea ſolum procurabit, & accipiet, quibus pro ſui qualitate indiget, & reſpective uno duntaxat, vel pluribus ex prædictis vaſculis ornata erit.

Decretum III. cap. in ord. 370. *Olei ſacri conſecratio debet fieri omnino juxta formam Pontificalis, & Canonici debent ſupplere, ſi numerus ſufficiens Presbyterorum non adſit præter canonicos. S. R. C. 9. Maji 1606.* in Lauretana. I. *Omnino* dictio eſt, quæ præciſam naturam habet, reſtrictionem nullam patitur, importatque præciſam executionem. In Pontificali itaque Romano cautum eſt, quod ultra miniſtros Epiſcopi, conſecrationi ſacrorum oleorum aſſiſtentiam præſtent duodecim Presbyteri, ſeptem Diaconi, & totidem Subdiaconi, non computato acolythorum numero, aliorumque inferiorum miniſtrorum neceſſariorum. Hæc eſt forma, quæ ſervari mandatur, & quia æquum eſt, quod qui ſacra olea accipere debent, Epiſcopis item aſſiſtant ad eorum benedictionem, conſuetudo fere communis obtinuit, ut ad aſſiſtendum vocentur Parochi, ne quidem excluſis Regularium illis, qui curam animarum ſæcularium ſuſtinent, bene vero excluſis univerſim Regularibus ceteris, etſi ex iis item ſint, qui ſacra olea ab Epiſcopis debent petere, unde Decretum (erit 4. cap. in ord. 371.) *Regulares cogi non poſſunt ad aſſiſtendum conſecrationi ſacrorum oleorum.* Congreg. Epiſc. 5. Februar. 1602. *Niſi qui habent curam animarum ſæcularium, licet eſſent ex Ordine S. Joannis Hieroſolymitani.* Ead. Congr. 28. Apr. 1599.

II. Uti namque qui ex Regularibus curam animarum ſæcularium exercent, æquum eſt, perinde ac ſi Parochi ſæculares forent, quibus conſimilem honorem conſequuntur, ſuſtineant Parochorum onera, actiones, & conſuetudines, ita Regularium ceteri, qui propter præclara Ordinum facinora meruerunt ab Epiſcoporum exemptione donari, immunes quoque fiet ab onere aſſiſtendi conſecrationi ſacrorum oleorum, tametſi eadem ſacra olea ab Epiſcopis accipere debeant. Non ſic tamen onus ut ſupra aſſiſtendi incumbit Parochis, ut quicumque alteri de ſæculari clero ab Epiſcopis cogi non valeat, & præſertim in cleri defectu, quo in caſu canonici ipſi ſupplere tenentur, ſicuti quod exponendum ſuſcepimus, definit Decretum, cujus particula *præter canonicos* ita debet accipi, ut in defectu ſufficientis numeri Sacerdotum ſæcularium, qui cum Epiſcoporum juriſdictioni plene ſubſint, obligari poſſunt, canonici ſupplere debeant, non autem in defectu etiam Sacerdotum Regularium, qui a prædicta aſſiſtentia declarantur immunes, & habentur particularia exercitia pietatis ultra conſuetas functiones Eccleſiaſticas; e quibus divelli non congruit, ut aſſiſtant conſecrationi ſacrorum oleorum, quæ æque bene fieri valet per aſſiſtentiam Sacerdotum ſæcularium, & in horum defectu per aſſiſtentiam Canonicorum, qui jam Epiſcopo tenentur aſſiſtere, dum divinis officiis incumbit.

III. Quod ſi talis eſſet Sacerdotum caritas, ut neque ſufficiens haberi poſſet Canonicorum numerus, etiam Regulares magis obligari poſſe crederem, quam conſecrationem fieri cum minori Sacerdotum numero, quam præſcribatur a Pontificali Romano, cujus forma juxta Decretum omnino ſervari debet; tunc namque agitur de communi cauſa, quæ Regulares ipſos tangit, & ideo poſthabitis particularibus ſuis exercitiis, æquum eſt, & ipſi ſuam præſtent operam. Quæ ex eo libentiores ſcribimus, quod plene conſcii de ſolicitudine Regularium Ordinum ad tuendam ſcriptis, operibus, & ſanguine ipſo communem Eccleſiæ cauſam, haud dubitemus, quod nedum in prædicto caſu aſſiſtere reluctabuntur, ſed certatim ad aſſiſtendum prompti accurrent.

Decretum 5. cap. in ord. 372. *Olea ſacra ex cauſa neceſſitatis poſſunt confici ab Epiſcopo cum minori numero Sacerdotum, quam præſcribatur in Pontificali. S. R. C. 21. Aug. 1604.* in Corien., *& 12. Martii 1616.* in Paxien. I. Dictio *Omnino*, quam præſens tenet Decretum, limitationem ſuſcipit a neceſſitate, cui omnes cum pareant leges, neceſſe eſt, & pareat illa Pontificalis Romani; & maxime quia ille Sacerdotum numerus neceſſarius non eſt ad conſecrationem ſacrorum oleorum, ſed ſolummodo ad ſolemnitatem myſterii, cum Presbyteri, uti ſuperius diximus, non accipiantur tamquam cooperatores, ſed tamquam teſtes. Prætermitti namque non debet conſecratio ſacrorum oleorum, quæ adeo ſalutare in nos effectus ingenerant, propterea quod præſcripta ſervari non poteſt ſolemnitas; quam tamen, ſi non totaliter, ſaltem quantum fieri poteſt, ſervandam eſſe, non obſcure indicat ſacra Epiſcop. Congr. dum die 4. Febrar. 1625. Epiſc. Tenen. conceſſiſſe fertur, ut procederet quidem ad conſecranda ſacra olea cum minori ſacerdotum numero, quam præſcribatur in Pontificali Romano, attenta penuria miniſtrorum Eccleſiaſticorum, *ſed cum ſacerdotibus, diaconis, & ſubdiaconis, quos poterit habere*; ii autem jure haberi non poſſunt, qui commode non poſſunt haberi, & quoties commode haberi non valent, haud dubitaverim adeſſe neceſſitatis cauſam, qua interveniente procedi poteſt ad conſecrationem ſacrorum oleorum cum minori ſacerdotum numero.

Decretum 6. cap. in ord. 373. *Epiſcopus debet dare ſacra olea terris, & locis immunibus ſuæ diœceſis, cum conveniens non ſit, quod alio petant ad ea accipienda. Congr. Epiſc. 1. Januar. 1610.* I. Epiſcopum dare debere ſacra olea Eccleſiis ſuæ Diœceſis, & has teneri ad illa a proprio Epiſcopo petenda, & accipienda, jam ſuperius definitum vidimus; nunc utraque obligatio reſpective extenditur ad eumdem Epiſcopum, & terras, ſive loca immunia, quæ cum intra diœceſim conſtituta ſint, conveniens non eſt, rite ait Decretum, alio petant ad ea recipienda. Idem judicium facito de immunibus locis illis, quæ prope diœceſim ſita ſunt, ita ut a viciniori Epiſcopo petere debeant eadem olea, & accipere. An Sacerdotes ejuſmodi locorum ad aſſiſtendum conſecrationi ſacrorum oleorum cogi valeant, quæſtio inſtitui poteſt, quam ego ita dirimendam cenſeo, ut cogi quidem valeant in neceſſitatis caſu; ſeu in defectu numeri ſacerdotum, non tamen, ſi intra diœceſim ſufficiens numerus haberi queat; Sacerdotes namque illi cum alteri ordinario pareant, Regularium inſtar cenſendi videntur.

II. *Locorum Immunium* nomine non incongrue item veniunt monaſteria Regularium utriuſque ſexus, quibus propterea ſacra olea ab Epiſcopis denegari non poſſe ſequentia (erunt 7. & 8. cap. in ord. 374. 375.) Decreta definiunt: *Regularibus ſanctum oleum ab Epiſcopis denegari non poteſt.* Ead. Congr. 2. Febr. 1599. *Immo Epiſcopi tenentur iiſdem illud dare.* Eadem Congr. 20. Novemb. 1601. 4. Junii 1602., & 10. Novembr. 1651. Quia autem Decreta reapſe ſolum diſponunt de Infirmorum oleo, nollem dubites circa ſacrum Chriſma, aut cathecumenorum oleum pro Regularibus Eccleſiis illis, quæ eis indigent, ſed magis id factum cenſeas ratione petitionis, vel quia ſacro infirmorum oleo egent Regulares Eccleſiæ omnes, non autem ſacris aliis oleis, ſed ſolum illæ, quæ privilegium gaudent conſecrandi altaria, calices, & patenas, atque benedicendi campanas.

Decretum 9. cap. in ord. 376. *In ſua quiſque Epiſcopus diœceſi Regularibus ſacrum oleum prompte, & liberaliter tradi curet, & faciat. Clemens VIII. Conſt.* exponi nobis 24. *Martii* 1599. I. Super præciſa Epiſcoporum obligatione dandi prompte Regularibus ſuæ diœceſis ſacrum oleum, quam Clemens VIII. expreſſe innovat in favorem Carmelitarum, & implicite Regularium omnium, opus non eſt, ulteriora verba faciamus, quare ſtatim arripimus dictionem *liberaliter*, ut hinc eruamus, quod nedum illud iiſdem dare tenentur, ſed inſuper omnino gratis, & liberaliter, neque aliquid vel minimum exigere valent, aut accipere. Id autem Eccleſiis cunctis commune facit ſequens Decretum (erit 10. cap. in ord. 377.) dum abſolute, & ſimpliciter, derogando etiam contrariam conſuetudinem, ſi quæ alicubi irrepſiſſet, definitum voluit: *In diſtributione ſacrorum oleorum non permittat Epiſcopus, ut aliquid recipiatur non obſtante conſuetudine, quæ dici debet*

abuſus

abuſus contrarius diſpoſitioni ſacrorum canonum. Congr. Epiſc. 6. Septemb. 1604. Et quidem cap. *Non ſatis* 8. de ſimon. ſaltem exactionem tamquam ſimoniacam damnat: *pro ſepultura quoque, & Chriſmatis, & olei receptione nulla cujuſquam pretii exactio attentetur, nec ſub obtentu cujuſdam conſuetudinis reatum ſuum quis tueatur, quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget*.

Decretum 10. cap. in ord. 378. *Oleum ſanctum debet aſſervari in Cathedrali, & ab ejus Dignitatibus diſpenſare aliis Eccleſiis. Sac. Rit. Congr. 19. Auguſt. 1619.* in Tuſcanen. I. Locus, in quo ſacrorum oleorum conſecratio fieri debet, deſignatur in Decretali *Te referente* de celeb. miſſar., ubi id honoris adjudicatur Cathedrali Eccleſiæ, cui & nunc tribuitur honor alter, eorumdem nempe diſpenſatio inferioribus cunctis Eccleſiis, quæ licet præciſe commiſſa appareat Dignitatibus ejuſdem, non ita tamen accipiendum id eſt, ut committi non valeat etiam aliis canonicis, vel cathedralis Presbyteris, unde Acta Eccl. Mediol. *tom. 1. tit. 1. Decr. 9.* non injungunt dignitatibus, nec Canonicis Cathedralis, ſed *cui in Eccleſia Cathedrali id muneris datum eſt* (diſpenſandi ſcilicet ſacra olea) *ut oleum, aut Chriſma ſacrum Plebanis, aliiſque diſtribuat, is in librum eo nomine confectum illarum Eccleſiarum nomina referat, quibus dederit*; quod autem in his Actis additur circa notanda nomina Eccleſiarum, quibus ſacra olea diſtribuuntur, dignum utique eſt, ſervetur ubique, eo namque vergit, ut Epiſcopi, ut par eſt, animadvertere valeant in eos, qui contemptis Eccleſiaſticis ſanctionibus intra præſcriptum tempus ſacra olea negligunt procurare.

Decretum 12. cap. in ord. 379. *Parochi Eccleſiarum filialium tenentur accedere ad recipiendum oleum ſacrum in die Sabbati Sancti ad matricem. Congr. Concil. 17. Novemb.* 1691. I. Supereſt, referatur ordo, quem Eccleſiæ ſervare debent in procurandis, & recipiendis ſacris oleis, quibus reſpective indigent, & quantum ad Eccleſias urbanas attinet, ædem immediate petunt, & accipiunt ab Eccleſia Cathedrali, a qua item ea recipiunt Plebanæ, aliæque diœceſis, quibus jus eſt ſacra olea Eccleſiis aliis diſtribuere. Inter præeminentias Eccleſiarum matricum communiter recenſetur diſtributio ſacrorum oleorum, & iiſdem matricibus honorem ejuſmodi præſens ſanctio decernit, dum Parochos Eccleſiarum filialium obligat ad matricem accedere pro recipiendis iiſdem oleis. Communis id etiam praxis approbat, & quidem quantumvis major Eccleſia vere matrix non ſit, ſed tantummodo ſuper ceteras gaudeat aliqua ſuperioritatis ſpecie, unde ſequens Decretum (erit 13. cap. in ord. 380.) *Quoad recipienda olea ſancta ab Eccleſia Archipresbyterali, vel ab Eccleſia Cathedrali ſervetur ſolitum, ſalvis tamen juribus Eccleſiæ S. Mariæ quoad prætenſas filiales tantum, prout de jure*. Ead. Congr. Concil. 22. Januar. & 28. Maji 1746. Erat autem ſolitum quod Eccleſiæ reliquæ ſacra olea peterent ab Eccleſia Archipresbyterali, etſi hæc illarum vere matris non eſſet, ſed ſuper eas dumtaxat aliqua gauderet ſuperioritatis ſpecie, quare dum in ſua poſſeſſione manutenetur, non leve argumentum eſt, quod id honoris, ubi uſus eſt, debetur ſuperiori Eccleſiæ, quamtumvis ceteræ veræ non ſint filiales. Quoniam vero preſervat jura Eccleſiæ S. Mariæ quoad filiales, dubium non eſt, quod hæ ſacra olea a ſua matrice debent petere, & accipere, etſi matrix ipſa ab Eccleſia Cathedrali immediate non iſte recipiat, ſed ab alia ſibi ſuperiori Eccleſia. Æquum namque eſt, quod Eccleſiæ illæ, quæ ab altera diſcerptæ ſunt, & diſmembratæ, id honoris quotannis præſtent matri ſuæ, cujus juriſdictioni cum toto territorio olim plene ſuberant.

II. Hæc ſit lex Eccleſiarum vere filialium; at quæ vere filiales non ſunt, ſed ſolummodo quodammodo inferiores ad Eccleſiam alteram, quæ præ illis gaudet plebanatus honore, non adeo ab hac dependent quoad receptionem ſacrorum oleorum, ut hæc ab ea teneantur recipere, ſed conſuetudinem obſervare debent, vel ſynodales conſtitutiones, quoties ſuper hoc habeant diſpoſitionem aliquam, aut obtemperare arbitrio Epiſcopi. Pro ſervanda conſuetudine, quod produximus, facit Decretum, quod tamen procedere dumtaxat credimus in caſu, in quo ſecus non ſtatuat arbitrium Epiſcopi, vel conſtitutiones ſynodales, unde prodiere Decreta, (quæ erunt 14 15. in cap. ord. 380. 381.) *Competit Eccleſiæ Collegiatæ jus recipiendi ab Ordinario oleum ſanctum, illudque privative diſtribuendi, & conſignandi Parochis, arbitrio tamen Epiſcopi*. Congr. Concil. 3. Decembr. 1718. *Quoad partem, quæ reſpicit receptionem ſacrorum oleorum, ſerventur conſtitutiones ſynodales*. Ead. Congr. 28. Jul. 1731. Equidem duæ reſolutiones iſtæ prodiere ſuper Eccleſiis non vere filialibus; ſed ſi tibi placeat, eaſdem extendere ad filiales ipſas, abſit, quod ego refrager, qui in præcedenti capite idipſum ſtatuit de benedictione fontis.

Decretum 16. cap. in ord. 382. *An poſt erectam Eccleſiam S. Mariæ de Populo Pontremoli in Collegiatam, Præpoſitus Collegiatæ teneatur recipere olea ſacra e manibus Archipresbyteri SS. Hippolythi, & Caſſiani de Saliceto, ſeu potius iſte teneatur illa recipere per manus dicti Præpoſiti. Reſp. negative quoad utramque partem. Congr. Concil. 9. Junii* 1725. I. Pontremoli Eccleſia S. Mariæ de Populo, quæ ſita erat inter limites Parochialis Eccleſiæ S. Geminiani, parochialibus hujus Eccleſiæ juribus translatis ad illius Præpoſitum, contemptiſque aliorum oppoſitionibus, etiam Archipresbyteri Sanctorum Hippolythi, & Caſſiani de Saliceto, erecta fuit in Collegiatam, & conſequenter eidem conceſſæ fuere nonnullæ prærogativæ, quæ antecedenter eidem non competebant, & quæ ante erectionem ad alias forte pertinebant Eccleſias juxta deciſ. 1445. coram Seraphino, cujuſmodi eſt prima pulſatio campanarum in Sabbato Sancto. Exortæ ſubinde fuerunt nonnullæ controverſiæ inter prædictum Archipresbyterum, atque Præpoſitum, & die 9. Junii 1725. deciſum extitit, jus canendi miſſam in feſto Corporis Chriſti, & faciendi proceſſionem ſpectare, non ad Archipresbyterum SS. Hippolythi, & Caſſiani, ſed ad Præpoſitum Collegiatæ; quo vero ad recipienda ſacra olea ſtatutum fuit; nec Præpoſitum Collegiatæ teneri illa recipere de manu Archipresbyteri, nec hunc de manu Præpoſiti. Hoc nos edocet Decretum, hoc ipſo Eccleſia aliqua erigitur in collegiatam, non amplius teneri ad procuranda ſacra olea a Plebana, ſeu Archipresbyterali, etſi ab hac antecedenter ea reciperet, quemadmodum reapſe præſtabat Eccleſia Parochialis S. Geminiani, cujus jura ſicut tranſierant in Collegiatam, ita alias etiam tranſiſſent onera. Ratio idipſum ſuadet, quia cum Collegiata præſtet honorificentiis Plebanam, non videtur congruum, quod ab hac in aliquo illa dependeat.

II. Nos itidem aliud edocet, & eſt, quod nec Plebana, ſeu Archipresbyteralis tenetur a Collegiata recipere ſacra olea, ſed poteſt adhuc ea immediate procurare a Cathedrali, ſeſeque tueri in antiqua ſua conſuetudine tum recipiendi ſacra olea, tum ea diſtribuendi aliis Eccleſiis. Hujus ratio eſſe poteſt, quod receptio, & diſtributio ſacrorum oleorum non eſt prærogativa aliqua, quæ ex ſe competat Eccleſiæ digniori, ſed res mere dependens a conſtitutionibus ſynodalibus, & ab arbitrio Epiſcopi, quemadmodum diſerte deſignant poſteriora duo Decreta, quæ in præcedenti Decreto produximus.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De Benedictione in vita, & mortis articulo.

UBI de agone infirmorum, diximus plurimum Eccleſiæ ſtudium, quo Filios ſuos in extremo mortis articulo conſtitutos, munire curat, atque juvare ſubſidiis omnibus, quibus indigere poſſunt tum ad æterna præcavenda ſupplicia, tum ad evitandas temporales pœnas, quæ in altera vita plerumque eorum manent ſpiritibus. Hæc inter non infimum tenent locum indulgentiæ, & benedictiones, circa quas antequam procedamus ad ea, quæ noviſſime a Benedicto XIV. fuerunt opportune indulta, operæ pretium ducimus univerſim benedictionem in tria partiri genera. Primum eſt benedictionis, quam Deus hominibus, aliiſque creaturis impartit, & hæc *effectiva* dicitur, quia Deus per eam ſubjecto, cui illam tribuit, ſemper efficit gratiam aliquam ſpiritualem, vel corporalem, quare Deus benedicens humani generis protoparentes, *Gen. 9. 1.* iiſdem facultatem largitus eſt, ut creſcerent, & multiplicarentur ſuper terram, & Chriſtus in ultima Cœna, *Matth. 26. 26.* benedicens panem, & vinum, Sacroſanctum Altaris Sacramentum inſtituit, illum in ſuum corpus convertens, & hoc in pretioſiſſimum ſuum ſanguinem.

II. Secundum eſt benedictionis, quam Deo dant homines, & hæc ut plurimum eſt *gratiarum activa* ob beneficium aliquod a Deo acceptum. Ejuſmodi eſt ea, quam Deo dedit Melchiſedech, *Gen.* 14. ob victoriam Abrahæ, & quam David *Pſal.* 147. percuſſo Philiſtæo. *Laudativa* alia dicitur, cum nempe laudatur Deus ob aliquod ejuſdem præclarum, & grande facinus, cujuſmodi communiter intelligitur celebre canticum *Benedicite*, in quo tres pueri Babylonici cient creaturas omnes ad benedicendum Domino. Benedictionis hominum erga Deum ſenſus item alius in ſacris litteris invenitur, & ironicus dici poteſt, & per antiphraſim, & non aliud ſignificat quam maledictionem, & blaſphemiam, unde Satan *Job* 1. 11. de Job ad Deum: *niſi in faciem benedixerit tibi*, & uxor *n. 9.* Job: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere*.

Benedictio, quam homines hominibus præſtant, tertium efformat benedictionis genus, & *augurativa*, *invocativa* dicitur, & *deprecativa*, quatenus per eam auguratur, ſeu a Deo poſtulatur perſonæ, cui applicatur, bonum illud, quod ei deſideratur. Ejuſdem rationis etiam eſt benedictio, quæ ab hominibus impertitur brutis, aut rebus quibuslibet aliis; per illam enim adprecatur Deus, ut eadem præſervet a malo, donet fœcunditatem, & alia bona ad beneficium fidelium; per hanc vero, ut res benedictæ utiles ſint, & proficuæ, & ut ab iiſdem abſint nociva quæque &c., ſicut magis videre eſt ex orationibus, quibus Eccleſia utitur in benedictionibus ejuſmodi. Orationes autem, quæ dici præſcriptæ ſunt in occaſionibus, quibus datur benedictio, de qua agere ſumimus, ubertim indicant, quod ad hoc tertium genus ea pertinet.

D E C R E T A.

Decretum I. cap. in ord. 383. *Epiſcopis, quibus a Sede Apoſtolica indulta eſt ad definitum tempus facultas impertiendi*

tiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Fidelibus in articulo mortis conſtitutis, confirmatur, & prorogatur ad totum illud tempus, quo iidem Epiſcopi obtinebunt regimen earum Eccleſiarum, atque Diœceſum, quarum favore fuit conceſſa; & quidem etiam adjecta facultate ſubdelegandi in Civitatibus, & Diœceſibus, etiam de die. Benedictus XIV. Conſtitut. Pia Mater 5. *Aprilis* 1747. I. Antiquitatem Benedictionis Epiſcopalis erga fideles in mortis articulo conſtitutos, quam jam in tom. 3. cap. 19. Decr. 1. firmavimus, non eſt modo conemur oſtendere, ſed ſolum hic juvat repetere, quod ut eam ægroti diligentius procurarent, & iuſimul iiſdem redderetur utilior, S. Carolus Borromæus a Gregorio XIII. die 30. Decembris 1580. facultatem obtinuit omnibus Epiſcopis Provinciæ Mediolanenſis concedendæ indulgentiæ plenariæ ægrotis, quos vel ipſi, vel eorum nomine alii viſitaverint. Plerique Antiſtites de ſui gregis ſalute non minus ſolliciti conſimilem facultatem a Sede Apoſtolica impetrare ſtuduerunt, quam quidem obtinuerunt, ſed paulo arctioribus concluſam limitibus. Dari namque conſuevit tantum ad triennium, & adhuc hac lege, ut Epiſcopus eam impertiret, vel quatenus eum haberet, per Dominum ſuffraganeum ſuum, nec niſi neceſſitate cogente, & quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in ſingulis peculiaribus caſibus ſubdelegare poſſet, quo vero ad Moniales, ordinarii earum confeſſarii opera in eum finem uteretur.

II. Facultatem ejuſmodi anguſtis nimium limitibus circumſcriptam judicarunt Epiſcopi; ſed licet pro ampliatione apud Sedem Apoſtolicam non ſemel inſtiterint, nihil innovatum extitit, cum ſatis opportune Petri Cathedram aſcendit Benedictus XIV., qui cum in minoribus eſſet, Eccleſiæ Anconitanæ, & Bononienſis præfectus, proprio uſu prædictam expertus eſt facultatem, qualem deſcribebant Eccleſiarum Paſtores. Advertit namque breve admodum eſſe triennii ſpatium ipſi præfinitum, & ob leges circa illius uſum præſcriptas, ab indulgentiæ beneficio pleroſque iri ſpoliatos, & præſertim eos, quos extra Epiſcoporum reſidentiæ locum, & in remotis Diœceſum regionibus infirmari contingit, quinimmo & ipſos civitatum accolas, quæ cum frequenti populo refertæ ſint, & plurimæ ſint, quibus vacare debent, Epiſcoporum curæ, ferme impoſſibile fit, quod quoſcumque earumdem ægrotos perſonaliter inviſere valeant, ad rem non ſatis ſuffragante poteſtate ſubdelegandi, quæ erat reſtricta *ad caſum præciſæ neceſſitatis cum nocturno tempore conjunctum*. Eapropter dilatans viſcera Apoſtolicæ Charitatis, qui ut ſupra ad definitum tempus facultatem a Sede Apoſtolica conſecuti ſunt, eamdem benigne prorogavit, uſquedum Eccleſiis præfuerint, quarum favore, & intuitu eam impetrarunt, adjecta etiam poteſtate tam in Civitate, quam in Diœceſi ſubdelegandi Sacerdotes ſæculares, vel Regulares, quot quot neceſſarios judicaverint, qui etiam diurno tempore præfatam benedictionem cum indulgentia plenaria impertiri libere valeant Chriſtifidelibus in articulo mortis conſtitutis. Qui tamen Sacerdotes deputati, & ſubdelegati ab Epiſcopis pro ſuo arbitrio, & prudentia removeri poſſunt, aliique in eorum locum ſubrogari.

III. *Iis vero Epiſcopis, qui ad aliarum Eccleſiarum regimen transferuntur, aut prædictam facultatem ab Apoſtolica Sede aſſecuti non ſunt, necnon qui in poſterum Eccleſiis præficientur, quatenus facultatem prædictam petierint, non ad triennium, ſed ad omne tempus, quo adeptum ſemel Eccleſiæ regimen obtinebunt concedatur, adjecta etiam facultate ſubdelegandi ut ſupra tam in Civitate, quam Diœceſi*, Benedict. XIV. in Ead. Conſt. *Pia mater* 5. Apr. 1747. Hoc Decretum, (quod erit 2. cap. in ord. 384.) nos plurima docet, & primo, quod qui Eccleſiis præficiuntur, non continuo memorata potiuntur facultate, ſed neceſſe eſt, eam prius ab Apoſtolica Sede petant, & obtineant. 2. quod obtenta non durat ad eorumdem vitam, ſed ſolum quouſque Eccleſiarum, quarum intuitu conceſſa eſt, regimen retinent, quod ſi per abrenunciationem, aut ſui translationem ad aliam Eccleſiam dimittant, illa prorſus expirat, nec ſuffragatur pro novo grege, pro quo opus eſt, noviter eamdem poſtulent, & aſſequantur. 3. Quod item noviter eam debent petere, & obtinere ii ex Antiſtitibus, qui licet petiiſſent, & ad definitum tempus obtinuiſſent, tempore tamen emanationis præſentis ſanctionis conceſſa facultas jam expiraverat. 4. Quod prædicta facultas fructuoſa dumtaxat eſt pro locis reſpectivæ juriſdictionis, intra horum autem limites pro omnibus indiſtinctim, ſive ſint alienæ Diœceſis, ſive moniales, aut Regulares, aliæve perſonæ ab eorumdem juriſdictione immunes.

Decretum 3. cap. in ord. 385. *Licet Epiſcopo, quoties voluerit, ad impertiendam benedictionem moniali in mortis articulo conſtitutæ Monaſterium intrare. Congr. Concil. Trid.* 10. *Maji* 1727. I. Epiſtolæ Secretarii Brevium, quibus ſæpius laudata facultas indulgebatur, cantare ſolebant *ut Epiſcopus pro impertienda monialibus benedictione, & indulgentia plenaria eiſdem in mortis articulo applicanda, earum confeſſarii opera uteretur*; hinc factum eſt dubium, an nihilominus licitum foret Epiſcopo, Monaſterii clauſtra ingredi, ut hujuſmodi pium opus per ſeipſum adimpleret, quod cum ex parte Epiſcopi Mazariæ propoſitum fuerit declarari, reſponſum extitit affirmative. Cum ſubſequens Sanctio Benedicti XIV. nil diſponat ſuper hujuſmodi caſum, quinimmo prædictum memoret Decretum, haud ego dubitaverim, quod in ſuo integro adhuc robore perſeverat. Quod dictum itidem ſit de ſequenti Decreto (erit 4. cap. in ord. 386.) cujus ſimiliter meminit, nihil tamen novi conſtituens: *Epiſcopo ad hunc effectum intra monaſterii ſepta ſe conferenti comites eſſe debent confeſſarius ordinarius ipſius Monaſterii, aliuſque ſacerdos ipſius Epiſcopi arbitrio eligendus*. Ead. Congr. in eodem Decr.

II. Num quoties Epiſcopi ad moniales perſonaliter non accedunt, ad prædictum effectum alium Sacerdotem præter ordinarium earum confeſſarium ſubdelegare valeant, quæſtio eſt, quæ ſi ex memoratis Epiſtolis Secretarii Brevium olim expediri ſolitis definienda foret, negative reſolvenda videretur, cum Epiſcopis in conditionem injungant, *ut quoad moniales utatur confeſſorum opera*; ſed quoniam ſanctio Benedicti XIV. nedum nihil habet de reſtrictione ejuſmodi, ſed inſuper facultatem diſerte facit Epiſcopis ſubdelegandi quemlibet Sacerdotem Regularem, vel ſæcularem pro ſuo arbitrio, & prudentia, non ponens exceptionem ullam, nos tanti non ſumus, qui favorem adeo ſapientis Principis, qui omnia in litteris ſuis plene enucleat, & ſumma eruditione complet, limitare audeamus, quare ſatius quidem credimus, in caſu ordinarium Monaſterii Confeſſarium Epiſcopi delegent, ſed iiſdem etiam pro alio probo Sacerdote libertatem adimere nolumus.

Decretum 5. cap. in ord. 387. *Eadem facultas Prælatis inferioribus territorium ſeparatum habentibus cum vera qualitate Nullius, & activa in Clerum, & populum juriſdictione, concedenda decernitur, ne excepta quidem facultate ſubdelegandi ut ſupra, dummodo ipſi Prælati hanc gratiam poſtulantes, Apoſtolicis litteris* Quod ſancta *obtemperaverint. Bened. XIV. Conſt.* Pia mater 5. *April.* 1747. I. Prælati ejuſmodi, etſi multoties prædictam ut ſupra facultatem Epiſcopis concedi ſolitam, ſibi quoque tribui poſtulaverint, Apoſtolica Sedes eam iiſdem concedendi conſuetudinem minime habuit, ſed ne eorumdem ſubditi tanto beneficio defraudati venirent, Benedictus XIV. admodum opportune inſtar Epiſcoporum indulgendum eſſe credidit, dummodo pareant Conſtitutioni *Quod Sancta*, quam ipſe edidit nono Kalend. Decembr. 1740., æquum enim eſt, Apoſtolicis mandatis obtemperent, qui favoribus cupiunt eſſe participes. Laudatæ autem litteræ injungunt, quod *prædicti Prælati Sacra Apoſtolorum limina præſcriptis temporibus viſitent, & relationem ſtatus Eccleſiarum ſibi ſubjectarum Apoſtolicæ Sedi exhibeant, vel quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata conſtitutione præſcriptum antea præſtent*.

II. Ad Vicarios Capitulares, aut Apoſtolicos favor haudquaquam extenditur, ſed non propterea in temporaneo eorum regimine omnino privantur fideles beneficio prædictæ benedictionis, ipſis ab iis impertiendæ, quibus cum ab Epiſcopis, ſeu Prælatis facultas delegata fuerit, in laudata conſtitutione aperte decernitur per ſubdelegantis ceſſum, aut deceſſum nequaquam expirare, ſed perſeverare uſque ad ſuperventum ſucceſſoris, cujus arbitrio relinquitur, eoſdem in hujuſmodi officio confirmare, vel ab eo removere, quinimmo quatenus ſucceſſor ipſe eoſdem non removeat, cenſentur confirmari, cum juxta conſtitutionem *ſubdelegatorum auctoritas ſemper manere debeat, quandiu vel Epiſcopus ipſe, aut Prælatus, vel illius ſucceſſor eamdem ipſis non ademerit*. Uti autem in ſubdelegatis non expirat auctoritas ad deceſſum ſubdelegantis, ita nec in Epiſcopis delegatis ad obitum Summi Pontificis delegantis, & ideo quicumque Antiſtes ſimul ac prædictam facultatem a Summo Pontifice ſemel obtinuit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apoſtolicæ Cathedræ ſucceſſorem recurrere.

III. Reliquum dumtaxat modo eſt, producamus formulam, quam idem Benedictus XIV. uſurpari præcepit, & quidem ea non eſt, quam olim Benedictus XIII. evulgari mandavit, ſed alia magis congruens, quam idem ſapientiſſimus Summus Pontifex confecit, & inſtituit, quamque impoſterum ab omnibus adeo uſurpari voluit, ut hoc inculcandum, & injungendum ſit in Apoſtolicis ipſis litteris, quæ pro conceſſione prædictæ facultatis indulgentiæ plenariæ moribundis impertiendæ, expediendæ erunt. An autem ſi ſecus fiat, indulgentia nulla ſit, non audeo dicere, quia conſtitutio non apparet adeo rigida, & maxime quia hoc cederet in plurimum præjudicium moribundorum, quibus Eccleſia curat ſummo ſtudio reſerare Paradiſi portas. Neque autem parumper dubito, quod ſi tempus mortis inſtet, detruncari illa poterit, & adhuc incipi ab iis verbis: *ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa &c.*, ne infirmus ſine tanto beneficio decedat, unde & modus quem approbatum diximus, & ſtatim ſubdimus, conſulto tenet: *modus pro opportunitate temporis ſervandus*.

Modus.
A SS. D. N. Benedicto Papa XIV.
Approbatus

Pro opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam.

IV. *Be-*

IV. *Benedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt ſacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veriſimiliter petiiſſent, vel dederint ſigna contritionis; impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ ceterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.*

V. *Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat:* Pax huic domui &c. *ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam:* Aſperges &c.

VI. *Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, & virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat; tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſe ſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.

Antiphona.

Ne reminiſcaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum (*vel* ancillam tuam, *& ſic deinceps*).
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Clementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius Conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N., quem tibi vera fides, & ſpes chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti Tui paſſionem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui Te judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem Filii tui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Chriſtum Dominum Noſtrum.

Tum dicto ab uno ex clericis adſtantibus Confiteor &c., *Sacerdos dicat* Miſereatur &c., *deinde*

Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; & ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Explicit modus impertiendæ benedictionis cum indulgentia plenaria Fidelibus in articulo mortis conſtitutis, una cum Rubricis adnexis, quæ cum ſatis expreſſæ ſint, & conformes iis, quas dedimus, & examinavimus in cap. de Agone Infirmorum, opus non eſt, immoremur in iiſdem ulterius expendendis, cum ex ibi dictis ubertim appareant. Dumtaxat addi poſſe credimus, quod dum benedicens dicit: *In nomine Patris &c.* ſi ſit Epiſcopus, ter ſuper infirmum efformat crucis ſignum, una nempe vice ad nomen *Patris*, altera ad nomen *Filii*, & ultima ad *Spiritus Sancti*; ſi vero Epiſcopus non ſit, ſed Sacerdos ab eo delegatus, unica tantum vice infirmum benedicat, quemadmodum aperte eruitur ex Conſt. *exemplis* ejuſdem Benedicti XIV. 19. Martii 1748., de qua in ſequenti Decreto. Eadem ſervetur praxis ad verba: *Benedicat te Omnipotens Deus, Pater &c.*

Decretum VI. cap. in ord. 388. *Sequentem ritum impertiendi Pontificiam Benedictionem ſuper populum a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujuſmodi ſtatis diebus a ſancta Sede indulta fuit, ſervari præcipit Benedictus XIV. Conſt.* Exemplis 19. *Mart.* 1748. I. Anno 1748. die 19. Martii Benedictus XIV. encyclicam litteram quamdam edidit ad Patres Generales Regularium Ordinum, quibus a ſancta Sede indulta eſt, aut in poſterum indulgeri poterit facultas Pontificiam Benedictionem effundendi ſuper populum ſtatis diebus, ſuper modo, & ritu, qui ſervari debent in ea impertienda. Incipit *Exemplis Prædeceſſorum*, & in ea aſſerit idem Summus Pontifex, quod *exemplis prædeceſſorum ſuorum adductus, nonnullis familiis Regularium permiſit, ut fideles, qui ſtatis anni diebus ipſarum Eccleſias inviſerent, & indictis pietatis operibus ſatisfacerent, indulgentiam plenariam conſequerentur, utque monaſterii præſes, vel alius Sacerdos a Patre Provinciali deſignandus, populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine Benedictionem impertiret.* Expreſſa verba hæc ſunt prædictæ litteræ, ex quibus aperte conſtat, quod Benedictio ejuſmodi ſolum *a Monaſterii præſide* dari poteſt, *vel ab alio Sacerdote a Patre Provinciali deſignato*, at quoniam ibi procedit Summus Pontifex in ſuppoſitione, quod ita ferant litteræ Apoſtolicæ, & hoc pacto prædictam facultatem conceſſiſſe ipſe fatetur, ego crederem, quod ejuſdem intentionis minime ſit, facultatem, quam litteræ Apoſtolicæ, aut ipſe in ſuis reſpective faceret, derogare, ac per conſequens Religiones illas, ut eſt illa Eremitarum S. Auguſtini, cui facultas tributa eſt ut ſupra benedicendi *per Priores, ſeu alios Fratres ejuſdem Ordinis ab ipſis Prioribus deputandos*, in ſua praxi ſe tueri poſſe, quare in caſu neceſſe non erit, quod Fratres, qui populo benedicere debent, ſint a Patre Provinciali deputati, ſed ſufficiet, quod facultas ejuſmodi ipſis ſubdelegata fuerit a Prioribus, quorum nomine, cum Priores abſunt, aut infirmi, vel mortui ſunt, dubium non eſt, venire Monaſterii Præſidem, quicumque ille ſit, cui reapſe & præſens ſanctio id committit muneris.

II. Progreditur adnotare, quod ſolum extra Urbem conceſſa facultas in uſu eſſe valet, cum Pontifex ipſe Romæ benedictionem populo elargiatur, & ſimul indicat quod nullus ritus pro hac benedictione fuit præſcriptus, cum ille, qui Urbani VIII. auctoritate probatus aſſeritur, & typis expreſſus extitit, ad eam minime ſpectet. Refert formam, qua nonnulli temere, & inconſulto uſi ſunt, dandi ſcilicet Pontificiam memoratam benedictionem in altaris medio, miniſtris circumſtantibus, & ſacris indumentis ornatis, & cum triplici crucis ligno, aliiſque ſolemnitatibus. Summa de more eruditione demonſtrat, quod ſimplici Sacerdoti olim nullatenus licebat populo benedicere, nunc autem ſolum in fine Miſſæ, & poſtea rite infert: *Cum jam perſpectum ſit, quo tempore, & loco ſimplex Sacerdos populo poſſit jure ſuo benedicere, neceſſario conſequitur, nullam aliam benedictionem ſuper populum ab ipſo impertiri licite, niſi jure delegato. Hujus naturæ eſt benedictio, de qua nunc agimus, quæ cum per delegationem Apoſtolicam unice concedatur, noſtrum eſt omnino ritum præſcribere, quem inferius pro norma in poſterum ſervandæ ſubjicimus, quo ſane eo uti volumus, & decernimus eos Ordines Regulares, ſive mendicantes, ſive non mendicantes, monaſticos, vel clericorum Regularium, quibus nos ipſi, vel prædeceſſores noſtri Romani Pontifices facultatem tribuendæ populis Benedictionis permiſerint.* Dubium itaque eſſe non poteſt, quod cuncti omnino Regulares Ordines, a quocumque Pontifice facultatem impertiendæ populis benedictionis Papalis conſecuti ſint, ſervare tenentur ritum, quem ipſe præſcribit: Eſt autem

Ritus

Servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam populis Pontificiam Benedictionem, ab his Ordinibus Regularibus, qui a Sede Apoſtolica talem facultatem conſecuti ſunt.

III. *Admoneatur populus de indulgentia a Sede Apoſtolica conceſſa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo viſitanda eſt Eccleſia, de hora denique, qua datur Pontificia Benedictio; & admonitio hæc fieri poſſit, quatenus opus ſit etiam ſchedis impreſſis, & conſuetis locis palam affixis.* Huculque Rubrica, quæ cum enumeratas admonitiones fieri mandet, ut fideles conſcii de operibus præceptis, die, & hora, ad Eccleſiam accedere valeant ad lucrifaciendam conceſſam Indulgentiam, & Benedictionem, dubio procul faciendæ eæ erunt præcedenter ad diem, qua prædicta Indulgentia, & Benedictio eſt reſpective acquirenda, & impertienda.

IV. *Poſtquam ſtatutis die & hora populus* ad Eccleſias convenerit, alta voce *legantur Apoſtolicæ litteræ, ſeu Decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum poteſtate Benedictionem Apoſtolicam ſuper populum effundendi, ut de delegatione audientibus conſtet; & conceſſio ex latino ſermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam converſa pronuncietur: populus ad ſuorum ſcelerum deteſtationem pio brevique ſermone excitetur: poſt quæ Sacerdos, nullis circumſtantibus miniſtris, ſtola & ſuperpelliceo indutus (ut in Rituali Romano præſcribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra Miſſam Presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus, ſequentibus verbis Dei opem imploret.* Ita expreſſe Rubrica, quare ut ſupra legendæ quidem erunt conceſſionis litteræ, non in latino ſermone, ſed *in vulgari accommodato ad populi intelligentiam*, adeoque qui obvius ſit, & facilis, ſine tranſpoſitione verborum, & omiſſis adhuc iis, ſi quæ ſunt, quæ ad rem minus pertinent, & aliunde ex ſe apta ſunt intelligentiam populi impedire, vel retardare. Deinde non eſt ſimpliciter admonendus

populus, ut propria peccata deteſtetur, ut nonnulli perperam faciunt, ſed ad eorumdem deteſtationem Sacerdos pio brevique ſermone eum excitare ſtudebit. Abſoluto ſermone Sacerdos genufleĉtit *ante altare*, ideſt in medio ſuper infimum altaris gradum. *Nullis circumadſtantibus miniſtris* ajunt litteræ ad excludendos miniſtros ſacris indumentis ornatos, non vero unum, vel alterum Acolythum, qui pro opportunitate miniſtret neceſſaria; horum enim miniſterium Rituale ipſum Sacerdoti extra Miſſam benedicenti non ſemel aſſignat. *Stola, & ſuperpelliceo indutus*, & hæ ſunt veſtes, quas Rituale Sacerdoti extra Miſſam benedicenti demandat; cujus autem coloris debeat eſſe ſtola, videtur violacei, qualem præſcribit Rituale, quotieſcumque agitur de ritu pœnitentiali ad expianda peccata, cujuſmodi eſt prædicta Benedictio. Quoniam tamen idem Rituale *tit.* 18. *de ord. miniſtrandi Sacram. Pœnit.* hæc verba tenet: *ſuperpellicco, & ſtola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo*, haud denegaverim, laudabilem quidem eſſe uſum ſtolæ violaceæ, ſed adhuc adhiberi poſſe colorem illum, quem tempus, ſeu diei officium exigit, aut fert locorum conſuetudo. Ut ſupra autem genuflexus Dei opem per ſequentia verba implorare debet.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum, & Terram.
℣. Salvum fac populum tuum, Domine,
℟. Et benedic hæreditati tuæ,
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo,

Deinde ſtans, ſequentem recitat orationem,

Oremus.

Omnipotens, & miſericors Deus, da nobis auxilium de ſancto, & vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poſcentis, tuamque benedictionem præſtolantis, & gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam ſuper eum benignus extende, ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem & vitam conſequatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

Poſt quam ad cornu Epiſtolæ accedat, & ſtans in eodem cornu, non trina, hoc eſt triplici ſigno crucis, ſed una benedictione, unico videlicet ſigno crucis, benedicat, proferens alta voce hæc verba:

Benedicat vos Omnipotens Deus ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. *Amen.*

V. Ut dicebamus itaque, genuflexus ſuper infimum altaris gradum Sacerdos dicit *Adjutorium noſtrum*; an interim ſe ſigno crucis ſignare debeat, id Epiſcopo benedicturo ita committit cæremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 25. ut dum dicit *Adjutorium* ſe ſignet in fronte, *Noſtrum* infra pectus, *In nomine* in ſiniſtro humero, *Domini* in dextero, id autem proprium non eſſe Epiſcopi, Miſſale ſatis deſignat, dum Sacerdoti ad confeſſionem Miſſæ ſe ſignare præcipit, quando prædicta verba pronuntiat. Quoniam tamen Apoſtolicæ præſentes litteræ ſuper ejuſmodi ſigno ſilent, nec ullibi illud aſſignat Rituale Romanum, ubi de benedictionibus agit, a prædicto abſtinere ſigno nonniſi conſultius eſſe poteſt. Dicto ℣. *Dominus vobiſcum* ſe Sacerdos erigit, & ſtans recitat orationem, qua abſoluta aſcendens altare pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi ſtans, alta voce proferens *Benedicat vos &c.* unico ſigno crucis benedicit populum, non triplici, quod Epiſcoporum dumtaxat eſt, ut eruditione plurima demonſtrat idem Benedictus XIV. in laudatis litteris, & docet Gavantus *par.* 2. *tit.* 12. *lit. y.*

VI. Equidem ritum, quo benedictio ejuſmodi a Sacerdote dari debet, litteræ non ſatis exprimunt, quare quem Miſſale Sacerdoti aſſignat in fine Miſſæ, etiamnum teneri poſſe credimus, atque congruere. Statim ac igitur Sacerdos abſolvit collectam, aſcendens altare vadit ad cornu Epiſtolæ, & ibi ſtans facie verſa ad altare, elevat ad Cælum oculos, ideſt ad Crucifixi imaginem, & manus uſque ad humeros, & non ſupra extendens, & ſtatim jungens eo pacto, quo facit ad *Dominus vobiſcum*, caputque cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, dicit alta voce *Benedicat vos Omnipotens Deus*, & ut hæc verba protulit, junctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertit ſe ad populum a ſiniſtro latere ad dexterum, & extenſa manu dextera cum digitis unitis, manu vero ſiniſtra poſita infra pectus, ſemel benedicit populo, unicum producendo ſignum crucis, ſed in benedictione impertienda ita voces diſtribuit, ut efformet primam lineam rectam dicendo *Pater & Filius*, ſecundam autem tranſverſam pronunciando *& Spiritus Sanctus.*

VII. Communis laicorum uſus eſt, ut dum benedicuntur ad finem Miſſæ, aut alias, manu ſibi quoque ipſi efforment crucis ſignum; id autem etſi nonnulli reprobent, adhærendum amen eſt communi praxi, quæ nedum laudata noſcitur a Durando *lib.* 5. *cap.* 2., Gavanto *par.* 2. *tit.* 12. *lit. y*, Merato *ibidem num.* 3., Bauldryo *par.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. *num.* 38., aliiſque, ſed etiam ab iiſdem Auctoribus injuncta ſacris ipſis miniſtris, qui Miſſæ ſolemni aſſiſtunt; in omni enim negotio, ait Cyrillus Hieroſol. *Cath.* 4., opportunum eſt crucis ſignum.

VIII. Apoſtolicæ Bullæ, per quas Regulares Ordines condecorati ſunt privilegio effundendi ſuper populum benedictionem Pontificiam, regulariter poteſtatem ejuſmodi ſimpliciter faciunt pro diebus conceſſis, nec eam ad unicam vicem limitant pro unoquoque die; hinc exurgit dubium, num una tantum vice, an pluribus illa dari valeat. Pro unica tantum vice videntur facere, quas exponimus, litteræ, dum ſolemnitatem, qua dari debet, deſignant, & meminerunt horæ in ſingulari numero. Pro pluribus, quia facultas facta noſcitur per propoſitionem indefinitam, quæ æquivalet univerſali, ſaltem in materia favorabili, & quando agitur de beneficio Principis, quod late eſt interpretandum *ex l. Beneficium §. de Conſtitut. Princip.*, & maxime quia ejuſmodi intellectui nec officit hora in ſingulari numero, cujus prædictæ meminere litteræ, ibi namque hora ſtat pro tempore, & adhuc in toto ſuo rigore accepta, apta eſt ſignificare plures horas, aut ea tempora, in quibus Benedictio, licet pluries, eſt impertienda. Pro pluribus tamen ad libitum, & indiſtinctim earumdem litterarum textus profecto obeſt, atque ſolemnitas, qua dari præſcribitur, nec actionis gravitati convenit, nec pretioſitati theſauri, qui prodigatur adeo, contra mentem concedentis eſt. Quod ſi plures vices redigantur ad binas, utique nec diſconvenire videtur gravitati actionis, nec beneficium prodigi, ſed magis diſpenſari, prout vix neceſſe eſt, & præſumi poteſt mens concedentis. Cum namque populus variis curis deſtineatur, nec certe poſſit totus ſimul ad Eccleſiam accurrere, quod duabus ſaltem vicibus Benedictio diſpenſetur, neceſſarium videtur, ut totus populus beneficii valeat fieri particeps, quinimmo conforme concedentis menti, qui cum conceſſionem ſuam nulla particula reſtrictiva affecerit, rite præſumitur pro iis ſaltem vicibus eam indulſiſſe, quæ neceſſariæ ſunt, ſi non ad conſulendum luxurioſis fidelium commodis, certe ad hoc, ut acquiri poſſit ab iis omnibus, quibus per conceſſionem ipſam favor eſt expanſus; privilegia enim ſic debent interpretari, ut nec totaliter, nec partialiter poſſint eſſe inania. Hæc autem nos ſcripſiſſe fatemur, non ut noſtrum hac in re interponeremus judicium, ſed ut in medium afferremus, quæ pro utraque parte militare queunt.

IX. Dumtaxat modo adnotare ſupereſt, quod etſi præſcripta ut ſupra formula ab omnibus omnino ſervanda ſit in impertienda populis Pontificia Benedictione; ſi qui tamen ex Regularibus Ordinibus ſecus facerent, non propterea nulla eſſet benedictio, ſed adhuc ſuum integrum ſortiretur effectum, perinde ac ſi præſcripta formula data eſſet; ſolum enim Summus Pontifex locorum Ordinariis præcipit, ut de illis Regularibus, qui præſcriptum ritum violaverint, ipſum certiorem faciant, ut facultatem ejuſdem benedictionis tribuendæ parere recuſantibus auferre valeat, & eamdem elargiri aliis, qui juſſa ſua facere non detrectent.

Decretum VII. cap. in ord. 389. *Accedenti ad infirmos pro danda benedictione in articulo mortis, licet deferre ſuperpelliceum, & ſtolam ſine licentia Parochi in actu benedictionis, Congr. Concil.* 3. *Dec.* 1718., & 7. *Dec.* 1720. I. *In omni benedictione extra Miſſam Sacerdos ſaltem ſuperpelliceo, & ſtola pro ratione temporis utatur, niſi aliter in Miſſali notetur*, verba ſunt Ritualis Romani *tit.* 44. *num.* 2., & concordat Gavantus par. 4. tit. 19. num. 3. *Habitus benedicturi Sacerdotis erit ſuperpelliceum, & ſtola regulariter alba, aliquando violacea, nam color albus deſignat puritatem communicandam rebus benedicendis, violaceus vero adhibetur congrue in benedictione conjuncta cum exorciſmis ad effugandos dæmones, unde ad aquam benedicendam eo colore utimur, poteſt tamen adhiberi ſtola coloris temporis convenientis, ut dicitur in Rubricis Ritualis Romani.* Quoniam tamen benedictio ad ritum pœnitentialem attinet, in quo ſaltem laudabilior eſt uſus coloris violacei, idcirco ab hoc colore conſulimus ſaltem haudquaquam diſcedere.

II. *In actu benedictionis*, & per hæc verba nos Decretum inſtruit, quod Sacerdos cotta, & ſtola indutus ad domum infirmi non debet pergere, ſed magis induere debet prædictas veſtes ante cubiculum ægroti, vel in alio vicino loco, & iiſdem indutus ingredi cubiculum, ritus inſtar in tom. 2. cap. 19. Decr. 2. teneri præſcripti a Sacerdote accedente ad commendationem decedentis animæ. Quæ omnia itidem dicta ſunto de Ordinibus Regularibus, quorum Profeſſores accedunt ad impertiendam abſolutionem generalem cum Indulgentia Plenaria Chriſtifidelibus in articulo mortis conſtitutis.

AD PRÆCEDENTES TOMOS
APPENDIX.

Cum poſt abſolutam primam Operis editionem nonnulla vel prodierint, vel Auctori innotuerint Decreta, quæ aliqua in eo dicta vel quatiunt, aut roborant, ſeu nova ſtatuunt, eidem Auctori viſum eſt ea omnia in calcem operis rejicere brevi explanatione adjecta. Nos in nova hac noſtra Editione majorem horum Decretorum partem ſuis locis appendicis inſtar in fine ſingulorum Tractatuum apte repoſuimus: ſed cum quædam nobis inconſultis prætermiſſa ſint, ea hic, ubi antea ab Auctore collocata fuerant, relinquere coapti fuimus, ſed locum, cui præfigenda fuiſſent indicare non omiſimus.

Ad Cap. I. *De Dedicatione Eccleſiæ*. Tom. I. pag. 37.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 390.

IN Eccleſia Parochiali Monialium Ordinis S. Benedicti ſecundæ veſperæ S. Georgii Titularis ipſarum Eccleſiæ concurrentes cum primis veſperis Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, ex integro celebrandæ ſunt de Sancto Georgio cum commemoratione Dedicationis, S. R. C. 9. Aug. 1721. *in Patavina*.

ITa quidem quoad Moniales, apud quas Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis eſt ritus dumtaxat duplicis 2. claſſis; quoad Parochum vero, licet ſæcularem, ſi non ratione majoris ritus, cauſa majoris ſolemnitatis, qua S. Georgius gaudet in propria Eccleſia.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 391.

Quando adeſt conſuetudo in aliqua Diœceſi celebrandi poſt feſtum Patroni principalis Eccleſiæ immediate annuam Dedicationem propriæ Eccleſiæ in proxima Dominica, ſi tali Dominica inciderit feſtum primæ claſſis; tunc dicta annua Dedicatio debebit transferri ulterius in aliam diem non impeditam, etiamſi non ſit in eodem menſe. S. R. C. 6. Septembr. 1727. *in Fulden.*

SI inciderit *Feſtum primæ claſſis*, non quidem univerſim, ſed ex iis, quæ ex ſolo loco dictis jam præferentiam habent ad feſtum Dedicationis; tunc autem transfertur *in aliam diem non impeditam*, adeoque non in alteram diem Dominicam.

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 392.

Primaria feſta S. Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli attentis rationibus per Patrem Merati ſect. 3. cap. 10. num. 2. innixis Decreto Sac. hujus Congregationis in Aquilien. 21. Aug. 1688. excludunt omnia alia feſta in ipſis occurrentia, excepta ſolemnitate Corporis Chriſti. S. R. C. 11. Maii 1743. *in Senen.*

UBertim confirmantur, quæ a nobis in Decret. 16. tom. 1. fuerunt tradita; in ſolemnitate autem Corporis Chriſti, quæ in exceptis ponitur, comprehenſa item manent feſta alia majoris dignitatis, de quibus ibi.

DECRETUM QUARTUM cap. in Ord. 393.

Occurrente feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cum primis veſperis Dedicationis Eccleſiæ, totum erit de digniori cum commemoratione minus digni, ſcilicet totum de Dedicatione cum commemoratione SS. Apoſtolorum; quodque ſervandum eſſe in prælatione octavarum juxta Rubricas generales, declaravit S. R. C. 16. Maii 1744. *in Cortunen.*

COntrait hæc ſanctio præcedenti, & alteri *in Aquilien.* editæ, quare ſatius lege *ſcilicet totum de SS. Apoſtolis cum commemoratione Dedicationis*, licet fortaſſe ex ſcriptoris errore aliter Decretum reperiatur expreſſum; & id ad vitandam correctionem legum, & maxime quia ita indubie ferunt Rubricæ generales, quas in Decreto 16. tom. 1. nos ponderavimus, & præſens laudat Decretum ipſum.

DECRETUM QUINTUM Cap. in Ord. 394.

Dominica quatuor temporum eſt illa, quæ ſabbatum quatuor temporum immediate ſequitur. S. R. C. 31. Aug. 1743. *in Aquilien.*

EX monumentis authenticis conſecrata conſtabat Eccleſia *in Dominica quatuor temporum poſt feſtum exaltationis Crucis*; hinc factum eſt dubium, num ejuſdem anniverſarium celebrandum ſemper foret in Dominica, quæ immediate ſequitur ad ſabbatum quatuor temporum, an magis in Dominica, quæ quandoque ſequitur ad idem feſtum Exaltationis, ſed antecedit quatuor tempora. Jam diſertam Congregationis deciſionem habes, & in eam methodum, quæ in ſimilibus ſervari debet.

DECRETUM SEXTUM Cap. in Ord. 395.

Cum præſcriptum ſit dicendum eſſe officium de Dedicatione in ipſa die conſecrationis a clero illius Eccleſiæ, quæ conſecratur, dubium eſt, utrum Epiſcopus conſecrans, etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem officium de Dedicatione; & reſponſum fuit negative quoad præceptum; poterit tamen, ſi velit, ex congruentia. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

PRobantur quæ a nobis tradita ſunt in Dec. 1. cap. 1. tom. 1. de obligatione Cleri ad celebrandum officium de Dedicatione in die, in quo ejuſdem Eccleſia conſecratur, ſolumque additur, quod Epiſcopus conſecrans, licet non ſit Ordinarius loci, ex congruentia poteſt quidem, ſed non tenetur ad idem officium faciendum; & hæc apprime conſonant doctrinæ, de qua in Decr. 5. cap. 2.

DECRETUM SEPTIMUM Cap. in Ord. 396.

An Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ad quam Regulares intra eamdem civitatem conſtituti, ſub ritu duplici 2. claſſis celebrandam tenentur, ultra illius octavam transferri poſſit ab iiſdem Regularibus, ſi prima dies alio feſto, ſimulque tota reliqua octava aliis novem lectionum feſtis impedita ſit? Reſponſum fuit affirmative. S. R. C. 11. Janu. 1749. *in una Ord. Excalc. S. Aug. Provinciæ Auſtriæ.*

FEſtorum de præcepto ea lex eſt, ut impedita transferantur ad primam diem non impeditam, cur itaque & non ſimiliter Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, quæ apud Regulares prædictos eſt de præcepto, etiamſi prædicta prima dies ſit ultra octavam, quæ tota ſit impedita?

Ad Cap. II. *De Patrono, vel Titulo Eccleſiæ*. Tom. I. pag. 64.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 397.

In Eccleſiis dedicatis ſub titulo S. Mariæ Angelorum officium de hocce Titulari celebrandum eſt die Aſſumptionis B. M. V. cum octava ejuſdem. S. R. C. 14. Maii 1707. *in Pariſien.*

ECce Decretum *in Pariſien.* editum, cujus meminit Meratus in Indice Decretorum *num.* 162., & nos ipſi plura diximus tom. 1. cap. 2. Decr. 6. num. 13., ſed in eo poſtea *aliquid dumtaxat additum non fuit* ad Decretum 10. Junii 1690., ut Meratus ibidem aſſerit, ſed in oppoſitum omnino ſtatuitur, in Eccleſiis nempe S. Mariæ Angelorum celebrandum eſſe earumdem Titulum in die, & per feſtum Aſſumptionis, ubi in laudato Decreto 10. Junii 1690. definitum remanet, recolendum eſſe in die 2. Auguſti, & cum officio S. Mariæ ad Nives, lectionibus ſecundi nocturni dumtaxat demptis. Hinc ruerent, quæ conſonanter ad idem Decretum nos ibidem ſtatuimus; ſed quoniam poſterius quoddam Decretum prodiit, quod ſolitum ſervari mandat, & ad priſtinum robur, & ſtatum revocat Decretum 1690., integra ſtant ibi dicta, ſaltem ubi ita fert Eccleſiarum praxis, & non refragarer admodum, ſi quis diceret etiam non ſtante conſuetudine, dummodo hæc non militet pro feſtivitate alia, quæ in caſu non minus ſervanda foret; ſatius autem forſan erit titulos ab excellentia petitos, quales nos laudato loco expoſuimus, in Aſſumptione ad præſentis Decreti tramites univerſim excolere, vel in Nativitate, ut ibidem nos dicebamus *num.* 24. En autem poſterius, quod dicebamus, Decretum.

DECRETUM SECUNDUM Cap. In Ord. 398.

An in Eccleſiis ſub titulo S. Mariæ Angelorum fieri debeat die 2. Auguſti officium cum miſſa de B. M. V. prout hactenus ſervatum fuit, vel potius Feſtum S. Mariæ Angelorum ſit celebrandum die Aſſumptionis ejuſdem. S. R. C. re mature diſcuſſa, reſcribendum cenſuit, ſervari ſolitum, nempe in caſu propoſito die 2. Aug. faciendum eſſe officium cum Miſſa de B. M. V. titulari Eccleſiæ, prout in feſto ad Nives, præter lectiones ſecundi nocturni, quæ ſumendæ ſunt ex ſecundo no-

ſterno Nativitatis ejuſdem B. Mariæ, mutato verbo *Natali* in verbum *Feſtivitate*, juxta Decretum editum die 20. Jun. 1690. in una Ordin. Minor. de obſerv. S. R. C. 7. Septemb. 1748. *in una Ord. Cappucin. Provin. Italiæ*.

DECRETUM TERTIUM Cap. In Ord. 399.

Debet fieri in tota diœceſi officium cum octava Titularis Eccleſiæ Cathedralis, ut Patroni. S. R. C. 2. Septemb. 1741. *in Aquen.* & quidem ab utroque clero tam ſæculari, quam Regulari, ab hoc tamen ſine octava, ut late diximus to. 1. cap. 3. Dec. 8. n. 9. Ratio autem ea patrocinio petita, quam ibidem produximus, nunc aperte per S. Congr. approbata remanet.

DECRETUM QUARTUM Cap. In Ord. 340.

Univerſa diœceſis tenetur ad celebrandum ſub ritu primæ claſſis cum octava feſtum Titularis Eccleſiæ Cathedralis, quando ſimul eſt Civitatis. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

IDipſum, quod præcedens, hæc firmat ſanctio, cujus verba *Quando ſimul eſt Civitatis*, ita legi debent *quando ſimul eſt Patronus Civitatis*; dictio autem *Quando* hic conditionem non dicit, ſed ſtat pro *quoniam*, quo in ſenſu uſurpatum fuiſſe noſcimus a Cicerone ipſo *lib.* 10. *Ep.* 12., *& de ſenect.*

DECRETUM QUINTUM Cap. In Ord. 401.

De Titulari Eccleſiæ Cathedralis in genere commemoratio inter ſuffragia ſolummodo habenda eſt per illos, qui ſunt de gremio Eccleſiæ; ſecus ſi eſſet inſimul Patronus principalis Civitatis. S. R. C. 4. Sept. 1745. *in Pernambucen.*

LAte probata manent, quæ nos dedimus to. 1. cap. 3. Decr. 14. ſuper commemoratione facienda inter ſuffragia de Patrono principali loci ultra commemorationem de Titulari Eccleſiæ, & quidem etiam Cathedralis, ad quam ſolummodo tenentur, qui ſunt de gremio ejuſdem Cathedralis non vero ceteri, niſi Titularis Eccleſiæ Cathedralis eſſet inſimul Patronus principalis Civitatis, quo in caſu ab univerſo quidem clero commemoratio de eo facienda foret, non tamquam de Titulari, ſed tamquam de Patrono principali Civitatis. Id adhuc limaa in locis, quæ habent plures patronos principales, ita ut in caſu prædicta commemoratio dumtaxat facienda ſic de Patrono principaliori, quicumque poſtea ille ſit, ut magis laudato loco diximus.

DECRETUM SEXTUM Cap. In Ord. 402.

Si feſtum ſit de Patrono loci, officium eſt recitandum ſub ritu primæ claſſis cum octava ab omnibus ſacerdotibus ſæcularibus ejuſdem. Si vero feſtum erit Titularis illius tantum Eccleſiæ parochialis, officium celebrandum erit ſub ritu primæ claſſis ab iiſdem ſacerdotibus tantum cum octava, qui addicti ſunt ſervitio Eccleſiæ illius Parochialis, & non ab aliis. S. R. C. 15. Setembr. 1742. *in Tridentina*.

NIhil frequentius in tom. 1. cap. 3. a nobis ſtatutum fuit, quam quod feſtum Patroni principalis loci ſub ritu duplici primæ claſſis, & octava celebrandum eſt ab univerſo clero ſæculari ejuſdem loci, a Regulari autem ſub ritu quidem duplici primæ claſſis, ſed ſine octava, & hæc eſt cauſa, ob quam Decretum, quod de celebratione Patroni cum octava diſponit, de ſolo clero ſæculari mentionem inſtituit. Quoad Titularem vero Eccleſiæ parochialis recole, quæ addemus ad ſequens Decretum.

DECRETUM SEPTIMUM Cap. In Ord. 403.

Clerus alicujus Terræ non tenetur recitare officium, & octavam Dedicationis Eccleſiæ matricis, niſi fuerit ipſius Eccleſiæ ſervitio, vel commoditati adſtrictus, aut in ea aliquod beneficium vel tenue poſſideat, vel beneficium ſimplex. S. R. C. 16. Maii 1744. *in Auximana*.

QUod præcedens ſanctio de Titulari, præſens de Dedicatione item ſtatuit, & ſe mutuo in ſua diſpoſitione quoque explicant, ita ut ſicuti Feſtum Titularis Eccleſiæ Parochialis celebrari dumtaxat poteſt a clero addicto ſervitio ejuſdem Eccleſiæ, ita feſtum Dedicationis, licet hæc ſanctio habeat verbum *Non tenetur*, quod ex ſe aptum eſt recipi per excluſionem obligationis, non autem placiti, quod ceteroquin etiam juxta conſuetum Congregationis dicendi modum etiam excludi, abunde comprobant ea, quæ diximus exponentes verbum *Non teneri*, quod ſæpe eadem Congregatio uſurpat ad excludendum placitum ſuper celebratione octavæ Patronorum a Regularibus. Etſi autem præcedens Decretum teneat & *non ab aliis*, non propterea excluduntur a celebratione officii de Titulari illi, quos præſens ſanctio admittit ad celebrationem officii de Dedicatione, videlicet qui in eadem Eccleſia beneficium aliquod vel tenue, aut ſimplex poſſident. Hinc uberem confirmationem accipiunt a nobis tradita tom. 1. cap. 1. 2. 43., & alibi ſæpe.

Cap. 30. De Patronis locorum.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 404.

Si feſtum ſit Sancti tamquam Patroni loci, electi a clero, populo &c. illius loci cum approbatione Epiſcopi vigore Conſtitutionis Urbani VIII. juxta Decreta S. R. C., tunc feſtum prædicti ſancti erit de præcepto obſervandum, & celebrandum ab incolis totius loci, etiam a ſuburbanis, alias negative. S. R. C. 15. Sept. 1742. *in Tridentina*.

SErmo eſt de Patrono principali, cujus feſtum declaratur de præcepto, ſi in illius electione ſervata fuerit forma conſtitutionis Urbanæ, ſecus, ſi ea minime fuerit obſervata. Prædictæ Conſtitutionis forma to. 1. cap. 3. Decr. 1. a nobis late manet expoſita, ſed licet ſervata ea minime fuerit, adhuc valida eſt electio, ſi facta fuit ante diem 23. Martii 1630. in qua prædicta emanavit conſtitutio, ſed tunc feſtum non erit de præcepto, ſi præcedenter ad eam Conſtitutionem jam de præcepto non erat ſolitum obſervari. Vide a nobis tradita to. 1. cap. 3. Decr. 1. & 2., & cap. 13. Decr. 3. & 7.

Ad Cap. IV. *De Reliquiis Sanctorum*. Tom. I. pag. 231.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 432.

An ubi habentur inſignes Reliquiæ plurium Sanctarum Virginum, & Martyrum e Societate S. Urſulæ, debeat de illis fieri officium duplex 21. Octobris cum commemoratione S. Hilarionis, & SS. Urſulæ, & Sociarum, vel poſſit aliis diſtinctis extra illum diebus de ſingulis illarum in particulari, prout hactenus alicubi die 17., & 19. Decemb. obſervatum fuit, recitari officium duplex? Quod ſi primum fieri oporteat, quæritur adhuc, an idem faciendum, ubi feſtum SS. Urſulæ, & Sociarum eſt duplex, vel ſemiduplex, aut hoc potius in aliam diem non impeditam transferendum ſit? Reſponſum fuit, fieri debere officium duplex de SS. Urſula, & Sociis cum ſola commemoratione S. Hilarionis, ſicuti fit Romæ in Patriarchali Eccleſia S. Mariæ majoris, ubi aſſervatur caput unius ex ſociis S. Urſulæ. Et ita pariter fieri debet abſque ulla tranſlatione in illis Eccleſiis, in quibus feſtum SS. Urſulæ, & Sociarum aliunde eſſet duplex, vel ſemiduplex. S. R. C. 11. Janu. 1749. *in una Ord. S. Aug. Excalc. Provinciæ Auſtriæ*.

CUm ſanctæ ejuſmodi ſint ad ſummum ex Sanctis per ſe junctis, & non ex natura rei, & in Breviario habeant ritum ſimplicem, deberet quidem ſimul officium duplex fieri de omnibus, quarum inſignes aſſervantur Reliquiæ, & non de iiſdem ſingillatim, ſed ex, quarum Reliquiæ non habentur, celebrandæ forent eadem die cum ſuo ritu ſimplici, quemadmodum ferunt Decreta to. 1. c. 5. cum dum doctrina a nobis ibidem tradita, & concordat Gavantus *ſect. 7. cap.* 12. *num.* 21. In oppoſitum præſens definit Decretum, quod ubi etiam unius dumtaxat habetur Reliquia, omnium officium elevat ad ritum duplicem minorem, & ſub hoc unicum celebrandas eſſe mandat, ad ſanctas item per ſe junctas extendens privilegium ſanctorum per ſe, & ex natura rei conjunctorum, quod ibidem ad Decretorum tramites nos late deſcripſimus. Quod id univerſim fieri debeat, ubi ſancti per ſe juncti habent officium duplex, vel ſemiduplex, abſque eo quod officium eorum, quorum non habentur Reliquiæ, transferatur ad aliam diem, laudato loco jam nos ipſi diximus; & nunc pariter pronunciamus de officio SS. Urſulæ, & Sociarum, etiam ubi ſolummodo ſimplici ritu gaudet; an autem id extendi debeat ad ſanctos quoſlibet alios, qui ſimplex habent officium, & non magis celebrandi ſint ritu ſimplici ſancti illi, quorum non habentur Reliquiæ, hac in parte nos propenderemus potius in antiquiorem diſpoſitionem Decretorum, de quibus loco laudato.

Ad Cap. XVIII. *De Octavis Feſtorum*. Tom. 2. pag. 54.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 436.

Occurrente die octava S. Michaelis cum feſto B. M. V. de Roſario, faciendum eſt officium de octava S. Michaelis, transferendo Officium, & Miſſam Roſarii ad primam diem non impeditam. S. R. C. 20. Jun. 1744.

DECRETUM SECUNDUM Cap. In Ord. 437.

An feſtum S. Joachim, ſi occurrat Dominica in die octavæ Aſſumptionis, celebrandum ſit eadem die, vel potius ad aliam transferri? Reſp. ſervari Rubricam X. Breviarii Romani de Tranſl. feſtor. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Romana*.

HÆc autem Rubrica docet, faciendum eſſe de die octava cum tranſlatione feſti occurrentis, licet duplicis majoris; de hoc autem nihil frequentius a nobis dictum fuit in tom. 2. cap. 18., uti & ſuis reſpective locis de transferendo officio aſſixo Dominicæ, quoties impeditum remanet, dummodo ſit officium univerſalis Eccleſiæ; quod item ex his duobus Decretis ſequitur.

DE

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 438.

Pro gratia faciendi officium feſtivum S. Annæ die 26. Julii cum commemoratione diei Octavæ B. Joannis de Dukla ſimul occurrentis; quoad incidentiam vero diei octavæ S. Staniſlai Koſtka cum feſto S. Catharinæ, quæ colitur celebriter a populo, ſervetur Rubrica de Tranſl. Feſt. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovien.*

PRimum indulgetur *pro gratia*, unde in exemplum trahi non poteſt pro caſibus ſimilibus, ſed ſervanda erit Rubrica de Tranſl. feſtorum, quæ jam ſervari præcipitur in occurſu S. Catharinæ, licet celebris in populo, cum die octava S. Staniſlai.

DECRETUM QUARTUM Cap. in Ord. 349.

In occurſu diei octavæ B. Joannis de Dukla Compatroni Regni Poloniæ cum feſto S. Annæ, officium habendum eſt de die octava, S. Annæ vero, licet ejuſdem dies magna cum devotione populi frequentetur, die prima non impedita. S. R. C. 15. Maii 1745. *Poloniæ in una Excalceator. SS. Trinit.*

LEx hæc eſt Rubricarum, nec officit præcedenti Decreto, quod pro S. Anna fuit ſpecialis gratia pro Civitate Cracoviæ, quare in hac quidem poterit fieri officium de S. Anna cum commemoratione octavæ, ſed extra eandem agendum erit officium de die octava cum translatione S. Annæ.

Ad Cap. XXII. *De Feſtis Sanctorum ad libitum*. To. 2. pag. 67.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 440.

Officia Sanctorum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum, non poſſunt figi, ſeu locari perpetuo in alia die ab Ordinariis locorum deſignanda, ſacra Congregatione inconſulta: nec circa hoc verificatur Decretum de anno 1703. revocans in hoc aliud Decretum generale de anno 1682. S. R. C. 2. Sept. 1741. *in Aquen.*

COnformis eſt ſanctio iſta anterioribus quibuſvis Decretis, atque doctrinæ, quam nos in illorum expoſitione tradidimus in cap. 22. tom. 2., ſed modo res aliter ſe habet, ut dicetur infra.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 441.

Cum SS. D. N. Benedict. XIV. univerſo clero utriuſque Siciliæ indulſerit officium B. Camilli de Lellis ſub ritu duplici ad libitum pro die 15. Julii in qua occurrit officium S. Henrici ſemiduplex de præcepto, quæritur quodnam ex duobus enuntiatis officiis ſit transferendum? S. R. C. cenſuit reſcribendum ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo, cui facta per Secretarium de prædictis relatione, Sanctitas ſua decrevit, ut fiat officium de S. Henrico die 15. Julii, officium vero B. Camilli non transferatur, ſed omittatur. Die 18. Aprilis 1744. *in Barenſi*.

IN id item vergit ſanctio, ut officia ad libitum occurrentia in dies impeditas, transferri non poſſint, ſed omitti debeant; impræſentiarum vero quid fieri poſſit, te ſequens Decretum inſtruat.

DECRETUM TERTIUM Cap. In Ord. 442.

Semel, & pro ſemper aſſignare poteſt Ordinarius diem non impeditum extra Dominicam, & octavas Sanctorum, feſtis ſanctorum ad libitum, non immutata tamen lege Sanctorum ad libitum. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

HIc Congregatio ab antiqua recedit methodo, & ubi prius feſta Sanctorum ad libitum incidentia in feſta de præcepto, omitti debebant, neque ab Ordinariis locorum in alteram diem immutari poterant, nunc iiſdem tribuitur facultas immutandi prædicta feſta perpetuo impedita in diem non impeditam extra Dominicam, & octavas Sanctorum. *Semel, & pro ſemper*, adeoque ſemel electa die non poſſunt amplius Ordinarii diem alteram eligere, ſed præfata feſta ſemper celebranda ſunt in die ſemel electa. At quid, ſi dies electa tractu temporis evadat perpetuo impedita? Poterit Ordinarius diem alteram ſemel, & pro ſemper eligere; tunc enim res redit in integrum, & perinde eſt, ac ſi dies numquam fuiſſet electa. *Ordinarium* ſimpliciter Decretum nominat, nec addit *loci*, quare Decreti favorem ad Prælatos Regulares, qui item Ordinarii ſunt, pro ſuis reſpective Eccleſiis extendi dubium eſſe non poteſt. *Non immutata lege Sanctorum ad libitum*, quare ſi dies electa quandoque impediatur, feſta ad libitum omiſſioni obnoxia erunt, non translationi, quemadmodum & evenit, quando eadem feſta in proprio die impediuntur.

Ad Cap. VI. *De Sanctis, qui in fine anni ſuperſunt.* To. 1. pag. 151.

DECRETUM PRIMUM Cap. in Ord. 426.

Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad annum ſequentem Sanctos illos, qui in fine anni ſupererunt, intelligenda ſunt non ſolum de ſemiduplicibus, ſed etiam de duplicibus, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. S. R. C. 16. Septem. 1741. *in una Ord. Min. obſerv. Reform.*

JAm dedimus hoc Decretum in cap. 43. to. 1. pag. 151., illudque expoſuimus de feſtis duplicibus minoribus, atque majoribus, non vero primæ, & ſecundæ claſſis, quæ tamquam feſta ſpeciali nota digna, in diſpoſitione Decreti non comprehendi dicebamus, ſed quatenus in fine anni ſuperſint, in annum ſequentem transferri poſſe, & celebrari. Idipſum modo dicimus, non ſic autem de feſtis ſemiduplicibus, aut duplicibus minoribus, quæ quoties eadem individualiter ſemper, vel quaſi ſemper ſuperſunt, iiſdem locum fecimus in anno ſequenti; ſed diſerte duo ſequentia Decreta nos edocent, quod ad annum ſequentem transferri non poſſunt; ſed quod ſupplenda ſunt per commemorationem, quare quoad hoc corrigenda ſunt, quæ in cap. 6. tom. 1. ſtatuta fecimus.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 427.

Poſterioribus hujus Sacræ Congregationis Decretis, quibus cautum eſt, ut Sancti, qui in fine anni ſuperſunt, non ſint ad ſequentem annum transferendi, abrogatum fuit Decretum 7. Dec. 1680., ideoque comprehenduntur ſub illis etiam Sanctis, qui in menſe Decemb. occurrentes, translati ſuperſunt. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.*

DEcretum 7. Dec. 1680. officia Sanctorum, quæ de menſe Decembris aliquando ſuperſunt, transferri poſſe, & fieri in prima die non impedita ſequentis anni concedit, & poſterioribus Decretis, quorum diſpoſitio verſatur circa ſanctos, *qui toto anni decurſu celebrari non valent*, offendi minime videbatur, utpote quod procedit de ſanctis, qui non totum anni decurſum, ſed ſolum dies Decembris reliquos, & quandoque nullos in utile habent ſuæ repoſitionis ſpatium. Ab iiſdem Decretorum verbis, & inſuper a ſequentibus *tunc in illo anno*, quæ ſanctos, qui uno dumtaxat, vel altero anno ſuperſunt, non qui ſemper, vel quaſi ſemper, videntur comprehendere, nos ipſi pertracti, locum fecimus ſanctis, qui iidem individualiter ſemper, vel quaſi ſemper in fine anni ſuperſunt, ſed cum in oppoſitum auctoritative Sacra Congregatio ſua exponat Decreta, dicendum eſt, quod dedum ſancti de menſe Decembri, aut qui fere ſemper iidem individualiter ſuperſunt, ſed etiam, qui ſemper, in annum ſequentem transferri minime poſſint, ut magis ſequens declarat Decretum.

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 428.

Occurrente feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ in die S. Silveſtri, officium S. Silveſtri non eſt transferendum ad annum ſequentem, ſed celebrandum in ipſomet die Dedicationis cum commemoratione ejuſdem S. Silveſtri. S. R. C. 23. Janu. 1745. *in Lunen. Sarzanen. Ordin. S. Franc. de Obſerv.*

IN feſto Dedicationis, quod eſt duplex primæ claſſis, dum commemoratio S. Silveſtri facienda præſcribitur, ruit regula, quam nos t. 1. c. 6. firmavimus, faciendi nempe juxta ſimplicium Rubricam commemorationem ſanctorum, qui in fine anni ſuperſunt, nihil namque fit de ſimplicibus, quoties in feſta primæ claſſis occurrunt. Quæ igitur lex erit ſanctorum ejuſmodi? Si attendantur Decreta antiquiora, quæ habent *faciendo illorum commemorationem ut fit in ſemiduplicibus*, ſemiduplicium Rubrica iiſdem adaptanda videtur, ſed nobis, qui prædicta verba jam ita expoſuimus, ut dumtaxat importent commemorationem etiam in ſecundis veſperis, in quibus ea carent pure ſimplicia, a data expoſitione minime recedentibus, arridet magis dicere, quod eorumdem ſanctorum commemoratio relatione habita ad eorum duplicem, vel ſemiduplicem fieri debeat inſtar diei octavæ reſpective vel diei infra octavam, quoties per feſtum altioris ritus, vel Dominicam privilegiatam quoad officium impediuntur, & per ſolam commemorationem ſuppleri debent; quo de ritu tam in occurrentia, quam in concurrentia cum jam alibi egerimus, opus haud eſt, hic repetamus ibi dicta. Hinc cum feſtum ſemiduplex prævaleat ad diem infra octavam, & feſtum duplex Dominicæ non privilegiatæ, haberentque officium, aut veſperas in tali occurſu, ſeu concurſu, idcirco feſtum ſemiduplex incidens infra octavam, ſi impediatur, ſortietur commemorationem ante diem infra octavam, & feſtum duplex ante dictam Dominicam, & ſic proportione habita ad caſus ceterorum concurrentiæ, quam non concurrentiæ. Præ die autem infra octavam, quæ in occurſum in feſtum duplex 2. claſſis commemorationem deperdit, prædictum feſtum, licet dumtaxat ſemiduplex, commemorationem aſſequitur, quam jam obtinet etiam feſtum ſimplex, licet poſtea hoc tantummodo in laudibus, & Miſſis privatis, ubi illam tribuendam eſſe credimus, etiam in utriuſque veſperis, & Miſſis omnibus. An vero itidem in occurſu in feſtum primæ claſſis, dubium non eſt, ſi præfatum feſtum ſit duplex, cum præſens Decretum in feſto Dedicationis commemorationem S. Silveſtri faciendam eſſe mandat; at ſi fuerit ſemiduplex, facienda quoque foret exemplo ducto a Dominica, quæ in occurſu in duplex primæ claſſis commemorationem numquam deperdit. Verum id magis ego puto eſſe privilegii, quam de ratione feſti ſemiduplicis, & ideo a prædicta commemoratione conſulerem abſtinere, ſolius commemorationis S. Silveſtri Decretum meminit, non nonæ lectionis, quam tamen nihilominus de eodem habendam eſſe cenſeo juxta antiquiora Decreta, quæ & commemorationem, & nonam lectionem demandant, at quid, ſi ſimul item incidat dies Dominica? De quo nona lectio legenda erit, de Dominicane vel de S. Silveſtro? Prælatio, quam feſtum S. Silveſtri habet præ Dominica, quæ, & officium illi crederet, ſi per feſtum primæ claſſis impeditum non foret,

foret, in favorem S. Silveſtri promotiat; ta tamen ne diſcedito a regula quam dedimus in laudato capite, ne vacet lectio ſuper Evangelium, cui talis honor indubie debetur. Idem facito in ſimilibus caſibus occurrentiæ lectionis de Evangelio.

Ad Cap. IX, *De perpetua Feſtorum immutatione*, To. I. pag. 184.

DECRETUM PRIMUM Cap. In Ord. 405.

Aſſignatio alterius diei officio perpetuo impedito fieri poteſt Sacra Congregatione inconſulta, abrogando alia Decreta contra hos emanata 28. Nov. 1682., & 22. Auguſti 1722., ſed confirmentur illa 18. Octob. 1699., Julii 1712, & 29. Nov. 1717. huic Decreto concordantia. S. R. C. 22. Apr. 1741. *in Vilnen.*

IN capite 9. tom. 1. eamdem doctrinam nos late tradidimus, cui cum accedat præſens Congreg. Decret., dubium eſſe non poteſt, quin immutatio fieri valeat inconſulta Sede Apoſtolica.

DECRETUM SECUNDUM Cap. in Ord. 406.

Dies non impedita cenſenda eſt tamquam propria ſanctorum perpetuo translatorum ad excluſionem alterius Sancti translati, qui poteſt aliquando contingere, & quatenus talia officia ſint duplicia, & occurrant in die Dominico, poſſunt tali die celebrari, ac ſi eſſet dies illorum propria. S. R. C. 28. Julii 1742. *in Tergeſtina.*

FEſta, quæ cum ſint perpetuo impedita, immutantur in diem alteram, hanc tamquam propriam acquirunt, & in ea conſideranda ſunt tamquam occurrentia, unde Rubricæ poſcunt, quod in illa celebranda ſint in excluſionem translatorum cujuſcumque claſſis, & quatenus ſint duplicia, etiam in occurſu Dominicæ. Hinc uberem confirmationem capiunt, quæ in memorato capite diximus.

DECRETUM TERTIUM Cap. in Ord. 407.

Cum officium alicui diei jam aſſignatum non debeat conſiderari uti translatum, ſed immutatum in eandem diem tamquam ſibi propriam perpetuo a S. R. C. aſſignatam, ſi ſint majoris ritus, quam ſit officium aliud pro eodem die poſtmodum conceſſum, huic, & non illi ex vi Rubricarum de occurrentia competit translatio. S. R. C. 11. Jul. 1739. *in Tropien.* & 11. Oct. 1740. *in Nolana.*

HÆc nos ſanctio docet, quod ſi pro die jam alicui ſancto in perpetuum aſſignata, concedi contingat poſtmodum officium de alio ſancto, de hoc non eſt continuo ea die celebrandum cum translatione pridem aſſignati, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ de occurrentia, ita ut retinendum ſit eorumdem illud, quod majoris ritus eſt, vel dignitatis, cum translatione alterius, perinde ac ſi ambo officia pro eadem die conceſſa forent, & occurrentia; & quam nos dicebamus, eadem ſanctio rationem approbat, quia nempe officium aſſignatum conſiderari non debet tamquam translatum, ſed tamquam immutatum, & in die ſibi propria in perpetuum eidem aſſignata. In paritate tamen ritus, & dignitatis, quam nos *eſſentialem* diximus, officium occurrens tamquam plus juris habens in ſua die natalitia, præferendum erit aſſignato, licet hoc ſit illo dignus dignitate accidentali, aut in conceſſione antiquius, ut magis diximus in tom. 1. cap. 9. Decretum 13.

DECRETUM QUARTUM Cap. in Ord. 408.

De officio SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi fieri debet die quinta Maii ipſis jampridem aſſignata, etiam in occurſu Dominicæ, & de altero poſtmodum conceſſo de S. Pio V. die XI. tamquam propria. S. R. C. 9. Jun. 1742. *in Verulana.*

QUæ modo dicebamus præſens Decretum uberem confirmationem porrigit.

DECRETUM QUINTUM Cap. in Ord. 409.

Fieri debet officium Dedicationis Baſilicæ SS. Salvatoris die 10. Nov. ipſi jam pridem aſſignata, & ad aliam diem non impeditam transferri officium S. Andreæ de Avellino poſtea conceſſo. S. R. C. 11. Maii 1743. *in Schalen.*

IDipſum, quod duo præcedentia, præſens Decretum ſtatuit, ſed hinc fortaſſe notant, quæ laudato loco tamquam probabilia dedimus, videlicet poſſe quandoque ob convenientiam retineri officium occurrens, licet minoris ritus, cum translatione pridem aſſignati.

DECRETUM SEXTUM Cap. in Ord. 410.

In fixatione feſtorum attendi debet, quod præcipitur a Rubrica X. Breviarii Romani ſub num. 7. de Transl. feſtor. ut feſtis prius agatur de duplici, poſtea de ſemiduplici, & inter plura duplicia, quod eſt magis ſolemne, ſemper prius celebretur, ſive ex ritu, ſive ea dignitate majoritas illa ſolemnitatis proveniat; alioquin ſi ſint omnino æqualia, unum ante aliud reponatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus, eadem enim militat ratio in fixatione, quæ probatur in translatione. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolan.*

ASſignatur ordo, qui ſervari debet in fixatione, & eſt ille ipſemet, quem Rubricæ teneri jubent in repoſitione, de quo nos jam fuſe agimus in to. 2.

DECRETUM SEPTIMUM Cap. In Ord. 411.

Prima dies proxime non impedita aſſignanda eſt cuilibet feſto a ſua die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies illa in poſterum ſit tamquam dies propria, & fixa feſti translati, juſtificatis tamen apud Epiſcopum loci ordinarium translatorum numero, & cauſis, dierumque aſſignandorum ordine, ac qualitate. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Friſinghen.*

RUbricæ ipſæ in translationis caſu de prima die non impedita ubique pronuntiant, & idipſum nos quoque tradidimus, ſervato tamen ordine ritus, dignitatis, & Kalendarii. In ſequentibus Decretis tu limitationes recole, dum nos ſubdimus, quod quæ de Epiſcopo ſubdit ſanctio, apud Regulares competunt eorum Prælatis.

DECRETUM OCTAVUM Cap. in Ord. 412.

An feſta perpetuo translata, etiamſi ſint ſemiduplicia, transferri poſſint in dies infra octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de octava, tamquam in dies proprias. Reſp. affirmative. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediolanen.*

OCtavæ aptæ non ſunt ſuſcipere ſemiduplicia, niſi quæ ſunt a præcedenti die immediate translata, nihilominus per præſens Decretum dies intra eaſdem octavas declaratur libera, & impedita, non quidem ad ſuſcipienda alia ſemiduplicia translata, ſed ad effectum, ut perpetuo translata, in ea immutari valeant; id autem declaratur non præcipiendo, ut prædicta perpetuo translata in dies infra octavas immutentur, ſed ſolum indulgendo, & quidem adhuc ad præcavendam ſanctorum, qui modo in annum ſequentem non amplius transferri poſſunt, reductionem ad ritum ſimplicem; quare prædicta immutatio non eſt in præcepto, ſed in arbitrio, & facienda non eſt niſi ab Eccleſiis, apud quas cum pluribus officiis abundent, regulariter ſuperſunt in fine anni ſanctorum officia, non vero ab iis, quibus vix aliqua ſuperſunt una, vel altera dumtaxat vice.

DECRETUM NONUM Cap. In Ord. 413.

Non dedecet aſſignari feſtis, etiam ſemiduplicibus, a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis, dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrenti feſto non impeditos, qui dies habeantur, & ſint in poſterum ſedes fixa talium translatorum. S. R. C. 22. Auguſt. 1744. *in Cracovien.*

DE hoc jam diximus in præcedenti Decreto, juxta quod corrigenda veniunt, quæ nos dedimus in tom. 2., quando nondum præſens prodierat indultum.

DECRETUM DECIMUM Cap. in Ord. 414.

Feſtum SS. Martyrum Cornelii, & Cypriani a propria die perpetuo amotum, die 7. infra octavam Dedicationis non impedita ab alio feſto celebrari deinceps in Civitate Peruſina pro Conventu Cappuccinorum poſſe non improbatur. S. R. C. 28. Novemb. 1744. *in Peruſina.*

EO item vergit præſens Decretum, ut ſemiduplicia perpetuo translata, immutari valeant in dies infra octavas non privilegiatas, quando in iiſdem officium de octava agendum foret.

DECRET. DECIMUMPRIMUM CAP. In Ord. 415.

Feſtum ſemiduplex a ſuo die perpetuo amotum, celebrari deinceps poteſt infra octavam non privilegiatam in die ipſi aſſignanda, tamquam ſedes illius fixa juxta Decretum die 28. Novemb. 1744. *in Peruſina.* Ead. Congr. 19. Apr. 1749. *in una Venetiarum.* Hanc ſuper rem opus non eſt ulteriora verba facere.

DE-

DECRET. DECIMUMSECUNDUM Cap. In Ord. 416.

Feſta plura de præcepto eadem die occurrentia, poſſunt ſtabiliri infra illas octavas, quæ ejuſmodi feſta occurrentia non excludunt, licet excludant tranſlata, ut eſt octava Corporis Chriſti, quæ admittit duplicia occurrentia, non autem tranſlata. Stabiliri autem non poſſunt infra eas octavas, quæ ejuſmodi feſta occurrentia excludunt juxta regulas præſcriptas in Rubrica de octavis num. 3. S. R. C. 15. Maii 1745. *in una Ord. Diſcalceator. SS. Trinit.*

SEnſus eſt, quod ea officia, quæ ſi occurrant, ab octavis admittuntur, licet reſpuantur tranſlata, immutari poſſunt in iiſdem octavis, unde infra octavas non privilegiatas officia ſemiduplicia, & ex privilegiatis v. g. infra octavam Corporis Chriſti quæcumque duplicia, & infra octavam Epiphaniæ duplicia primæ claſſis, nulla vero infra illas octavas, ut Paſchatis, & Pentecoſtes, quæ reſpuunt quæcumque feſta occurrentia.

DECRETUM DECIMUMTERTIUM Cap. in Ord. 417.

Poteſt ulterius transferri officium Sancti Raymundi de Pennafort ob occurrentiam fixam deſponſationis, relinquendo diem 28. Januarii vacuam, ut feſtum Nominis Jeſu ponatur illa die, & non celebretur in Quadrageſima, quando contingit illud transferri ex eo quod Dominica ſecunda poſt Epiphaniam aſſignata huic officio, aliquando incidit in Dominica ſeptuageſimæ. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

NOn eſt itaque immutatio Sanctorum perpetuo translatorum adeo facienda in primam diem non impeditam, ut in alteram differri non valeat, ſi congrua aliqua id ſuadeat ratio, unde probata late manent, quæ nos dedimus in laudato capite ſuper rationem iſtam congruam protrahendi prædictam immutationem ultra primam diem non impeditam. Has inter rationes congruas connumeramus caſum, in quo alias officium habens Octavam, transferri quandoque deberet ultra totam ſuam octavam, & ſine octava penitus celebrari, ut ſi impedirentur omnes dies infra octavam Conceptionis Deiparæ; tunc enim ſi hæc incideret in Dominicam, deberet ultra octavam transferri, & ſine octava prorſus celebrari.

DECRET. DECIMUMQUARTUM Cap. in Ord. 418.

Quando plura officia de præcepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita, aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria feſti reſpective translati. S. R. C. 15. Maii 1745. *in una Diſcalceator. SS. Trinit.*

QUod, volumus, intelligas, dummodo ratio aliqua congrua non aliter ſuadeat, quo in caſu immutatio differenda erit in ſubſequentem diem primam non impeditam.

DECRET. DECIMUMQUINTUM Cap. in Ord. 419.

Feſtum SS. Coſmæ, & Damiani jam alias a propria die perpetuo amotum, & pro die 1. Octobris appoſitum, celebrari deinceps poterit tam in cathedrali, quam in diœceſi Cracovienſi die tertia Octobris, ut die prima agatur in diœceſi de S. Remigio ad libitum poſtmodum conceſſo, de quo in Cathedrali haberi poterit commemoratio tamquam de ſimplici in officio de infra octavam S. Wenceslai inibi tantum occurrente. S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

ANtequam concederetur officium S. Remigii ſub ritu ſemiduplici ad libitum, feſtum SS. Coſmæ, & Damiani apud Cathedralem, & diœceſim Cracovienſem a ſua propria die perpetuo amotum, affixum fuerat, & conſignatum diei primæ Octobris, hinc cum deſerviret in omiſſionem officii de S. Remigio ad libitum poſtmodum conceſſi, quæſitum fuit num conveniens foret, Sanctorum Martyrum feſtum ſtate immutari in die tertia Octobris, ut diœceſis officium S. Remigii recitare poſſet, & Cathedralis, apud quam ratione octavæ occurrentis adhuc vacat ſub ritu ſemiduplici, in celebratione Officii SS. Martyrum cum diœceſi conveniret. Cum itaque id approbatum fuerit, jam inſpicis inſimul probari, immutationem ſanctorum non ſemper faciendam eſſe in primam diem non impeditam, ſed in ulteriorem aliam differri poſſe, quando alias deſerviret in omiſſionem alicujus officii, aut ut Cathedralis, & Diœceſis in ſanctorum celebratione, quantum fieri poteſt, conveniant, ut nos magis ſuo loco diximus.

DECRET. DECIMUMSEXTUM Cap. in Ord. 420.

Feſta ſanctorum, quibus conceſſa eſt octava, perpetuo translata, & ab aſſignato cuilibet illorum die perpetuo amota celebranda ſunt ſine octava, ſi de ea nihil remaneat, vel cum reſiduo illius, ſi de ipſa aliqui tantummodo dies ſupererunt. S. R. C. 16. Sept. 1741. *in una Ord. Min. Obſerv.* Vide a nobis dicta to. 1. cap. 9. Decr. 13. num. 45.

DECRET. DECIMUMSEPTIMUM Cap. In Ord. 421.

Cum aliquod feſtum jam translatum, iterum moveri ex neceſſitate contigerit a die ſibi ſemel aſſignata, non eſt opus, ut cetera alia feſta poſt ipſum translata, a diebus ſibi reſpective aſſignatis denuo removeantur, niſi forte nova calendarii conſtructio ex integro aſſumeretur, S. R. C. 22. Aug. 1744. *in Cracovienſi.*

HÆc nos inſtruit ſanctio, quod ſi officia plurima ob perpetuam translationem in diem alteram fuerint immutata, ſi eorumdem aliquod e die ſibi aſſignata amoveri contingat, non propterea officia cetera amovenda ſunt e diebus ſibi reſpective aſſignatis, ut in ſanctorum celebratione ſervetur ordo ritus, & Kalendarii qui in ſanctorum immutatione teneri præſcribitur, ſed officium illud immutandum erit in primam diem non impeditam, ceteris aliis immotis remanentibus, tamquam ſi dies iiſdem aſſignata, eſſet dies eorumdem occurrentiæ. Quæ cum a nobis jam ſtatuta ſint in memorato capite, idcirco lector recolat a nobis ibidem tradita.

DECRET. DECIMUMOCTAVUM Cap. in Ord. 422.

An Regulares debeant celebrare feſta perpetuo translata in illis diebus in Kalendario diœceſis auctoritate Ordinarii aſſignatis, tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat feſtum ſui Ordinis, Reſp. affirmative. S. R. C. 7. Dec. 1743. *in Mediclanen.*

ID intellige de Sanctis diœceſanis, præcipue in loco ſolemnibus, in quorum celebratione congruum eſt Regulares cum ſæculari clero conveniant, ſecus de ſanctis aliis, quorum ſignationem diœceſanam ſi Regulares, qui pluribus Ordinis abundant officiis, deberent proſequi, ut plurimum nec convenirent cum diœceſi ipſa ob occurrentiam aliorum Sanctorum Ordinis, vel aliorum in Ordine aſſignatorum, & inſuper neceſſe foret, quod officia celebrarent cum difformitate maxima tum a cetero Regulari Ordine, tum ab ordine in immutatione ſanctorum per Decreta ſervari præſcripto. Secus eſt de clero ſæculari, qui Diœceſani Kalendarii aſſignationem ſequi tenetur, niſi ea die apud ipſum occurrat aliquod officium propriæ Eccleſiæ, aut in hac pridem aſſignatum, majoris tamen ritus, & dignitatis, ut non obſcure innuit ſequens Decretum.

DECRETUM DECIMUMNONUM Cap. in Ord. 423.

In Eccleſia Sancti Jacobi de Luprio Venetiarum die 2. Auguſti agendum eſt de feſto Sancti Petri ad Vincula ab antiquo eidem diei affixo ob perpetuam translationem ratione occurrentiæ cum die octava Sancti Jacobi, non autem de Sancto Hermolao, quod paucis ab hinc annis ſub ritu ſemiduplici conſignatum extitit eidem diei ſecundæ Aug. S. R. C. 19. Apr. 1749. *in una Venetiarum.*

DECRETUM VIGESIMUM Cap. In Ord. 424.

Utrum Eccleſia particularis, quæ non poteſt facere de feſto in die aſſignata tamquam propria pro tota diœceſi, poſſit, & debeat huic feſto aliam diem eligere tamquam propriam? Reſponſum fuit affirmative cum approbatione tamen Epiſcopi loci ordinarii circa electionem diei. S. R. C. 22. Auguſti 1744. *in Cracovienſi.*

NOs in primis ſanctio docet, quod Eccleſiæ particulares adhærere omnino debent aſſignationibus Kalendarii diœceſani, uti & Regulares aſſignationibus in Kalendario Ordinis generaliter factis. 2. Quod ſi quæ particularis Eccleſia de feſto non valeat facere in die aſſignata, poteſt, & debet tali feſto diem alteram eligere tamquam propriam, immotis tamen remanentibus officiis aliis, ſi quæ ſunt pariter aſſignata, 3. Quod reſpective exigitur approbatio Epiſcopi, vel Prælati Regularis circa electionem diei ad effectum, ut aſſignatio contingat ſecundum Rubricarum, & Decretorum mandata, & non ad particularium arbitrium.

DECRET. VIGESIMUMPRIMUM Cap. In Ord. 425.

Quando feſta ſimplicia ſunt perpetuo impedita, ita ut de illis nequidem commemoratio perpetuo fieri poſſit, non poteſt Ordinarius loci aſſignare certam diem aliam illis feſtis impeditis. S. R. C. 7. Maii 1746. *in Varſavien.*

LAte confirmata remanent a nobis tradita tom. 1. cap. 5. Decr. 3. num 10.

Sub-

Subduntur nonnulla alia Decreta.

In Sabbatis quatuor Temporum, vel aliis ad Ordines conferendos a jure præſlitutis, Epiſcopus ordinationem faciens, Miſſam de feria, non autem de ſancto, qui forte diebus illis occurret duplex, vel ſemiduplex, ver. gr. Sancti Mathiæ tempore verno, S. Thomæ tempore hyemali &c., celebrare debet. S. R. C. 11. Julii 1739. *in Neritonen.*

Dies a jure præſlituti *in Pont. Rom. p. 1. de ordinib. conferen.* ſunt ſabbata in omnibus quatuor temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Paſſione, & Sabbatum Sanctum, quare Epiſcopus Ordinationem faciens, in his quidem Miſſam celebrabit de feria, & non de ſancto, de quo ea die recitaretur officium. Nolo autem, id extendas ad dies alias, in quibus quandoque ex diſpenſatione ab Epiſcopis Ordines conferuntur.

In Ordinum collatione diebus a jure ſtatutis dicenda eſt ſemper Miſſa de feria occurrenta, non de ſancto in ea contingenta. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomenſ.*

Uberem hinc confirmationem recipit præcedentis diſpoſitio Decreti.

Utrum in ſabbato ſancto pro collatione ſacrorum ordinum, Epiſcopus in ſuo domeſtico oratorio teneatur Miſſam cum prophetiis ut in Miſſali celebrare? Reſponſum fuit Miſſam collationis ſacrorum ordinum incipiendam eſſe a Prophetiis. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomen.*

Limitationem hinc ſuſcipit Decretum 5. cap. 21. ita ut dum in ſabbato ſancto Miſſas privatas omnino prohibet, in ſuo ſinu minime comprehendat Epiſcopum ordinationes habentem, qui propterea etiam ſub Miſſa lecta in ſuo domeſtico oratorio celebrata, bene poterit eaſdem habere. Quod vero additur de eadem Miſſa a prophetiis incipienda, conſonum eſt iis, quæ dedimus hoc eod. vol. pag. 153.

Cum ſabbato ſancto unica tantum in quavis Eccleſia Miſſa cantata admittatur, an Epiſcopus in privata cappella, vel oratorio poſſit ordinationem ſub Miſſa lecta celebrare, & quatenus affirmative, an debeat poſt communionem idem Epiſcopus pro veſperis *Alleluja, veſpere autem &c. Laudate Dominum, Magnificat &c.* dicere? Reſponſum fuit ad mentem. S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

Quæ fuerit mens, reapſe non conſtat; ad Miſſam tamen quod ſpectat, abunde patet ex præcedenti Decreto eam privatim ab Epiſcopo dici poſſe in tali circumſtantia. Quod autem pluribus inſignibus allegatis Auctoribus nos ipſi ſuperius diximus hoc eod. vol. pag. 155. nu. 11. Veſperas nempe ſabbati ſancti ſubrogatas eſſe loco antiphonæ, & orationis *communionis*, & *poſtcommunionis* dictæ, ac potius gratiarum actiones eſſe, quam officium veſpertinum, ſatis demonſtrat, eaſdem ab Epiſcopo dici debere, & nullatenus omitti poſſe.

An Presbyteri ordinandi ſtatim ab initio, vel ſolum a *Suſcipe, ſancte Pater &c.* debeant inchoare Miſſam cum celebrante, & ordinante Epiſcopo? Reſponſum fuit, teneri ſolum ad *Suſcipe, ſancte Pater.* S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

Nota to *tenere ſolum*, ut hincediſcas eoſdem Miſſam cum Epiſcopo ab initio auſpicari quidem poſſe, licet obligatio eos non afficiat, niſi ad *Suſcipe, ſancte Pater, &c.*, quæ cum in oratione offeratur hoſtia, profecto eam cum ſequentibus omnibus dicere tenentur memorati Presbyteri, qui concelebrant cum Epiſcopo.

An Presbyteri ordinandi debeant legere Miſſam ſtantes, vel in terram genuflexi? Reſponſum fuit negative ad primam, affirmative ad ſecundam partem. Ead. Congr. in eod. Decreto.

An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Epiſcopus ordinans in Miſſa facit, actiones debeant facere, adeoque an ii Presbyteri debeant cruces manu ſuper oblata peragere, an genuflectere &c., an denique omnia illa, quæ Epiſcopus ſub ſacrificio agit, agere? ſimiliter idem quæritur de Epiſcopo conſecrando? Reſponſum fuit ad primum negative, ad ſecundum, ſervandum eſſe Pontificale Romanum. S. R. C. 20. Sept. 1749. *in Jaurinen.*

Hæc, & præcedens ſanctio quoad presbyteros expoſitione non eget; quantum autem ad Epiſcopum conſecrandum hæc ſtatuit Pontif. Rom. p. 1. tit. de conſecr. Electi in Epiſcopum: *Dicto offertorio, conſecrator ſedet cum mitra in faldiſtorio ante medium altaris. Et conſecratus veniens ex ſua cappella, inter aſſiſtentes Epiſcopos medius coram conſecratore genuflectens, & illi offert duo intortitia accenſa, duos panes, & duo barilia vino plena, & conſecratoris prædicta recipientis manum reverenter oſculatur. Deinde conſecrator lavat manus, & accedit, & ibi ſtans medius inter Epiſcopos aſſiſtentes, ante ſe habens miſſale ſuum, ſimul cum conſecratore dicit, & facit omnia, prout in Miſſali, & ponatur una hoſtia conſecranda pro conſecrante, & conſecrato, & vinum conſecrandum in calice, ſufficiens pro utroque.*

An Presbyteri ordinandi poſtquam ſunt de Corpore D. N. J. C. communicati, debeant de illo calice, quem in ordinatione ſua tetigerunt, ablutionem ſumere? Reſponſum fuit, non eſſe neceſſe. S. R. C. 20. Septemb. 1749. *in Jaurinen. in Hungaria.*

Pontificale Rom. *p. 1. tit. de ordin. Presbyter.* nos aperte docet, quod presbyteri ordinandi ablutionem ſumere debent non in calice, quo Pontifex celebravit, ſed in alio cum vino, ſive poſtea iſte ſit ille, quem quivis in ſua ordinatione tetigit, vel alter quilibet.

An ſinguli Canonici teneantur a die adeptæ poſſeſſionis eorum canonicatuum ſatisfacere Miſſas conventuales hucuſque non applicatas. 2. An Archipresbyter Parochus teneatur ſatisfacere Miſſas etiam Parochiales hucuſque non applicatas. Reſp. fuit ad primum ad mentem. Ad ſecundum affirmative, & ad mentem, ut in proximo. Congr. Concil. 11. Maii 1720. In tomo 3. cap. 8. Canonicos jam teneri vidimus ad applicationem conventualis Miſſæ pro Benefactoribus, & Parochialis Parochos pro populo; hæ autem ſanctiones nos ſancta edocent, quod ſi quis eorum prædictas Miſſas applicare omiſerit, ad eaſdem ſatisfaciendas, & applicandas, ad quas, & prout tenebatur, omnino obligatur, & quidem abſque diminutione aliqua, quam auctoritate propria nullus attentare valet, licet Sacra Congregatio in ejuſmodi caſibus conſueſcat relaxare rigorem, & Epiſcopo demandare, ut non ad integram menſuram miſſarum, quæ erant applicandæ, & applicatæ non ſunt, celebrare faciat, & applicare, ſed cum aliqua æquitativa diminutione, ut reapſe præſtitit in hac reſolutione, quemadmodum fert additio illa: *Et ad mentem.*

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM

MEMORABILIUM.

Numeri paginas notant.

A

DUM ſit abſolutio ad tumulum, ſi in altari, in quo Miſſa celebratur, pulſetur campanula pro elevatione SS. Sacramenti, an ſit genuflectendum. 93
Vide *Defunctorum Parocus*.

Acolythi.

Cur olim in Ordinatione olim accipiebant ſacculum ſuper planetam ab Epiſcopo. 44
An in caſu neceſſitatis olim adminiſtrarint Euchariſtiam, & an etiam nunc poſſint. *ibid.*
Vide *Euchariſtia*.

Adoratio.

Quid ſit, & quot ejus ſpecies. 90. 91
Vide *Genuflexio*.

Adoratio Crucis.

Vide *Feria VI. in Paraſceve*.

Agnus Dei.

A quonam in Miſſa ſit additum, & quid ſignificet. 2

Alleluja.

Non eſt addendum ℣. *Panem de Cœlo* &c. niſi in die & Octava Corporis Chriſti, & tempore Paſchali. 87
Vides *Sacerdotes*.

Altare.

Denudatio Altarium Feria VI. in Paraſceve ſatis antiqua. 6
Quid ſignificet. *ibid.*
Si plura altaria ſint denudanda, præter Celebrantem, ab aliis Sacerdotibus cotta, & ſtola violacea indutis præſtari poterit. 7
Antiquus uſus ea lavandi hac die apud plurimos etiam nunc viget. *ibid.*
Altaria erecta a Patriarchis in veteri Teſtamento. 94
Vide *Feria V. in Cœna Domini*, *Feria VI. in Paraſceve*.

Amentes.

Amentes & phrenetici num ſint ad Euchariſticam menſam admittendi. 47
Quid de energumenis. *ibid.*
Vide *Euchariſtia*, *Communio*, *Communio Paſchalis*, *Viaticum*.

Angelorum imagines, & ſtatuæ.

Vide *Reliquiæ*, & *Imagines*, *Imagines Sanctorum*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Annunciationis Feſtum.

Si occurrat in Triduo mortis Chriſti debet transferri quoad chorum, & forum. 126. & *ſeq.*
Neque occaſione hujus feſti his diebus poteſt celebrari Miſſa, præter Conventualem, in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio, ſive ſolemnis, ſive privata. *ibid.*

Aqua benedicta.

Mos amovendi Aquam benedictam e vaſis Eccleſiæ Fer. V. in Cœna Domini, & VI. in Paraſceve eſt abuſus. 7
A quonam, & quando habuerit initium uſus benedicendi aquam, & ponendi ad Eccleſiæ fores. 162
Virtutes hujus Aquæ. *ibid.*
An ſi aquæ benedictæ alia non benedicta ſuperinfundatur, evadat tota benedicta. *ibid.*
Quonam die aqua ſit benedicenda. *ibid.*
Aſperſio hujus aquæ diebus Dominicis an debeat fieri per Celebrantem. *ibid.*
Cujusnam coloris ſtola adhibenda pro benedictione, & aſperſione. *ibid.* & *ſeq.*
Quo in loco ſit facienda benedictio, quænam paranda, & qui ritus ſervandus. *ibid.*
Qua hora & cum quibus paramentis aſperſio ſit facienda, quibuſque ritibus. *ibid.* & *ſeq.*
Epiſcopo, Cardinali &c. ingrediente Eccleſiam, dignior debet & tradere aſperſorium. 165
Vide *Sabbatum Sanctum*.

Aſſervatio SS. Sacramenti.

A primordiis uſque Eccleſiæ aſſervabatur in Eccleſiis SS. Euchariſtia. 58
Eſt aſſervanda SS. Euchariſtia in quacumque parochiali Eccleſia etiam pauperrima. *ibid.*
Et in Regularium utriuſque ſexus Eccleſiis. *ibid.*
Non tamen *aſſidue* in aliis Eccleſiis, abſque indulto Apoſtolico. *ibid.* & *ſeq.*
Poteſt tamen cum ordinarii licentia pro aliquo die. 58
Neque poſſunt aſſervare ſine ſupradicto Ap. indulto Hoſpitalia, Collegia, & Conſervatoria. 59
Non poteſt aſſervari *aſſidue* pluribus in locis, ſed in uno tantum altari ejuſdem Eccleſiæ. *ibid.*
Græci Euchariſtiam conſecratam Feria V. in Cœna Domini conſervabant ad annum, ut de illa communicarent infirmos. 61
A Summis Pontificibus deinde illis demandatum eſt ſingulis octo, aut quindecim diebus renovare. *ibid.*
Latinis octo dierum ſpatium tantum conceſſum eſt. *ibid.*
In quonam die hæc renovatio facienda. *ibid.*
Particulæ conſecrandæ debent eſſe recentes. *ib.*
Quid agendum ſi particulæ conſecratæ factæ ſint putridæ. *ibid.*
Vide *Clavis*, *Eccleſiæ Collegiatæ*, *Lampades*, *Parochus*, *Tabernaculum*.

B

Baldachinum.

Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Reliquiæ*, & *Imagines Sanctorum*, *Viaticum*.

Baptiſmus.

Vide *Fons Baptiſmalis*.

Baruffaldus.

Allucinatur, dum contendit, Sacerdotes communicaturos ſemper deferre debere ſtolam albi coloris. 4

Beati.

Vide *Imagines*.

Benedictio ad finem Miſſæ.

Si celebretur Miſſa in altari, ubi eſt expoſitum publice SS. Sacramentum, benedictio eſt danda more ſolito, non cum Sacramento. 67
Debet dari benedictio tantum verſus illos, qui ſunt ante altare. 89

Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum.

Cur in mano deferantur candelæ benedictæ accenſæ in Proceſſione Purificationis B. M. 103
Benedictio Cinerum quando, cur, & quomodo inſtituta. *ib.* & *ſeq.*
Narratur caſus mirabilis cujuſdam hanc Sacram functionem irridentis. 104
Benedictio Palmarum quando, & qua de cauſa inſtituta. *ibid.*
An Benedictio & diſtributio Candelarum, Cinerum, & Palmarum fieri poſſit in omnibus Eccleſiis. *ibid.* & *ſeq.*
Abſente Epiſcopo cujnam ſpectet has benedictiones facere. 105
Quomodo, & quo ordine ſint diſtribuendæ & accipiendæ Candelæ, Palmæ, & Cineres ab Epiſcopo, Canonicis, Prælatis Regularibus. *ib.* & *ſeq.*
Ritus benedictionis Candelarum & Proceſſionis. 106. & *ſeq.*
Quibus diſtribuendæ Candelæ. 107
Quæ obſervanda in Benedictione, & Proceſſione Candelarum, & in Miſſa cantanda, quando Purificationis feſtum inciderit in die impedita. 108. & *ſeq.*
Cera, quæ ſupereſt in diſtributione Candelarum cujuſnam futura ſit. 110
Cineres diſtribuendi quomodo, & ex qua materia parandi. *ibid.*
Solemnis benedictionis & diſtributionis Cinerum hora, & ritus exponuntur. *ibid.* & *ſeq.*
Ritus Miſſæ ſolemnis in benedictione Palmarum, & Cinerum. 111. & *ſeq.*
Vide *Parochialia Jura*.

Benedictio cum SS. Sacramento.

Hujus ritus exponitur. 86. 87
Quoties danda ſit benedictio cum Sanctiſſimo Sacramento, ante Orationem dici non debet *Dominus vobiſcum*. 87. 88
Sacerdos poſtquam ſurrexit, ut dicat orationem *Deus qui nobis* &c. non debet iterum genuflectere antequam illam abſolverit. 88
Proſcribitur error illorum, qui putabant benedictionem dandam ad illa Hymni verba *ſit* & *benedictio*. *ibid.*
Error eſt ad ſupradicta Hymni verba ſe ſignare ſigno crucis. *ibid.*
Error eſt etiam ſe ſignare crucis ſigno dum Sacerdos cum Sacramento benedicit populo. *ibid.*
Duo proponuntur modi benedicendi populo cum Sacramento. *ibid.*
Benedictionem unicam omnes dare debent, exceptis Epiſcopis &c. 89
Licet PP. Carmelitis in feſto Corporis Chriſti dare benedictionem cum triplici ſigno. *ibid.*
Quæ preces cantandæ, & quæ non, & in quo cantu. *ibid.* & *ſeq.*
Non ſunt cantandæ preces in ſermone vulgari. 90
Vide *Alleluja*, *Feria VI. in Paraſceve*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Oratio*, *Oſtenſorium*, *Parochus*, *Repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Tabernaculo*, *Thuriferarius*.

Benedictio Domorum, atque locorum.

Quotuplex ſit. 165
In Hebdomada ſancta Regulares non poſſunt benedicere domos laicorum. *ibid.*
Neque Parochi domos alterius parochiæ invito ipſarum Parocho. 166
An benedictio domorum ſit reſervata Parochis toto anni tempore. *ibid.*
An facta benedictione in hebdomada ſancta a parocho, poſtea fieri poſſit ab aliis. *ibid.*
Ritus benedictionis domorum &c. *ibid.* & *ſeq.*
Parochis non licet benedicere hoc tempore Monaſteriis Monialium, neque hoſpitiis Tertiariarum. 167
Neque ideo ingredi clauſuram. 168
Neque Tertiariorum domos. *ibid.*

Benedi-

Benedictiones loci, domus novæ, thalami, navis novæ &c. *ibid.*

Benedictiones eſculentorum.

Quid veniat eſculentorum nomine. 168
Cur adhibenda ſit hæc benedictio. *ibid.*
Benedictio, & eſus Agni an quid Judaicum redoleat. *ibid.*
Benedictio ovorum quare fiat in Paſchate. *ibid.*
An pani cujuſcumque ſpeciei conveniat benedictio. *ibid.* & *ſeq.*
Antiquus uſus benedicendi novos fructus, uvaſque fruges. 169
Cujuſcumque comeſtibilis benedictio cur inſtituta. *ibid.*
Hujuſmodi benedictiones a quocumque ſimplici Sacerdote fieri poſſunt. *ibid.*
An benedictio olei ſimplicis ſpectet privative ad parochos. *ibid.*
Olim etiam laici ſanctitate præſtantes oleo benedicebant. *ibid.*
An peccent Clerici ſæculares negligentes Benedictionem menſæ. *ibid.*
A Chriſto, & Apoſtolis initium habuit hæc benedictio. *ibid.*
Hujus formula per annum exponitur. 170
Quibuſdam anni temporibus quam variationem patiatur. *ibid.* & *ſeq.*
Vide *Parochialia Jura*.

Benedictio extra Miſſam.

Quo habitu Sacerdotes benedicere debeant extra Miſſam. 176
Vide *Reliquiæ*, & *Imagines Sanctorum*.

Benedictio in vita & mortis articulo.

Quotuplex ſit benedictio. 173
Benedictio in mortis articulo cum plenaria indulgentia an ſit antiqua. 174
Epiſcopis olim conceſſa, ſed anguſtis limitibus reſtricta. *ibid.*
Nunc ſuper hoc ampliorem habent poteſtatem. *ibid.*
An, & quomodo delegare poſſint alios ad eam impartiendam. *ibid.*
Quibus præter Epiſcopos ſit hæc facultas conceſſa. *ibid.*
Formula hujuſce benedictionis exponitur. 175

Benedictio Nuptiarum.

Quando habuerit originem. 122
Quando Sponſi ſint benedicendi, & quando non. *ibid.* & *ſeq.*
An peccent conſummantes matrimonium ante benedictionem. 123.
Jus benedicendi ſponſos ſpectat privative ad parochos. *ibid.* & *ſeq.*
Quonam in loco, & quo tempore ſponſi ſint benedicendi. 24. & *ſeq.*
Ritus exponitur hujus benedictionis. 126

Benedictio Papalis.

Statis diebus conceſſum eſt Regularibus quibuſdam eam impartiendi populo. 175
Ritus, & formula ſervanda. *ibid.* & *ſeq.*
An qui hanc facultatem habent, poſſint benedicere pluries die præſcripto. 176
An non ſervata formula aſſignata, benedictio eſſet nulla. *ibid.*
Quo habitu Sacerdotes benedicere debeant extra Miſſam. *ibid.*

Benedictio Puerperarum.

Quando hæc benedictio habuerit ſuum initium. 114
Non eſt de præcepto. *ibid.*
An puerperæ ſecum prolem ad Eccleſiam deferre debeant. *ibid.* & *ſeq.*
An Regulares poſſint puerperas benedicere. *ibid.* & *ſeq.*
An puerperæ hanc benedictionem accipere valeant in Eccleſiis Confraternitatum. 115
Ritus benedictionis exponitur. *ibid.* & *ſeq.*
In Eccleſiis Monialium benedictio puerperarum non eſt facienda. *ibid.*
Vide *Parochialia Jura*.

Benedictio Sacerdotis poſt communionem.

Num ab altari, an potius ad feneſtellam Sacerdos debeat Benedictionem impartiri Monialibus communicatis. 39
An cum Sacramento, vel manu Celebrantis. *ibid.*
Si Sacerdos communicet fideles ante Miſſam, num debeat illos benedicere. *ibid.* & *ſeq.*
Si intra Miſſam, non debet impartiri benedictionem. *ibid.*
Dari non debet poſt communionem neque intra Miſſam, neque in fine, ſi ſit Miſſa Defunctorum. 41. 43
An debeat Sacerdos poſt Miſſam eivorum communicans fideles eos benedicere, cum benedictionem jam acceperint in Miſſa. 43
Vide *Sacerdotes*.

Benedictio Sacræ Supellectilis.

Prælati Regulares non poſſunt benedicere paramenta ſacra Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. 95. 96
Poſſunt tamen ſi habeant Apoſtolicum Privilegium. *ibid.*
An Epiſcopi poſſint delegare ſimplices Sacerdotes pro hujuſmodi benedictione. 95
Regulares non poſſunt benedicere illa pro quibus adhibendum eſt chriſma. 96
Non poſſunt Prothonotarii Supellectilium benedictiones facere, niſi ex Apoſtolico indulto. *ibid.*
Prælati Epiſcopis inferiores nequeunt benedictiones cum Chriſmate exercere, collationes Minorum Ordinum, aut ſimilia, extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos alienos etiam de licentia Ordinariorum. *ibid.* & *ſeq.*
Quænam ſit differentia inter benedictionem, & conſecrationem. 97
Quando & quomodo deperdatur benedictio, & conſecratio Sacrarum ſupellectilium. *ibid.*
An qui utitur ſupellectilibus non conſecratis per hoc fiant conſecrata. *ib.*
An Crux & Imagines ſint benedicendæ. 98
Earum benedictio fieri poteſt private a ſimplici Sacerdote. *ibid.*
Vide *Tabernaculum*.

Benedictio Templorum &c.

Benedictio primi lapidis ad Epiſcopum ſpectat. 98. 99
Poteſt ſubdelegare ſimplicem Sacerdotem. 99
Quando Regulares poſſint hanc benedictionem facere per Sacerdotem non delegatum ab Epiſcopo. *ibid.* & *ſeq.*
Ritus hujuſce benedictionis deſcribitur. 98. 99
Ad quos ſpectat conſecratio, & benedictio Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Oratoriorum &c.
An poſſit ſimplex Sacerdos ſubdelegari. 99. & *ſeq.*
Ritus benedictionis Eccleſiæ exponitur. *ibid.* & *ſeq.*
Si Eccleſia, aut Cœmeterium benedicta, aut conſecrata polluantur, a quonam reconciliari debeant. *ibid.* & *ſeq.*
Ritus exponitur ſimplicis reconciliationis. 102
Quinam Regulares poſſint reconciliare ſuas Eccleſias, & Oratoria, Cœmeteria &c. 101. 103
An idem præſtare poſſint Sacerdotes Sæculares. 102
Ritus reconciliationis exponuntur. *ibid.*

Benedictus XIV.

Oleorum Sanctorum confectionem, & reconciliationem Pœnitentium egregie perrractat. 2
Privilegia Tertiariarum confirmavit. 21
An derogaverit Privilegio Carmelitarum dandi benedictionem cum triplici ſigno.

Beneficium.

Vide *Dedicatio Eccleſiæ*.

Bulla Feriæ V. in Cœna Domini.

Quare ſic vocetur, a quo ſit confecta, & contra quos potiſſimum. 9
Quando publice enuntiatur. *ibid.*

Bullæ Pontificiæ.

Quomodo ſe exprimant, cum derogant Conſtitutioni a Concilio Generali editæ. 20
An ſit derogatum privilegiis Regular. per Bullas Gregorii XV. Urbani VIII. & per Concilii Tridentini decretum. 22

Burſa.

Vide *Veſtimenta Sacra*.

C

Cadaver.

Olim Cadaveri ſuperponebatur Euchariſtia, & cum illa ſepeliebatur. 31
Cadavera deferri non debent in Eccleſia tempore Expoſitionis SS. Sacramenti. 2

Cæremoniarum Magiſtri.

Debent eſſe ſaltem in Sacris conſtituti. 84

Campanæ.

Feria V. in Cœna Domini poſt *Gloria in excelſis* non amplius pulſantur per totum triduum, & quare. 2
Loco earum adhibentur tabulæ, quarum antiquus uſus, & ſignificatio deſcribitur. *ibid.*
Vide *Collegium*, *Feria VI. in Paraſceve*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Parochialia Jura*, *Sabbatum Sanctum*, *Viaticum*.

Canonici.

An a die jam adeptæ poſſeſſionis ſuorum Canonicatuum teneantur ſatiſfacere Miſſas conventuales huc uſque non applicatas. 18
Vide *Euchariſtia*, *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Genuflexio*, *Olea Sacra*, *Parochus*, *Repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Tabernaculo*.

Candelarum Benedictio.

Vide *Benedictio Candelarum*.

Canon.

Vide *Communio*.

S. Carolus Borromæus.

Voluit, antequam adminiſtretur Euchariſtia paſchatis tempore, admoneri communicandos, ut unuſquiſque ſuam adeat parochiam. 24

Cathedralis Eccleſia.

Vide *Communio Paſchalis*, *Dedicatio Eccleſiæ*, *Euchariſtia*, *Feria VI. in Paraſceve*, *Officium*, *Parochus*, *Proceſſio Corporis Chriſti*, *Tabernaculum*.

Celebrans.

Vide *Sacerdotes*, *Miſſa*, *Genuflexio*, *Gloria in Excelſis*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Panis*, *Patena*, *Tintinnabulum*, *Veſtimenta Sacra*.

Cereus.

Cereus elevationis, ſi differat communicare uſque ad finem Miſſæ, & Sacramentum ſit ſuper Altare extra tabernaculum, non debet extingui niſi poſt communionem. 43
Si vero Sacramentum ſit reconditum in Tabernaculo, poteſt extingui, accendendus iterum ad Miſſæ finem, antequam extrahatur Sacramentum. *ibid.*
Accendendus eſt etiam in communione extra Miſſam cum aliis ſaltem duobus cereis in altari.
Vide *Sabbatum Sanctum*.

Chriſma.

Vide *Olea Sacra*, *Epiſcopus*, *Gloria in Excelſis*, *Feria V. in Cœna Domini*.

Cinerum Benedictio.

Vide *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, & *Palmarum*.

Cingulum.

Vide *Veſtimenta Sacra*.

Clavis.

Sub qua recluditur SS. Sacramentum, ſive Sepulchri, ſive Tabernaculi, non debet dari laico quantumvis nobili. 6

Clemens XII.

Quomodo revocaverit Bullas nonnullas Benedicti XIII. 10

Clementina Inſtructio.

Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Cœmeterium.

Vide *Benedictio Templorum*.

Collegium.

Collegiorum convictores diſcipuli, & domeſtici debent adire parochiam pro communione paſchali. 18
In Collegiorum Oratoriis poſſunt adminiſtrari Sacramenta &c. convictoribus diſcipulis, atque domeſticis, nullo excepto ſolemniori feſto. *ib.*

Nequeunt

Nequeunt tamen habere publicas campanas, aut ſepulturas, neque populo adminiſtrare Sacramenta. *ibid.*
Quam parochiam adire debeant in paſchate prædicti convictores, & domeſtici. *ibid.*
Vide *Eccleſiæ Collegiatæ*, *Nuptiæ*.

Commemoratio.

Facienda eſt inter ſuffragia de Sancto Titulari Cathedralis commemoratio ab illis tantum, qui ſunt de gremio Eccleſiæ. 178
Si Sanctus ſit etiam patronus principalis loci, fieri debet ab omnibus. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Miſſa*, *Officium*, *Veſpere*.

Communio.

Quid ſignificet. 39
Quot ſint communionis genera. *ibid.*
Quid ſit communio laica. *ibid.*
Quid communio peregrina. *ibid.*
Quid communio eulogiæ. *ibid.*
Communio Euchariſtica eſt facienda poſt communionem celebrantis. 40
Communionis ritus exponitur. *ibid. & ſeqq.*
Particulæ pro communione ſi deferantur ad altare ante Canonem, num ſint offerendæ & conſecrandæ. *ibid.*
Quid ſi poſt inceptum Canonem. *ibid.*
Confiteor, *Miſereatur*, *Indulgentiam* &c. olim non dicebantur ante communionem. 41
Neque *Ecce Agnus Dei*. *ibid.*
Prius communicandi Sacerdotes & Clerici, quam alii, ad altare genuflexi. *ibid.*
Laici non debent communicari, niſi extra presbyterium. *ibid.*
Verba, quæ Sacerdos dicit in actu communicandi, *Corpus Domini noſtri* &c. ſunt ſatis antiqua. *ibid.*
Ritus communionis faciendæ intra, & extra Miſſam deſcribitur a *pag.* 42. *ad* 47.
Nunquam eſt danda hoſtia non conſecrata pro conſecrata ſive ægris, ſive ſanis, ſive juſtis, ſive &c. 47
Qui ſint repellendi a Sacra Menſa. *ibid.*
Vide *Amentes*, *Cereus*, *Diaconus*, ℣. *Dominus vobiſcum*, *Epiſcopus*, *Euchariſtia*, *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Infirmi*, *Lampades*, *Linteum*, *Miniſter Euchariſtiæ*, *Miſſa*, *Moniales*, *Oblatio*, *Oratio*, *Panem de Cælo*, *Patena*, *Presbyterium*, *Purificatio*, *Sacerdotes*, *Sanguis conſecr. Miſſæ*.

Communio Paſchalis.

Quando fuerit in præcepto. 10. 25
Tranſgreſſores hujus Præcepti puniuntur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, & privatione Eccleſiaſticæ Sepulturæ. 10
Hujuſmodi pœnæ non incurruntur, niſi poſt declarationem, & ſententiam Judicis. *ibid.*
Amentes, & phrenetici non ſunt adſtricti lege hujus præcepti. *ibid.*
Si gaudeant lucida intervalla, admitti poterunt ex devotione, dum abſit periculum irreverentiæ. *ibid.*
Mitius ſunt plectendi ſemiſatui, energumeni, aliique, ſi reluctentur huic præcepto parere. *ibid.*
Excommunicati vero, interdicti, & publici peccatores ſeverius puniendi. *ibid.*
Contra tranſgreſſores hujus præcepti poteſt Epiſcopus excommunicationis ſententiam ferre. *ibid.*
Non vero quando ad tempus a proprio confeſſario prohibentur accedere. *ibid.*
Si poſt Excommunicationem non reſipiſcant, contra eos procedi debet tanquam de hæreſi ſuſpectos. 11
Poſſunt etiam tunc pœna pecuniaria puniri, applicanda loco pio. *ibid.*
Non ſatisfaciunt præcepto communicantes extra parochiam in Cathedrali Eccleſia. *ibid.*
Satisfaciunt vero ſi Cathedralis gaudeat Indulto Apoſtolico, aut ei aſſiſtat immemorabilis conſuetudo. 12
Præcepto annuæ communionis non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. 13
Satisfacit præcepto qui communicat a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive. 15
Num qui omiſit communicare in Paſchate, teneatur poſtea quam primum communicare. *ibid. & ſeq.*
An qui communicavit ante Dominicam Palmarum, teneatur communicare etiam in Paſchate. 16
Qui ex rationabili cauſa non potuit communicare tempore paſchali, tenetur ad eam intra annum. *ibid.*
An prævifo impedimento poſſit hæc communio anticipari. *ibid.*
Peregrini, advenæ lovagi in quanam Eccleſia debeant communionem paſchalem recipere. 22
Seculares accipientes communionem paſchalem in Eccleſiis Regul. inconſulto parocho, non ſatisfaciunt præcepto. 22. & *ſeqq.*
Ægroti, etſi communicaverint paulo ante tempus paſchatis, tenentur communicare etiam in paſchate. 24. & *ſeq.*
Vide *Amentes*, *Epiſcopus*, *Euchariſtia*, *Excommunicatio*, *Infirmi*, *Parochus*, *Regulares*, *Sacerdotes*, *Tertiarii*, *Viaticum*.

Concilium Generale.

Vide *Bullæ Pontificiæ*, *S. Congregatio Epiſc. & Reg.*

Concionatores.

Concionatorum opera adhibenda, ut apta oratione fideles inſtruant ſuper prævia diſpoſitione ad Euchariſtiam digne & utiliter ſumendam. 29
Non debent concionari capite tecto ante SS. Sacramentum expoſitum, & quæ inſuper cavere debeant, vide. 66. 85
Vide *Crux*, *Inſtructio Clementina pro LX. Horis*, *Regulares*.

Confeſſarius.

Nullus Confeſſarius ſive ſecularis, ſive Regularis poteſt excipere confeſſiones mulierum in nocte Nativitatis Domini. 35
Neque aliis temporibus ab occaſu ſolis uſque ad auroram. *ibid.*
Vide *Epiſcopus*, *Euchariſtia*, *Excommunicatio*.

Confeſſio Sacramentalis.

An teneantur fideles ſub præcepto ad annuam confeſſionem. 9. & *ſeq.*
Valide confitentur pro ſatisfactione præcepti paſchalis confitentes cuicumque approbato confeſſario, ſive ſæculari, ſive regulari. 11
Non tamen ſi confeſſarius regularis ſit præſentatus, & non approbatus ab Epiſcopo, etiam injuſte. 12
An tunc, etſi confitens non ſatisfaciat præcepto, valide ſaltem confiteatur. *ibid. & ſeq.*
Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, non ſatisfacit præcepto. 13
Non vero qui involuntarie. *ibid.*
Qui nullius eſt ſibi conſcius peccati an teneatur confiteri in paſchate. *ibid. &* 15
An qui habet ſola venialia teneatur. 13. 14
Num ſufficiat ad ſatisfactionem præcepti annuæ confeſſionis co[illegible]ri quocumque anni tempore. 13. & [illegible]
Quando incipiat hic annus. 14. 15. 16
Num ſemel confeſſus in anno, ſi poſt confeſſionem labatur in lethale peccatum, teneatur eodem anno iterum confiteri vi præcepti Eccleſiæ. 15
An etiam qui poſt confeſſionem meminit ſe oblitum eſſe alicujus noxæ lethalis. *ibid.*
Utrum hoc præceptum ſit datum per ſe, an vero ratione Euchariſtiæ ſuſcipiendæ. 13. & *ſeq.*
Ex rationabili cauſa, ubi confeſſio eſt adſtricta tempori paſchatis, poteſt differri. 16
An prævifo impedimento, in tali loco, poſſit anticipari. *ibid.*
Nullus omnino confeſſarius ſive ſecul. ſive regul. poteſt confeſſiones mulierum excipere tam in nocte Nativitatis Domini, quam aliis temporibus ab occaſu ſolis uſque ad auroram. 35
An infirmus præſente Viatico & circumſtantibus, ſi indigeat alia longa confeſſione, eam præmittere debeat ſumptioni Viatici. 54
Vide *Epiſcopus*, *Parochus*, *Regulares*.

Confraternitates.

Quæ ſunt erectæ in Eccleſia parochiali, ut exponant publice SS. Sacramentum in proprio altare, obtinere debent licentiam ab Epiſcopo, & a parocho. 64
Sufficit licentia Epiſcopi, ſi illi conſtet de diſſenſu parochi. 65
Confraternitates quæ habent Eccleſiam diſtinctam ab Eccleſia parochiali, non tenentur ad hoc petere licentiam parochi, niſi adſit immemorabilis conſuetudo, conventio &c. in contrarium. *ibid.*
Idem dicendum de aliis functionibus non parochialibus. *ibid.*
Confraternitates non tenentur eleemoſinam præſtare parocho, vel alteri per eum deputando, celebranti Miſſam tam pro expoſitione, quam pro repoſitione SS. Sacramenti, niſi ex Confraternitatis conſenſu applicet Miſſam. 71. & *ſeq.*
Vide *Benedictio Puerperarum*, *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Parochus*.

S. Congregatio Epiſc. & Reg.

Non poteſt derogare decretis Concilii Generalis. 20

Congregatio S. R.

Quo anno cœperit Decreta emanare. 171

Conjugatus.

Vide *Euchariſtia*.

Conſuetudo.

Conſuetudo contraria 100. annorum derogat privilegiis Regularium. 21
Favorabilis prodeſt. *ibid.*

Corporale.

Cum Palla benedicitur. 95

Credo.

Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Miſſa*, *Symbolum*.

Crux.

Feria V. in Cœna Domini illi competit genuflexio ab omnibus præter Celebrantem paratum, & Canonicos. 6
Non eſt amovenda ab altari majori, ut altera ponatur grandior nigro velo tecta pro feria ſequenti. *ibid.*
Sive ſit in altari majori pro Miſſa ſolemni, ſive in proceſſione, ſive ad lotionem pedum debet eſſe tecta velo albi coloris. 7
Cruces vero aliorum altarium relinquendæ cum velo violaceo. *ibid.*
Feria VI. in Paraſceve, ante illam omnes genuflectere debent, nemine excepto. 6
Crux in Miſſa ſolemni celebrata in altari, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, non debet incenſari. 67. 140. & *ſeq.*
Crux *vera* quæ dicatur. 135
Quotannis in Hieruſalem proponebatur populo adoranda. *ibid.*
Occaſio adorandi Cruces Fer. VI. in Paraſceve in tota catholica Eccleſia. *ibid.*
Proteſtantium impiæ querelæ. *ibid.*
In Proceſſione Crucis an Clerus debeat incedere capite detecto, & quinam cultus ei debeatur. 136
An ſit in quacumque occaſione ſemper genuflectendum ante Crucem *veram*. *ibid.*
Quo ritu ſit incenſanda Crux, & de benedictione cum illa. 137
Ad quem ſpectet deferre veram Crucem in proceſſionibus. 138
Crucum velatio cur inſtituta, & quando fieri debeat. *ibid.*
Antiquus mos eas collocandi in altari. *ibid.*
Ejus mirabiles apparitiones. *ibid.*
Non eſt neceſſe eam apponi in altari, ubi ſit magna crux aut depicta in icone, aut ſculpta. 139
Præter parvam Crucem in altari requiritur etiam magna Crux. *ib. & ſeqq.*
Crux in altari, ubi Sacramentum eſt publicæ venerationi expoſitum, non eſt incenſanda. 140
Cruces omnes, in quibus Crucifixi imago ſit, Sabbato Paſſionis ſunt velandæ. *ibid.*
Crucis diſcooperitio per Concionatores Fer. VI. in Paraſceve fieri ſolita. 143
Vide *Benedictio Sacræ Supellectilis*, *Feria VI. in Paraſceve*, *Genuflexio*.

Curatus.

Vide *Parochus*.

D

Dalmatica.

Debet benedici. 94
Inſervit proxime adminiſtrantibus ad altaris Sacrificium. *ibid.*
Benedicitur una cum Indumentis Sacerdotibus. *ibid.*

Dedicatio Eccleſiæ.

Ubi eſt conſuetudo eam celebrandi immediate poſt feſtum Patroni principalis

cipalis Eccleſia, debet transferri. 177
Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis quando a Regularibus transferri poſſit, *ibid.*
Clerus alicujus Terræ non tenetur recitare Officium, & octavam Dedicationis Eccleſiæ matricis, niſi fuerit ipſius Eccleſiæ ſervitio, vel commoditati adſtrictus, aut in ea aliquod beneficium vel tenue poſſideat, vel beneficium ſimplex. 178
Epiſcopus conſecrans aliquam Eccleſiam, & non ſit Ordinarius loci, ubi eſt Eccleſia conſecrata, non tenetur dicere officium de Dedicatione. 177
Si tamen velit, poteſt, & conveniens eſt ut dicat. *ibid.*
Si occurrat feſtum Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli cum primis Veſperis Dedicationis Eccleſiæ, de Dedicatione debet tantum fieri commemoratio. *ibid.*

Defunctorum.

Miſſæ non debent celebrari in Eccleſiis tempore expoſitionis SS. Sacramenti. 77. *& ſeq.*
Vide *Miſſa*, *Repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Tabernaculo*.

Diaconus.

In qua temporis circumſtantia poſſit ſeipſum communicare. 44
Vide *Miniſter Euchariſtiæ*, *Purificatio*, *Regulares*, *Sacerdotes*.

Dominicale.

Sic vocatur linteum, in quo fœminis olim dabatur Euchariſtia. 37
Deinde prohibitum extitit tam viris quam fœminis Euchariſtiam in tali linteo accipere. *ibid.*
Quid eſſet illud linteum Dominicale vocatum expenditur. *ibid.*

℣. Dominus vobiſcum.

An dici debeat hic verſiculus a Sacerdote poſt fidelium communionem. 46

E

Eccleſia.

Vide *Benedictio Templorum*, *Aſſervatio SS. Sacramenti*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Templum*.

Eccleſia Parochialis.

Vide *Parochia*.

Eccleſiæ Collegiatæ.

Etiamſi non aſſervetur in his SS. Sacramentum, poteſt tamen celebrari Miſſa ſolemnis feriæ v. in Cœna Domini, & condi Sacramentum in Sepulchro. 2
Si in his fiat expoſitio SS. Sacramenti, duæ Miſſæ ſunt cantandæ, una de Sacramento, altera de die. 67
Vide *Collegium*, *Euchariſtia*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Parochus*.

Eleemoſyna.

Antiquus uſus colligendi eleemoſynas intra Eccleſiam. 83
Vide *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Elevatio SS. Sacramenti.

Vide *Miſſa*, *Genuflexio*, *Tintinnabulum*.
Poteſt diſpenſare ne adeatur parochia pro communione paſchali quoad ſingulas perſonas, non vero quoad totam communitatem. 12
Inhibere non poteſt regularibus approbatis ab ipſo tanquam idoneis, ne tempore paſchali audiant confeſſiones ſæcularium ſine ipſius, aut parochi licentia. *ibid.*
Imo neque Sacerdotibus ſæcularibus ſimiliter approbatis. *ibid.*
Si non fuerint adeo idonei, poteſt. *ibid.*
Epiſcopi, in quorum diœceſibus viget laudabilis conſuetudo frequentis communionis, habent unde Deo gratias agant, & debent eam alere prudenti temperamento. 29
Epiſcopi, parochi, & confeſſarii redarguere debent aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino. *ibid.*
Epiſcopus non poteſt prohibere Curato, ne adminiſtret Viaticum infirmis ſine ſua licentia, ſive de die, ſive de nocte. 56
Poteſt tamen prohibere de nocte quaſcumque alias Proceſſiones, & functiones. *ibid.*
Epiſcopi licet ingredi Monialium Monaſteria pro impartienda benedictione in articulo mortis, quoties voluerit. 174
An Epiſcopus conſecrans non ordinarius loci debeat dicere officium de Dedicatione. 177
Epiſcopus ordinationem faciens in Sabbatis quatuor Temporum quam Miſſam dicere debeat. 182
An ſi eam faciat in Sabbato Sancto debeat incipere Miſſam a Prophetiis. *ibid.*
An eodem die cum Miſſa ſit cantanda, eam in ordinatione legere poſſit. *ibid.*
Epiſcopus conſecrandus quas actiones facere debeat. *ibid.*
Vide *Aqua benedicta*, *Benedictio Sacræ Supellectilis*, *Benedictio Templorum*, *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, *& Palmarum*, *Benedictio in vita*, *& mortis articulo*, *Communio Paſchalis*, *Confeſſio Sacramentalis*, *Confraternitates*, *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Fons Baptiſmalis*, *Genuflexio*, *Gloria in excelſis*, *Olea Sacra*, *Oratoria privata*, *Patena*, *Presbyteri*, *Proceſſio*, *Proceſſio Corporis Chriſti*, *Quatuor Tempora*, *Regulares*, *Tertiarii*, *Viaticum*.

Euchariſtia.

Feria v. in Cœna Domini omnes de clero, etiam Canonici, de manu Celebrantis ſumere debent. 2
Non ſumi debet niſi a jejunis. *ibid. & ſeq.*
Reprobatur conſuetudo Corinthiorum, Ægyptiorumque nonnullorum, qui non jejuni hac die audebant Euchariſtiam ſumere. 2. *& ſeq.*
Olim omnes fideles ſub rigoroſo præcepto tenebantur Feria v. in Cœna Domini eam ſumere, nunc tantum illi de clero qui ſervitio Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, Conventualium &c. ſunt addicti. 3
Epiſcopus hac die eam per ſeipſum miniſtrare debet Canonicis, & Clericis. *ibid.*
Feria vi. in Paraſceve, dum exportatur a domo infirmorum, non debet recondi in publica Eccleſia. 6
Fere quotidie ſumebatur a fidelibus in primitiva Eccleſia. p. 25
Refrigeſcente charitate ſæculo viii. ter in anno fuit præcepta Euchariſtiæ ſumptio. 2
An fideles in primitiva Eccleſia quotidie communicaverint nullo die excepto. 25
Poſtea ter in anno fuit præcepta Euchariſtiæ ſumptio; deinde ſemel in Paſchate. *ibid.*
Quare pluries quam ſemel in die non ſit recipienda. *ibid.*
Quanta animi præparatione debeat ſumi. *ibid.*
Frequens Euchariſtiæ ſumptio relinqui debet judicio confeſſarii. 26
Conjugati quomodo accedere debeant ad Euchariſtiam, & a quibus abſtinere. *ibid.*
Quanto tempore ſe abſtinere debeant ab uſu matrimonii. *ibid.*
Cauſæ, ob quas, etſi non ſe abſtinuerint, adhuc communicare poſſunt. 27
Quid de iis, qui nocturnas pollutiones paſſi ſunt. *ibid.*
Quid cavere debeant conjugati poſt acceptam Euchariſtiam. *ibid.*
Recipientes Euchariſtiam ſufficit ſi ſint liberi a lethali peccato. *ib.*
Nullus, ſive frequenter, ſive quotidie accedat ad ſacram menſam, eſt repellendus. 28
Quænam irreverentia inducat mortale peccatum. 27
Quot vicibus teneantur fideles in vita ad ſumptionem Euchariſtiæ de jure divino. 30
Non poteſt deferri in crumena, & ſecreto ad ſanos exiſtentes domi, vel cubantes in lecto. *ibid.*
Imo neque ad infirmos, niſi cum decenti pompa, præter neceſſitatis caſum. 30
Olim fideles Euchariſtiam ſecum deferebant domum, etſi laici, & quare. *ibid. &* 58
Et etiam itinerantes. *ibid. &* 58
Superponebatur etiam quandoque pectori cadaveris, & cum illa ſepeliebatur. 31
Fideles olim dum communicabant ſub utraque ſpecie abſorbebant Sanguinem ſiphone, ſeu fiſtula. *ibid.*
An fideles olim communicaverint tantum Fer. v. in Cœna Domini, ſed Feria vi. in Paraſceve. 31
Nunc Feria vi. prædicta nullus accipit Euchariſtiam, præter infirmos. *ibid.*
Num accipi poſſit a ſanis Sabbato Sancto intra Miſſam, vel poſt. *ibid. & ſeq.*
Neque viri neque mulieres poſſunt Euchariſtiam ſumere, neque pomeridiano tempore, neque nocturno, etiamſi ſit Vigilia Nativitatis Domini. 35
Neque poſſunt eam accipere his in die. *ibid.*
Si in Miſſa ſolemni fiat communio fidelium, Chorus ſtare debet detecto capite. 37
Euchariſtiam olim tam viri, quam fœminæ communicaturi accipiebant propriis manibus a celebrante, ſibique ori imponebant. *ibid.*
Poſtea fœminis dabatur in linteo, qui vocabatur *Dominicale*. *ibid.*
Deinde prohibitum extitit tam viris quam fœminis. *ibid.*
Quid eſſet illud linteum Dominicale vocatum expenditur. *ibid.*
Mulieres accedentes ad Euchariſtiam debent eſſe velatæ. *ibid. & ſeq.*
An Euchariſtia diſtribui debeat fidelibus ante Miſſam. 39
Tunc accendendus eſt cereus elevationis. *ibid.*
Vide *Acolythi*, *Amictes*, *Clavis*, *Communio*, *Concionatores*, *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Infirmi*, *Laici*, *Lampades*, *Linteum*, *Miniſter*, *Euchariſtiæ*, *Oratoria privata*, *Parochus*, *Proceſſio*, *Proceſſio Corporis Chriſti*, *Pyxis*, *Regulares*, *Sacerdotes*, *Sanguis*, *conſecrationis Miſſæ*, *Tabernaculum*, *Viaticum*.

Excommunicatio.

Ea plectuntur, non tranſgreſſores, ſed negantes præceptum communionis paſchalis. 12
Etiam tranſgreſſores, ſi poſt alias pœnas non reſipiſcant. 11
Quæ tamen excommunicatio a quocumque Confeſſario tolli poteſt. *ibid.*
Excommunicatione plectuntur, qui putant contemnenda eſſe jejunia communia. 13
Qui jejunant die Dominico in contemptum ejuſdem diei. *ibid.*
Qui jejunant ex interna ſuperſtitione. *ibid.*
Monachi adeuntes curias Principum, ut ſuis Prælatis, vel Monaſteriis noceant. *ibid.*
Vide *Communio Paſchalis*, *Regulares*.

Expoſitio SS. Sacramenti.

Ubi SS. Sacramentum eſt expoſitum, Chorus, Canonici, & Epiſcopus durante officio ſtare debent, aut ſaltem ſemper detecto capite. 37. *&* 66.
Expoſitio SS. Sacramenti non eſt admodum antiqua. 61
Expoſitio SS. Sacramenti non eſt facienda ſingulis diebus, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitatibus. *ibid. & ſeq.*
Nequit fieri a Regularibus hæc publica expoſitio ſine expreſſa licentia Ordinarii. *ibid.*
Recenſentur duo caſus, in quibus poſſunt ſine licentia. 62
Poſſunt exponere etiam ſine licentia, ſi Sacramentum non extrahant a tabernaculo, cum pyxide vel oſtenſorio velato ex privata cauſa, puta pro infirmis, afflictis &c. *ibid.*
Et idem dicendum de Eccleſiis ſæcularibus, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum. *ibid.*
Quot lumina ardere debeant ante Sacramentum expoſitum ſive publice, ſive privatim. 63
In Eccleſiis Monialium, quæ ſubſunt regimini Regularium, fieri non poteſt publica expoſitio ſine Ordinarii licentia, ſecus ſi fiat privata. *ibid.*
Neque in Eccleſiis Parochorum, & Vicariorum Abbatialium. *ibid.*
Etiamſi ſit conſuetudo ſingulis tertiis Dominicis, & per octavam Corporis Chriſti illud exponere. *ibid.*
Neque in Eccleſiis Confraternitatum, etſi gaudeant Ap. indulto aſſervandi SS. Sacram. *ibid.*
Etiam in quibuſdam certis diebus juxta ſuum inſtitutum. 64
An hæc licentia ab Epiſcopo petenda ſit toties quoties. *ibid.*
Non ſufficit licentiam petere ad hoc, niſi obtineatur. *ibid.*
Epiſcopus debet permittere Confraternitatibus expoſitiones ſolitas, niſi adſit gravis cauſa illas prohibendi. *ibid.*
Expoſitio minus ſolemnis fieri poteſt in altari laterali. 65
In Eccleſiis ubi celebratur ſolemniter feſtum alicujus Sancti, laudabile eſt eo die abſtinere a publica expoſitione SS. Sacramenti. 66
In Urbe Roma expoſitio non fit niſi media Miſſa. 67
Expoſitio SS. Sacramenti ex ſe ſufficiens non eſt cauſa cantandi Miſſam votivam in diebus impeditis. 69
Tempore Expoſitionis non deferantur cadavera in Eccleſia, neque fiat defunctorum officium. 70
Ad *Magnificat* incenſato altari expoſitionis, non ſunt incenſanda alia altaria.

altaris, etſi in his aſſervetur SS. Sacramentum. *ibid.*
Ritus ſervandus in expoſitione SS. Sacramenti. *ibid. & ſeq.*
Vide *Confraternitates, Concionatores, Crux, Eccleſiæ Collegiatæ, Eleemoſina, Genuflexio, Inſtructio Clementina pro XL. Horis, Miſſa, Oſtenſorium, Parochialia Jura, Reliquiæ, & Imagines Sanctorum, Repoſitio Santiſſimi Sacramenti in Tabernaculo, Sacerdotes, ℣. Tantum ergo, Tintinnabulum.*

F

Feria V. in Cœna Domini.

Quare ſic dicta. 1
Quare Eccleſia Officium hujuſce feriæ diviſerit. *ibid.*
Num hac die, & ſequenti fieri debeat ſtrepitus tabularum ad *Sanctus*, ad elevationem, & proceſſionem SS. Sacramenti. *ibid.*
Lavantur pedes, & quare. 2
Conſecrantur duæ Hoſtiæ a Celebrante, quarum una in Sepulchro conditur. *ibid.*
Quare non ſervetur condendus in Sepulchro etiam Sanguis. *ibid.*
Quid fieri debet ſi feſtum Annuntiationis hac die occurrat. 126. *& ſeq.*
Vide *Altare, Aqua benedicta, Aſſervatio SS. Sacramenti, Bulla Feriæ V. in Cœna Domini, Campanæ, Crux, Eccleſiæ Collegiatæ, Euchariſtia, Gloria in Excelſis, Miſſæ, Pallium, Parochialia Jura, Pax, Proceſſio, Sacerdotes.*

Feria VI. in Paraſceve.

Si contingat hac die deportari Viaticum infirmis, dicuntur Pſalmi cum *Gloria Patri* ſine cantu, & ſubmiſſiſſima voce. 55. 56
Populus eſt dimittendus ſine benedictione cum Sacramento. *ibid.*
An ſignum dari debeat in elevatione Sacramenti in Miſſa. 77
Paraſceve vox quid ſignificet. 126
Quid faciendum ſi feſtum Annuntiationis cadat in hac die. *ibid. & ſeq.*
Qualitas, & color ſupellectilium pro functione hujus diei. 127
Velum humerale, quo SS. Sacramentum defertur, ſemper debet eſſe coloris albi, etiam hac die. *ibid.*
A quibus Paſſio ſit canenda. *ibid. & ſeqq.*
Ritus ſervandi in lectione Prophetiarum, & cantu Paſſionis, & myſteria ſimul exponuntur. *ibid. & ſeqq.*
In Adoratione Crucis cæremoniæ ſervandæ. 130. *& ſeqq.*
Oblationes Cruci fieri conſuetæ. 131. *& ſeqq.*
Proceſſionis cæremoniæ. 132. *& ſeq.*
Incenſationis modus tenendus. *ibid. & ſeq.*
An Crux ſit incenſanda. 133
Quo pacto mittenda particula Hoſtiæ in calice, & de reliquis Miſſæ cæremoniis. 134
An Crux poſſit diſcooperiri in aliis Eccleſiis ante Cathedralem, &c. 135. *&* 142
Vide *Altare, Aqua benedicta, Crux, Euchariſtia, Proceſſio.*

Feſta.

S. Joannis Baptiſtæ, & SS. App. Petri & Pauli excludunt alia quæcumque, etiam Dedicationis Eccleſiæ, excepta ſolemnitate Corporis Chriſti. 177
Feſtum de Patrono loci, rite inſtitutum debet obligare etiam ſuburbanos ſub præcepto. 178
In Eccleſiis, ubi ſolemniter celebratur feſtum alicujus Sancti, laudabile eſt eo die, abſtinere a publica expoſitione SS. Sacramenti. 66
Feſta de præcepto ſi occurrant in Triduo mortis Chriſti debent transferri. 128. *& ſeq.*
Neque occaſione horum ulla Miſſa præter Conventualem celebrari poteſt. *ibid.*
Vide *Officium, Purificationis feſtum, Quatuor Tempora, Sabbatum Sanctum.*

Feminæ.

Optimum eſſet eaſdem ſeparare a viris, dum ad communionem accedunt. 59
Neque pomeridiano, neque nocturno tempore Euchariſtiam ſumere debent, extra neceſſitatis caſum. 35
Neque in Vigilia Nativitatis Domini. *ibid.*
Accedentes ad Sacram menſam debent eſſe velatæ. 37. 38
Olim Corpus Dominicum a Sacerdote accipientes propriis manibus ſenſas communicabant. 37
Deinde illis non tradebatur niſi in linteo mundo. *ibid.*
Poſtremo prohibitum fuit. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis, Sacerdotes, Separatio, Tertiarii.*

Fons Baptiſmalis.

Vetus conſuetudo conſecrandi aquam fontis baptiſmalis. 158
Ritus obſervandi in hujuſmodi benedictione. 153. *& ſeq.*
Olim ſoli Epiſcopi baptizabant. 158
Extra neceſſitatis caſum baptizabant tantum in Vigiliis Paſchatis, & Pentecoſtes. *ibid.*
Cur in his tantum diebus ſit benedictio fontis. 159
Quibuſnam Eccleſiis ſit conceſſum hanc benedictionem facere, & quibus non. *ibid. &* 161
Eccleſiæ habentes fontem habent jus privative ad baptizandos omnes ſuos parochianos. 159
Quam exceptionem patiatur quandoque hęc aſſertio. 160
An ob diminutionem aquæ benedictæ ſit nova benedictio facienda quovis tempore. 161
Vide *Parochialia Jura, Parochus, Sabbatum Sanctum.*

Portæ Eccleſiæ.

Vide *Velum Portæ.*

G

Genuflexio.

In veteri Teſtamento videtur reſervata ſoli Deo. 91
In novo tribuitur SS. Sacramento. *ibid.*
Pontifici, & Epiſcopis pontificaliter celebraturis. *ibid.*
Cruci Feria VI. in Paraſceve. *ibid.*
Ante SS. Sacramentum tranſeuntes omnes genuflectere debent, etiam dum fiunt Proceſſiones. *ibid. & ſeq.*
Græci non ſemper genuflectunt ante Sacramentum. *ibid.*
Quando flectendum unico genu, & quando utroque. *ibid.*
Quicumque accedentes, vel recedentes ab altari, ubi expoſitum eſt Sacramentum, ſemper utroque genu genuflectere debent. *ib. & ſeq.*
Sacerdos celebraturus ante illud tranſiens quomodo genuflectere debeat. 92
Si tranſeat ante altare, ubi fit elevatio, maneat genuflexus uſque dum calix deponatur ſuper corporali, *ibid.*
Si tranſeat ante altare, ubi fit communio, debet utrumque genuflectere, & ſtatim abire. *ibid.*
Si habeat obvium Sacerdotem deferentem SS. Sacramentum, quomodo genuflectere debeat, & quanto tempore debeat permanere genuflexus. *ibid.*
Dum elevatur Euchariſtia, Canonici, & Clerus, ſive ſint in Choro, ſive proceſſionaliter incedant, debeant genuflectere. *ibid.*
An Sacerdos celebraturus, vel poſtquam celebravit, tranſiens ante altare, ubi per Miſſam, quæ ibi celebratur, eſt SS. Sacramentum ſuper corporali poſitum, debeat genuflectere. *ibid.*
Dum Proceſſio ſine SS. Sacramento tranſit per Eccleſiam, ad elevationem non eſt pulſanda campanula; quod ſi pulſetur, genuflectere debent, at quomodo, & quamdiu. 93
Secus faciendum ſi in proceſſione deferatur Sacramentum. *ibid.*
Dummodo non habeant in occurſu, & tranſitu a latere Sacramentum publice expoſitum. *ibid.*
Si pulſetur campanula ad elevationem, dum fit abſolutio ad tumulum, num ſit genuflectendum. *ibid.*
Vide *Adoratio, Inſtructio Clementina pro XL. Horis, Pange lingua, Repoſitio Santiſſimi Sacramenti in Tabernaculo, ℣. Tantum ergo.*

Gloria in Excelſis.

Olim feria V. in Cœna Domini non dicebatur, niſi ab Epiſcopo faciente Chriſma. 1
Facta poſtea poteſtas, imo imperatum fuit cuicumque Celebranti, ut illud caneretur. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis.*

Gloria Patri.

Debet dici in fine Pſalmorum, quamvis ſine cantu, & ſubmiſſiſſima voce, Feria VI. in Paraſceve, ſi contingat deportari Viaticum infirmis. 55. 56

Græci.

Non multum abundant in genuflexionibus. 91
Raro genuflectunt ante Euchariſticum Sacramentum, tam in celebratione Miſſarum, quam in aliis functionibus, ſed tantum profunde ſe inclinant. *ibid.*
Litera IC. XC. NK. pani conſecrando imprimebant. 32
Quid ſignificent hæ literæ. *ibid.*
Vide *Purificatorium.*

Gregorius XIII.

An derogaverit privilegiis Tertiariorum. 20

H

Hæretici.

Execrantur Aquam benedictam, aliaſque Catholicæ Eccleſiæ Benedictiones. 162
Vide *Pontifex Summus.*

Hoſpitalia.

Vide *Nuptiæ.*

Hoſtia.

Hoſtiæ nomen convenit Corpori Chriſti, non pani conſecrando. 32
Unde ſit dicta Hoſtia. *ibid.*
Quas literas Græci in Hoſtia, ſeu pane conſecrando imprimebant. *ibid.*
Quæ Imagines in Hoſtia ſint imprimendæ. *ibid.*
Hoſtiam grandiorem, aut plures particulas Sacerdos uni in communionem tradere non debet. 31. *& ſeq.*
Narratur ſuper hoc memorabilis caſus. 32
Qui grandiorem hoſtiam, aut plures particulas expoſcit in communionem aut peccat contra fidem, aut ex ſuperbia. *ibid.*
An Hoſtia circumlata in proceſſione, aut quæ fuit publicæ venerationi expoſita, deinde in partes ſecta diſtribui poſſit fidelibus. *ibid.*
An cum parte ſuæ Hoſtiæ liceat Sacerdoti communicare laicum. *ib. & ſeq.*
Vide *Communio, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Paraſceve, Viaticum.*

I

Jejunus.

Eſſe debet, qui ad S. Menſam accedit. 2. *& ſeq.*
Nonnulli ex Corinthiis, & Ægyptiis communionem non jejuni ſumebant. *ibid. & ſeq.*
Eorum conſuetudo reprobatur. *ibid. & ſeq.*
Jejunantes die Dominico in contemptum ejuſdem diei, excommunicatione plectuntur. 13
Et etiam qui putant contemnenda eſſe jejunia communia. *ibid.*
Illi quoque, qui ex interna ſuperſtitione jejunant. *ibid.*

Ignis novus.

Vide *Sabbatum Sanctum.*

Imagines.

Beatorum nondum canonizatorum etiam in actu ſupplicantium non ſunt ponendæ in Eccleſia. 73
Vide *Reliquiæ, Benedictio Sacræ Supellectilis, Inſtructio Clementina pro XL. Horis, Tabernaculum.*

Incenſatio.

Incenſationis modus ſervandus Feria VI. in Paraſceve. 133
An Crux eo die ſit incenſanda. *ibid.*

Incenſari poteſt Sanctiſſimum Sacramentum etiam cum defertur per modum Viatici ad infirmum. 56. & 58
An Sacramentum incenſari debeat dum cum illo datur benedictio. 89

Indulgentiæ.

Vide *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti*, *Inſtitutio Clementina pro XL. Horis*, *Viaticum*.

Infirmi.

Hortandi ſunt a Parocho ad ſumendam Communionem, ſi Eccleſiam adire non poſſint, quamvis non ſint in extremo mortis periculo. 48
Infirmi communicantes ex devotione debent eſſe jejuni. 42
Vide *Communio Paſchalis*, *Confeſſio Sacramentalis*, *Euchariſtia*, *Meratus*, *Oratoria privata*, *Pſalmi*, *Purificatio*, *Regulare*, *Sacerdotes*, *Thuribulum*, *Viaticum*.

Inſtructio Clementina pro XL. Horis.

Non obligat niſi Urbis Romæ Eccleſias omnes ſive ſæculares, ſive regulares. 73. & ſeq.
Laudabile tamen eſt alias Eccleſias illi ſe conformare, niſi locorum Ordinarii aliter ſtatuerint. ibid.
Indulgentiæ conceſſæ occaſione 40. horarum non lucrifiunt, niſi Sacramentum remaneat expoſitum die, noctuque. ibid.
Quando inſtituta ſit Oratio 40. horarum. ibid.
Ponendum ſignum ante portam Eccleſiæ in via, indicans ibi Sacramentum eſſe expoſitum. 73
Tegendæ ſunt imagines Sanctorum in altari Expoſitionis, & parietes contigui. ibid.
Imagines quæcumque, præter Angelorum in actu miniſtrantium, & ſtatuæ ſunt amovendæ a presbyterio. ibid.
Sacramentum exponetur in tabernaculo, vel throno altiori loco, cum radiis gloriam ejus indicantibus ſuper corporali, aut palla, remota quacumque re impediente conſpectum Sacramenti. ibid.
Quot lumina tam diurno, quam nocturno tempore, & cujuſnam qualitatis, & ponderis ardere debeant. ibid. & ſeq.
Quomodo lumina ſint diſtribuenda. ibid.
Feneſtræ ſunt claudendæ. 74
Fœminæ arcendæ nocturno tempore. ibid. & 85
Laici non ingrediantur presbyterium etſi ſacco induti cujuſcumque Confraternitatis exceptis Regiis perſonis. 74. 82
Eccleſiaſtici ſive Sæculares, ſive Regulares miniſtrantes in altari expoſitionis adaptantes lumina &c. ſint cotta induti. 74
Quicumque cujuſcumque conditionis &c. tranſiens ante SS. Sacram. expoſitum ambobus genibus genuflectat. ibid.
Tranſeuntes ante hujuſmodi altare celebraturi Miſſam, qualem genuflexionem facere debeant. ibid.
Velum apponendum portæ, ne Sacramentum videri poſſit a pertranſeuntibus per viam. ibid.
Uſus hujus veli eſt valde antiquus. ibid.
Arceantur item canes ab Eccleſia. ibid.
Semper duo de Clero aſſiſtant orantes &c. ibid. & ſeq.
Quæ obſervanda in alterna diſtributione Cleri orantis, in pulſatione campanarum, & in celebratione Miſſarum ſolemnium tam in altari expoſitionis, quam in aliis. 75. 76
Quæ Miſſa cantanda in Eccleſiis non Collegiatis, ad quod altare, & quibus miniſtris. 76
Tempore expoſitionis non pulſetur tintinnabulum in Miſſis privatis, quæ in alio altari celebrantur. 77
Miſſa Sacramenti celebretur votiva ſine Gloria, & Credo, & in aliis privatis currentibus addenda commemoratio SS. Sacramenti ultimo loco. ibid.
Ne celebrentur Defunctorum Miſſæ. ibid.
Cujuſnam coloris eſſe debeant paramenta, velum humerale, pallium altaris, & baldachinum. ibid. & ſeq.
Ritus Proceſſionis SS. Sacramenti ante expoſitionem, vel ante repoſitionem. 78. & ſeqq.
Pœnæ contra tranſgreſſores latæ. 80. 82. 83. 86
Reditus Proceſſionis, & quæ facienda in Sacramenti expoſitione. 80 & ſeq.
Si inveniantur diſcordantiæ inter Cærem. Epiſc. Rituale &c. & inter inſtructionem, hæc potius ſequenda. 81
Scamna quæ adhibenda pro Celebrante, miniſtris, laicis &c. 82
Non deferenda in Eccleſia ſcamna cuicumque perſonæ dum Sacramentum eſt expoſitum. ibid.
Ne colligantur eleemoſinæ intra Eccleſiam a Clericis, aut laicis, pauperes excludantur, & quantum diſtare debeant ab Eccleſia. 83
Non eſt terminanda Oratio 40. horarum in una Eccleſia antequam in altera incipiat. ibid.
Ritus Repoſitionis SS. Sacramenti. ibid.
Ritus Miſſæ ſolemnis in Altari, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum. 83. 84.
Ritus Miſſæ privatæ in eodem altari. 84. & ſeq.
Ritus benedictionis, & repoſitionis. 85
Quomodo concionari poſſit ante Sacramentum expoſitum. ibid.
Quouſque Eccleſiæ fores expoſitionis tempore patere debeant noctu. ibid. & ſeq.
In omnibus Eccleſiis nota 40. horarum ſit publice expoſita in Urbe Roma, & extra. 86
Semper maneat hæc Clementina Inſtructio affixa in Sacriſtia omnium Urbis Eccleſiarum. ibid.
Nullus in Urbe Roma abſque licentia poterit exponere publice, aut private Sacramentum extra ordinem notæ 40. horarum. ibid.
Cæremoniarum Magiſtri ſint in Sacris ſaltem conſtituti. ibid.
Vide *Eleemoſina*, *Parochialia Jura*.

L.

Laici.

Olim in neceſſitatis caſu ſive viri ſive fœminæ apud ſe Euchariſtiam ſervabant, & ſe ipſos communicabant. 44
Imo etiam aliis adminiſtrabant. ibid.
An in pari caſu idem nunc licite facere poſſent. ibid.
Vide *Euchariſtia*, *Hoſtia*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Lotio*, *Presbyterium*, *Purificatio*, *Regulares*.

Lampades.

Semper ardere debent ante Altare SS. Sacramenti. 45
Non ſufficiunt quando Sacramentum adminiſtratur, ſed accendendi etiam cerei. ibid.
Lampades ardentes ante altare SS. Sacramenti eſſe debent ita poſitæ, ut quiſque facile advertat ubinam ſit illud Sacramentum. 59
Si Eccleſia, ſive parochus ita ſit pauper, ut non poſſit conſervare lampadem accenſam, inſtituendus eſt eleemoſinarum quæſtor, aut populus adſtringendus, ut expenſas ſubminiſtret. ibid.
Oleum olivæ ardere debet in lampade. ibid.
Legato de lampade ardente ante SS. Sacramentum ſatisfaciunt hæredes per ſubminiſtrationem olei. ibid.

Linteum.

Supponendum eſt fidelibus SS. Euchariſtiam ſuſcipientibus. 47
Olim ſupponebantur tabellæ. ibid.
Supponi non poſſunt pro linteo neque velum calicis, neque Sacerdotis manutergium, &c. ibid.
Abuſus illorum, qui dum Communionem recipiunt apprehendunt ſtolæ extremitatem, planetæ, cottæ &c. ibid.

Litaniæ.

Si dicantur a comitantibus SS. Viaticum aut in itinere, aut in domo infirmi, dici debet *ora pro eo*, vel *ea*, & non *pro nobis*. 53
Quocumque tempore cantentur, & in quacumque functione, poſt nomen S. Jo. Baptiſtæ, adjungi debet illud S. Joſephi 155
Quando in his omitti debeat, *Ut Domnum Apoſtolicum*. ibid.
Vide *Sabbatum Sanctum*.

Lotio pedum.

Quare dicatur *Mandatum*. 8
Quibuſnam pedes lavandi. ibid.
Quot eſſe debeant lavandi. ibid.
An eam exercere poſſint Sanctimoniales inter ſe. 9
Orientalibus eſt mos valde antiquus lavandi pedes itinerantibus. ib.
Recenſentur quædam celebres lotiones pedum. ibid.
Etiam a ſæcularibus fieri poteſt. ibid.
Vide *Crux*, *Feria V. in Cœna Domini*, *Pallium*.

Manipulus.

Vide *Purificatorium*, *Sacerdotes*.

Mappæ.

Quot eſſe debeant in altari pro Sacrificio Miſſæ. 98
An benedici debeant. ibid.
A quo poſſint benedici. ibid.

Matrimonium.

Vide *Nuptiæ*, *Benedictio Nuptiarum*.

Matthæuccius.

Aſſentatur parochis. 10

Meratus.

Perperam deſerit Gavantum. 3
Melius Gavanto docet Particulas conſecratas pro infirmis non eſſe reponendas in capſula in Sepulchro, imo neque in eadem Eccleſia. 6

Miniſter Euchariſtiæ.

Eſt proprie Sacerdos. 43
Olim etiam Diaconi. ibid.
Etiam nunc poſſunt adminiſtrare cum debita licentia, & in neceſſitatis caſu. ibid.
A quonam facultatem obtinere debeant Diaconi. ibid.
Miniſter aſportans Euchariſtiam de uno ad aliud altare, aut ſolum tangens, ſi in peccato mortali exiſtat quomodo peccet. 44
Quoniam peccatum committat, ſi Euchariſtiam tangat illotis manibus. ibid.
Quot & quæ peccata committat adminiſtrans Euchariſtiam cum conſcientia rea lethalis culpæ. ibid.

Miſſa.

Miſſa ſolemnis feria v. in Cœna Domini non eſt de juribus mere parochialibus. 2
Non licet eam celebrare ſupradicta feria in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum. 2
Miſſa Sabbati Sancti, ejuſque ritus. 33. & ſeq.
In ea olim communicabant omnes fideles, etiam infantuli. 33. & ſeqq.
An fierent in ea oblationes. 34
Poſt primam Miſſam in nocte Nativitatis Domini nequeunt immediate celebrari aliæ duæ. 35
In Miſſis defunctorum Euchariſtia adminiſtrari poteſt ex particulis in ea conſecratis, non vero ex præconſecratis. ibid. & ſeq.
An poſſit adminiſtrari ex præconſecratis, ſi Miſſæ Defunctorum celebrantur in paramentis violaceis. 36
An ſi adminiſtretur ante, vel immediate poſt Miſſam. ibid.
An Tridentinum dum optet fideles communicari in qualibet Miſſa, loquatur de ſolemni, aut de privata. 35
Olim an fieret communio fidelium extra Miſſam. 36
Cauſæ, ob quas Celebrans poteſt differre communionem ad finem Miſſæ. 37
Miſſæ privatæ celebrari non debent tempore officiorum ad altare, retro quod ſit Chorus. ibid.
Si Miſſa conventualis celebretur ſine cantu, clerus ad fidelium communionem genuflectere debet. ibid.
Miſſæ non debent celebrari in altari ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, præter Miſſam expoſitionis, & repoſitionis. 67
In quibus caſibus tamen poterit celebrari una, aut altera. ibid.
Ubi Sacramentum eſt expoſitum pro re gravi in die aliquo duplicis 1. aut 2. claſſis &c. aut celebrandæ ſunt duæ Miſſæ, una Votiva de SS., altera de die, aut in illa de die addenda commemoratio SS. Sacramenti cum unica concluſione. 67. 68. 69
In Miſſis privatis, exceptis duplicibus 1. & 2. Claſſis, debet fieri Commemoratio SS. Sacramenti, quoties publice in eadem Eccleſia eſt expoſitum. 68
Quæ commemoratio eſt facienda poſt omnes alias commemorationes de præcepto. ibid.
Neque illa commemoratio ſubrogari poteſt loco tertiæ orationis ad libitum, aut collectæ. ibid.
Neque eſt facienda commemoratio ſi Sacramentum non ſit expoſitum ex publica cauſa. ibid. & ſeq.
In Miſſis, quæ celebrantur expoſito SS. Sacramento, non dicitur *Credo*, niſi aliter eis competat. 69

Quæ

Digitized by Google

Quæ & quot orationes occaſione expoſitionis ſint dicendæ. *ibid.*
Neque durante expoſitione dici poterunt Miſſæ de Requiem, etiam pro adimplenda Teſtatoris mente. *ibid.*
Excipitur dies Commemorationis omnium fidelium defunctorum. *ib.*
Si Sacramentum non ſit expoſitum pro publica cauſa, poterunt in aliis altaribus celebrari Miſſæ de Requiem, laudabile tamen eſſet cum paramentis violaceis. 70
Miſſa non eſt celebranda, excepto neceſſitatis caſu, niſi in loco Sacro. 99
Quæ Miſſa cantanda, ſi Purificationis feſtum inciderit in die impedita. 108. *& ſeq.*
Si feſtum S. Joſephi incidat in majorem Hebdomadam, non poteſt celebrari Miſſa ſolemnis de eo. 148
Vide *Agnus Dei*, *Benedictio Sacerdotis poſt Communionem*, *Benedictio ad finem Miſſæ*, *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, *& Palmarum*, *Cereus*, *Crux*, *Eccleſiæ Collegiatæ*, *Euchariſtia*, *Communio*, *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Annunciationis feſtum*, *Feſta*, *Feria V. in Cœna Domini*, *Genuflexio*, *Hoſtiæ*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Defunctorum*, *Officium*, *Oratoria privata*, *Panis*, *Parochialia Jura*, *Parochus*, *Pax*, *Presbyteri*, *Presbyterium*, *Purificatio*, *Quatuor Tempora*, *Sabbatum Sanctum*, *Sacerdotes*, *Sanguis conſecrationis Miſſæ*, *Tintinnabulum*.

Monachi.

Vide *Regulares*.

Monaſterium.

Quicumque ſive viri, ſive fœminæ, ſi intra Monaſterii ſepta non degunt, debent Sacramenta recipere de manu parochi. 17. 56
Vide *Nuptiæ*, *Regulares*, *Septa*.

Moniales.

Perfruuntur iiſdem gratiis, & privilegiis, quibus Regulares. 17
Famulabus commenſalibus actu degentibus in Monaſteriis Monialium, eiſque inſervientibus poſſunt miniſtrari Sacramenta, etiam paſchali tempore, ſine parochorum licentia. *ibid. &* 56
Imo etiam quibuſcumque mulieribus, & puellis, quæ educationis cauſa in iis degunt. *ibid. &* 56
Moniales debent communicare diebus a Regola præſcriptis. 18
Et etiam in aliquibus feſtis particularis devotionis. 29
Si tamen ſint dignæ frequentiori communione, ad eam admittantur. 18
Moniales communicandæ an poſſint recitare alta voce *Confiteor*, & percutere ſibi pectus ad *mea culpa*. 38
An poſſint item dicere, *Domine non ſum dignus*. *ibid.*
Quid de illis, quæ dicunt, *Domine, non ſum digna*. *ibid.*
Vide *Benedictio Puerperarum*, *Epiſcopus*, *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti*, *Nuptiæ*, *Panis*, *Proceſſio*, *Sacerdotes*.

N

Non amplius.
Quid ſignificet in Decretis. 17

Nuptiæ.

Unde vocentur Nuptiæ. 516
Cujuſnam Parochi præſentia ſufficiat ad validitatem matrimonii. *ibid. & ſeq.*
Quinam Parochus requiratur ad validitatem matrimonii contracti per cretes Monialium cum puella degente in Monaſterio. 517
Quinam ad matrimonia Convictorum Collegiorum. *ibid.*
Quinam ad matrimonia puellarum expoſitarum, quæ immorantur in hoſpitalibus. *ibid. & ſeq.*
Non ſufficit parochus ruralis illi, qui recreationis cauſa &c. ivit rur. 518
Ad validitatem matrimonii ſufficit præſentia parochi materialis, ſed moralis humano modo. *ibid.*
Parochus ita debet contrahentes videre, ut poſſit recognoſcere, ſi opus ſit. 519
Quando matrimonia contracta temporibus prohibita ſint licita, quando non. *ibid.*
Quando, quo in loco &c. Denuntiationes fieri valeant. 520. *& ſeq.*
An Parochus, ſeu alius delegatus ab ipſo non Sacerdos valeat matrimoniis aſſiſtere. 521
Ritus celebrationis matrimonii exponuntur. 522
Vide *Benedictio Nuptiarum*.

O

Oblatio.
Oblationes tantas Diaconus ponebat ſuper Altare ad conficiendum Chriſti corpus, quantæ ſufficere poterant pro populi communione. 32
Vide *Feria VI. in Paraſceve*, *Miſſa*, *Panis*.

Officium.

In Eccleſiis dedicatis ſub titulo S. Mariæ Angelorum, officium de hoc titulari celebreri poteſt die Aſſumptionis B. M. V. cum octava ejuſdem, ubi eſt conſuetudo. 177
Officium Titularis Eccleſiæ Cathedralis ſi etiam ſit patronus principalis Civitatis, celebreri debet ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava etiam in diœceſi. 178
Officium de Patrono loci celebrari debet ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava ab omnibus Sacerdotibus Sæcularibus. *ibid.*
Si Sanctus fuerit tantum Titularis Eccleſiæ parochialis, ſub eodem ritu celebrari debet tantum a clero addicto ſervitio illius Eccleſiæ. *ibid.*
Ubi habentur inſignes Reliquiæ plurium SS. Virg. & Mart. e ſocietate S. Urſulæ, quomodo officium eſt ordinandum. *ibid.*
Si Officium de octava S. Michaelis occurrat cum feſto SS. Roſarii, Miſſa & Officium hujus eſt transferendum in primam diem non impeditam. *ibid.*
Quid agendum, ſi feſtum S. Joachim occurrat Dominica in die octava Aſſumptionis. *ibid.*
Quoties occurrit dies octava v. g. S. Stanislai Koſtka cum alio duplici feſto e. g. S. Catharinæ, hoc transferri debet. 179
Officia Sanctorum ad libitum ſi in proprio die ſint impedita non poſſunt transferri. *ibid.*
Si ſint perpetuo impedita alia dies eis aſſignari debet. *ibid.*
Quis poſſit hanc diem aſſignare. *ibid. &* 181
Officia quæ ſuperſunt in fine anni non ſunt transferenda ad annum ſequentem, exceptis duplicibus primæ, & ſecundæ claſſis. 179
Officia SS. quæ ſemper ſunt impedita, poſtquam alia dies illis eſt aſſignata, hæc debet conſiderari tanquam propria. 180
In Officiis translatis celebrandis quis ordo ſit ſervandus. *ibid.*
Quæ Officia translare reſpuant Octavæ non privilegiatæ. *ibid.*
Quæ vero Octavæ privilegiatæ. 181
Quid ſi plure feſta de præcepto eadem die occurrant. *ibid.*
Feſta translata perpetuo habentia octavam, vel celebranda ſunt ſine octava, vel cum reſiduo illius, ſi aliqui dies ſuperſint de illa. *ibid.*
Si plura feſta ſimul fuerint translata, ob perpetuum impedimentum, & unum ex illis iterum moveri debeat, hoc tantum, & non alia ſunt removenda. *ibid.*
Etiam Regulares debent celebrare de feſto in diœceſi perpetuo translato in diem aſſignatum, ſi alias non ſit impeditus. *ibid.*
Si Simplicia ſint perpetuo impedita, ut etiam commemorationem deperdant, quis poſſit eis aſſignare certam aliam diem. *ibid.*
Vide *Dedicatio Eccleſiæ*, *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti*, *Feria V. in Cœna Domini*, *Parochus*, *V. Tantum ergo*, *Thomas Morus*, *Veſperæ*.

Olea Sacra.

Quot ſunt olea ſacra, & quis eorum uſus. 278
Quando, & a quibus oleorum conſecratio fieri cœperit. *ibid.*
Spectat privative ad Epiſcopos. *ibid.*
Quo anni tempore ſit facienda. *ibid.*
Poſtquam conſecrata ſunt nova olea, an veteribus uti licitum ſit. 571
Vetera olea igni tradenda. *ibid.*
Ad olea conſecranda ita ſervandus eſt numerus miniſtrorum præſcriptus, ut in defectu eorum cogi poſſint Canonici, & etiam Regulares. *ibid.*
Quando poſſint conſecreri cum priori minori Sacerdotum. *ibid.*
Olea ſacra Epiſcopus tradere debet prompte, liberaliter, & gratis. *ibid. & ſeq.*
Quibus ea tradere debeat. *ibid.*
Ubi ſit ſervandum oleum, & ad quam Eccleſiam Parochi teneantur accedere ad illud recipiendum. 573
Vide *Sabbatum Sanctum*, *Tabernaculum*.

Oratio.

Tempore Paſchali poſt communionem fidelium Sacerdos dicit Orationem, *Spiritum nobis &c.* 46
Quæ dici non poteſt ante benedictionem SS. Sacramenti etiam hoc tempore. *ibid.*
Vide *Miſſa*, *Repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Tabernaculo*

Oratio XL. Horarum.

Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Oratoria privata.

In his adminiſtrari non poteſt Euchariſtia neque ſanis, neque infirmis, niſi ex privilegio apoſtolico. 30
Non ſufficit ad hoc privilegium celebrandi Miſſam. 31
Neque ſufficit privilegium ab Epiſcopo conceſſum. *ibid.*
In Oratoriis privatis Cardinalium, Epiſcoporum, & Regularium celebrari poſſunt plures Miſſæ eodem die, & adminiſtrari Euchariſtia. *ibid.*
Vide *Benedictio Templorum*, *Collegium*.

Oſtenſorium.

Cuſtodia etiam appellabatur. 95
Eſt benedicendum. *ibid.*
Cujuſnam figuræ fuerit olim. *ibid.*

P

Palla.
Vide *Corporale*.

Pallium.

Altaris majoris Feria V. in Cena Domini ad Miſſam, lotionem pedum &c. debet eſſe albi coloris. 7
Aliorum vero altarium ſemper violaceum. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Palmarum Benedictio.

Vide *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, & *Palmarum*.

Panem de Cælo &c.

Num ſit de præcepto, an de conſilio illum dicere poſtquam Sacerdos communicaverit fideles. 45
Tempore Paſchali, & in Octava Corporis Chriſti adjungi debet *alleluja*. *ibid.*

Pange lingua.

Quælibet hujus hymni ſtropha intonanda eſt a cantoribus, ut evitetur diſſonantia in cantu. 9
Dum cantatur per proceſſionem SS. Sacramenti intra Eccleſiam, relinquendæ ſunt duæ ultimæ ſtrophæ, cantandæ cum omnes genua flexerint ante altare, ubi eſt reponendum. *ibid.*
Dum proceſſio ſit extra Eccleſiam, non eſt neceſſe illas ſtrophas omittere, neque, ſi cantentur, erit genuflectendum. *ibid.*
Vide *Repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti in Tabernaculo*.

Panis.

Panis, vinique munera conſecranda vocabantur *Oblationes*, & cur. 31
Ad tollendos abuſus deinde offerebatur farina, quæ nequibat in panem parari niſi ab Eccleſiaſticis, aut a Virginibus Deo ſacratis. *ibid.*
Quæ fuerit olim forma panis conſecrendi. 32
Olim conſecrabatur panis integer, qui poſtea particulatim fractus in communionem Celebrantis, & populi deſerviebat. *ibid.*

Partes

Partes reciſæ a pane integro dicebantur *Particulæ*. ibid.
Vide *Hoſtia*.

Paramenta.

Vide *Veſtimenta Sacra*, *Miſſa*.

Paraſceve.

Vide *Feria VI. in Paraſceve*.

Parochia.

Parochiarum diviſio quando, quot vicibus, & cur facta, & a quibus præcepta. 57
Diſtantia, & magna populi incommoditas eſt ſufficiens cauſa diſmembrationis, & erectionis novæ parochiæ. 159
Vide *Collegium*, *Confraternitates*, *Epiſcopus*, *Expoſitio SS. Sacramenti*, *Officium*.

Parochialia Jura.

Quænam ſit differentia inter jura parochialia, & functiones parochiales. 2
Expoſitio XL. horarum, & benedictio, quæ fit ſuper populo, non eſt de juribus mere parochialibus. 65
Benedictio, & diſtributio Candelarum, Cinerum, & Palmarum non ſunt ex juribus mere parochialibus. 104. & ſeq.
Benedictio puerperarum non eſt de juribus mere parochialibus. 115. 168
Prima pulſatio campanarum in Sabbato Sancto non eſt de juribus mere parochialibus. 157
Benedictio fontis baptiſmalis non eſt de juribus mere parochialibus. 160. 168
Benedictio ſeminis, ovorum, & ſimilium non ſunt de juribus mere parochialibus. 168
Miſſa ſolemnis Feria V. in Cœna Domini non eſt de juribus mere parochialibus. 1

Parochus.

Poteſt concedere uni, vel alteri, numquam vero omnibus ſuæ parochiæ, ut communionem paſchalem ſumant in aliena Eccleſia, niſi urgeat neceſſitas. 12
Non debet communionem paſchalem adminiſtrare, niſi confeſſis ſibi, aut fidem de confeſſione ſcriptam exhibentibus, ubi eſt conſuetudo. 14
Parochi quam immerito conquerantur ſuper privileg. Tertiarior. 21
Parochi peccant deferentes Euchariſtiam nocturno tempore infirmis extra neceſſitatis caſum. 56
Parochus domicilii, ſeu habitationis, non vero Cathedralis, Collegiatæ, aut Matricis munire debet Sacramentis infirmos Canonicos, Beneficiatos, Sacerdotes, Clericos, aliosque quoſcumque. 57
Idem dicendum de Officio funebri. ibid.
Parochorum erit ſub gravi culpæ pœna curare, ut lampas continue ardeat ante SS. Sacramentum. 61
Parochus Benedictionem cum Venerabili gratis agere debet. 72
Parochus interveniens ad canendam Miſſam, vel ad dandam benedictionem, non habet jus ſibi eligendi miniſtros, ſed ad confraternitatem ſpectat. ibid.
Parochi tenentur accedere ad matricem pro benedictione fontis baptiſmalis. 160
An a die jam adeptæ poſſeſſionis teneantur ſatisfacere Miſſas huc uſque non applicatas. 182
Vide *Benedictio Nuptiarum*, *Benedictio Domorum*, *atque locorum*, *Confraternitates*, *Epiſcopus*, *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti*, *Fons Baptiſmalis*, *Infirmi*, *Lampades*, *Matthœuccius*, *Monaſterium*, *Moniales*, *Nuptiæ*, *Olea Sacra*, *Regulares*, *Sacerdotes*, *Tertiarii*, *Viaticum*.

Particula.

Vide *Hoſtia*, *Panis*, *Viaticum*.

Paſchale tempus.

Vide *Communio Paſchalis*, *Confeſſio Sacramentalis*, *Moniales*, *Oratio*, *V. Panem de Cœlo*, *Regulares*, *Sacerdotes*.

Paſſio.

Vide *Feria VI. in Paraſceve*.

Patena.

Non eſt ſupponenda mento communicantium a miniſtro, niſi quando aut Epiſcopus communionem adminiſtrat, aut per aliquam Dignitatem fit generalis Communio. 37
Perperam a nonnullis, & cum periculo ſupponitur Patena, aut Pyxis, in qua eſt Chriſti corpus, mento communicantium. ibid.
Olim fideles communicabantur media grandiori patena diverſa ab illa Celebrantis. 40
Quæ patenæ dicebantur *Communicales*, & *Majores*. ibid.
Patena 30. librarum argentea cum gemmis donata a Conſtantino. ib.

Patronus.

Vide *Feſta*, *Officium*.

Pax.

Non eſt danda in Miſſa feriæ V. in Cœna Domini, & quare. 2
An daretur in Miſſa Sabbati Sancti. 34

Planeta.

Vide *Sacerdotes*.

Pluviale.

Vide *Proceſſio*, *Veſtimenta Sacra*.

Pœnæ.

Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Pueri*.

Pontifex Summus.

Communicat ſedens in throno, & quare. 31
Hæretici latrant contra hanc cæremoniam. ibid.
E calice abſorbet Chriſti Sanguinem ſiphone, ſeu fiſtula, & cur. ibid.
Pontifici competit genuflexio. 91
Vide *Regulares*.

Presbyteri.

Ordinandi an Miſſam inchoare teneantur cum Epiſcopo ab Introitu, an vero ab Offertorio. 182
An debeant legere Miſſam ſtantes, an genuflexi. ibid.
Non debent facere actiones, quas Epiſcopus facit, ſed tantum legere. ibid.
An poſt Communionem poſſint ablutionem ſumere de illo calice, quem in ordinatione ſua tetigerunt. ibid.

Presbyterium.

Unde ſic dictum. 45. 85
Intrare illud non debent Laici neque ad communionem percipiendam, neque ullo alio tempore. 45
Excipiuntur Reges, Principes, & Laicus qui Miſſæ plerumque inſervit. ibid.
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

Privilegia.

Vide *Regulares*, *Tertiarii*.

Proceſſio.

SS. Sacramenti ad Sepulchrum feria V. in Cœna Domini, & feria VI. ſequenti a Sepulchro ad altare, fieri non debet extra Eccleſiam. 4
Proceſſio SS. Sacramenti ſolemnis non poteſt fieri abſque pluviali etiam ab illis, qui pluvialis uſum non habent. 72
Occaſione Proceſſionis ſolemnis SS. Sacramenti quomodo mundandæ, & ornandæ viæ. 80
Proceſſiones non poſſunt ingredi Eccleſias Monialium, niſi cum Epiſcopi conſenſu. 89
Quoties Proceſſio intrat Eccleſiam Monialium, benedictio eſt danda tantum verſus Moniales. ibid.
Ad quem ſpectet in proceſſionibus delatio SS. Sacramenti. 138. & 144
Vide *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, *& Palmarum*, *Crux*, *Epiſcopus*, *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Reliquiæ*, *& Imagines Sanctorum*.

Proceſſio Corporis Chriſti.

Quando inſtituta. 143. & ſeq.
In feſto Corporis Chriſti nulli licet quaſcumque Proceſſiones facere extra propriam Eccleſiam, præter Cathedralem, aut Matricem. 144
Debet terminare proceſſio Corporis Chriſti in Eccleſia digniori, ubi incepit. ibid.
Delatio SS. Sacramenti cuinam ſpectet. 138. & 144
Celebratio Miſſæ ſolemnis hac die cui committenda. 144
Proceſſionis ritus deſcribuntur. 145. & ſeq.
Quibus conceſſum ſit incedere paratos veſtimentis ſacris. 146
Quibus Regularibus ſit conceſſum Proceſſionem facere intra Octavam Corporis Chriſti. ibid.
Regulares ita tenentur intereſſe proceſſioni in feſto Corporis Chriſti, ut ſi reluctentur compelli poſſint per cenſuras. 147
An Epiſcopi mutare poſſint diem præſcriptum, & ritum proceſſionum. ibid.
Qua pompa hæc proceſſio ſit facienda. ibid.
Vide *Hoſtia*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Pange lingua*.

Proceſſiones tempore Paſſionis.

Proceſſiones Sanctorum ſi occurrant in triduo mortis Chriſti, ſunt transferendæ. 148
Vetita eſt etiam *Proceſſio* SS. Sacramenti. ibid.
Venetiis conſuetudo viget etiam nunc deferendi hac die in proceſſionem SS. Sacramentum. ibid.
Vide *Feria VI. in Paraſceve*, *Reliquiæ & Imagines Sanctorum*.

Prophetiæ.

Vide *Feria VI. in Paraſceve*, *Sabbatum Sanctum*.

Prothonotarii.

Vide *Benedictio Sacræ Supellectilis*.

Pſalmi.

Dicendi quando defertur Viaticum ad domum infirmi. 53
Dicendi in reditu. 55

Pueri.

Non ſunt ad Euchariſticam menſam admittendi ante annos diſcretionis. 10
Contrafacientes legibus Eccleſiaſticis mitius puniuntur. ibid.
Vide *Sanguis conſecrationis Miſſæ*.

Puerperæ.

Poſſunt accedere ad quamcumque Eccleſiam pro benedictione obtinenda. 115
Vide *Benedictio Puerperarum*.

Purificatio.

Eſt exhibenda communicatis fidelibus in vaſe, quod non habeat ſpeciem calicis, & quare. 42
Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis in calice porrigitur. ibid.
Quomodo Sacerdotes ſe gerere debeant, in purificatione digitorum poſtquam fidelibus communionem adminiſtraverint. 46
An ſi communicent intra Miſſam, & habeant digitos madefactos, teneantur purificationem ſumere. ibid.
Num, ſi parochus neceſſitate cogatur bis in die celebrare, purificationem primæ Miſſæ poſſit tradere fidelibus laicis, qui intra Miſſam communicaverint. ibid.
An Sacerdos communicans purificare debeat digitos ante, vel poſt opertam pyxidem. ibid. & ſeq.
Si infirmus nolit, vel nequeat ſumere purificationem, in Eccleſia deportanda, aut igni tradenda. 55
Vide *Presbyteri*.

Purificationis feſtum.

Quando, & cur inſtitutum. 103
Vide *Benedictio Candelarum*, *Miſſa*.

Purificatorium.

An ſit benedicendum. 94. & ſeq.
Ejus uſus non eſt admodum antiquus. 95
Olim utebantur Manipulo Subdiaconi. ibid.
Græca Eccleſia pro purificatorio utitur ſpongia. ibid.

Pyxis.

Triplex modus purificandæ pyxidis. 42. & ſeq.

Ex

Ex quæ materia eſſe debeat. 59
Debet eſſe contecta velo ſerico albo. *ibid.*
Quot nominibus pyxis appelletur præcipue a SS. Patribus. 61
Pyxis eſt benedicenda. 95
Et etiam quodcumque vas continens Euchariſtiam. *ibid.*
Vide *Purificatio*, *Viaticum*.

Q

Quatuor Tempora.

EPiſcopus Ordinationem faciens Sabbato Quatuor Temporum, debet dicere Miſſam de die, non vero de feſto occurrenti, quamvis ſit duplex. 182

R

Reconciliatio Templorum.

VIde *Benedictio Templorum*.
Poſt approbationem ſuorum Superiorum Regularium, & præſentationem apud Epiſcopum loci, confeſſiones excipere poſſunt ſæcularium etiam pro ſatisfaciendo præcepto paſchali. 11. 24
Non poſſunt prohiberi ab Epiſcopis Regulares ab ipſis approbati, ne audiant Confeſſiones in Paſchate ſine Parochorum licentia. 12. 24
Non ſunt cogendi ſcribere in libro nomina pœnitentium, ſed ſufficit atteſtationis ſchedula exhibenda Parocho, ubi eſt præceptum, aut conſuetudo. 13. *& ſeq.*
Regulares Sacerdotes, Laici, non profeſſi, infirmi &c. non tenentur ſumere de manu parochi, neque Epiſcopi loci Communionem paſchalem, Viaticum, & Extremam Unctionem. 17. 57
Immo neque ſæculares degentes permanenter intra Monaſteria, dummodo actu inſerviant, aut ſint commenſales. 17. 22. 57
Non vero ſi illis tantum inſerviant, ſed non permaneant in Monaſteriis. 17
Neque qui ſolvunt Monaſterio expenſas pro victu. *ibid. &* 56
Neque eorum ſamiliæ, qui in Monaſteriis degunt. 17
Qui in Monaſteriis gratis vivunt, & ſe tradiderunt illorum Prælatis in filios ſpirituales dirigendos, non tenentur Sacramenta recipere neque de manu, neque de licentia parochi. *ibid.*
Regulares niſi de Romani Pontificis licentia poſſint renunciare ſuis privilegiis. 21
Poſſunt Sacramenta adminiſtrare etiam paſchali tempore illis, qui aut infirmitate detinentur intra Monaſteria, aut timent grave damnum inde exeuntes. 22. *&* 56. *& ſeq.*
Poſſunt Euchariſtiam quocumque tempore ſumentibus ex devotione miniſtrare. 23. *& ſeq.*
Quid dicendum de Decretis, quæ contraria videntur. *ibid.*
Regularium Privilegia ablata per Tridentinum Concilium an ſint reſtituta. 20. 31
Regulares an poſſint committere Diaconibus in neceſſitatis caſu adminiſtrationem Euchariſtiæ. 44
Poſſunt Regulares communionem conferre aſſumpturis periculoſam navigationem, mulieribus partui proximis, militibus contra inimicos pugnaturis, aliiſque ſimilibus. 57
Extra hos caſus ſi Viaticum præbeant Laicis, excommunicationem reſervatam incurrunt. *ibid.*
An poſſint etiam damnatis ad mortem. *ibid.*
Regulares debent petere licentiam ab Epiſcopo loci, ut concionem habere poſſint. 62. 64
Et præter licentiam etiam benedictionem, ſi concionari debent in Eccleſiis, quæ non ſint ſui Ordinis. 64
Vide *Benedictio cum SS. Sacramento*, *Benedictio Sacræ Supellectilis*, *Benedictio Templorum*, *Benedictio Candelarum*, *Cinerum*, *& Palmarum*, *Benedictio Puerperarum*, *Benedictio Domorum*, *atque locorum*, *Benedictio Papalis*, *Benedictus XIV.*, *Bullæ Pontificiæ*, *Confeſſio Sacramentalis*, *Dedicatio Eccleſiæ*, *Epiſcopus*, *Excommunicatio*, *Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Moniales*, *Officium*, *Olea Sacra*, *Oratoria privata*, *Proceſſio Corporis Chriſti*, *Tabernaculum*, *Tertiarii*.

Reliquiæ & Imagines Sanctorum.

Nunquam ſunt exponendæ in altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, aut conditur in Sepulchro. 5. 65. *& ſeq.*
Si ſint in alio altari ejuſdem Eccleſiæ, quando SS. Sacramentum conditur in Sepulchro, & ideo Reliquiæ ſint in Sacriſtiam aſportandæ, cujuſnam coloris eſſe debeat ſtola, qua Sacerdos indutus eſſe debet. 6
Cum deferuntur in Proceſſione, quinam cultus eis debeatur, & an Clerus caput detegere debeat. 136
An ſub baldachino ſint portandæ in proceſſione, & de earumdem benedictione. 137
Ad quem ſpectet delatio Reliquiæ &c. in proceſſionibus. 138
Quando, & cur imagines apponi in Eccleſiis cœperint. *ibid.*
Imagines omnes, etiamſi eorum dies feſtus occurrat, Sabbato Paſſionis ſunt velandæ. 141. *& ſeq.*
Statua B. M. cum Domino filio mortuo permitti poteſt non velata. 142
In quo habitu B. V. ſit hoc tempore exponenda. *ibid. & ſeq.*
Reliquiæ Sanctorum an tempore Paſſionis in earum feſto poſſint diſcooperiri. 148
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Officium*, *Tabernaculum*.

Repoſitio SS. Sacramenti in Tabernaculo.

Ritus benedictionis, & repoſitionis SS. Sacramenti exponitur. 86
Si Sacramentum ſit in altare Chori, & ſit reponendum immediate poſt officium, poſſunt Canonici, & Beneficiati cantare hymnum *Pange lingua* in eorum ſtallis. 87
Quoties ad aliquid faciendum ante Sacramentum expoſitum genuflexus quis ſurrexit, dummodo non mutet locum, non debet iterum genuflectere antequam illud perfecerit. 88
Omnes orationes dicendæ cum oratione Sacramenti ante benedictionem dicantur ſub unica breviori concluſione. *ibid.*
Nulla collecta, aut precatio pro defunctis eſt facienda ante Sacramentum expoſitum, aut benedictionem. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Miſſa*.

S

Sabbatum Sanctum.

CUR *Sanctum* vocetur, & quæ myſteria in illo recolantur. 149
Miſſæ privatæ non ſunt hac die celebrandæ, etſi occurrat feſtum de præcepto. *ibid.*
In quibus Eccleſiis poſſit celebrari hac die Miſſa ſolemnis. *ib. & ſeq.*
Uſus novi ignis a quo initium habuerit. 150
Ritus benedictionis novi ignis, ejuſque myſteria. *ibid.*
Inſtitutio Cerei Paſchalis cui tribuenda. 151
Ejus ſorma. *ibid.*
Ritus benedictionis Cerei. 152
Hymni *Exultet* quis fuerit auctor. *ibid.*
Quibus diebus, & ad quas Horas Canonicas Cereus Paſchalis ſit accendendus. 151. *& ſeq.*
An quotannis novus Cereus ſit adhibendus, aut adjecta parte abſumpta ſit de novo benedicendus. 152
Benedictio Aquæ etiam ſine infuſione Olei ſancti fieri non debet in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem. 153
Cæremoniæ obſervandæ in cantu Prophetiarum, & in benedictione ſontis baptiſmalis. *ibid. & ſeq.*
Quomodo, & a quibus cantari debeant Litaniæ. 154. *& ſeq.*
Qui fontem benedixit, debet cantare Miſſam ſequentem. 155
Ritus Miſſæ exponuntur. *ibid. & ſeq.*
Quo ordine ſint pulſandæ campanæ. 156. *& ſeq.*
Veſperæ quomodo in Choro ſint canendæ, & extra Chorum dicendæ. 158
Vide *Epiſcopus*, *Miſſa*, *Parochialia Jura*, *Pax*.

Sacerdotes.

Debent communicare cum ſtola quotieſcumque non celebrant. 4
Sacerdotes communicantes Feria V. in Cœna Domini ſub lethali tenentur ſtolam adhibere. *ibid.*
Sub hoc præcepto non videntur comprehendi Diaconi. *ibid.*
Sacerdotes celebrantes ſatisfaciunt præcepto communionis paſchalis in quocumque loco celebrent. 17
Non celebrantes vero, ſive infirmitate, ſive alio modo impediti a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, tenentur communionem de manu parochi excipere. *ibid.*
An Sacerdotes ſæculares ut adminiſtrent fidelibus Euchariſtiam, etiam ex devotione, & quocumque tempore, indigeant parochi licentia. 23. *&* 43. 44
Unde dicantur Sacerdotes. 28
Quanta munditie, ac puritate celebrare debeant Miſſæ Sacrificium. *ibid.*
Etſi per capellaniam quotidie debeant celebrare, poſſunt tamen ſe abſtinere aliquando devotionis gratia. *ibid.*
Unde tantus tepor, & indevotio in Sacerdotibus quotidie celebrantibus. 29
Sacerdos communicaturus Moniales dum deſcendit ad altare, & vadit feneſtrellam, & cum revertitur ad altare poſt communionem deſcendere, & aſcendere debet per gradus anteriores altaris, & non per laterales. 38
An Sacerdos communicaturus Moniales dicere debeat *Miſeratur*, *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei* ad Altare, an ad feneſtrellam. *ibid. & ſeq.*
Num ad altare, vel ad feneſtrellam poſt communionem debeat Sacerdos benedictionem impartiri. 39
Dum Sacerdos communicat Moniales, ſi particula decideret in Clauſura, quid agere debeat. *ibid.*
Quid ſi decidat in ſinum mulieris. *ibid.*
Sacerdotes ſi ſint communicaturi ſtatim poſt Miſſam, non debent deponere neque planetam, neque manipulum, cujuſcumque coloris ſint. 43
Sacerdotes qua in circumſtantia poſſint ſeipſos communicare extra Miſſam. 44
Poſtquam communicaverint fideles quando dicere debeant Ant. O *Sacrum Conviv.* 45
Num Tempore Paſchali, & per Octavam Corporis Chriſti adjungi debeat prædictæ Ant. *Alleluja*. *ibid. & ſeq.*
Sacerdotes orantes ante SS. Sacramentum expoſitum non deferunt ſtolam in Urbe Roma in reverentiam Papæ. 174
Vide *Benedictio Sacræ Supellectilis*, *Benedictio Templorum*, *Benedictio eſculentorum*, *Communio*, *Genuflexio*, *Hoſtia*, *Miniſter Euchariſtiæ*, *Nuptiæ*, *Officium*, *Parochus*, *Presbyteri*, *Purificatio*, *Reliquiæ & Imagines Sanctorum*, *Veſtimenta Sacra*, *Viaticum*.

Sanguis conſecrationis Miſſæ.

Olim dabatur infantibus cum cochleari. 34
Quandoque miſcebatur cum Sanguine lac & mel. *ibid.*

Separatio.

Separatio virorum a fœminis quam ſit neceſſaria in accipienda SS. Communione. 45
Huic ſeparationi ſemper ſtuduit antiquitas. *ibid.*
Et poſtremis temporibus D. Carolus Borromæus. *ibid.*
Quot modis fieri valeat. *ibid.*

Septa.

Septa deſignat Clauſuram Monaſteriorum. 27

Sepultura.

Vide *Collegium*.

Stola.

Vide *Reliquiæ & Imagines Sanctorum*, *Sacerdotes*.

Subdiaconus.

Vide *Purificatio*, *Purificatorium*.

Supellectiles Sacræ.

Vide *Benedictio Sacræ Supellectilis*, *Feria VI. in Paraſceve*.

Superpelliceum.

An ſit benedicendum. 94
Communiter illo utuntur ſine benedictione. *ibid.*
Vide *Viaticum*.

Symbolum.

Olim non canebatur in Miſſa ſolemni feriæ V. in Cœna Domini, & cur. 2

T

Tabernaculum.

Debet eſſe ligneum intus aliquo panno ſerico decenter contectum, extra deauratum. 59
Olim pro tabernaculo habebantur columbæ argenteæ, vel aureæ ſuper altare pendentes. *ibid.*
Et etiam baſis Crucis, aut foramen in muro. *ibid.*
Poteſt eſſe materiæ pretioſioris. *ibid.*
Tabernaculum in Eccleſiis Cathedralibus non debet eſſe in altari majori, ſed in alio digniori. 60
Secus vero in aliis Eccleſiis ſive Sæcularium, ſive Regularium. *ib.*
In tabernaculo, in quo aſſervatur SS. Sacram. non debent eſſe vaſa Sacrorum Oleorum, vel Reliquiæ, vel aliud. *ibid.*
Debet cooperiri conopeo, & cujuſnam coloris eſſe debeat. *ibid.*
Si in oſtiolo tabernaculi inſculpta ſit imago Domini noſtri, ante illud non debent poni neque flores, neque aliquid aliud quod viſionem impediat imaginis. *ibid.*
Quibus nominibus appelletur tabernaculum præcipue a SS. Patribus. 61
An ſit benedicendum. 95
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*.

℣. Tantum ergo.

A quibus, quando, & quomodo intonari debeat. 81
Quam inclinationem requirat dum cantatur tam in expoſitionem, quam in Officio, Sacramento expoſito. *ibid.*

Templum.

Templorum copia apud Gentiles. 94
Judæorum, aliorumque, donorum copia in ornatum, & fabricam Templi, tabernaculi &c. *ibid.*

Tempus Paſchale.

Vide *Paſchale Tempus*.

Tertiarii.

Tertiarii viri Regularium Ordinum, ſi collegialiter, aut clauſtraliter vivant, poſſunt, & debent irrequiſito parocho Sacramenta accipere, etiam in Paſchate, & ſepeliri in Eccleſiis ſuorum Fratrum. 18
Etiam mulieres ſi virginalem, aut cœlibem, aut caſtam vidualem ſub expreſſo voto caſtitatis, & Tertiariorum habitu vitam ducant, etiamſi degant in domo paterna, vel conſanguineorum &c. *ibid.*
Tertiariæ mulieres non eſt neceſſe quod emittant votum obedientiæ, & paupertatis, ut prædictis gaudeant privilegiis. 19
Quibus qualitatibus præditæ eſſe debent antequam recipiantur ad habitum. *ibid.*
Quænam Tertiariæ ſint plane ſubjectæ parochorum, & Ordinarii juriſdictioni. *ibid. & ſeq.*
Vide *Benedictio Domorum, atque locorum*, *Benedictus XIV.*, *Gregorius XIII.*, *Parochus*.

Thomas Morus.

Anglici Regni Cancellarius ſuperpelliceo indutus divinis officiis volebat aſſiſtere. 75

Thuribulum.

Deferri poteſt, & cum illo incenſari SS. Sacramentum, etiam cum Viaticum defertur infirmo. 56. & 58

Thuriferarius.

An incenſare debeat Sacramentum dum cum illo datur benedictio. 89

Tintinnabulum.

Non debet pulſari ad Sanctus, & ad elevationem in Miſſis, quæ tempore expoſitionis celebrantur ad altaria inferiora. 77
Unde venerit conſuetudo pulſandi, cum Sacerdos celebraturus incedit ad altare. *ibid.*
Vide *Genuflexio*, *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Viaticum*.

Tridentinum Concilium.

Vide *Miſſa*, *Regulares*.

Tunicella.

Inſervit proxime ad altaris Sacrificium inſervientibus. 94
Debet benedici. *ibid.*
Benedicitur una cum Indumentis Sacerdotalibus. *ibid.*

V

Velum Calicis.

Valde antiquus eſt uſus hujuſce Veli. 95
An ſolitum fuerit benedici. *ibid.*
An nunc ſit benedicendum. *ibid.*

Velum humerale.

Quo Sanctiſſimum Sacramentum defertur, ſemper debet eſſe coloris albi, etiam Feria VI. in Paraſceve. 127
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Viaticum*.

Velum Pyxidis.

Vide *Pyxis*, *Viaticum*.

Velum Portæ.

Italice *Portiera*, quod reperit i dictum etiam *velothyrum*, & *amphythyron*, ita debet apponi ad Eccleſiæ fores, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, ut impediat quominus a pertranſeuntibus videatur SS. Sacramentum, & ut orantes non diſtrahantur. 74
Ejus antiquitas. *ibid.*

Veſperæ.

Primæ Veſperæ dedicationis Eccleſiæ ſi celebrentur ſub ritu dupl. 2. claſſis in concurſu poſſunt habere commemorationem tantum. 177
Vide *Sabbatum Sanctum*.

Veſtimenta Sacra.

Diverſa fuerunt apud Gentiles ab iis, quæ deferebantur extra templa. 94
Etiam apud Chriſtianos a primis uſque Eccleſiæ Sæculis. *ibid.*
Cujuſnam peccati reus ſit Sacerdos, qui utitur paramentis non benedictis. *ibid.*
An Cingulum ſit inter veſtimenta recenſendum. *ibid.*
Propriam habet benedictionem. *ibid.*
Quid dicendum ſit de pluviali, & ſuperpelliceo. *ibid.*
Dalmaticæ, & Tunicellæ an ſint benedicendæ. *ibid.*
Mappæ tres eſſe debent in quocumque altari, & ſuam habent benedictionem. *ibid.*
Burſa, & velum an ſint benedicenda. 95
Burſæ uſus ſatis antiquus. *ibid.*
Vide *Inſtructio Clementina pro XL. Horis*, *Proceſſio Corporis Chriſti*.

Viaticum.

Quot ſignificationes hoc nomen habeat. 47. & 48
Nunc communiter accipitur pro Euchariſtiæ ſumptione in extremo vitæ periculo. 48
An ſumptio Viatici ſit de jure divino. *ibid.*
Quando deportari debeat ægrotis. *ibid.*
Viaticum miniſtrari debet, cum probabile eſt, ægrotum amplius non poſſe Euchariſtiam ſumere. *ibid.*
Non eſt neceſſe quod infirmus Viaticum accepturus ſit jejunus. *ibid.*
An qui poſt acceptum Viaticum vivit duobus, aut tribus diebus, debeat iterum illud ſumere. *ibid. & ſeq.*
Num qui ſanus communicavit in mane, ſi in veſpere ejuſdem diei incidat in mortis periculum, teneatur Viaticum ſumere. 48
An qui lethaliter peccat poſt ſumptum Viaticum, teneatur iterum illud ſumere. *ibid.*
An ſi æger vivat aliquos dies, poſſit quotidie communicare ex devotione. *ibid. & ſeq.*
Quid ſi non ſit jejunus. 49
Si infirmus evaſerit mortis periculum, & deinde poſt aliquot dies denuo incidat in mortis periculum, iterum communicandus eſt per modum Viatici. *ibid.*
Damnatis capite denegari non debet Viaticum non ſolum pridie, ſed etiam eodem mane, quo ſupplicium pati debet. *ibid.*
Reprobatur antiquus uſus nonnullorum, præſertim Hiſpaniarum (qui non amplius viget) illis Viaticum denegandi. *ibid.*
Neque laudandus mos etiam nunc in praxim deductus a Gallis. 51
Publicis peccatoribus non debet miniſtrari, niſi prius pœnituerit, & publicæ offenſioni ſatisfecerint. *ibid.*
Viaticum miniſtrari debet pueris doli capacibus præmiſſa inſtructione. *ibid.*
Amentibus, phreneticis, ac omnino fatuis ſi habeant lucida intervalla, abſit periculum irreverentiæ, & piam animi voluntatem præſetulerint antequam ultimo inciderint in inſaniam. *ibid.*
Patientibus tuſſim, alioſque morbos impedientes deglutitionem eſt deneganda. *ibid.*
Et etiam ebriis colpabiliter. 51
Quovis prætextu non eſt deferenda Euchariſtia ad domum infirmi etiam moribundi, ut eam adoret, & deoſculetur. 50
Quomodo, & quæ præparanda ad deportandum Viaticum etiam in pauperrimis domibus. 51
Viaticum non ſolum debet deferri coopertum proprio pyxidis velo, ſed etiam extremitatibus veli albi humeralis. *ibid.*
Viaticum deferri non debet infirmo ita brevi morituro, ut neceſſe ſit parochum currere. *ibid.*
Si infirmus non poteſt hoſtiam deglutire, numquam ei miniſtrandum Viaticum ſub ſpecie vini. *ibid. & ſeq.*
Quot & qualibus intortitiis, ſeu candelis comitari debeat SS. Viaticum, & a quibus candelæ & intortitia ſint deferenda. 52
Deferenda eſt umbella, ſeu baldachinum ſuper SS. Sacramentum. *ibid.*
Quibus veſtibus indutus eſſe debeat Sacerdos Viaticum deferens. *ibid.*
Clerici & Presbyteri cotta induti deberent comitari SS. Viaticum. *ibid.*
Quot particulas Sacerdos deferre debeat in pyxide. *ibid.*
Sacerdos deferens Viaticum ſi aliqua infirmitate laborat, in itinere cum Epiſcopi diſpenſatione poterit uti pileolo, in civitate vero, oppido, Eccleſia, vel in domo infirmi numquam ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. 53
Dum Viaticum defertur ſemper pulſanda campanula, & quare. *ibid. & ſeq.*
An Sacerdos in communicando infirmo in deprecatione *Miſereatur* dicere debeat *tui*, an *veſtri*. 54
Dum Sacerdos miniſtrat Viaticum infirmo dicit: *Accipe Frater*, vel *Soror &c.* & non *Corpus Domini noſtri &c.* ſecus vero ſi infirmus Sacramentum ex devotione accipiat. 55
Viaticum eſt tribuendum infirmo etiam brevi morituro, quamvis ſpecies conſummari non poſſint illo adhuc vivo. *ibid.*
Vide *Confeſſio Sacramentalis*, *Epiſcopus Feria VI. in Paraſceve*, *Gloria Patri*, *Litania*, *Pſalmi*, *Regulares*, *Thuribulum*.

F I N I S.

CAPUT PRIMUM.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

I. CUM Miſſa verum ſit, & unicum novæ Legis ſacrificium, ſtricte & rigoroſe ſumptum, non erit abs re hic ſacrificii definitionem ad faciliorem eorum, quæ pertractanda ſunt, intelligentiam accurate expendere, quæ ſic communiter a Doctoribus traditur: *Sacrificium eſt oblatio externa rei ſenſibilis legitime inſtituta, & a miniſtro legitimo ſoli Deo facta per deſtructionem, vel notabilem ipſius rei oblatæ immutationem in recognitionem noſtræ totalis ad ipſum ſubjectionis, ſupremique ipſius in nos, & res omnes dominii.* Ex eo quod ſacrificium conſiſtat in Dei cultu exteriori ſupremi ejus Dominii proteſtativo etiam coram hominibus, qui non niſi ſenſibilibus rebus communicant inter ſe; ideo dicitur *oblatio rei ſenſibilis*, cui additur *legitime inſtituta*, ratione publicæ auctoritatis, quæ indiſpenſabiliter intervenire debet, ut talis oblatio fiat nomine totius communitatis, & ſit publice, hoc eſt ex communi & generali conſenſione proteſtativa ſupremi Dei Dominii. Hinc defectu hujus circumſtantiæ, martyrium eſto ſit oblatio ſui ipſius Deo facta proteſtativa &c., quia tamen non eſt publica auctoritate inſtitutum; ſtricte & proprie ſacrificium dici non poteſt. Eadem prorſus ratione ſubditur *a Miniſtro legitimo*; ut enim exhibeatur nomine totius communitatis, Miniſter debet eſſe ad hoc ſpecialiter, & legitime deputatus; quod non ſolum obſervatur in lege evangelica, in qua ad id ſunt ſpecialiter deputati Miniſtri legitimi, nempe Sacerdotes, ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. & Can. 1., ſed etiam in lege veteri non niſi a Miniſtris ſpecialiter, & legitime deputatis, Sacrificia offerebantur; ut videre eſt numer. 3. itaut divinitus punirentur, qui ſine tali deputatione ſacrificare auſi fuerint, ut conſtat de Saule primo Reg. 13., aliiſque. *Soli Deo facta.* De eſſentia enim Sacrificii proprie ſumpti eſt cultus Latriæ: Unde eſto Miſſæ celebrentur in honorem B. Virginis, & Sanctorum, nunquam illis ſacrificare dicitur, ut docet Trid. Conc. ſeſſ. 22. c. 3. his verbis: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit.* Subditur: *per deſtructionem, vel notabilem ipſius rei oblatæ immutationem*: hoc ad rationem ſpectat Sacrificii proprie ſumpti, quod res, quæ offertur, ad priores uſus omnino reddatur inutilis; & conſequenter aut totaliter deſtruatur phyſice, aut ſaltem notabiliter moraliter immutetur, tum ut oſtendatur taliter in Dei obſequium, & cultum fuiſſe oblatum, & nulla ſibi prorſus facta ad functiones naturales reſervatione Sacrificans hilariter eam obtulerit; tum etiam, ut ſic conteſtetur totalis noſtra ad Deum ſubjectio, & ſuprema ipſius ſuper nos poteſtas, plenumque Dominium: unde dicitur ultimo *in recognitionem noſtræ totalis ad ipſum ſubjectionis, ſupremique ipſius in nos, & res omnes Dominii.* Sacrificii variæ enumerantur a Doctoribus diviſiones, tum ratione materiæ, tum ratione formæ, tum ratione finis. Ratione materiæ dividitur *in Victimam, Immolationem, & Libamen. Victima* eſt oblatio illa, qua in lege veteri Deo offerebantur animalia, ſive quadrupedia, ſive volatilia. *Immolatio* eſt oblatio illa, qua Deo offerebantur res inanimes ſolidæ, ut fruges terræ, panes, thura, & hujuſmodi. *Libamen* dicitur Sacrificium, quo Deo offerebantur res inanimes liquidæ, ut vinum, oleum, Sanguis, & hujuſmodi. Ratione formæ multiplicatur in *Holocauſtum, Hoſtiam pacificam, & Hoſtiam pro peccato. Holocauſtum* dicebatur Sacrificium, in quo res oblata tota per combuſtionem in Dei honorem, & gloriam conſumebatur, ac in fumum reſoluta aſcendebat ad Deum. *Hoſtia pacifica* dicebatur Sacrificium, in quo res oblata partim comburebatur, ut ſupra, partim reſervabatur pro Sacerdotibus, & partim pro ipſis offerentibus. *Hoſtia pro peccato* dicebatur Sacrificium illud, in quo res oblata partim comburebatur, ut ſupra, partim vero reſervabatur pro Sacerdotibus tantum, quia ea veſcebantur in atrio templi. Tandem ratione finis Sacrificium dividitur in *Latreuticum, Impetratorium, & Satisfactorium.* Sacrificium *Latreuticum* eſt illud, quod fit totum in Dei cultum, & honorem; & ſi exhibeatur etiam in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo ipſo acceptis, dicitur etiam *Euchariſticum*; Si pro beneficiis obtinendis dicitur *Impetratorium*; Si tandem ſuperadditur finis Deo ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, dicitur *Satisfactorium.* Hinc cum omnes iſti fines modo coadunentur in uno tremendo, & incruento Miſſæ Sacrificio, jure merito dicitur Lautreuticum, Euchariſticum, Impetratorium, & Satisfactorium. Holocauſtum, Hoſtia pacifica, & Hoſtia pro peccato denominatur etiam, quia in Miſſæ Sacrificio omnes modi ſacrificandi verificantur aut realiter, aut repræſentative. Tandem dicitur etiam Victima, Immolatio, & Libamen, quia in ipſo omnia adimplentur quæ ad victimam, immolationem, atque Libamen ſpectant, juxta illud, quod S. Leo ſcripſit, Serm. 8. de Paſſione: *Carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante omnes differentias Hoſtiarum una corporis, & Sanguinis implet oblatio.* Quod etiam Conc. Trid. docet ſeſſ. 22. c. 1. ſic: *Hæc denique illa munda oblatio eſt quæ per varias ſacrificiorum naturæ, & legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa ſignificata, veluti illorum omnium conſummatio, & perfectio complectitur.*

II. In hoc Sacrificio incruento repræſentatur Sacrificium illud cruentum, quo Chriſtus in ara Crucis pro peccatis noſtris ſeipſum Deo obtulit cum reali Sanguinis effuſione morte violenta, & mactatione, cujus principalis offerens Chriſtus eſt, eſto illud Sacerdotum offerat miniſterio, ut habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. ubi ſic: *Una eſt eademque Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa*: Hinc Sacerdos in perſona Chriſti conſecrat dicens: *Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt Sanguis meus &c.* Offerens vero minus principalis eſt Sacerdos, tanquam ipſius Chriſti Vicarius, ac immediatus miniſter; Per ordinationem enim accipit Sacerdos poteſtatem a Chriſto, ut in ejus perſona hoc offerat Sacrificium, in quo Hoſtia, ſeu res principalis oblata, Corpus ipſius Chriſti eſt, ac Sanguis, imo totus Chriſtus ex vi verborum conſecrationis ſub ſpeciebus panis, & vini conſtitutus, ut expreſſe habetur *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 1., ubi expreſſe aſſerit; *quod Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituit, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque ſucceſſoribus in Sacerdotio ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit*: Et ibid. Canon. 2. expreſſe definitur: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit.* Hoſtia vero, ſeu res, quæ offertur minus principalis in Miſſæ ſacrificio, eſt ſubſtantia panis, & vini, quæ deſtruitur, in teſtimonium divinæ excellentiæ, ut ſub eorum ſpeciebus Chriſti Corpus, & Sanguis ponatur. Hinc Eccleſia, ut denotet quod panis, & vinum aliqualiter etiam offeruntur, pertinentque ad rem, quæ ſacrificatur, antequam fiat conſecratio, ordinat, quod offeratur panis his verbis: *Suſcipe, Sancte Pater, hanc immaculatam hoſtiam*; deinde vinum ſic: *Offerimus tibi, Domine: Calicem ſalutaris*; utrumque cum elevatione &c., quorum conſecratio ſcilicet panis, & vini in hoc Sacrificio eſt de neceſſitate divini præcepti; quia Chriſtus de facto utramque ſpeciem conſecravit inſtituendo hoc Sacramentum: ac expreſſe præcepit Diſcipulis ſuis, eorumque ſucceſſoribus, ut ſic illud peragerent,

dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Satis etiam hoc innuit Tridentinum Concilium loco ſupra citato, cum dicit; *Quod Deus, & Dominus noſter, & ſi ſemel ſeipſum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat ..... Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech ſe in æternum declarans Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituit, ut ſumerent, tradidit &c.* Ex quibus numquam licitam eſſe in Miſſæ Sacrificio unius tantum ſpeciei conſecrationem, ver. gr. panis, & non vini, etiam urgente neceſſitate communicandi in mortis periculo quovis modo conſtitutum; imo ſecundum veriorem Theologorum Doctorum Hominum ſententiam, etiam ſummo Pontifici denegatur facultas diſpenſandi, ut una tantum in Miſſæ Sacrificio ſpecies conſecretur. Ita *Lug. Tom. 5. diſp. 19. ſec. 8. n. 105.* cum Suarez, Vaſquesio, aliiſque recentioribus Theologis, qui falſum, ac fabuloſum exiſtimant, quod ſcripſit Raphael Volaterranus, *lib. 7. Geographiæ cap. 4.* Innocentium ſcilicet VIII. Norvegios diſpenſaſſe, ut in una tantum ſpecie panis conſecrarent; eo quia vinum in ea regione conſervari non poſſit, & ſtatim aceſcat, quod experientia falſum eſſe demonſtrat, ibi enim vina generoſiſſima conſervantur. Dicendum itaque quod Papa ad ſummum in aliquo urgentiſſimo caſu poteſt rationabiliter interpretari præceptum conſecrandi ſub utraque ſpecie; & conſequenter declarare, quod in talibus circumſtantiis non obliget; quod tantum modo diſpenſare dicitur: itaque S. Antoninus, Gabriel, Azorius, aliique, eo maxime quia conſecratio utriuſque ſpeciei eſto ſit de jure divino, adhuc tamen non eſt de eſſentia Sacrificii Miſſæ præciſe, ut eſt Sacrificium, ſeu prout eſt Sacramentum: etenim formæ conſecrationis panis, & vini non ſunt adinvicem neceſſario connexæ, ita ut una non poſſit ſine alia ſuum effectum producere; ideoque quomodocumque hoc eſt ſive per oblivionem, ſive per ignorantiam, ſeu malitiam ſpecies conſecretur, valide conſecratur; & verum efficitur Sacramentum eſſentialiter in rationem Sacramenti: eſto non habeatur integritas in ratione convivii ſpiritualis, ſub ſpeciebus enim ſolius panis conſecrati vere Chriſtus continetur, & exhibetur adſtantibus adorandus, nondum facta calicis conſecratione, & quod etiam majus eſt, ſæculares, imo & Clerici extra Miſſæ Sacrificium ſub una tantum ſpecie panis conſecrati communicantur; quod neutiquam fieri poſſet, ſi per unius tantum ſpeciei conſecrationem verum non conficeretur Sacramentum integrum in ratione Sacramenti.

III. Generaliter loquendo apud omnes Doctores ſacramenta diſtinguuntur a Sacrificiis ratione materiæ, & ratione finis: ratione materiæ, quia materia Sacrificii conſiſtit in rebus tantum; Materia autem Sacramentorum in rebus, & verbis ſimul: ratione finis, quia finis Sacramentorum eſt juſtificatio, & gratiæ augumentum; finis vero Sacrificiorum eſt cultus Dei in recognitionem ejus ſupremi Dominii: Unde Sacrificia inſtitui poſſunt, etiam publica Eccleſiæ humana auctoritate, Sacramenta autem ſola divina auctoritate; Ex quibus conſtat, quomodo Euchariſtiæ Sacramentum a Sacrificio Miſſæ differat, hoc enim conſiſtit in actione tranſeunte ſacrificativa conſecrationis, & neceſſario exigit utriuſque ſpeciei conſecrationem; Sacramentum autem Euchariſtiæ tamquam Sacrificii effectus permanet in facto eſſe, & in una tantum ſalvatur ſpecie. Inſuper Miſſæ Sacrificium principaliter ordinatur ad exhibendum debitum Deo cultum in conteſtationem ſupremi ejus Dominii: Sacramentum vero Euchariſtiæ ordinatur ad hominem ſpiritualiter nutriendum; hinc ratione finis perfectius eſt Sacrificium, quam Sacramentum; nobilior eſt enim finis proximus Sacrificii, ſcilicet Dei cultus, quam finis proximus Sacramenti, ſcilicet ſatisfactio, ſeu ſpiritualis hominis nutritio.

IV. Differt Sacrificium Miſſæ a Sacrificio Crucis tantum modo offerendi; in Cruce enim Chriſtus ſe obtulit Deo Patri cum reali ſanguinis effuſione, ac violenta morte, ſeu cruenter; in Miſſa vero incruenter, & myſtice, ſeu repræſentative tantum, & abſque reali Sanguinis effuſione. Differt etiam Sacrificium Miſſæ a Sacrificio ultimæ Cœnæ in hoc quod in Sacrificio Miſſæ offertur Chriſtus immortalis, & impaſſibilis; & in ſacrificio ultimæ cœnæ Chriſtus ipſe mortalis adhuc atque paſſibilis ſeipſum Deo Patri obtulit. Inter varias actiones, quæ in Miſſæ Sacrificio peraguntur, ſola conſecratio cenſetur præcipua eſſentialis pars, imo tota eſſentia hujus Sacrificii juxta communiorem Doctorum, Sanctorumque Patrum ſententiam, ut videre eſt apud Divum Chryſoſtomum, *Homilia de proditione Judæ*; ub ſic: *Verba Domini: Hoc eſt corpus meum, uſque in finem Mundi præſtare Sacrificio firmitatem*: apud D. Thomam *q. 82. art. 4. ad 1.*, ubi expreſſe ſic habet: *Conſecratio Chriſmatis, vel cujuſcumque alterius materiæ non eſt Sacrificium, ſicut conſecratio Euchariſtiæ*: & ibidem art. 10. ad. 1. *Hoc Sacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua offertur Sacrificium*. Tandem apud S. Ambroſium *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* ubi ait: *Sermo Chriſti hoc conficit Sacramentum*; ex quibus ſic ratiocinatur. Sacerdos ex perſona Chriſti, qui principalis eſt offerens, hoc perficit Sacramentum; cum autem ſola conſecratio proferatur a Sacerdote in Chriſti perſona, dicens: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*; ac in ſola conſecratione efficiatur illa panis, ac vini immutatio in Dei cultum, & ſubſtitutio corporis velut mortui, & ſanguinis velut effuſi Chriſti; qua incruente repræſentatur cruentum Crucis Sacrificium: abſolute dicendum eſt, quod in ſola conſecratione tota Sacrificii Miſſæ eſſentia conſiſtat, & reliquæ actiones ad ejus tantum pertineant integritatem.

CAPUT II.

De Rubricis.

I. ANtequam ad Miſſæ Ritualia procedamus, aliqua nobis occurrunt dicenda de Rubricis in genere, quæ nihil aliud ſunt, quam quædam regulæ indicantes ritus ſervandos in rebus ſacris peragendis, quarum aliquæ ſunt præceptivæ, hoc eſt obligantes in conſcientia, & ſub peccato, ad ſervandos ritus ab eis præſcriptos; Aliæ ſunt directivæ, hoc eſt proponentes per modum conſilii quid agendum. Præceptivæ ſub gravi obligant quotieſcumque id, quod præcipiunt, ſit alias de jure, vel ex legitima inveterata conſuetudine graviter jubeatur, aut expreſſe ſub mortali præcipiatur; quare niſi parvitas materiæ, inadvertentia, aut indeliberatio excuſet, earum tranſgreſſio ſit culpa gravis, unde notabilis, v. g., & voluntaria gravis mutatio, additio, aut detractio in Miſſæ celebratione, divini officii recitatione, ac Sacramentorum adminiſtratione, realiter eſt peccaminoſa juxta duplicem S. Pii V. conſtitutionem, quarum prima incipit: *Quo primum*, exarara in principio Miſſalis; ſecunda vero inchoatur: *Quod a nobis*, pro reformatione Breviarii edita, ac in in ejus principio expoſita, quibus ut eas legentibus patebit, omnis notabilis voluntaria gravis mutatio, additio, aut detractio circa Miſſæ celebrationem, ac divini Officii recitationem ſub gravi interdicitur. Verum tamen eſt, quod tranſgreſſio harum conſtitutionum ex ſuo genere mortalis poteſt evadere levis ratione indeliberationis ſeu inadvertentiæ non plenæ, & ſi nulla omnino interveniat advertentia, ſeu deliberatio, ſive actualis, ſive in cauſa; poteſt etiam eſſe omnimode ſine culpa.

II. Directivæ Rubricæ per ſe loquendo non obligant; unde per ſe loquendo nullum committitur peccatum ſive grave, ſive leve in earum tranſgreſſione; ita Tamb. lib. 1. c. 7. §. 2. n. 5. aliique paſſim; conſilium enim ad culpam per ſe loquendo non obligat, ſicut præceptum, ideoque cum rubricæ directivæ non ad præceptum, ſed mere ad conſilium ſpectent, earum tranſgreſſio per ſe loquendo peccaminoſa non eſt; eſto per accidens ratione ſcilicet motivi, ſeu finis poſſit eſſe culpabilis. V. G. ſi motivum inducens ad earum tranſgreſſionem ſit pravum; ſicuti eſſet negligentia, torpor animi, ac nimia propenſio ad alias vanas occupationes, & ſimilia. Quotieſcumque enim omittantur ſine rationabili cauſa, adhuc & ſi tantum ſint directivæ, & ad conſilium pertinentes non ad præceptum, peccatur ſaltem venialiter.

III. Loquendo de Rubricis ad Miſſæ celebrationem pertinentibus, grave committit peccatum omittens quemcumque ritum, vel partem Miſſæ eſſentialem, aut etiam accidentalem valde notabilem: ita communiter Doctores, qui ad praxim deſcendentes aſſerunt peccare mortaliter omittentes oblationem panis, aut vini, conſecrationem in utraque ſpecie, Hoſtiæ elevationem, aut Calicis, Particulæ mixtionem cum ſanguine, aut aquæ cum vino, integram Epiſtolam, totum Evangelium, totam Præfationem, totum Canonem, & integram orationem *Communicantes, vel Hanc igitur* integram poſt Communionem, & hujuſmodi: Item omittens, ſive in celebratione Miſſæ, ſive etiam in recitatione Officii, tot modicos verſiculos, ſeu minimas partes, quæ ſimul conſtituere poſſint materiam notabilem; V. G. Si adæquare poſſint quantitatem integræ Epiſtolæ, integri Evangelii, & hujuſmodi peccant graviter: de omiſſionibus intra Canonem ſi ſermo ſit, aliqui exiſtimant quamcumque etiam minimam ſolius verbi tranſgreſſionem eſſe materiam notabilem, ſufficientem ad gravem culpam; ita Nugnus *in part. 3. q. 83. art. 1. dub. 2.* aliique tacito nomine a P. Suarez citati *Tom. 3. de Sacramentis diſp. 83. ſect. 3.* dicentes huic ſententiæ favere etiam quandam S. R. Congregationis 12. *Novembris* 1615. declarationem, qua decrevit Regulares graviter peccare omittendo in Canone nomen Epiſcopi, & proferendo ibi nomen ſui ordinis Generalis. Hanc tamen declarationem intelligendam eſſe ſolum in caſu, quo omittatur Epiſcopi nomen ex contemptu, & Generalis nomen ſubſtituatur animo inducendi novum ritum, docent paſſim Doctores. Hinc ſi quis Regularis bona fide omiſſo Epiſcopi nomine, nomen proferret ſui Generalis, abſque contemptu, ac animo inducendi novum ritum, ad ſummum peccaret venialiter: ſic Tamb. Opuſc. *de ſacrificio lib. 2. cap. 1.* §. 3. n. 7. aliique plures, dubitantes inſuper an revera Sacra Congregatio id declaraverit: Unde concludendum videtur cum probabiliori ſententia, dummodo non deſtruatur ſenſus, aut non minuatur notabiliter ſignificatio, ſeu repræſentatio Miniſterii; quod omiſſio quatuor, aut quinque verborum, non excedat venialem culpam; quod ſi fiat advertenter, & cum deliberatione plena, aut plura quam quinque adhuc advertenter omittantur verba, quæ ſenſum deſtruant, vel notabiliter ſignificationem Miniſterii, ſeu repræſentationem minuant, quodlibet voluntarie, ac cum plena advertentia omiſſum in Canone verbum grave cenſetur peccatum; hoc enim omiſſioni totius integræ orationis æquivalet.

IV. Seclusa contemptu, ac animo novum inducendi ritum, in quo caſu ſive intra, ſive extra Canonem ſemper committitur grave peccatum; omittere ſpeciale *Communicantes* vel *Hanc igitur*, quæ ſolemnioribus certis diebus adnotantur

legen-

legenda, ſi non omittantur communia, non erit niſi veniale peccatum; & ſic dicendum de omiſſione propriæ Præfationis dummodo ordinaria legatur; de omiſſione ſpecialis ultimi Evangelii, dummodo Evangelium legatur S. Joannis. Item veniale tantum erit omiſſio partis non notabilis, ut eſſet Pſalmi *Judica me Deus*, in principio Miſſæ, collectæ, ſeu alicujus commemorationis; *Gloria in excelſis*; *Credo*, & ſequentiæ, V. G. *dies iræ* in Miſſa defunctorum; *Lauda Sion Salvatorem* in Miſſa Corporis Chriſti &c. Item veniale tantum erit omiſſio alicujus Prophetiæ, ſeu Epiſtolæ, in Feriis quatuor temporum, cum plures legendæ occurrunt; ſunt enim partes Miſſæ valde extraordinariæ, & accidentales: Item omiſſio orationum, quæ dici ſolent dum ſacræ induuntur veſtes non excludit veniale peccatum; & hoc ex communi ſententia doctorum contra Navarrum, alioſque dicentes, eſſe mortale: Pariter omiſſio precum, quæ legi ſolent ante Miſſam, & in Miſſali nuncupantur *præparatoriæ*, non eſt peccaminoſa, ſi aliunde Sacerdos ſupponatur ſufficienter diſpoſitus, ſeu præparatus; nam de his recitandis precibus nullum extat præceptum, & a Rubrica relinquuntur arbitrio Sacerdotum cum dicit, *pro opportunitate*, & ſic dicendum de omiſſione Hymni *Benedicite*, & Pſalmi *laudate*, aliorumque precum, quæ dici ſolent pro gratiarum actione poſt Miſſam; Ita Bonamicus *de Miſſa lib. 2. cap. 24.* aliique paſſim; ſuppoſito tamen, quod preces alias conſimiles ſubſtituat ſi non vocales, ſaltem mentales ad Deo gratias agendas; totalis enim gratiarum actionis omiſſio a peccato utique excuſari nequit.

V. Omiſſio lotionis manuum ante Miſſæ celebrationem non excedit venialem culpam, ſi manus notabiliter immundæ non ſint, ac ſordidæ; in quo caſu a culpa gravi excuſari non poſſet, quia cederet in magnam Sacramenti irreverentiam, quæ juxta Trident. Synodum in Miſſæ Sacrificio *ab impietate non ſejuncta eſſe poteſt*, ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ. Poſt Miſſam autem manuum lotionem omittere ne quidem veniale peccatum eſſe docet Quarti *in rubrica Miſſalis part. 2. tit. 12. dub. 14.* Veniale pariter eſt aliquas benedictiones, cruces, deoſculationes Altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum, & oculorum elevationes, & hujuſmodi omittere, cum non ſint graves ritus; dummodo tamen horum omiſſiones ita non multiplicentur, ut conſtituant quantitatem notabilem cujus omiſſio ſine gravi eſſe non poteſt; ita Quarti *loc. cit. quæſt. proœm. ſect. 3. punct. 6. verſ. Quoad reliquas cæremonias*, aliique. Item ſecluſo contemptu, ac animo novum inducendi ritum, ſolum culpa venialis eſt, omittere primam calicis ablutionem, cum vino faciendam, ipſamque facere cum ſola aqua; non videtur enim materia tam gravis, ſicuti ſi abſolute purificatio omitteretur; quod ſi celebrans abſtemius eſſet, nullum prorſus peccatum committeret: Sic Doctores citati, aliique communiter, addentes, quod pariformiter neque veniale peccatum committeret, qui ſola aqua, aut vino in ſecunda purificatione faceret digitorum ablutionem, cum Rubrica circa purificationem, & digitorum ablutionem vino, & aqua faciendam non videatur præceptiva; eſto enim purificatio, & ablutio præcipiatur, non tamen illius præcipitur modus, & hæc ſufficiant de omiſſionibus &c. unde ſupereſt ſolum aliquod in tranſitu de additionibus etiam tractare.

VI. Quælibet additio circa formam ſacrificii Miſſæ, ſive deſtruat, ſive ſervet ſenſum verborum conſecrationis, a gravi culpa nunquam immunis cenſetur, quia in re tam gravi, ac ſacroſancta, qualis eſt conſecratio, non datur materiæ parvitas. Si additio deſtruit ſenſum verborum conſecrationis, non conficitur Sacramentum; unde ſi dicatur in Hoſtiæ conſecratione ver. gr. *Hoc eſt corpus meum phantaſticum*, aut *aereum*, invalida ſit prorſus conſecratio, eo quod falſum aſſerit, ac ſenſum non ſervat; ſi autem addatur aliquod, quod non ſit ſenſus verborum conſecrationis deſtructivum, ver. grat. *Hoc eſt corpus meum formatum de Virgine*, Sacramentum quidem conficitur; ſed celebrans grave committit ſacrilegium, etiamſi non habeat intentionem novum inducendi ritum; quia in re tam ſacroſancta magni ponderis, ac excellentiæ ſummæ temeritatis eſt etiam aliquid minimum addere: ſic Doctores communiter. Quælibet alia additio etiam extra conſecrationis formam, ſi notabilis ſit quantitatis, & circa eaquæ clara, & intelligibili voce recitantur, gravis culpæ reitatem inducit; non ſic ſi modicæ ſit quantitatis, ac ea quæ adduntur verba, aut geſta ſecundum ſe pia ſint, honeſta, & ſalutaria, ut ſi in Hoſtiæ elevatione celebrans dicat, *Adorate Chriſte Jeſu*, & in Calicis depoſitione pedem hujus deoſculetur, ſecluſo animo novum inducendi ritum, major, inquam, Doctorum pars has, & ſimiles pias additiones ab omni prorſus peccato excuſant; pro una tamen tantum, vel alia vice; alias facillime novus ritus induceretur; quod ſub gravi vetitum diximus a S. Pio V. in cit. Conſtitut. quæ incipit, *Quo primum*, & a Conc. Trid. *cit. Seſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in celeb. Miſſæ*. Inſuper prædictæ piæ additiones non excuſantur a peccato, ſi alta voce proferantur; quia oriretur ſcandalum ratione Rubricarum, Regularumque Eccleſiaſticarum manifeſtæ violationis ac publicæ deformitatis.

VII. Peccatum veniale committunt addentes in Miſſæ celebratione unam collectam, ſeu orationem ultra præſcriptas, juxta Gobat *Tom. 1. tract. 3. n. 748.* ſi id faciant ſine peculiari cauſa; contra Paſqualig. *quæſt.* 215., aſſerentem nullum eſſe peccatum in prædictis additionibus. Addentes, *Gloria in excelſis Deo*, aut *Credo* cum præſcribitur a Rubricis omittendum, tantum venialiter peccant, ſecluſa tamen magna deformitate, & ſcandalo, quod occurreret ſi v. g. diceretur *Gloria in excelſis in Miſſa de Requiem*. La Croix *lib. 6. part. 2. n. 429.* Averſa *quæſt. 11. ſect. 12. §. Sexto*, aliique. Cum *Gloria in excelſis* cantatur, aut *Credo* ſub longo cantu; ſubmiſſa voce recitare aliquam piam orationem, aut etiam parvas Horas memoriter, nullum prorſus eſſe peccatum docent Gobat *loc. cit. num.* 753. la Croix *loc. cit. num.* 430. Cajetanus *in Summa verb. In feſto prohibita n. 6.* aliique contra Tamburin. volentem cum aliquibus aliis ſaltem eſſe veniale peccatum.

VIII. Poſtremo ritum Miſſæ per Rubricas præfixum mutare abſque ulla rationabili cauſa, & ex mera propria voluntate, v. g. intra octavas privilegiatas, aut in duplici feſto miſſam votivam, aut mortuorum celebrare, peccatum eſt; leve autem ſi abſque contemptu, & ſcandalo; ſic ſentiunt doctores communiter, neque enim locorum Ordinariis, ſive ſæcularibus, ſive Regularibus facultas indita eſt propria voluntate quovis prætextu ritum mutandi, qui in Kelendario Romano, ac in Rubricis, in altiorem ritum, ex Decreto S. Rit. Congregationis. *Locorum Ordinarii tam ſæculares, quam Regulares nequeunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere conceſſa officia de loco ad locum: ſic expreſſe ſtatuit S. R. C. approbante Urbano VIII.* qui inſuper tale Decretum cum aliis juſſit apponi in novis Breviariis. Tandem propria auctoritate preces præſcriptas in alias mutare, ut eſſet v. g. unam Epiſtolam in aliam, unum Evangelium in aliud, cum magna deformitate, & ſcandalo eſt peccatum grave, aliter peccatum veniale; & ſic dicendum de aliis mutationibus. Sic Doctores paſſim. Cum autem omnis omiſſio, additio, ac mutatio in miſſæ celebratione, celebrantis indicet irreverentiam, quæ in tam tremendo ſacrificio diligenter, accurateque ſemper cavenda eſt; ideo Sacerdos omnes ſacras cæremonias in Rubricis perſcriptas pie, ac ſedulo diligenterque obſervare debet, ne poſitus inter homines, deumque mediator ad ejus iracundiam ſedandam, negligenter ſuo munere fungens, ipſum potius magis ad iracundiam provocet.

C A P U T III.

De Miſſa ut eſt Sacrificium in ſpecie.

I. Miſſæ nomen nonnulli derivatum fuiſſe autumant a quodam Ebraico vocabulo exprimente oblationem illam, quæ Miſſaco nuncupatur, cujus mentio fit Deuteronomii c. 16. quam in gratiarum actionem pro terræ fructibus ſufficientibus ad familias alendas, acceptis ſingulis annis Hebræi Deo faciebant, eamque comedentes in ipſo Templo, memoriam recolebant ſervitutis, qua preſſi, & libertatis, in quam poſtea fuerant vindicati, ut videre eſt apud Baronium Anno Chriſti 34. n. 59. &c. Alii majorem Eruditorum partem ſequentes opinantur hoc Miſſæ nomen a latino ſermone ductum fuiſſe, nec aliud ſignificare, niſi miſſionem, ſeu abeundi veniam incruento ſacrificio peracto, eo fere modo, quo Cicero Philippica 5. cap. ult. ajebat: *Miſſas fieri Legiones bello confecto*. Aliqui alii etiam allegorice procedendo docent, Miſſæ nomen e latino vocabulo quidem derivatum; ſed quatenus ſuo munere fungens Sacerdos, mediatoris partes exercet inter Deum, & hominem, hujus preces ad Deum ipſum mittendo; *unde* cum dicit: *Ite Miſſa eſt*, idem ſonat, ac ſi diceret: Ite; deprecatio enim veſtra jam jam ad Deum miſſa eſt. Sic Divus Gregorius *Dialogorum* c. 58. & Divus Thomas *in 3. part. quæſt. 83. art. 4.* Quidquid tamen ſit de Miſſæ nominis etymologia, an ponderanda ſit realiter, an allegorice, dubio procul hoc verum eſt, quod Miſſæ nomine nihil aliud eſt intelligendum, quam lectionum ordo, precum, omniumque ſacrarum cæremoniarum Eccleſiaſticarum, quæ in offerendo Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti incruento ſacrificio adhiberi præcipimur. Priſcis Eccleſiæ temporibus hic ordo longior valde erat, quam præſens, qui a nobis modo in Miſſæ celebratione ſervandus præcipitur. Tunc enim, ut notat Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus Tom. I. c. III. de Euchariſtia, ut eſt ſacrificium in genere art. I. apud Juſtinum Martyrem apologia 2. ad Antoninum Pium.

II. Quinque erant præcipuæ liturgiæ partes, quarum prima in precibus pro Eccleſiæ conſervatione, infideliumque converſione conſiſtebat; ſecunda in pacis oſculo; tertia in oblatione panis, & vini aqua mixti; quarta in eorumdem conſecratione; quinta in Euchariſtiæ communione, ſeu diſtributione, quibus explendis partibus non parvum temporis ſpatium expendebatur; his tamen non obſtantibus mirum erat videre fideles erga hoc ſacroſanctum ſacrificium devotione ferventes Liturgiæ ſedulo intervenire. Non ſic temporibus Magni Baſilii, nam ſenſim tepeſcente fervore ne longitudine pertæſi huic intereſſe negligerent, breviorem recitandam dedit, quam deinde Joannes Chryſoſtomus expeditiorem adhuc recitandam eſſe, ne populus in otium, ac libertatem pluſquam par erat prorſus longitudinis prætextu deceptus, ſe ab hac Apoſtolica traditione eximeret, expedire ſentiens, non pauca præcidit.

C A P U T IV.

De loco celebrationis Miſſæ.

I. Apoſtolos, eorumque primos diſcipulos in privatis domibus celebraſſe recolitur apertiſſime ex libro

Actuum Apoſtolorum c. 20., ubi Paulum in tertio domus cœnaculo fidelibus panem fregiſſe narratur. In Cryptis quoque tempore Paganæ perſecutionis, ac in Cœmeteriis Sacerdotes celebrabant, ut colligitur ex Apoſtolorum conſtitutionibus lib. 6. cap. 30., ubi ſic legitur: *Antytipum Regalis Corporis Chriſti, acceptabilemque Euchariſtiam offerte in Eccleſiis, & Cœmeteriis veſtris.* Imo Ritus celebrandi in Cœmeteriis perſeveravit etiam elapſo perſecutionis tempore, cum ſubobſcuritas talium locorum reverentiam quamdam adſtantibus inſpiraret, & ſatis accommodati videbantur Sacramentorum adminiſtrationi. Hinc Joannes III., qui Anno 559. Apoſtolicam Sedem adeptus fuit, conſtituit, *ut oblationes . . : . . . vel luminaria in eadem Cœmeteria per omnes Dominicas miniſtrarentur.* Ex libro Pontificali in Joan. 3. In Carceribus pariter ſacra Synaxis celebrabatur, ut Confeſſoribus ibi detentis cæleſtis cibus non deficeret; ſecreto etenim Presbyteri, & diaconi ad hoc immittebantur, ut expreſſe depromitur ex Epiſtola 5. S. Cypriani ad Presbyteros, & diaconos, qua eos ad id faciendum omni diligenti cum cautione hortatur; ajebat enim: *Caute, & non glomeratim conſulite, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit, itaut Presbyteri quoque, qui illuc apud Confeſſores offerant, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent: quia, & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.* Si contingebat poſtea ipſosmet Confeſſores eſſe Presbyteros, aut Pontifices, ipſi ſibi ipſis, aliiſque in vincula conjectis ſacra faciebant, ut videre eſt apud Surium die IX. Octobris, ubi vitam texendo de Sancto Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo refert hunc in carcere ſacroſanctum incruentum Miſſæ ſacrificium Deo obtuliſſe. Item de quodam Luciano Presbytero Antiocheno narrat Hiſtoria Eccleſiaſtica: *Quod cum jam jam moriturus eſſet, & tyrannica vis nec Eccleſiæ, nec Altaris copiam faceret: cumque vincula, & plagæ ne quidem ut ſe commoveret ei permitterent, ſupinum jacentem ſupra propium pectus tremendum ſacrificium peregiſſe, & tum ipſum participaſſe, tum aliis, ut de immaculato ſacrificio participarent, copiam feciſſe. Peractum eſt autem hoc ſacrificium in carcere, ait Philoſtorgius* l. 2. c. 13.; cum ſacer Chriſtianorum Chorus, qui illum utpote morientem undique cingebat, Eccleſiæ ſpeciem referret, ac ſimul munimentum præſtaret, ne ab impiis ſpectari poſſent ea, quæ gerebantur.

II. Intermiſſis perſecutionibus ſub regimine Chriſtianorum Imperatorum, redditaque Eccleſiæ pace inſignes cœperunt ædificari Baſilicæ, in quibus decentius celebrari poterat ſacra Synaxis, & incruenta Deo victima immolari; quibus ædificatis Laodicenum Concilium ſtatuit, *quod non oportet in domibus fieri oblationes ab Epiſcopis, & Presbyteris.* Hoc tamen non obſtante non defuerunt, qui in domibus celebrarent, ut videre eſt apud Paulinum in vita Sancti Ambroſii, nu. 10., ubi dicitur, *quod trans Tiberim apud quandam clariſſimam invitatus ſacrificium in domo obtulit*; quod & traditur de Paulino Nolano Epiſcopo, teſte Uranio in ejus vita; de Philippo Bituricenſi Archiepiſcopo, qui floruit circa annum 1250. uti ſcribitur in Patriarchio Bituricenſi cap. 71. Item de Caſſio Narnienſi Epiſcopo fertur a S. Gregorio homil. 37. in Evangelium, *quod in Epiſcopii Oratorio Miſſas fecit.* Hos tamen, alioſque, qui in medium adduci adhuc poſſent, ſacrum confeciſſe in privatis domibus reddita Eccleſiæ pace, ac jam jam ædificatis Baſilicis, credendum eſt ſic ſe geſſiſſe, aut reficiendorum ſacro viatico infirmorum cauſa, aut æquiſſimis aliis rationibus, ſacris canonibus pro tunc non contrariantibus; erant enim Viri fere omnes ſanctitatis opinione celebres. De cætero tum eccleſiaſticis ſanctionibus, tum etiam civilibus legibus vetitum ſemper fuit, in domibus privatis celebrare, ut evincitur præſertim ex Concilio Cabilonenſi 1. can. 49. & Aquiſgranenſi Ann. 816. cap. 84. renovantibus Decretum ſupra citatum Concilii Laodiceni: recolitur etiam ex Concilio Pariſienſi VI. ex quatuor provinciis Anno 829. congregatum lib. 1. cap. 47. ubi improbat, immo damnat, *quod plerique presbyteri neglectis Baſilicis Deo dicatis, in domibus, & hortis miſſarum celebrationes contra divinam auctoritatem, & canonicam inſtitutionem facere præſumunt . . . . .* & poſtea, *quod Eccleſiaſticæ antiquæ traditioni videtur reniti*; hinc jubet, *ut unuſquiſque Epiſcoporum hujuſcemodi temerariam conſuetudinem a parochia ſua penitus amoveat.* Idque ita efficaciter jubet, ut qui contrarium attentaverit, *gradus ſui periculum incurrat.* Laicos vero monet, *non eſſe ſui officii, ut relictis Baſilicis Deo dicatis, & Epiſcopali auctoritate contempta ad libitum ſuum in hortis, & domibus vel ædiculis, quas juxta domos conſtruunt & palliis exornant, in quibus Altaria erigi faciunt, miſſarum celebrationem facere compellant.*

III. Civilibus etiam legibus jam vetitum erat in privatis domibus Sacra celebrare myſteria, ut videre eſt apud Juſtinianum Imperatorem ſua novella conſtitutione 57., ubi ſic legitur: *Omnibus interdicimus magnæ hujus Civitatis Habitatoribus, magis autem ſatius noſtræ ditionis in domibus ſuis habere quoſdam quaſi orationum domos, & in his Sacra celebrare myſteria.* Huic accedit etiam Carolus Magnus in ſuo Capitulari 3. Anni 789. num. 9. ubi committit, *ut Comites in diebus feſtis, vel Dominicis omnes ad Eccleſiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos ſuas ad miſſas faciendas.* Ab hujuſmodi tamen legibus eximebantur omnes, qui tempore belli incenſis jam, & dirutis Baſilicis viciniorībus ratione armatorum incurſus ad Eccleſias longe poſitas accedere nequibant, ut clare decernitur in Decreto Concilii Moguntini anno 888. celebrati can. 9., in quo ſic habetur: *Concedimus etiam ut ſicubi Eccleſiæ fuerint incenſæ, in Cappellis Miſſas interim liceat celebrare donec ipſæ Eccleſiæ reſtaurari queant. In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub, ſeu in tentoriis ſi tabula Altaris conſecrata cæteraque miniſteria Sacra ad id officium pertinentia adſunt, Miſſarum ſolemnia celebrari permittimus.*

IV. Item Infirmorum Sacro viatico reficiendorum cauſa aliquando privatis in domibus miſſas facere erat permiſſum. Hinc Paulinus Nolanus Epiſcopus, ſacri viatici percipiendi gratia decumbens in lecto, coram ſe ſacrificium offerri præcepit. Similiter Sanctus Dunſtanus Cantuarienſis Archiepiſcopus inſtante mortis articulo: *Juſſit Sancta communionis Myſterium, ideſt Miſſam ante ſe celebrari, protenſiſque manibus Sacroſanctum viaticum de cæleſti menſa porrectum ſuſcepit.* Ita aſſeritur tom. 4. annalium Benedictinorum, p. 50. Hic tamen non eſt prætereundum, quod in Concilio Metenſi Anni 888. Can. 8. vetitum fuit etiam pro infirmis celebrare in locis non conſecratis, his verbis: *In locis vero non conſecratis, ideſt in ſolariis, ſive in cubiculis propter Infirmos, vel longius iter a quibuſdam presbyteris Sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum eſt.*

V. Miſſa itaque generatim, & de jure communi loquendo ac ordinarie in Eccleſiis tantum conſecratis ab Epiſcopo, a quo unice conſecrari poſſunt, vel ſaltem de Epiſcopi mandato benedictis a quopiam etiam ſimplici ſacerdote, licite celebrari poteſt, ut videre eſt apud Clementem I. Epiſt. 3.; & Cap. 1. de conſecrat. diſt. 1., ubi ſic reperitur ſancitum, Miſſarum celebrationes non alibi, quam in Sacratis Domino locis, abſque magna neceſſitate fieri debere liquet omnibus; item cap. Sicut 11. *de conſecra. diſt.* 1., ubi habetur: *In aliis, quam Domino ſacratis locis, ideſt in tabernaculis divinis precibus a Pontificibus delibatis miſſas cantare, aut Sacrificia offerre licet, niſi ſumma cogeret neceſſitas.* In hac re conſule Concil. Trident. ſeſſ. 22. *in Decreto de obſervandis in celebratione Miſſarum*, ubi Epiſcopis jubetur, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam conſecratam, aut ſaltem benedictam, Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi. Eſto enim Apoſtolorum temporibus domi celebraretur Miſſæ Sacrificium, ut ſupra vidimus; conſtans tamen ac perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut in Templis, ſi adſint, Miſſæ Sacrificium celebretur. Dicitur ſi adſint Templa Deo ſacrata de jure communi, & ordinarie, quod non poteſt Miſſa celebrari in locis non conſecratis, aut ſaltem auctoritate legitima benedictis, quia neceſſitate urgente quilibet ſacerdos Sacrum facere poſſet in locis etiam non conſecratis, neque benedictis, ut tenent communiter Doctores, & ut expreſſe innuunt ſupracitati Canones, excludentes ſemper caſus neceſſitatis.

VI. Inter caſus neceſſitatis, in quibus extra loca Deo ſacrata, ſeu benedicta celebrari poteſt, ut in privatis domibus, aut in Altari portatili ſub dio, & loco ceteroquin honeſto, præcipue enumerantur ſequentes: Si Templi copia non adſit, & urgeat celebratio, tempore peſtis, belli, crudeliſſimæ perſecutionis, in his caſibus enim ſine periculo mortis, aut alterius gravis damni, in locis Deo Sacratis celebrari nequit, ideo &c. videatur cap. *concedimus* 30. de conſecrat. diſt. 1. Item de communi doctorum conſenſu abſque licentia etiam Epiſcopi, ſi abſens, aut niſi difficulter adiri poſſit, ipſo jure quilibet ſacerdos licite celebrare poteſt extra loca Deo ſacrata, in bello pro Exercitu, in longa peregrinatione, in partibus Infidelium, ſicut etiam in maximo Populi concurſu, loci Sacri capacitatem quamplurimum excedente. Sic eveniſſe tradit Eginardus, lib. 1. de Tranſlatione SS. Marcellini, & Petri c. 17., ubi ſic: *Sacras illas BB. Martyrum exuvias . . . . cum magna omnium qui adeſſe poterant lætitia, & exultatione detulimus, ſed præ nimia populi multitudine quæ præcedens cuncta compleverat, neque Eccleſiam adire, neque feretrum in eam inferre valuimus: Idcirco in campo adjacente atque in loco editiore Altare ſub dio ereximus, ac feretro pone Altare depoſito Miſſarum ſolemnia celebravimus.* Simile exemplum enarratum a Rudulfo in vita Rabani num. 26. Sæculo IV. Benedictino part. 2.; & ratio horum eſt, quia illicitum in lege, licitum utique facit neceſſitas.

VII. Id quod vertitur inter Doctores eſt, num Miſſæ ſuper Navibus in mari, vel fluminibus celebrari poſſint. In hac quæſtione partem negativam tuentur Sanctus Antoninus, Navarrus, Turrecremata, aliique apud Pignatell. 8. 70. Conſult. 124. num. 4. ubi refert ſententiam hanc ſecutam fuiſſe etiam ſacram S. Officii Congregationem, quæ ſæpe cenſuit non eſſe permittendum Miſſam ſuper Navigiis celebrari in Indiarum navigationibus, ut habetur 31. Julii 1607., & 2. Auguſti ejuſdem Anni. Inſuper die 2. Septembris 1625. Principi Philiberto denegata fuit licentia celebrare faciendi ſuper Triremibus. Diana part. 9. Tract. 1. reſol. 45. refert declarationem Cardin. de Anno 1633., qua committitur Epiſcopis, ut prohibeant Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam Regularibus, ne id ad praxim deducant, & potior eſt ratio, quia eſto in caſibus neceſſitatis extra locum conſecratum celebrari poſſit ſecluſo omni periculo ſanguinis effuſionis, aut alterius inconvenientis, non licet profecto ſi tale aliquid immineat periculum. In mari autem, ac Fluminibus, in quibus de repente ventis inſurgentibus fieri poteſt ſenſibilis Navigii commotio videtur, quod periculum adſit ſemper, &c.

VIII. His non obſtantibus affirmativam ſuſtinent ſententiam Durandus, & Cardinalis Franciſcus de Lugo lib. 5. de Sacrament. cap. 6. quæſt. 1. num. 9. & 14., ubi teſtatur ſe in navigatione ad Indos celebraſſe in Navi, mari tran-

quillo,

quillo, nulloque extante periculo proximo effuſionis Sanguinis, aut amotionis Hoſtiæ ex ventis; & ſub his circumſtantiis tantum hanc affirmativam ſententiam ſequuntur Auctores. Facundez præcep. 1. Eccl. lib. 3. cap. 10. nu. 15. teſtatur de praxi celebrandi ſuper navibus, quo ad eos, qui navigant ad Indos. Re enim, inquit, diu, & mature diſcuſſa privilegium celebrandi ſuper Altari portatili in Navibus conceſſum fuit a Clemente VIII., & Paulo V. omnibus Navigantibus ad Indos; de quo privilegio ſi conſtaret, & de ſic obſervata antiqua praxi, proculdubio id permittendum fuiſſet etiam in quacumque alia longa Navigatione. Eſto enim conceſſio facta ſit Navigantibus ad Indos, tamen cum talis facultas poſtulata ſupponatur ratione dubii ſolvendi, an liceat, vel non in Navibus Miſſam celebrare ſtante periculo Sacroſanctum verſandi Sanguinem, eadem conceſſio cenſetur dubii deciſio, atque inde, quod in poſterum liceat abſolute, dummodo juxta peritorum obſervationem pro tunc periculum non imminet verſandi Sanguinem, & non parvæ Molis ſint Naves. Cum tamen ſupra dicta conceſſione non parum dubitet Cardinalis Albicius *de inconſtantia in fide* cap. 34. nu. 171. apud Card. Petra Tom. 4. Commen. ad Conſtitutionem 2. Urbani V. num. 30. ad Summum Pontificem pro obtinendo ad id ſpeciale Indultum, putant Doctores eſſe recurrendum; eo modo quo ſe geſſit Hieroſolymitana Religio; quæ eſto haberet jam Altaris portatilis privilegium, adhuc, ut in magnis ſuis Navibus, occaſione longæ navigationis contra infideles Miſſam celebrare poſſet, ſupplicavit pro ſpeciali indulto, quod etiam conſecuta fuit prævio voto Sacr. Congregationis Concilii ſub die 13. Martii 1706. cum clauſulis ſupradictis, ac inſuper cum aſſiſtentia alicujus ſacerdotis, ſeu diaconi, qui peracta conſecratione firmiter Calicem teneat ad cautius evitandam ſanguinis effuſionem. Clemens XI. benigne conceſſit die 22. Martii 1706. Conſtit. incipien. *Exponi nobis*, quæ eſt 26. in part. 1. ejus particularis Bullarii. Hinc eſto olim paſſim denegatum fuerit tale indultum, ut refert Cardinalis Albicius loco ſupra citato num. 131., ubi plures adnotat caſus hujus denegationis; noſtris tamen temporibus, cum requiſitis præcautionibus facilius concedi videtur facultas celebrandi extra loca ſacrata Deo, aut ſaltem benedicta; neque ab Epiſcopis, neque a Cardinalibus concedi poteſt; imo nec Epiſcopi etiam Cardinales extra domum propriæ habitationis, ſive intra, ſive extra propriæ Diœceſis fines, in laicis domibus non obſtantibus antiquis eorum privilegiis celebrare poſſunt; ex noviſſimo etenim Decreto Clementis XI. 15. Decemb. edito anno 1703. privilegia omnia quantum attinet ad præſens ſunt totaliter abrogata, unde hic ſubditur.

DECRETUM CLEMENTIS XI.

De celebratione in Oratoriis privatis.

IX. Quoniam ſancta ſancte tractanda ſunt, ac præſertim tremendum incruenti ſacrificii Myſterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum eſt, propterea ſuper obſervandis, & evitandis in celebratione miſſarum in ſacroſanctis Œcumenicis Conciliis, ac præſertim Tridentino, *ſub capite unico ſeſſ.* 22. inter cætera ſtatutum eſt, ut tantum ſacrificium ſolummodo in Eccleſiis, aut Oratoriis divino tantum cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Epiſcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam peragi paterentur. ac ſubinde S. C. Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium ipſius Concilii Tridentini executioni, & interpretationi præpoſitorum ſæpe ſæpius per opportuna decreta obrepentes abuſus eliminavit, modernis tamen temporibus innotuit SS. Domino noſtro, quod nonnulli Epiſcopi prætextu privilegiorum Cappellis Epiſcopalibus competentium, & complures Regulares ſub prætextu Privilegiorum, quæ ipſis a Sancta Sede indulta noſcuntur, per hujuſmodi privilegiorum dilatationem, ſeu potius exceſſum, & abuſum in nonnullis Diœceſibus præſertim Regni Neapolitani, ac in ipſa Neapolis Civitate, & ſibi licere putant, quæ permiſſa non ſunt, quinimo prohibita; ſiquidem nonnulli Epiſcopi etiam in aliena Diœceſi, & extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures ex ſuis Cappellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolare: Regulares vero in quibuſdam magnatum, ſeu aliarum nobilium Perſonarum, privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis a Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quam in ipſis celebrare ſit indultum; vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit, vel extra debitas horas & poſt meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per conſtitutiones Diœceſanas, aut etiam per Decreta S. Cong. Concilii celebrari prohibetur, aut quæ ipſimet Indultis Apoſtolicis excipiuntur, quamvis in iis celebrari poſſit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in Sanctorum Sanctionum contemptum, ac Sanctiſſimi Sacrificii irreverentiam.

X. Quamobrem ad abuſus hujuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandam venerationem tremendo myſterio debitam, idem SS. Dominus noſter ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expreſſe declarat Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu Privilegii clauſi in corpore Juris, nec alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare, ſeu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint non licere Regularibus cujuſvis ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis SS. Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque Anni Feſtis Solemnioribus, ac diebus, in Indulto exceptis; In reliquis vero diebus prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque etiam Epiſcopis in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Miſſa, quæ in indulto conceditur celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus diligenter teneatur inquirere, & de eo ſe optime informare; Atque ille etiam in caſibus permiſſis celebrare nequit poſt meridiem; demandando præterea ulterius, ac declarando in omnibus hujuſmodi caſibus perſonas quaſcumque dictas Miſſas audientes nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus ſupradictis cenſuit licentias, ſeu Privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap. *in his Privileg.* & per alios ſummos Pontifices, aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos ne illis utantur, ac mandandum prout præſentis Decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis Locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares procedant, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto ſeſſ. 22. uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam iiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi perinde ac ſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet, & ita Sanctitas Sua declarat, & ſervari mandat.

Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præf.

XI. Quod Decretum debet intelligi juxta noviſſimam declarationem Innocentii XIII. conſtit. incip. *Apoſtolici miniſterii* §. 22. ibi *Declaramus tamen*, quod cum in prædicto Decreto ſtatuatur non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione Viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiantur, ut nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis; His enim caſibus, licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus, ac in domo *propriæ ordinariæ habitationis*, quæ Innocentii XIII. conſtitutio confirmata eſt, quoad omnia a Benedicto XIII. ſua conſtitutione quæ incipit, *In Supremo*.

XII. In dicto Decreto pariter non comprehenduntur Cappellæ, ac Cardinalium Oratoria; ſtatim ac enim promoti ſunt ad eminentem dignitatem hanc, abſque alia Indulti ſpecialis expeditione juxta diſpoſitionem, quæ habetur Cap. Final. de Privileg. in 6. Cardinales enim ſunt dignitate, & officio majores Epiſcopis juxta expreſſam declarationem Eugenii IV. conſtit. incip. *Non mediocri*, & Leonis X. Conſtit. incip. *Superna*, unde æquali pariter, imo majori titulo ex ſe gaudent privilegio habendi Oratorium privatum, quam Epiſcopi.

XIII. Neque in prælato Decreto comprehenduntur Eccleſiæ Regularium, aut Oratoria privata; Generales enim, ac Provinciales gaudent facultate erigendi in ſuis Conventibus, & Collegiis privata Oratoria ad divinum cultum tantum deputata abſque Epiſcopi, aut etiam Pontificis licentia, & in ipſis unam, ac plures Miſſas celebrare eodem die ſive a Regularibus, ſive a Sæcularibus Sacerdotibus celebrentur, ratione privilegii localis, cujus omnes Sacerdotes frui poſſunt, ita cum pluribus Auctoribus Pater Roſignolus *de Euchariſtia* quæſt. 8. art. 14. num. 1. Diana part. 9. tract. 1. reſolut. 32. & 33. Quarti part. 3. tract. 10. dub. 9. aliique paſſim. Privilegia enim Regularium revocata non fuerunt in Concilio Tridentino, Seſſ. 22. in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Quo ad Oratoria privata cum ibi Concilium revocet tantum Privilegia Miſſæ celebrandæ in privatis domibus, uti ſæpe declaravit Sacra Congregatio in Florentina 1. Septembris 1615. & in Conibrien. 1. Julii 1616. In ſupradictis Regularium privatis Oratoriis, ſeu Cappellis omnes Fideles Miſſam audientes diebus feſtivis ſatisfaciunt præcepto eo quod gaudeant hæc Oratoria privilegiis, ac ſi eſſent publica, utpote dumtaxat ad divinum cultum deputata per ſe, & non tantum per accidens, hoc eſt permanenter, & non ſolum tranſeunter, quod contingit; quando utitur Altari portatili, &c. & horum Privilegium locale ſit, & non ſolum Perſonale, unde illo frui poſſunt omnes Chriſti fideles. Ita Tamburinus opuſculo *de Sacrificio lib.* 1. *c.* 4. §. 3. *n.* 6., qui citat Azorium, Suarez, & Dianam &c.

XIV. Si ſermo ſit de Ruralibus domibus, an in ipſis Regulares erigere poſſint privata Oratoria; Nos profecto affirmativam tuemur ſententiam cum Lezana, Rodriquez, aliiſque non

pau-

paucis Auctoribus, inter quos doctiſſimus Pater Roſignolus loc. cit. n. 4., & ſequen. ubi oſtendit ab Epiſcopis in hoc non poſſe Regulares impediri, & concludit inſuper, quod etiam in his Oratoriis omnes fideles Miſſam audiendo diebus feſtivis præcepto dubio procul ſatisfaciunt.

XV. Eccleſia polluta redditur locus indecens Miſſam celebrandi. Hinc Rubricæ Miſſalis, titulo *de defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus*, ſic habent: *Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante Canonem dimittatur Miſſa, ſi poſt Canonem non dimittatur*. Celebrans tamen in Eccleſia polluta eſto graviter peccet, nullam tamen incurrit cenſuram, aut irregularitatem, quia jure ſtatuta non eſt, ſecus vero ſi celebraret in loco interdicto, irregularitatem profecto incurreret, ut videre eſt *de Clerico excommunicato, Cap. Poſtulaſtis* &c. Tandem Miſſa non poteſt licite celebrari in loco, quo Paganus, aut Infidelis ſepultus ſit, Cap. *Eccleſia*, de Conſecrat. diſt. 2. nec ubi ſepultus ſit excommunicatus vitandus juxta illam regulam: Quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis, Cap. *Sacris* de ſepulturis. Poterit tamen ibi celebrari, ſi cadaveribus inde extractis Eccleſia conſecretur, aut ſaltem benedicatur, de conſecr. Cap. *Eccleſia in qua*, diſt. 27.

C A P U T V.

De tempore, quo Miſſa licite celebrari poteſt.

I. IN Eccleſiæ primordiis Apoſtolos, primoſque eorum diſcipulos ſerotino tempore cibo jam ſumpto indifferenter celebraſſe probabile videtur ex eo, quod Chriſtus ipſe peracta jam jam legali cœna ſe quoque primum ſacrificium obtulerit: Hinc conſuetudinem hanc prioribus Eccleſiæ ſæculis adhuc perſeveraſſe ſentit Baronius, dum ad annum 34. ſic habet: *Ceterum quoniam diverſa erat aliquarum Eccleſiarum conſuetudo, paſſimque poſt cœnam ſacrificium offerebatur, eam ſuſtulit in Africa Concilium Carthaginenſe tertium, ſtatuens ut Jejunis ſemper excepta ipſa die anniverſaria cœnæ domini offeretur*. Hinc ſtatutæ horæ conſtitui cœperunt, ultra quas haud licitum erat Sacrum peragere; ſcilicet hora tertia, ſexta, & nona, uti ſcribit Ammalarius lib. 3. cap. 2. Hæ autem horæ myſticis ponderationibus apte in Eccleſia conſtitutæ ad Miſſas faciendas ſic approbantur; quia ſcilicet hora tertia Chriſtus moraliter fuit crucifixus Judæorum linguis clamantium: *Tolle crucifige:* Hora ſexta, quia realiter clavibus manibus, ac pedibus infixis crucifixus fuit: Hora vero nona, quia hac hora tradidit ſpiritum. Modo autem tempus ordinarie præfixum ad licite celebrandum ab aurora incipit uſque ad meridiem incluſive; unde rubrica Miſſalis explicite notat: *Quacumque hora ab aurora* &c. & alibi: *Miſſa privata ſaltem poſt matutinum, & laudes quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt*, &c. In qua determinatione non debemus ita ſcrupuloſe rimari, ut una tertia horæ parte antea, aut poſt Miſſa licite celebrari non poſſit; Hanc enim anxietatem ſuſtulit omnimode Benedictus XIV. lib. 3. cap. de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, his verbis: *Æquitate quadam juxta eam, quæ etiam Romæ viget, proximiori celebrari ſolet horæ tertiæ ante auroram, & poſt meridiem celebretur*; Ubi non eſt aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendenda eſt aurora moraliter & politice, hoc eſt quando elapſum eſt quietis tempus, & laboris, ac vigilantiæ generaliter, ac juxta Regionum probatam conſuetudinem tempus inchoatur, ex Decreto S. C. Rit. 18. Septembris 1634. quod hic ſubditur: *Ubi non eſt aurora phyſice pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politice, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor juxta probatam Regionum conſuetudinem. S. R. C. 18. Novembris 1634. in uſu Miſſalis Romani.*

II. Pro anticipatione tamen, & poſtpoſitione celebrandi regulares præcipue varia Privilegia & Indulta Apoſtolica obtinuerunt. Alexander VI. Patribus Congregationis Valliſolet conceſſit horis duabus poſt mediam noctem celebrare poſſe per Breve quod incipit, *Sane merita*. Pius V. Patribus Societatis Jeſu, ut legitur in compendio Privilegiorum ſuorum verb. *Miſſa* §. 3. conceſſit Miſſam celebrare poſſe per horam ante auroram, & poſt meridiem, cauſa tamen itineris, aut alterius impedimenti legitimi. Innocentius VIII. Auguſtinianis indulſit, ut ſtatim poſt mediam noctem poſſint celebrare, & etiam poſt meridiem, quando tamen iter facere debent, aut quando redeunt caſu non poſſint ante meridiem ad locum pervenire, ubi commode celebrare valeant; ſic referunt Auctores permulti, inter quos P. Suarez Tom. 3. in tert. part. diſput. 8. ſect. 4. P. Roſignolus de Euchariſtia q. 8. art. 16. n. 12.

C A P U T VI.

De Idiomate, quo Miſſa licite celebrari poſſit.

I. DE Idiomate, quo Miſſa licite celebrari ſancitum, obiter aliqua præcipue, quæ a magni nominis doctoribus referuntur, nobis hic recenſenda ſe offerunt. Apoſtolos itaque, eorumque ſucceſſores Idiomatibus ſingularum Regionum, ad quos pertingebant Evangelicæ prædicationis, ac fidei propagandæ gratia, ſe accommodaſſe in Miſſis faciendis expreſſe opinatus eſt Cardinalis Bona de rebus Liturgicis lib. 1. cap. 5. ubi ſic ſcribit: *Aſſerendum videtur Apoſtolos, eorumque ſucceſſores eo idiomate in ſingulis Regionibus uſos, quod tunc illis commune, ac vernaculum erat; & ita Hieroſolymis, Chaldaice; Antiochiæ vero, Alexandriæ, & in aliis Græcorum Civitatibus, Græce: Romæ autem, & in toto Occidente latine celebraſſe*. Sic approbaſſe dicere fas eſt etiam Joannem VIII. Summum Pontificem, qui ſæculo IX. Sclavis, ſtudio, ac prædicatione S. Methodii ad Chriſti fidem converſis, quam maxime laudavit eos Sacram liturgiam, ac divina officia ſclavonica lingua peragere, ut videre eſt in ejus 247. Epiſtola ad Moraviæ Comitem Stentopulcrum, in qua ſic ſe exprimit: *Litteras denique ſclavonicas a Conſtantino quodam philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas reſonent, jure laudamus, & ut in eadem lingua Chriſti Dei noſtri præconia, & opera enarrentur jubemus; neque enim tribus tantum linguis dominum laudare auctoritate ſacra monemur, quæ præcepit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi; & Apoſtoli repleti Spiritu Sancto locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc, & Paulus cæleſtis quoque tuba inſonat, monens: Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris; de quibus etiam in prima ad Corinthios Epiſtola ſatis manifeſte nos admonet, quatenus linguis loquentes, Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem ſclavonica lingua canere, ſive Evangelium, vel lectiones divinas novi, & veteris Teſtamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere, quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam ſuam*. In epiſtola hac Summus Pontifex non ſolum comprobat liturgiam ſclavonica lingua celebrari; ſed inſuper exemplo Apoſtolorum, & meræ ſcripturæ auctoritate oſtendit ſanæ fidei nullum detrimentum inde oriri, quæ docet Deum omnibus linguis eſſe laudandum.

II. Maronitis quoque conceſſum fuiſſe Miſſas Chaldaico, aut Arabico idiomate celebrare colligitur apud Joannum Morinum in præfatione ad ritus ordinationum eorum, ubi hæc ſcribit: *Gregorius XIII. in Urbe fundavit iſtius Nationis Collegium, in quo adoleſcentes plures Maronitæ litteris latinis, & theologicis inſtituuntur, ut iis imbuti in patriam revertentes religione catholica, quam eorum majores coluerunt, excolant, & amplificent. Fundationis Bulla Gregorii XIII. Bulla habetur 91. In qua præter cetera ipſis conceditur Miſſas, & cetera officia Eccleſiaſtica idiomate Chaldaico, vel Arabico celebrare. Hoc autem faciunt Romæ non modo in Collegio proprio non ſecus ac Græci, ſed etiam, ut accepi, nonunquam extra Collegium, quod aliis Orientalibus non facile permittitur.*

III. Sigiſmundus, liber in commentario rerum Moſcoviticarum refert, apud hos totum Sacrum, ſeu Miſſæ ſacrificium vernacula, ac gentili peragi lingua. Plurimos etiam ſciſmaticos in Oriente, aliquoſque Catholicos lingua patria miſſam celebrare refert Cardinalis Bona lib. 1. de rebus liturgicis cap. 9. n. 4. &c.

IV. Apud Occidentales in miſſis celebrandis ſemper latinum idioma, quod tunc temporis omnibus commune erat, fuiſſe uſurpatum omne citra dubium eſt. An autem in aliquibus Liturgiæ partibus olim alias etiam linguas adhibuerint, affirmant Doctores, qui oſtendunt *de Gloria in excelſis*, *de Epiſtola*, *Evangelio*, *aliiſque lectionibus*. In prima equidem Natalis Domini Miſſa hymnus Angelicus Græco ſermone decantabatur, uti affirmat Anonymus Turonenſis in ſuo M. S. Speculo Eccleſiæ his verbis: *Nos canimus illud*, ſcilicet Canticum Angelicum, *græce juxta morem antiquum Romanæ Eccleſiæ, cui tam Græci, quam Latini ſolebant antiquitus deſervire; & a Græcis habitabatur maxima pars Italiæ; unde lingua Græca non minus erat nota etiam latinis, quam latina; & quia 70. Interpretes utrumque teſtamentum tranſtulerunt ex Hæbreo in Græcum, & inde translatum eſt in latinum ob honorem, & reverentiam linguæ græcæ, cantamus canticum Angelicum illud græce, in prima quidem Miſſa; ſed in ſecunda latine; decet enim, ut græca præcedat latinam, tamquam mater filiam* &c.

V. Lectiones quoque in Eccleſia Romana græce, latineque lectas fuiſſe in Miſſis celebratis, refert Amalarius lib. 2. de Eccleſiaſticis Officiis, cap. 1., ubi hæc habet: *Lectiones ab antiquis Romanis græce, latineque legebantur, qui mos apud Conſtantinopolim hodieque ſervatur, ni fallor, propter duas cauſas, unam quia aderant græci quibus incognita erat lingua latina, aderantque latini, quibus incognita erat græca; alteram propter unanimitatem utriuſque populi*. Ex his colligitur ſollicitudo, quam perpetuo enutrivit Sancta Mater Eccleſia ſuis filiis ſacroſanctæ Miſſæ patefaciendi myſteria.

VI. Quantum ad præſens attinet certum eſt, quod hodiernus diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſus eſt, ut miſſa in Eccleſia occidentali non niſi lingua latina celebretur, qui eſto latinus ſermo, qui olim omnibus communis erat, modo obſoleverit apud nos, atque in noſtra Italia invectus fuerit ille, qui vulgaris nuncupatur, latino idiomate Litterarum tantum uſui reſervato; adhuc tamen miſſam in vernaculum converti ſermonem, non expedire Eccleſiæ bene viſum eſt, & hoc præciſe ad evitandos errores omnes, aliaque gravia inconvenientia, quæ in tali variatione evenire perfacile poſſent, non vero uti hæretici impudentiſſime autumant, ut rudibus populis ſacrificii hujus myſteria occultentur. Hoc enim patet ex Sacroſancta Tridentina ſynodus ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ, cap. 8., ubi ad rem ſic habet: *Et ſi Miſſa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur; quamobrem retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & a ſancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Matre, & Magiſtra probato ritu, ne oves Chriſti eſuriant, neve parvuli panem petant, & non ſit qui frangat eis, mandat ſancta Synodus*

Digitized by Google

nobis Paſtoribus, & ſingulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera Sanctiſſimi hujus Sacrificii Myſterium aliquod declarent diebus præſertim Dominicis, & Feſtis: obmuteſcant itaque modo Hæretici, & eorum fœdum agnoſcentes mendacium ſe corrigant; videantque, quomodo Sancta Mater Eccleſia de filiis ſuis Miſſæ myſteriis inſtruendis, non tantum ſedula, ſed impatiens ſit.

VII. De periculo evidenti errorum, ac graviſſimorum inconvenientium, quæ in hujuſmodi variationibus faciliſſime occurrere poſſunt, exemplum jam habemus Romani Miſſalis a Patre Vois Ordinis Prædicatorum in Gallicam linguam converſi anno 1660., ex qua novitate tanta exorta fuit confuſio, ut Clero Gallicano enixe inſtante talis traductio, uti ſcandaloſa, ab Alexandro VII. anno immediate ſequenti damnata fuerit; hac itaque de cauſa a ſimilibus novitatibus abhorruit, & abhorret S. Mater Eccleſia.

CAPUT VII.

De Prærequiſitis ad licitam Miſſæ celebrationem in Celebrante.

I. INter prærequiſita ad licitam Miſſæ celebrationem, præſuppoſita valida ad Sacroſanctum Sacerdotii miniſterium ordinatione ab Epiſcopo debitis formis ſuſcepta, uti decrevit Concilium Nicænum cap. 4. ac Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. primorem ſibi vindicat locum præparatio, quæ in duplici ſtatu conſiderari poteſt; proximo ſcilicet, ac remoto: ſtatus remotæ præparationis ſitus præcipue in ſumma tum animæ, tum corporis integritate, ita quod Sacerdos non modo omnis lethalis peccati ſit omnino expers, ſed etiam leviſſimarum culparum, quantum humanæ fragilitatis patitur infirmitas, immunis prorſus exiſtat, ut ſic nuptiali veſte indutus tutiſſime ad cæleſte ingrediatur convivium. Pro quibus omnibus antequam ad Altare accedat tenetur probare ſeipſum, juxta illud Apoſtoli Corinth. II. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, hoc eſt confeſſionem ſacramentalem præmittat præcipue, ſi ſe gravi peccato recognoſcat obnoxium, uti ordinat Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. cap. 7. de Euchariſtia his verbis: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta ſynodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Et Can. II. ejuſdem ſeſſionis ſtatuit expreſſe: *neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem ſub pœna excommunicationis eo ipſo*: ex quibus conſtat Tridentinum confeſſionem ſacramentalem prærequirere cum ratione communionis, tum celebrationis, ut magis etiam innuit in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione miſſæ ſeſſ. 22. ſic: *omnem operam, & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut, quanta maxime poteſt, interiori cordis munditia, puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur*.

II. Ubi autem ſupra dicebatur, ſi deficiente Confeſſoris copia urgente neceſſitate abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur, hæc particula *quam primum*, non debet facere ſenſum quod ſcilicet prima vice, qua ſacerdos pro ſua commoditate, aut occaſione tantum alterius patrati criminis confitebitur, confiteatur; In hoc enim ſenſu damnata jam fuit propoſitio ab Alexandro VII. 18. Martii 1666. his verbis: *Illa particula quam primum intelligitur cum ſacerdos ſuo tempore confitebitur*. Germanus igitur, & catholicus ſenſus eſt, ut quam primum, ſcilicet peracto ſacrificio, ſtatim ac ſibi Confeſſarius occurrit, confiteatur, ſeu confiteri teneatur; aliter ſi culpabiliter unum, vel alterum neglexerit Confeſſarium, peccet graviter ratione violationis hujus præcepti obligantis ſub gravi.

III. Olim tantum in celebrante non tantum animæ, ſed etiam corporis exigebat puritatem Eccleſia, ut nocturna illuſione pollutos ſacrificio penitus interdiceret. Ad acquirendam autem utriuſque, tum animæ, tum corporis puritatem, plurimum in offerente prodeſſe exiſtimabant carnis macerationem antiqui Eremi cultores; Unde Sanctus Odo Cluniacenſis Abbas ſic ſuos docebat Monachos: *Qui ad Altare ſacrificare Deo volunt, ipſi prius per mortificationem Dei ſacrificium eſſe debent, alioquin magis temerarii, quam cultores ejuſdem Myſterii deputantur*, lib. 2. Collationum cap. 28. Sacerdotes itaque ut ſe ſemper ad tremendum hoc ſacroſanctum ſacrificium celebrandum præparatos inveniant, cauſas peccatorum debent abſcindere, ac mortificati eorum ſuggeſtionibus numquam aditum indulgere; & ſi pro humana acciderit fragilitate ſe aliquo crimine obnoxios agnoſcere, non ſinere, quod ſol aut occidat, aut oriatur, quin ſtatim ad Sanctiſſimum Pœnitentiæ Sacramentum confugiant.

IV. Ad remotam Miſſæ præparationem modo ſpectat jejunium etiam naturale, quia & ſi poſt legalem cœnam ut ſupra diximus incruentum Chriſtus ipſe ſacrificium obtulerit, idque ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis aliquando actitatum fuerit, ex communi tamen Sanctæ Eccleſiæ antiqua conſuetudine non ſolum offerentes ſacrificantes, ſeu communicantes, ſed etiam aſſiſtentes ſacrificanti ſacri Altaris miniſtri debebant eſſe jejuni, ut expreſſe declarat Concilium Autiſſiodorenſe can. 19. *Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono poſt acceptum cibum vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia dum miſſæ dicuntur, ſtare*: modo autem juxta morem univerſalis Eccleſiæ Apoſtolica traditione introductum, certum eſt, quod nemo poteſt ad Altare accedere miſſam celebraturus, aut Euchariſtiam ſumpturus niſi jejunus; ſic plura decreverunt Concilia, inter quæ Carthaginenſe III. Conſtantienſe ſeſſ. 13. ac Toletanum VII. Can. 2. ſtatuens, *ut nullus poſt cibi, potuſve quamlibet minimum ſumptum miſſas facere præſumat*. Sic ſentiunt communiter omnes Sancti Patres cum divo Parente noſtro Auguſtino Epiſt. 14. alias 158. n. 7. & 8. his verbis: *placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti ſacramenti prius in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret quam cæteri cibi, nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur, &c.*

V. Ad jejunium naturale quod ſpectat, ſciendum conſiſtere in totali ab eſu, potuque abſtinentia, ita ut per quodcumque, quod ad modum cibi, aut potus ſumitur, ſive perveniat, ſive ſit etiam tantum in via ad ſtomachum, frangitur. Incipit autem a media nocte. Dicitur frangi jejunium hoc per quodcumque minimum, quod ad modum cibi aut potus ſumitur, quia ultra duos prædictos modos deglutiendi, datur quoque deglutio per modum ſalivæ, quæ tunc evenit, quando minimum quid cibi, aut potus a ſaliva ipſa inſeparabile (eſto in ſalivam non ſit converſum) & ſi ſeparabile, tamen inadvertenter, & abſque intentione manducandi, aut bibendi, tamquam ſaliva trajicitur, deglutiturque. Sic Auctores communiter ſentiunt; Suarez, Vaſquez, aliique apud Dianam part. 1. tract. 5. reſolut. 12. Hinc ſi quis os abluendo aliquam aquæ guttulam ſalivæ mixtam inadvertenter deglutiret, hoc naturale jejunium proculdubio non frangeret, ac proinde celebraturus ad Altare licite poſſet accedere, juxta Miſſalis Rubricas titulo de defectibus diſpoſitionis corporis, ubi ſic: *Si abluendo os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem non impedit communionem; ſecus vero ſi quis advertens, ac dedita opera parum aquæ, aut aliud etiam minimum quid a ſaliva tamen diſtinguibile per modum cibi, aut potus deglutiat*. Divus Thomas ad rem ſic habet tertia parte Sum. quæſt. 80. art. 8. *Neque poſt aſſumptionem aquæ, vel potus, vel etiam medicinæ in quantacumque parva quantitate licet hoc Sacramentum accipere: Nec refert utrum aliquid hujuſmodi nutriat, aut non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis*: & hoc totum juxta Miſſalis Rubricam. *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare*. Et Concilium Toletanum 7. *Can. Nihil*, ita decernit: *Si quis hæc temerarie præſumpſerit excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*.

VI. Ex quibus omnibus conſtat falſitas illius ſententiæ, quæ in jejunio naturali prærequiſito ad licitam Miſſæ celebrationem parvitatem admittit materiæ, ita ut non niſi peccet venialiter, qui elapſo mediæ noctis tempore, aut cibi pauxillum comederit, aut aquæ biberit ſciens, poſtremo die ad communicandum, aut celebrandum accedat. Nec refert in hanc ſententiam propendere aliquos Auctores, inter quos Paſqualigus in praxi jejun. deciſion. 4442. cum Giberto conſultat Canonic. de Sacramentis, Conſult. 14. de Euchariſtia, quia in hac materia ſtandum eſt Rubricis, Sanctis Patribus, & præcipue Canonibus ſtatutis; cumque pœna excommunicationis, quæ non niſi gravi peccato infligitur, etiam in caſu parvitatis materiæ irrogetur a canone ſupra citato, jam cum communi ſenſu omnium fidelium exiſtimandum eſt graviter delinquere, qui vel etiam minimum cibi, aut potus poſt mediam noctem ſumpſerit, & die ſequenti celebrare præſumat.

VII. Dicitur minimum quid cibi, aut potus ad excluſionem eorum omnium, quæ rationem non habent comeſtibilis, aut potabilis, quomodo ea ſunt, quæ a ſtomacho nec alterari, nec digeri poſſunt, aut ex parte in aliti ſubſtantiam converti: ita Sanchez, Diana, Lugo cum aliis; Hinc deglutiendo capillos, ungues abraſos, lignum, & quid ſimile jejunium naturale non frangitur, juxta ſacros Canones tantum exigentes, ut nihil cibi, aut potus ante communionem, aut celebrationem ſumatur, ut patet in cap. *Nihil* ſupra citato: *Nullus poſt cibum, potumque, quamlibet minimum, ſumptum miſſas facere præſumat*; & in cap. liquido 4. de conſecrat. diſt. 1. *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti ſacramenti prius in os Chriſtiani corpus dominicum intraret, quam cæteri cibi &c.* Quæ autem ex ſua natura comeſtibilia non ſunt ab homine, aut potabilia, nec cibus, nec potus humanus noncupari poſſunt; ſicuti quæ ſunt etiam ex ſua natura comeſtibilia ab homine, aut potabilia, adhuc jejunium naturale non frangunt in eorum parva quantitate, ſi inadvertenter, ut ſupra diximus, per modum ſalivæ deglutiantur, ut ſunt reliquiæ cibi diei præcedentis dentibus implicitæ, ſi caſualiter tranſglutiantur; ſecus ſi advertenter, ac ſenſibiliter percipiantur in lingua; quo in caſu expui debent, juxta communiorem opinionem. Neque enim Auctores deſunt tenentes jejunium naturale non frangi etiam ſi ſcienter, & cum advertentia memoratæ reliquiæ deglutiantur, quia juxta hos cenſentur ſemper deglutiri per modum ſalivæ, & tamquam pertinentes ad præcedentis diei comeſtionem. Hinc Rubrica Miſſalis tit. 9. de defectibus diſpoſitionis corporis, præſcindens ab advertentia, aut inadvertentia ſimpliciter ſic habet: *Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur, non impediunt communionem, cum non tranſglutiantur per mo-*

modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Ita Suarez, Caſtropal. Gobat, Diana cum aliis.

VIII. Imo, quod majus videtur, naturale jejunium non frangitur ab eo, qui ut diſcernat ſi ſit vinum album, aut aqua, ut percipiat ſaporem, ſeu condimentum cibi, aquam, vinum, aut juſculum, vel aliud comeſtibile, aut potabile ſupra linguam ponit, prægustat, ac ſtatim expuit, eſto parum ipſius juſculi, vini, aquæ, vel alterius liquoris, ſalivæ admixtum caſu deglutiat. Sic expreſſe docet Sanctus Antoninus tert. part. tit. 13. cap. 7. §. 8. his verbis: *De his etiam, quæ ſumuntur per modum guſtationis, ſicut Tabernarii, & Coqui faciunt, qui cibum, & potum ſupra linguam ponunt ad probandum, & ſtatim projiciunt, videtur, quod non impediat communionem...., ex decentia tamen debet quis a talibus abſtinere, qui vult communicare*. Ita cum Divo Antonino Sylvius in tert. part. ſum. Divi Thomæ quæſt. 80. art. 8., & ratio eſt, quia ſi quid parum in tali caſu deglutiatur non per modum cibi, ſed ſalivæ tranſit ad ſtomachum; en ejuſdem verba: *Idem judicium eſt de vino, vel condimento, quod ad percipiendum ſaporem guſtatur, & ſtatim expuitur; quamvis enim contingat aliquid ejus permixtum ſalivæ cum ea deglutiri, non ſolvit jejunium; ſolvitur tamen ſi ex propoſito ſumeretur, etiam ſi is, qui ſumpſiſſet mox evomeret, quia eſſet vera comeſtio, vel bibitio, ſcilicet trajectio cibi, vel potus in ſtomachum propria, & per ſe actione vitali: Si vero ſolum intraſſet in aſperam arteriam, & ſtatim expueretur, hoc non eſſet deglutire, neque pertineret ad comeſtionem, cum ex eo non nutritio, ſed potius ſuffocatio ſequi nata ſit, & propterea non ſolveret jejunium.*

IX. His rationibus jejunium non ſolvunt, qui ad confortandum caput, aut vitandum noxium aerem, ſeu odorem, aromata dentibus frangunt, dummodo nihil ex intentione ac advertenter deglutiant, quamvis aliquid ſucci inſeparabiliter cum ſaliva permixtum deglutiant; quia trajectio illa ad modum ſalivæ vera non eſt comeſtio, aut potatio; imo eadem ratione & ſi parvum aromatis granulum caſu, & ſine intentione comedendi deſcenderet in ſtomachum, adhuc jejunium ſervaretur naturale; ita Coninch. Bonacina, & Diana part. 5. tract. 13. reſolut. 1. §. verum, aliique. Has juxta rationes non frangitur jejunium ſi vapores attrahantur ex cibo, & potu præſentibus. Item ſi ad modum reſpirationis per os in ſtomachum attrahatur pulvis, pluvia, muſca, vel quid ſimile; deglutiuntur inquam per modum reſpirationis, non comeſtionis, aut potationis: Ita doctores citati, aliique paſſim: ſecus autem dicendum ſi quis in flumen prolapſus invitus aquam ſumeret. Ita Gobat, cum aliis. Iiſdem inhærendo principiis ſolidiſſimis naturale non ſolvitur jejunium pro licita celebratione, aut communicatione prærequiſitum deglutiendo ſanguinem e gingivis, vel ex puſtula deſfluentem; neque enim ſumeretur ad modum potus, aut cibi; ita ſupra allegati Doctores, & Quarti dub. 2. circa finem citans Divum Thomam, Suarez, de Lugo, alioſque: addit inſuper, quod eſto ſanguis in os deſfluens, etiam animo comedendi ex induſtria deglutiretur, jejunium adhuc ſufficienter ad licitam celebrationem ſervaretur, quia intentio neque auferre, neque tribuere valet rationem cibi, aut potus prædicto ſanguini ab intrinſeco deſfluenti, juxta regulam a Divo Thoma traditam in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 4., ab aliis communiter receptam. De ratione cibi eſt, quod ore ab extrinſeco ſumatur, non ab intrinſeco; & hac ratione certum eſt, quod jejunium frangeret, ſi quis ſanguinem ex manus, aut digiti vulnere ſugeret, quia tunc vere cibus ore ab extrinſeco ſumeretur, eo fere modo, quo mulier ſi lac de propriis ſugeret mamillis.

X. Tandem ſi quis decumbens ore ſaccarum ſumeret, aut aliquid aliud paulatim liquendum, & deglutiendum ad raucedinis ſublevamen, ut fieri ſolet ſi poſt mediam noctem eſto dormiens, præter intentionem cibi ſumendi, aut potus, aliquam ejuſdem ſaccari portionem, eſto minimam, deglutiat, jejunium frangeret, quia moraliter tamdiu perdurat comeſtio, quamdiu ſaccarum perdurat in ore. Si autem dubitet an aliquid deglutierit poſt mediam noctem an non, ac adhibita ſufficienti diligentia dubius perſeveret, debet abſolute abſtinere tum a celebratione, tum a communione, quidquid alii ſentiant in contrarium; præſumptio utique in hoc caſu præcipue ſtat contra ipſum, qui ſe expoſuit periculo proximo comedendi in dormitione; quod non cadit ſub dubio, & eſt tota dubitandi ratio de comeſtione poſt mediam noctem; Et maxime quia etiam ſi dubium, ſeu ratio dubitandi non oriretur ex eo, quod ſe periculo proximo expoſuerit, ut ſupra, & conſequenter præſumptio non militaret ita aperte contra ipſum, adhuc quotieſcumque ſubeſt dubitatio an comederit, vel non ante vel poſt mediam noctem in obſequium, ac reverentiam huic ſacramento debitam, ab hoc ſumendo, ac a Miſſæ celebratione deberet abſtinere. Ita ſentiunt graves Doctores, inter quos Benedictus XIV. lib. 3. cap. 12. num. 7. de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ubi allegat deciſionem Cleri Patavini in reſolutionibus anni 1708. de Sacram. Euchariſtiæ, quæſt. 2. n. 13.

XI. Dari tamen poſſunt aliquæ circumſtantiæ, in quibus non ſolum ſubeunte dubitatione fractionis jejunii, verum, & cum certitudine licite ſacerdos celebrare poteſt, & ſæculares communicare, inter quas una eſt neceſſitas integrandi ſacrificium, aut ſacramento ſervandi debitam reverentiam; ſecunda eſt neceſſitas ſumendi Viaticum; tertia vitandi ſcandalum publicum. Ratione primæ circumſtantiæ poteſt, imo tenetur ſacerdos etiam non jejunus ſacrificium complere, cui peracta conſecratione unius, vel utriuſque ſpeciei, ſubvenit ſe non eſſe jejunum; potior enim eſt obligatio integrandi ſacrificium, quam jejune communicandi: Item ſi peracta utriuſque, vel unius ſpeciei conſecratione, celebrans moreretur, aut tali ſuperveniente infirmitate, ita debilitaretur, ut ſacrificium perficere non poſſet, ſeu complere; & ſi ſacerdos non inveniretur; abſolute, extante periculo profanationis ab hæreticis, aut Infidelibus, aut ratione alicujus incendii, inundationis, aut alterius incidentiæ, a laico utique proprijs manibus Sacræ hoſtiæ, ſeu particulæ conſecratæ ſumi, & abſumi poſſent: ſic & in aliis ſimilibus circumſtantiis, in quibus periculum immineat profanationis tanti Sacramenti, tenent communiter Doctores.

XII. Ratione ſecundæ circumſtantiæ, jam omnes infirmi cum mortis periculo, etiam non jejuni, communicantur, ut docet quotidiana praxis; Unde difficultas ſolum eſſe poteſt, an Sacerdos non jejunus teneatur Miſſam celebrare, ut infirmo in extremo mortis periculo conſtituto Viaticum miniſtrari poſſit; ad quam difficultatem fere omnes Theologi negative reſpondent, quia ex parte Sacerdotis viget præceptum celebrandi jejune, ex parte infirmi non viget præceptum ſumendi Viaticum in tali circumſtantia, ſcilicet dum Euchariſtiæ copia deficit; videatur Benedictus XIV. loc. cit. n. 8.

XIII. Ratione tertiæ circumſtantiæ, etiam ſi caſu, aut culpabiliter jejunus non ſit, poteſt celebrare Parochus, aut alius Sacerdos obligatus ex officio celebrare diebus feſtis, ſi non aliter evitari poſſit grave ſcandalum, aut non leve ipſius damnum. Ita Suarez diſput. 4. ſect. 5. cum aliis paſſim. Præceptum enim vitandi ſcandala, præferendum eſt præcepto celebrandi jejune; quia primum eſt naturale, ſecundum Eccleſiaſticum. Primum ſpectat ad charitatem, ſecundum ad ordinem ritus. Primum tandem eſt præceptum negativum, ſecundum poſitivum. Leges autem poſitivæ tam ſevere non obligant, & rigide ſicut negativæ faciunt. Unde ratione vitandi ſcandalum, Laici quoque præſertim Regulares, qui determinatis diebus communicari tenentur, poſſunt non jejuni accedere ad Euchariſtiam ſumendam, ſi aliter non poſſit grave ſcandalum, aut non leve damnum effugere; ſic citati Doctores, inter quos Pater Roſignolus n. 12. in fine hæc habet: *In univerſum ubique intervenire poteſt ſcandalum conjunctum cum aliqua infamia, quæ aliter vitari nequeat, ſive in Sacerdote ſacrificante, ſive in Laico communicaturo, etiam fracto jejunio poteſt ille ſacrificare, hic communicare: Quandoquidem exceptio de vitando ſcandalo in omnibus præceptis locum habet, ubi contrarium non eſt intrinſece malum, & obligatio legis poſitivæ non obligat cum tanto onere, & diſcrimine.*

XIV. Tandem ad licitam Miſſæ celebrationem ex parte Sacerdotis exigitur quod ab omni cenſura, & irregularitate, ſive ex defectu, ſive ex alia ratione immunis exiſtat, ſicut etiam juxta Divum Thomam ab omni corporis immunditia. Pro corporis immunditia, intelligit Sanctus Doctor turpitudinem illam, quæ per peccatum non ſolum in anima reatu culpæ, ſed in membris ipſis carneis pollutione contrahitur, nec per reatus culpæ expiationem tam cito deletur, perſeverat enim adhuc per aliquod tempus poſt deletum peccatum hæc corporis deformitas, ſeu immunditiés, cum qua non decet, ſive ad celebrandum, ſive ad communicandum accedere. Hinc Sacerdos eadem die, quo lethale commiſit peccatum, & ſi per Sacramentalem confeſſionem expiaverit, ſi nulla urgeat neceſſitas, debet a celebrando abſtinere, & Miſſæ celebrationem ad minus in diem poſterum differre; ſic Divus Thomas in 4. ſententiarum diſt. 9. quæſt. 1. art. 4., quæſt. 2., ubi ſic: *Non eſt conſulendum, quod ſtatim poſt peccatum mortale, etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accedat; ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere*. Cum D. Thoma conſentit Cardinalis Toletus eximius Theologus lib. 2. cap. 1. n. 3. *Aliquando non ſufficit confeſſio ad celebrandum, cum enim peccatum parvo tempore anteceſſit, non debet celebrare, ſed expectare diem alium; Unde qui ſe accuſant, quod nocte proxima peccatum carnis commiſerunt, quamvis cum dolore accedant, & abſolvantur, ſunt tamen a celebratione arcendi.*

XV. Neque ſolum de peccatis venereis, quæ peculiaris indecentiæ ad Sacramentum ſordes ſecum afferunt præ aliis peccatis, procedit caſus, ſed de omnibus peccatis mortalibus; Unde Sotus in 4. ſent. diſt. 12., quæſt. 1. art. 7. ſic habet: *Hæc propoſitio non eſt ſingularis de pollutione, ſed generalis de quocumque peccato; tanta enim eſſet irreverentia, homicidam cruentis manibus, aut blaſphemum polluto ore illico ad Euchariſtiam accedere, tametſi venereæ ſordes peculiarem quamdam indecentiam ad Sacramentum præ aliis ſceleribus afferant*. De facto ratione hujus peculiaris indecentiæ ad Euchariſticum Sacramentum in peccatis venereis fere major Theologorum pars cum D. Thoma affirmat, etiam citra peccatum, ac præter voluntatem, ſi pollutio nocturna contingat, & ſolum aliquod turpe phantaſma inculpabiliter nobis adhuc animo obverſetur; aut ſolum mentem geremus diſtractam, ſi nulla ſit cauſa rationabilis celebrandi, Miſſæ celebrationem eſſe in alium diem protrahendam; dicitur ſi turpe phantaſma aliquod, etiam inculpabiliter, nobis adhuc animo obverſetur &c., quia ſi pollutio abſque impuris ſequatur phantaſmatis, ac carnis pruritu, uti juxta Abulenſem dæmon efficere ſolet, ut pios retrahat homines a Sacra Euchariſtia ſumenda, vel Sacerdotes a Miſſa celebranda, D. Thomas loc. ſupracitato art. 7. abſolute tradit non eſſe in tali caſu, aut communionem, aut Miſſæ omittendam celebrationem: D. Thomæ in hac parte adhæret Turrecremata in canon. *Teſtamentum* diſt. 6. ſic: *Si in nobis cauſa non præceſſerit, imo magis cauſa contraria, & hoc frequenter accidit, & præcipue in diebus, in quibus communicari debet, ſignum eſt, quod diabolus homini fructum*

Fu-